LVGDVNI,

Sumpt. { Claudij Proſt, ſub ſigno Occaſionis.
Petri & Claudij Rigaud, ſub ſigno Fortunæ.
Hieronymi de la Garde, ſub ſigno Spei.
Ioan. Ant. Huguetan, ſub ſigno Sphæræ. } *in vico Mercatorio.*

M. DC. L.

In quinque sequentibus Theologica mysteria pandit, in quibus adeò processit, vt omnibus quod mutuarentur aut imitarentur reliquerit, quid excogitarent prope nihil. Vno verbo si rerum ordinem multis iisque doctissimis qui Albertum sunt insequuti ademeris, nihil in illis præter Albertum reperies.

Nonus decimus miranda prorsus diuinæ omnipotentiæ & sapientiæ secreta prodit, dum rerum ordinem & originem inquirit, agendo de materia prima, de tempore, de cælo, de Angelis & homine. Quæ in Deipara laudes in vigesimo literis exarauit, non ingenio tantum illum suo, sed studio etiam quo in illam ferebatur, assecutum esse planè declarant, quæ sic accurata sunt, vt de præsenti illius auxilio nemo qui legerit, dubitabit.

In Miscellaneis stupendam ingenij fertilitatem exhibet, qualem vix vnquam mortalium quispiam est assequutus. Percurre, beneuole Lector, & adhuc maiora videbis quam possimus verbis exprimere. Nec te terreat tantorum voluminum congeries, hàs spe recreatum, mortalem posse percurrere quæ mortalis scripsit. Cum aliunde non solum Alberti Magni meritis & tibi, hoc gratitudinis debeas pignus, vt saltem oculis sin mente tantum opus delibes, sed etiam laboribus, vigiliis, studio, perquisitioni & sollicitæ sagacitati RR PP. celeberrimi Ordinis Prædicatorum. Quid enim dicemus de R.mo P. Thoma Turco prædicti Ordinis generali Magistro? in arduis satis esse voluisse immensum pondus etiam Atlanticis impar vtribus ad cælos euehere? parum. Addemus omnes ferè Europæ partes non solum zelo domos proprias inuisendi, sed etiam vt peruetustos, qui tot regionibus tamque dissitis sparsi erant & veluti sepulti codices, nobis compararet. Auxit animum inter tot tantosque labores felix faustusque successus: ita vt nihil ipsi deesse videretur quam tantorum operum Authoris præsentia qua fruereturr. Arrisit diuinum numen piis R.mi P. Votis: vitaque functus facie ad faciem intuetur, quod in enigmate & in speculo suorum operum demirabatur. Ipsius zelo simul & dignitati successit R.mus P. Nicolaus Rodulphus, sed præmatura morte ad superos euocatus, successorem reliquit, qui non solum nunc Ordini sapientissimè præesset, sed etiam qui ad hanc luculentam & tandiu expetitam lucubrationem omnes cogitationes, omnia studia, omnem denique authoritatem conuerteret. Vtrique muneri non solum successit, sed æmulus extitit, Ordinis & totius vniuersi vtilitati consulens. Distrahebat tamen mentem tantorum munerum solicitudo, hinc regiminis pondus, illinc cura præli assiduæ: & vt alter Moyses nimiis laboribus impar, socium sibi elegit R. A. P. Cochet exprouincialem & probatissimæ integritatis laude benemeritum, qui instaret vt immensa M. Alberti volumina hic ederentur.

Sed mirandum sanè quantum operæ contulit R. A. P. Iammy: omnia enim volumina perueestigauit, à mendis expurgauit, innumeris locis restituit, citationibus quæ desiderabantur illustrauit, copiosissimis indicibus auxit, & ad maiorem distinctionem titulos qui tractatibus aut partibus eorum deerant, suppleuit: vniuersa denique in quàm optimum licuit ordinem negotiosè digessit, ita vt sicut olim de Sophia decrepita muliere & paupere quæ obuiantes curribus detrahebat lapides dum Apollinis templum construeretur, inscriptum fuit, Sophia me fecit, possimus nunc iustius dicere, R. A. P. Iammy me fecit, dum indefesso labore pristino aut forsan nunquam viso statui tanta volumina restituit. Vale.

Mirare eum qui viuens non habuit parem, extinctum & Beatum venerare doctissimum studiose imitare.

Hoc suadent

Tuæ Beneuolentiæ obsequentissimi & deuotissimi
Claudius Prost.
Petrus & Claudius Rigaud, frat.
Hieronymus de la Garde.
Ioan. Ant. Huguetan, *Filij.*
Bibliopolæ Lugdunenses.

CATALOGVS.

CATALOGVS
Operum Beati Alberti Magni XXI. Voluminibus comprehensorum.

In primo continentur.

VITA Beati Alberti Magni.
De prædicabilibus lib.1.
De decem prædicamentis lib.1.
De sex principiis lib.1.
De interpretatione lib.2.
De syllogismo simpliciter, id est, priorum analyticorum lib.2.
De demonstratione, id est, posteriorum analyticorum lib.2.
Topicorum lib.8.
De sophisticis elenchis lib.2.

In 2.

De physico auditu lib.8.
De cælo & mundo lib.4.
De generatione & corruptione lib.2.
De meteoris lib.4.
De mineralibus lib.5.

In 3.

De anima lib.3.
Metaphysicorum lib.13.

In 4.

Ethicorum lib.10.
Politicorum lib.8.

In 5.

Parua naturalia, siue
De sensu & sensato lib.1.
De memoria & reminiscentia lib.1.
De somno & vigilia lib.1.
De motibus animalium lib.2.
De ætate siue de iuuentute & senectute lib.1.
De spiritu & respiratione lib.2.
De morte & vita lib.1.
De nutrimento & nutribili lib.1.
De natura & origine animæ lib.1.
De vnitate intellectus contra Auerroem lib.1.
De intellectu & intelligibili lib.2.
De natura locorum lib.1.
De causis proprietatum elementorum lib.1.
De passionibus aëris lib.1.
De vegetabilibus & plantis lib.7.
De principiis motus progressiui lib.1.
De processu vniuersitatis à causa prima lib.1.
Speculum astronomicum, in quo de libris licitis & illicitis pertractatur.

In 6.

De animalibus lib.26.

In 7.

Commentarij in Psalmos.

In 8.

Commentarij in Threnos Ieremiæ.
Comment. in Baruch.
Comment. in Danielem.
Comment. in 12. Prophetas minores.

In 9.

Comment. in Matthæum.
Comment. in Marcum.

In 10.

Comment. in Lucam.

In 11.

Comment. in Ioannem.
Comment. in Apocalypsim.

In 12.

Sermones de Tempore.
Orationes super Euang. Dominic. totius anni.
Sermones de Sanctis.
Sermones 32. de Sacramento Eucharistiæ.
Liber de muliere forti.

In 13.

Comment. in Beatum Dionysium Areopagitam.
Compendium theologicæ veritatis, septem libris digestum.

In 14.

Comment. in 1. lib. Sententiarum.

In 15.

Comment. in 2. & 3. lib. Sententiarum.

In 16.

Comment. in 4. lib. Sententiarum.

In 17.

Prima pars Summæ Theologiæ.

In 18.

Secunda pars Summæ Theologiæ.

In 19.

Summa de creaturis diuisa in duas partes, quarum prima est de quatuor coæuis, secunda de homine.

In 20.

Mariale, siue quæstiones 230. super Missus est.
De laudibus B. Virginis lib.12.
Biblia Mariana.

In 21.

Miscellanea, siue
De apprehensione & apprehensionis modis lib.1.
Philosophia pauperum, siue isagoge in libros Aristotelis de physico auditu, de cœlo & mundo, de generatione & corruptione, de meteoris, & de anima.
De Sacrificio Missæ lib.1.
De Sacramento Eucharistiæ lib.1.
Paradisus animæ, siue de virtutibus libellus.
De adhærendo Deo libellus.
De Alchimia libellus.

BEATI ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM,

COMMENTARII { *in Threnos Ieremiæ,* *in Baruch,* *in Danielem,* *in 12. Proph. Minores,*

Recogniti per R. A. P. F. PETRVM IAMMY, sacræ Theologiæ Doctorem, Conuentus Gratianopolitani, eiusdem Ordinis,

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.

Operum Tomus Octauus.

LVGDVNI,

Sumptibus { CLAVDII PROST. PETRI & CLAVDII RIGAVD, Frat. HIERONYMI DELAGARDE. IOAN. ANT. HVGVETAN. } *Via Mercatoria.*

M. DC. LI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, à Nos Amez & feaux Conseillers, les Gens tenans les Cours de Parlements, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, leurs Lieutenants, & tous autres de nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut: Nostre cher & bien Amé IEAN-ANTOINE HVGVETAN, le fils, Marchand Libraire à Lyon, Nous a fait remonstrer qu'il desireroit imprimer les *Oeuures d'Albert le Grand*, ce qu'il ne peut faire sans grand frais, desquels il craindroit d'estre frustré s'il n'auoit Nos lettres sur ce necessaires, lesquelles il nous a tres-humblement suppliés de luy accorder. A CES CAVSES, Nous auons permis & permettons par ces presentes, à l'Exposant d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeïssance ledict liure, en vn ou plusieurs Volumes, en telles marques, en tel caractere, & autant de fois qu'il voudra, durant vingt ans entiers & accomplis, à compter du iour que chaque Volume sera acheué d'imprimer pour la premiere fois: & faisons tres-expresses deffences à toutes personnes de quelle qualité & condition qu'elles soyent, de l'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter en aucun lieu de nostre obeyssance, soubs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltre, fausses marques ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, sans le consentement de l'Exposant ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze mille liures d'amande, payables par chacun des Contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, de confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous depens dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique, & vn à celle de nostre tres-cher & Feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, auant que l'exposer en vente à peine de nullité des presentes: Du contenu desquelles Nous voulons que vous faciez iouir plainement & paisiblement l'Exposant, ou ceux qui auront son droit, empeschant qu'il ne leur soit donné aucun empeschement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaque Volume dudit Liure, vn Extrait des presentes, elles soient tenues pour duement signifiées, & que foy y soit adioustée & aux copies, collationnées par l'vn de nos Amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier Nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous exploits necessaires sans demander autre permission. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobstant l'Ordonnance de Haro, Charte Normande, & autres

autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neufiéme iour de Nouembre, l'an de grace mil six cens quarante-quatre, & de nostre Regne le second.

Signé par le Roy en son Conseil.

CONRART.

Ledit Huguetan a associé au susdit Priuilege Claude Prost, Pierre & Claude Rigaud, Freres, & Hierosme de la Garde, pour en iouyr auec luy durant le temps porté par icelui, conformément à leur Scrit du 7. Feurier 1644.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 16. Decembre 1650.

D. ALBERTI

D. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

IN THRENOS IEREMIÆ COMMENTARII.

PRÆFATIO.

[redacted] SAIA 33. *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt.* Videntes dicuntur deplorare defectum & intellectus, [illegible] ad literalem [illegible] *Psalm. 118.* Aperuit aquarum doloribus oculi mei. Spiritualiter autem oculi intellectuales spiritualis considerantur excidium quod hic per peccatum. *Ieremiæ 3.* Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum? De ipsoque simul dicitur *Thren. 3.* Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. *Matthæi 5.* Beati videntes. Hic videntes per amaritudine cordis clamabunt, & dolorem denunciabunt & inuitabunt denunciantes. *Thren. 2.* Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion. *Ibidem.* Pro dolore cordis clamabitis. Mirum quando mercede [illegible] & quando [illegible] per [illegible] oculis. [illegible] *Ibid.* Ecce Domine [illegible] [illegible] [illegible]

Remmon in campo Magedon : & plangent terræ , familiæ & familiæ seorsum. Vnde iste planctus omnem alium planctum in sacra Scriptura positum excedit. Dicitur etiam Threni: quia triplici alphabeto connectitur , scilicet duobus simplicibus & vno triplicato. In primis enim duobus capitulis simplex alphabetum est : similiter simplex est in vltimo , & in oratione. In medio autem , quòd tertium est , quælibet litera triplicatur. Nec alia causa literarum est , nisi quod modus metri denotetur. In Hebræo enim planctus iste versifice compositus est tali arte, quod in quolibet capitulo primus versus incipit ab Aleph , secundus à Beth , & sic deinceps per ordinem literarum , qui in translatione seruari non potuit : sed vt noteur ita esse in Hebræo, literæ prænominatæ sunt.

Et ex hoc accipitur modus. Est etiam modus non quidem dictaminis , sed orationum inductarum sumptus à duabus orationibus quas Tullius distinguit in 2. Rethoricorum , quarum vna vocatur conquestio , altera autem indignatio. Conquestio enim , vt dicit , oratio est auditorum captans misericordiam. Quod 16. dicit fieri modis , quos etiam modos locos apellat. Dum in quibus fuimus bonis , & in quibus nunc sumus malis ostenditur. Aut quando querimonia per differentias temporis, præsens , præteritum , & futurum extenditur. Aut quando vnumquodque incommodum per singulas partes declaratur. Aut quando miseria talis indigna esse generi nostro , fortunæ , & felicitati demonstratur. Aut quando singula incommoda sigillatim ante oculos, ponuntur. Aut quandò præter spem miseria accidisse conqueritur , dum aliud omninò sperabatur. Aut quando ex similibus casibus nostra pensari & rogantur ponderari. Aut quando aliquid factum , quod fieri non oportuit, declaratur. Aut quando ad res multas sermo conuertitur. Aut quando inopiæ ex miseria accidentes proponuntur. Aut quando alicuius ad se pertinentium propter quem parcendum erat , dignitas commendatur. Aut quando affectus intimus demonstratur. Aut quando cum indignatione querimonia fit , sicut quando ab his patimur , à quibus minimè pati deberemus. Aut quando cum humilitate & supplicatione & obseruatione audientium oratio proponitur. Aut quando non nostra tantum, sed eorum qui attinent nobis , infortunia deploramus , qui ex nostris miseriis ad infortunia deducti sunt. Aut quando animum in alios misericordem ostendimus , & tam amplum & non deiectum , vt hæc & alia similia pati paratus sit.

Conquestio quid , & quot locos habet.

Indignatio autem est oratio per quam in aliquo odio concitatur. Et hæc oratio 15. habet modos , qui loci Rethorici vocantur : fit enim aut quando ab auctoritate eorum ad quos iniuria facta est , culpam aggrauamus. Aut res quæ facta est, aggrauatur per amplificationem eorum in quos facta est , sicut si multitudinem vel ciuitatem ostendit. Aut quando aggrauatur ex hoc quod in exemplum trahi potest , à multis enim idem fiet. Aut quando demonstramus, quòd eodem iure quo licet hoc vni , licebit & alteri. Aut quando ostendimus , quòd isto facto multa facta antiquorum corrigi debent & mutari , eò quod praua rectis non concordant: & ideò si praua collaudantur , recta corrigi debent. Aut quando aggrauamus ex circunstantiis factum quod crudele & nefarium sit. Aut quando ex comparatione aggrauamus , sicut quod ab atrocissimis & ferocissimis non esset attentatum. Aut quando ipsum factum aliis factis comparamus , & illud alia excellere, docemus. Aut quando omnia quæ in causa negotij & in negotio & in consequentibus negotium particuliariter ostendimus Aut quando ostendimus, quòd ab eo factum est à quo minimè fieri oportuit, & à quo potius prohiberi debuit. Aut quando cum iniuria & contumelia ostendimus illata. Aut quia talia nobis indignè facta sunt. Aut nunquam in nos attentata. Aut quando ab audientibus perimus vt ex suis nostra ponderent , & sicut graue reputarent in se illata , ita pensent & nostra. Aut quando aggrauamus ex hoc quod nec hostibus talia inferri debuerant. Omnes istos modos Glossa dicit obseruari in planctu isto , & in quibusdam assignat , in quibusdam autem non , quia facile per se patent.

Indignatio quid , & quot locos habet.

Huic autem planctui vel Ieremias vel alius præmittit clausulam quæ continuatiua est planctus ad propheriam, dicens : *Et factum est prius quam in captiuitatem reductus est Israël.* Hoc dicit quantum ad 10. tribus. *Et Ierusalem deserta est* , quantum ad duas tribus. *Sedit Ieremia Propheta.* Sedit autem præ amaritudinis exaggeratione, quæ cordi & corpori motum abstulit. Vnde *Isa.47.* Descende , sede in puluere filia Babylon , sede in terra. *Ezech.* 3. Sedi vbi illi sedebant , & mansi ibi 7. diebus mœrens in medio eorum. *Iob* 2. Iob testa saniem radebat sedens in sterquilinio. *Et flens planxit lamentatione hac.* Fletus refertur ad lamentationem , planctus autem ad eiulationem , lamentatio autem ad dictamen. *Matth.* 5. Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur. *In Ierusalem* , vbi locus materiam flendi demonstrauit. *Psal.136.* Sedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion, *Amaro animo* , de dulcedine Domini in amaritudinem conuerso. *Ierem.6.* Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. *Suspirans. Psal.6.* Laborani in gemitu meo. *Et eiulans dixit. Genes.45.* simile de Ioseph. Eleuauit vocem cum fletu , quam audierunt Ægyptij omnisque domus Pharaonis.

Sedere est mœrentis.

Lamentatio ista secundum quadruplicem alphabetum in quatuor distinguitur partes secundum materiam. Potest enim considerari planctus de ablatione boni, & de præsentia mali, & de comparatione vnius ad alterum. Ablatio autem boni duplex est, boni scilicet vtilis , & istud deplangitur in cap. primo : & boni ad gloriam pertinentis , & illa deplanguntur in cap.2. In 3. verò deplangitur secundum partes miseria mali præsentis. In 4. verò infelicitas miseriæ comparata ad felicitatem præcedentis gloriæ deploratur : dicit enim *Bonum* , quòd extremum genus infelicitatis est, miserum aliquem fuisse felicem. Sunt tamen qui dicunt , quòd propter mortem Iosiæ , & translationem Iechoniæ , & obsidionem ciuitatis , & captiuitatem sequentem , quatuor sunt hic alphabeta. Sunt etiam qui dicunt, quòd quia nos & mundus de 4. elementis consistimus:

Cur hic quadruplex alphabetum.

sistimus : & quia tempus de 4. consistit , nocte scilicet , die , septimana , & mense , & quia annus de temporibus 4. consistit , & mundus de 4. plagis , quòd quadruplex sit hic alphabetum. Sed nos de diuisionibus quæ ex litera trahi possunt , consueuimus non curare. Primum cap. vbi deploratur destitutio à bono vtili , in duas diuiditur partes. In primo enim deplangit dolorem per materiam. In 2. eiusdem doloris ad alios proponit miseriam ad captandam misericordiam , ibi , *O vos omnes qui transitis per viam.* Prima adhuc in duas diuiditur. Primò enim dolorem exaggerat. Secundò autem causam meritoriam eiusdem doloris demonstrat, ibi, *Peccatum peccauit.* Adhuc in 1. duo facit , scilicet dolorem , & doloris inconsolabilitatem, ibi, *Facti sunt hostes eius in capite.* Adhuc prior habet duas partes. Plangit enim desolationem , & desolationis ostendit causam & modum , ibi, *Migrauit Iudas.* In prima duo versus sunt , scilicet desolatio & planctus, ibi , *Plorans ploranit.* Dicit ergo :

CAPVT I.

1. Aleph. A*Leph* , quod doctrina interpretatur , eò quod doctrina planctus hic docetur , & spiritualis intelligentia etiam innuitur. *Isa.*5. Propterea captiuus ductus est populus meus , quia noluerunt scientiam. *Deuter.*33. Qui appropinquant pedibus eius , accipient de doctrina eius. Vnde doctrinam miscebimus cum literali, causa breuitatis. *Quomodo sedet.* Quomodo non est admirauiuum , nec ignorauiuum , sed motiuum ad pietatem & misericordiam. *Ierem.*51. Quomodo capta est & comprehensa inclyta vniuersæ terræ. *Osee.*11. Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israël ? Quomodo dabo te ? sicut Adama ponam te, vt Seboim. *Sedet*, habitu plorantis assumpto , & immobilis effecta. *Thren.*3. Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se contra se. Mœsti enim est quod solitarius sit : boni enim viti proprium est dolorem cordis amicis non indicare. *Sola* , vt fletibus scilicet satietur, & in secreto à Deo consoletur. *Osee* 2. Ducam eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius. *Psal.* 54. Ecce elongaui fugiens , & mansi in solitudine. *Bernardus :* Delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam. O sancta anima sola esto , vt illi ex omnibus soli placeas, quem tibi ex omnibus elegisti. *Ciuitas* , Ierusalem scilicet , vel Ecclesia , vel fidelis anima. *Psal.*121. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. *Matth.* 5. Non potest ciuitas abscondi super montem posita. *Plena populo* , quondam , supple : Ierusalem enim multo frequentabatur habitatore , Ecclesia ministrorum pluralitate , fidelis anima virtutum & meritorum copiositate. *Baruch.*2. Multitudo hæc magna conuertetur in minimam gentem. *Isa.* 60. Minimus erit in mille , & parvulus in gentem fortissimam. *Facta est quasi vidua* , Patrono scilicet , regno ac sacerdotio destituta , vel Ecclesia bono pastore destituta , & anima Deo. *Osee* 3. Dies multos sedebunt filij Israël sine rege , & sine Principe, & sine sacrificio , & sine altari , & sine Ephot, & sine Theraphin. De secundo. 4.*Reg.*4. Seruus tuus vir meus mortuus est , & tu nosti , quod seruus tuus fuit timens Deum. De tertio. *Thren. vult.* Pupilli facti sumus absque patre , matres nostræ quasi viduæ. *Domina gentium* , quondam , supple , tempore quo Dauid gentibus imperabat. 2.*Reg.*4. Seruierunt sub tributo Dauid Moab & Amon. Sic sub bonis patribus reges gentium ceruicem inclinabant. *Isa.* 66. Gens & regnum quod non seruierit tibi , peribit , & gentes solitudine vastabuntur. 2. *Machab.*3. Cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace , leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ pontificis depositionem & pietatem , & animos odio habentes mala , fiebat , vt & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent , & templum maximis muneribus illustrarent. *Princeps prouinciarum* , quondam , supple. Multis enim prouinciis imperabat Ierusalem. Similiter Ecclesia prædita bonis personis multis imperabat. *Luc.* 19. Tu esto super quinque ciuitates. *Psal.* 8. Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum. *Facta est sub tributo*, Chaldæorum scilicet literaliter , & dæmonum spiritualiter. Simile est *Exod.* 5. Mensuram laterum quam prius faciebant , imponetis super eos, & non minuetis quidquam. *Genes.*49. Factus est tributis seruiens.4.*Reg.*23. & imposuit mulctam terræ centum talentis argenti , & talento auri. Sapientia enim & eloquentia seruiuit diabolo. Et patet , quòd hic est locus conquestionis primus : dicit enim in quibus bonis fuerit , & in quibus malis nunc sit.

Ierusalem Domina gentium.

2. Beth. *Beth* , domus interpretatur , eò quod domus Dei plangit destructionem : plangit autem boni destitutionem quam enuntiauit , & hoc est. *Plorans ploranit* , hoc est , continuè plorauit , vel plorans intus in corde , plorauit & in oculis. *Thren.*2. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem. *Ierem.*9. Quis dabit capiti meo aquam , & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die & nocte interfectos filiæ populi mei. *Psal.* 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. *In nocte* , literaliter , quia in die ausa non fuit : spiritualiter autem , quia de tenebris peccatorum plangit. *Psal.*50. Lauabo per singulas noctes lectum meum , lachrymis meis stratum meum rigabo. *Iacob.*5. Agite nunc diuites : vlulare plorantes in miseriis, quæ aduenient vobis, *Psal.* 29. Ad vesperum demorabitur fletus. *Et lachryma eius in maxillis eius* , hoc est , signa lachrymarum : lachryma enim acuta est & sulcat cilia & genas etiam ad lippitudinem quandò frequenter descendit. *Iob* 16. Facies mea intumuit à fletu , & palpebræ meæ caligauerunt. Sic fecit Iacob. *Osee* 12. vbi dicitur, quod inualuitad Angelum , & conforratus est , fleuit & rogauit eum. *Isa.* 16. Inebriabo te lachryma mea Hesebon & Eleale. Hesebon cingulum mœroris interpretatur : Eleale autem consensio , & significat eos qui tristantur in peccato in quo consenserint. In maxilla autem sunt , vt decor vultus immutetur in habitum plangentis. *Ecclesiast.*35. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt , & exclamatio eius super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum , & Dominus exauditor non delectabitur in illis. *Non est qui consoletur eam.* Omnes enim ita oppressi

Nocturnum tempus lachrymis opportunum.

Ecclesia non recipit consolationem à malis.

oppressi sunt amaritudine : à malis enim non recipit Ecclesia consolationem. *Osee* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis : quia ipse inter fratres diuidet. *Isa.*22. Nolite incumbere vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei : dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum Domino Deo exercituum in valle visionis. *Ex omnibus charis eius*, hoc est, quos charo nutriuit affectu & synagoga & Ecclesia. *Genes.*37. Congregatis cunctis liberis vt linirent dolorem patris, noluit consolationem accipere. *Psal.* 76. Renuit consolari anima mea. *Ierem* 31. Noluit consolari, quia non sunt. *Omnes amici eius spreuerunt eam.* Quia veri amici non fuerunt. *Eccles.* 6. Est amicus & socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Spernunt autem, cum vident humiliatum, in quo nihil nisi gloriam & delicias & diuitias dilexerunt. Hoc significatum est *Iob* 2. vbi dicitur, quòd amici Iob leuantes procul oculos suos non cognouerunt eum. Non cognoscere enim, spernere est. *Iob* 30. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur. *Et facti sunt ei inimici. Michæe* 7. Inimici hominis, domestici eius. *Iob* 30. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Poëta :

Cum fuerit felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Est autem hic locus conquestionis 14. Cum indignatione enim conqueritur : quia ab iis à quibus minimè conueniat, malè tractetur.

3. *Ghimel*, interpretatur plenitudo: plenitudinem
2 Ghimel. enim mali & desolationis deplorat. *Thren.* 3. Repleuit me amaritudinibus & inebriauit me absynthio. Tangit autem hic duo, scilicet causam desolationis ex parte hostis, & modum ex parte populi desolati, ibi, *Viæ Sion.* Dicit ergo: *Migrauit Iudas*, hoc est, duæ tribus, vel in Ecclesia populus confitens & glorificans Dominum. Migrauit autem de loco suo in captiuitatem. *Psal.*10. Quomodo dicitis animæ tuæ, Transmigra in montem sicut passer ? *Amos* 1. Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eam, eò quod transtulerit captiuitatem perfectam, vt concluderet eam in Idumęa. Interpretatur Gaza fortitudo eius. Quia fortitudo tentationis & instantia hostis migrare facit & excludi in Idumæam, hoc est, in carnalem delectationem. Et hoc est quod sequitur. *Propter afflictionem & multitudinem seruitutis.* Afflictio hostis est in fame, gladio, & peste. Fame, spiritualis pabuli destitutione. Gladio tentationis & pugnæ. Peste, interioris turpitudinis infectione. 1. ad *Corinth.*1. Supra modum granati sumus supra virtutem, ita vt etiam tæderet nos viuere. *Exod.* 5. Flagellati sunt qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis. Multitudo autem seruitutis est in angariis, & pro angariis, sicut & diabolus angariat hominem vt sibi seruiat. 4.*Reg.*12. Pater meus aggrauauit iugum vestrum, & ego addam iugo vestro. Pater meus cæcidit vos flagellis : ego autem cædam vos scorpionibus. *Eccles.* 33. Seruo maleuolo tortura & compedes. Mitte illum in operationem ne vacet. *Habitauit inter gentes*, non tam loco quam imitatione. *Psal.* 105. Commixti sunt inter gentes didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum. *Nec inuenit requiem.* In peccato enim quies non inuenitur. *Thren.*3. Lassis non dabatur requies. *Ierem.*16. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. *Omnes persecutores eius apprehenderunt eam. Ierem.* 2. Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis suis inuenient eam. Nulli enim negat se, vltrò se exhibet. *Inter angustias.* Ita enim angustiatur de deserendo peccatum, quòd quilibet persecutor comprehendit eam. Propter hoc dicit Apostolus 1. ad *Corinth.* 6. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris. *Prouerb.*11. Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. Hic autem locus est 10. conquestionis, per quem impio & infirmitas & solitudo monstratur.

Multitudo seruitutis quid.

Daleth, tabulatum interpretatur, eò quod 4.
tabulatum miræ pulchritudinis quod erat in 4 Daleth.
templo, hic deplangitur, & significat cohæsionem charitatis, quæ in personis Ecclesiasticis esse debet. *Viæ Sion lugent*, hoc est, lugere dicuntur, eò quod frequentia turbarum ad templum Dei euntium cum tympanis & choris destitutæ sunt. *Ioël.* 2. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes. Ibidem : Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu. Et quod dixit, exponit subdens : *Eò quod non sit qui veniat ad solemnitatem*, tribus scilicet vicibus per annum. *Exod.*23. Sicut etiam solemnes Ecclesiæ hodiè non frequentantur. *Isa.* 33. Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines. Solemnitas enim Domini in multitudine populi debet esse. *Psal.*117. Constituite diem solemnem in condensis vsque ad ad cornu altaris. Et quod dixit in communi, tangit per partes. *Omnes portæ eius destructæ.* Per metonymiam : quia illi qui sedebant in portis, & expedite debebant populum, destructi sunt. *Thren* 2. Defixæ sunt in terra portæ eius. Portæ enim quæ introducere debent in Ecclesiam, prælati sunt, qui destructi per auaritiam sunt & alia peccata. *Psal.* Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. *Sacerdotes eius gementes.* Qui debebant scilicet sanctificare oblationes venientium, hi gemunt oppressi captiuitate diaboli. *Psal.* 77. Sacerdotes eius in gladio ceciderunt. *Iob* 26. Ecce gigantes gemunt sub aquis. Sub aquis enim concupiscentiæ gemunt, qui gigantes esse deberent. *Isa.* 70. Quasi columbæ meditantes gememus. Expectauimus iudicium, & non est : salutem, & elongata est à nobis. *Virgines enim squalidæ.* Consuetudò erat antiquis quod chori Virginum cum tibiâ & citharâ ad solemnitatem venirent. *Isa.* 30. Canticum erit vobis sicut vox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Israël. Sed nunc squalidæ sunt, fatuæ, & pinguedine deuotionis destitutæ. *Matth.*25. Quinque fatuæ acceptis lampidibus non sumpserunt oleum secum. *Et ipsa oppressa amaritudine*, mater scilicet Ecclesia, vel synagoga. *Ruth* 1. Amaritudine me valde repleuit Omnipotens. *Exech.*5. Abij amarus

Porta, prælati.

tus in indignatione spiritus mei. *Glossa.*8. locus conquestionis est, per quem dicitur factum quod non oportuit, & non factum quod oportuit.

5. *He*, interpretatur esse, vel viuere, vel sus-
5 He. ceptio, & in hoc vltimo sensu concordat : suscepit enim pœnam pro peccatis. *Isa.*40. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Et tangitur hîc causa desolationis, primò ex parte hostis. Secundò ex parte ablati decoris, ibi, *Et egressus.* Tertiò ex parte oppressæ ciuitatis, ibi, *Et recordata est Ierusalem* Dicit ergo : *Facti sunt hostes eius in capite*, & Ierusalem scilicet in cauda. *Deuter.*28. Inimicus tuus erit in caput, & tu eris in caudam. Vel facti sunt in capite, hoc est, contra caput prælianties, prælatum scilicet, vel Ecclesias principales. 3.*Reg.vlt.* Non pugnabitis contra maiorem vel minorem quempiam, nisi contra regem Israël solum. 1. *Reg.vlt.* Philistiim caput Saül præcisum per totam terram miserunt, vt ab omnibus in exemplum turpitudinis aspiceretur. *Zach.*11. Percutite pastorem, & dispergentur oues. *Inimici eius locupletati sunt.* Addiderunt enim diuitias bonorum. *Psal.*72. Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo ; obtinuerunt diuitias. *Iob* 21. Impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis : sicut & tyranni ditati sunt de rebus Ecclesiarum. *Quia Dominus locutus est super eam*, vt hoc scilicet fieret ei. *Isa.* 1. Gladius meus deuorabit vos : quia os Domini locutum est. 1. *Reg.* 3. Suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius. Super enim notat oppressionem. *Propter multitudinem iniquitatum eius*, gente scilicet, specie, & numero. *Osee* 4. Maledictum & mendacium & furtum & homicidium & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. *Ierem.* 14. Multæ sunt auersiones nostræ. *Paruuli eiusducti sunt in captiuitatem*, quibus potius miserendum erat : & significat simplices de Ecclesiâ, qui propter peccata prælatorum dispergantur. *Ierem.* 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, fecerunt que vagari in montibus. *Ante faciem tribulantis.* In peccatis enim non nisi tribulatio est. *Psal.*105. Tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum, sæpè liberauit eos.

Esse in caput vel in caudam, quid.

6. *Vau*, interpretatur &, quasi omnibus præ-
6 Vau. cedentibus malis istud cumulatum sit & additum. *Isa.*15. Ponam super Dibon additamenta. Dibon interpretatur sufficienter intelligens, quæ scientia addit in peccato. *Luc.*12. Seruus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis. *Et egressus est à filiâ Sion omnis decor eius.* Decorem vocat varias dignitates populorum, quibus reuerentiæ debebantur. *Mich.*1. Decaluare & tondere super filios deliciarum tuarum : dilata caluitium tuum sicut aquila, quoniam capiui ducti sunt ex te. *Ierem. vlt.* dicitur, quòd Chaldæi asportauerunt vasa decoris domus Domini, quotquot aurea aurea, quotquot argentea argentea. 1.*Machab.*2. Templum eius sicut homo ignobilis. *Ezech.*16. Denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamque ignominiâ. Et quod metaphoricè dixit, explanat subdens : *Facti sunt principes eius velut arietes.* Aries cornutus cornu veritatis, & cornu virtutis significat in capite prælati. *Isa.*60. Arietes Nabaioth ministrabunt tibi. Nabaioth interpretatur conspicuus ratione. Quales prælati esse debent, sed nunc non sunt. *Non inuenientes pascua.* Quia nec pabulum verbi est apud eos, nec pabulum gratiæ. *Ierem.*14. Defecerunt oculi eorum : quia non erat herba. Tunc enim macie deficitur aries, qui non valet ad sacrificium Domini. *Malach.*1. Maledictus qui habet in grege suo masculum, & offert Domino debile. *Et abierunt absque fortitudine*, resistendi scilicet hostibus. *Ezech.*13. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murum pro domo Israël. *Ierem.*46. Vidi ipsos pauidos, & terga vertentes. *Ante faciem subsequentis*, hostis scilicet qui minabat eos tanquam gregem. *Abac.*1. Totum in hamo sublenauit, traxit illud in segenâ sua, & congregauit in rete suum.

Principes comparati arietibus, ad inuenientes pascua.

Zain, interpretatur hæc : est enim hæc vltio 7.
quam omni recordatione peccatorum vidit sibi 7 Zain.
esse debitam. *Mich.* 7. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet. *Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ*, conferens scilicet præteritas afflictiones cum præsentibus, & non videns in præteritis aliquam esse similem : ista enim omnes excedit. *Daniel.*12. Venient tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt. *Matth.*24. Erit enim tribulatio tunc magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et hoc in Ecclesiâ erit tempore Anti-Christi, & in anima pœnitentis ex displicentia peccati. *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Recogitatio ergo ista non est nisi ad ampliorem tristitiam. *Iob* 17. In amaritudinibus moratur oculus. *Et preuaricationis*, quâ scilicet talem meruit afflictionem : nisi enim præuaricata esset, in tales pœnas non incidisset. *Isa.*48. Scio, quòd præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. *Ierem.* 3. Scio iniquitatem tuam, quoniam in Dominum Deum tuum præuaricata es. Hæc recordatio valet ad peccati displicentiam, & ad afflictionis patientiam : ex hac enim cognoscit se pœnæ debitricem. *Ierem.*10. Hæc infirmitas mea est, & portabo illam. *Omnium desiderabilium suorum quæ habuerat ex diebus antiquis*, suple, recordata est, vt bona malis conferret, & sciret quod dicitur *Ierem.*2. Scito, quia malum & amarum est reliquisse Dominum. Multa enim desiderabilia habuit in Prophetis, in Patriarchis, & in Legislatore, & in Deo. *Deut.*32. Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Hæc recordatio scire facit quanti nocumenti sit peccatum. *Isa.*63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis, & super multitudinem bonorum domus Israël, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam. Et post pauca : Recordatus est dierum sæculi, Moysi & populi sui. Vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui ? *Mich.*6. Popule meus memento quæso quid cogitauerit contra te Balach Rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor. *Eccli.* 18. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum. *Eccli.* 11. In die maiorum ne immemor sis bonorum, & in die

Peccatorum recordatio vtilis.

bonorum ne immemor sis malorum. Recordata autem est horum desiderabilium, & afflictionis & præuaricationis, *cum caderet populus eius in manu hostili*, nulla virtute fultus, sed iniquitate in captiuitatem traditus. *Prouerb.* 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. *Act.*28. Vtique homicida est homo hic, qui cum euasit de mari, vltio non sinit eum viuere. Propter hoc Ecclesia gemit. *Iob* 29. Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum. *Et non esset auxiliator.* Nullus enim ferre potest auxilium contra Dominum. *Iob* 10. Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. *Viderunt eam hostes*, læto scilicet vultu: lætantur enim de malis hominum. Et hoc est quod sequitur. *Et deriserunt sabbata eius*, hoc est, sanctificationes eius: sabbatum enim quod præcipuum fuit, pro omni sanctificatione ponitur: derisibile autem efficitur, quando sanctificatio sabbati in pollutionem conuertitur. 1. *Machab.* 2. Ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinauerunt eam gentes. Quo ergo nobis adhuc viuere? 1. *Reg.*17. Ego exprobraui agminibus Israël hodie. Hoc significatum est *Iudic.*16. vbi capto Samsone Philistiim fecerunt hostias & conuiuium. Nostra etiam sabbata derisibilia sunt: quia otium quo debemus Deo vacare, conuertimus in luxum & turpitudinem. 1. *Mach.* 1. Dies festi eius conuersi sunt in luctum, & sabbata eius in opprobrium, & honores eius in nihilum. *Isa* 1. Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboraui sustinens. Est autem hic locus conquestionis primus.

Deridere sabbatum, quid.

6. ת Heth. *Heth*, vita interpretatur, eò quod à vitæ principio destitit per peccatum. *Sapient.*1. Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis accersierunt eam. *Ioan.* 1. Quod factum est, in ipso vita erat. Tangit planctus istius causam meritoriam, plangens culpam & culpæ effectum, ibi, *Manum suam misit.* Culpam dupliciter, in actu, & in adhærentia, ibi, *Sordes eius.* Dicit ergo: *Peccatum peccauit Ierusalem.* Notat, quòd continuè peccauit intus & extra, & quòd antonomasticè peccauit grandi peccato, scilicet infidelitatis. *Isa.*64. Ecce tu iratus es, & peccauimus. In ipsis fuimus semper, & saluabimur. De secundo in *Psal.* 71. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. De tertio dicit *August.* quòd infidelitas est peccatum, quo retento omnia retinentur peccata: & hoc specialiter grande peccatum vocatur. *Iob* 31. Hæc est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. *Propterea instabilis facta est.* Cadit enim de peccato in peccatum. *Gregor.* Peccatum quod citius per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Instabilis enim omnis homo est, qui in Deo non fundatur: sicut ædificium quod non fundatur in petra, continuè cadit. *Aug.* in 1. Confess. c.1. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec ad te perueniat. Libido enim in diuersis delectabilibus spasa, instabilem facit. *Ierem.* 2. Cursor leuis explicans vias suas, onager assuetus in solitudine, attraxit ventum amoris sui. Hoc significatum est *Isa.* 22. Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam. In terra enim decliui, plana, & lata pila missa nunquam stat. Hæc est de qua dicitur. *Prouerb.*7. Mulier vaga, garrula, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis. *Iacob.*1. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. *Omnes qui glorificabant eam*, prius suple, *spreuerunt eam* modo. Et huius causa est, quòd Deus spreuit eam. *Psal.*52. Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. *Iob* 30. Nunc in eorum Canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium. *Psal.*101. Qui laudabant me, aduersum me iurabant. Causam autem subdit. *Quia viderunt ignominiam eius.* Ignominia enim peccatum est, quod nec nominari debet. 1. *Machab.*1. Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius. *Nahum* 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Et proiiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam. *Ipsa autem gemens*, in omnibus iis malis. *Sap.* 5. Præ angustia spiritus gementes. *Conuersa est retrorsum*, quamuis tarde, hoc est, conuersa est ad id quod post tergum habuit, ad Dominum scilicet, quem post dorsum suum proiecerat. *Ioan.*20. Conuersa est retrorsum, & vidit IESVM stantem. *Isa.*30. Audient verbum post tergum monentis: hæc via, ambulate in ea. *Osee* 3. Reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis quam nunc. Est autem locus hic conquestionis 10.

Infidelitas grande peccatum.

Conuerti retrorsum, quid.

9. ט Teth. *Teth*, quod interpretatur bonum, eò quod omni bono destituta est, quando Deo destituta est. *Osee* 8. Proiecit Israël bonum, inimicus persequetur eum. *Sordes eius.* Tangit peccati adhærentiam, & hoc est, *Sordes eius in pedibus eius*, supple, adhærent. Tracti enim per loca sordida, nec pedes purgare licuit. Pedes autem spirituales animæ intellectus est ad verum, & affectus ad bonum. Sordes autem infidelitatis & prauorum morum iis pedibus sæpè adhærent. *Deuteron.*32. Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus. *Osee* 5. Calumniam patiens est Ephraim: quoniam cœpit abire post sordes. *Prouerb.* 30. Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. *Ezech.* 24. Mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis. Huius autem causam subiungit. *Nec est recordata finis sui.* Concupiscentiis enim excæcata, ad cor redire non potuit, vt videret quod peccatum finem accipit mortem, vt iustus retributionem æternam. *Rom.* 6. Finis peccatorum mors est, gratia autem Dei vita æterna. *Sap.*2. Excæcauit illos malitia eorum, & nesciérunt sacramenta Dei, neque mercedem speráuerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Ideò dicitur *Eccles.*7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Psal.*72. Non est respectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum. *Deposita est vehementer*, à summo gradu honoris ad summam confusionem deiecta. *Isa.*22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. *Apocal.* 18. Quantum glorificauit te, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Non habens consolatorem*: nulla enim consolatio est quæ sibi peccator blandatur, & spem consolationis amittit, quia in conscientiâ

Sordes animæ, intellectus & affectus.

Finis peccatorum mors.

conscientiâ desolatus est. *Iob.*5. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? *Sap.* 3. Non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem, consolatoriam, suple. *Sap.* 3. Infœlix & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera illorum. *Vide Domine afflictionem meam*: quæ tantò maior est, quantò consolatione indiget, & non habet. *Isa.* 54. Paupercula tempestate conuulsa absque vlla consolatione. *Quoniam erectus est inimicus*, superbè me conculcans sine consideratione. *Iob* 15. Cucurrit aduersus eum erecto collo. *Psal.*73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. 2. ad *Thessal.* 2. Excolitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Est ergo hic locus conquestionis 14.

10. י Iod. *Iod*, quod interpretatur principium, & designat quod patres hi qui auersi sunt à principio, id est, qui nouissima similia primis non habent, ideò pœnis traduntur. *Apocal.*4. Memor esto vnde excideris, & prima opera fac. *Thren. vlt.* Innoua dies nostros sicut à principio. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* Manum suam sacrilegam. Desiderabilia autem dicuntur Deo consecrata, vt arca, mensa, vina, & huiusmodi, & in populo Principes, iuuenes, Virgines, sicut etiam decorem Ecclesiæ totum collegit diabolus. *Isa.*10. Sicut colliguntur oua qu[illegible]lista sunt, sic vniuersam terram ego co[illegible]gui. *Ierem.* 51. Repleuit ventrem suum teneritudine mea. Hoc autem probat subdens. *Quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum*, hoc est, in oculis eius. Gentiles enim in sancta Sanctorum ingrediebantur: quod non licebat nisi summo sacerdoti, & semel in anno, sicut dicitur *Hebr.*7. 1. *Machab.* 2. Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis. Talia etiam videmus in Ecclesiâ, vbi pessimi & geniliter viuentes, proximi sunt altaribus. *De quibus præceperas*, ô Domine, *ne intrarent in Ecclesiam tuam*, hoc est, ne in numero tuorum haberentur. *Deuter.*23. Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum. Ammonites sunt inutiles in opere. Moabites autem ex patre sunt diabolo. *Ezech.*44. Omnis alienigena incircuncisus carne, non ingredietur sanctuarium meum. Et est hic locus conquestionis 4.

A sanctuario Gentiles & alienigenæ arcebantur.

11. כ Caph. *Caph*, interpretatur manus Dei, de qua exciderunt: quia enim in manu Dei fuerunt, mala non sunt perpessi. *Sap.*3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. *Omnis populus eius gemens*, in peccato scilicet & pœnâ. *Psal.*37. Rugiebam à gemitu cordis mei. *Iob* 3. Quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. Et gemitus istius subiungit causam. *Et quærens panem*, hoc est, pabulum mentis & corporis. *Deu.*8. & *Matth.*4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Refectio autem corporalis non fatiat, & tamen quærunt illam peccatores. *Prouerb.* 6. Pretium scorti vix est vnius panis, hoc est, vnius probrosæ delectationis. Iste est enim panis carum, de quo dicitur *Matth.*15. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. *Iob* 33. Abominabilis eis fit in vitâ suâ panis. Est panis absconditus propter turpitudinem. *Prouerb.* 9. Panis absconditus suauior. Et tamen de illo pane subdit. *Dederunt quæque pretiosa pro cibo.* Pretiosam quoque animam & virtutes pretiosas commutat homo in talem cibum. *Prouerb.* 4. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. *Prouerb.*6. cum dixisset, Pretium scorti vix vnius est panis: subiunxit, Mulier verò pretiosam animam viri tollit. Homo enim opera meritoria & virtutes in hunc panem commutat, quæ pretiosissima sunt. *Thren. vlt.* Ægypto dedimus manum, hoc est, opera meritoria & virtutes, vt saturaremur pane. Hoc est vetus fermentum quod Apostolus à conspersione noua iuber eici. 1. ad *Corinth.*6. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Hunc panem auarus continuè eliurit, & omnia pretiosa in illum commutat. *Eccles.* 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic verò etiam animam suam habet venalem: quoniam in vitâ suâ proiecit intima sua. Iste est cibus pro quo Esau vendidit primogenita. *Genes.* 25. & *Hebre.* 12. Ne quis fornicator aut prophanus vt Esau, qui propter vnicam escam vendidit primitiua sua. *Ad refocillandam animam*, non satiandam. Libido enim non satiat. *Prouerb.*16. Venter impiorum insaturabilis. Refocillatio enim est refrigeratio ad tempus, sitientem concupiscentiam ad tempus refrigerans, vt maiorem esuriem inducat. *Psal.* 58. Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. *Eccles.*23. Homini fornicario omnis panis dulcis, non satigabitur transgrediens vsque ad finem. Hoc enim vilissimum est, æternam scilicet refectionem in temporalem peccati commutare dulcedinem. *Prouerb.*20. Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. *Prouerb.*23. Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. *Eccl.* 31. In nequissimo pane murmurabit ciuitas, & testimonium nequitiæ illius verum est. *Vide Domine*, qui solus cor respicis, *& considera, quoniam facta sum vilis*, & in oculis meis, & in oculis aliorum, dulcem spiritus refectionem in tam vilem cibum commutans. *Luc.*15. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci mandducabant, & nemo illi dabat. *Ierem.*2. Vilis nimis facta es iterans vias tuas. Vel humilis, hoc est, humilis in oculis meis. 2. *Reg.*6. Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. *Glossa* dicit, quòd hic est locus conquestionis 4.

Pretiosa animæ, virtutes & opera meritoria.

Peccatum cibus vilissimus.

13. ל Lamed. *Lamed*, interpretatur disciplina, vel contritio, quia per contritionem eruditionis accepit disciplinam. *Hebr.*12. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris. Tangit autem hic doloris demonstrationem, tria dicens, scilicet demonstrationem doloris, effectum consolatoris, ibi, *Expandit Sion*. Et impugnationem contra malitiam hostis, ibi, *Vide Domine*. In primo duo sunt, scilicet inuitatio ad attentionem eorum quibus dolor demonstratur, & modus doloris quo quantus exprimitur, ibi, *De excelso*. Et hoc est. *O vos omnes qui transitis per viam.* Sancti enim soli transeunt per viam: impij enim in circuitu ambulant. *Iob* 1. Circuit terram, Peccatores

Soli sancti transeunt per viam.

rores à viâ declinant. *Malach.2.* Vox recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. In mundo mansionem quærentes, in viâ stant. *Psal.48.* Vocauerunt nomina sua in terris suis. *Ierem. 51.* Nolite stare. Soli autem iusti veri Hebræi continuè transeunt. *Hebr. 13.* Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. *Isa.2.* Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. *Attendite* corde, *& videte* oculo: *si est dolor sicut dolor meus.* Quæ Dominum amisi, habitum gratiæ perdidi, bonum naturale vitiaui, pœnam æternam promerui. *Ierem.8.* Dolor meus super dolorem. In me cor meum mœrens. *Ierem.2.* Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. *Ierem.8.* Super contritione filiæ populi mei contritus sum & contristatus, stupor obtinuit me. *Quoniam vindemiauit me*, hoc est, deuindemiauit me, vt nihil scilicet remaneret. *Psal. 79.* Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. *Isa.5.* Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam. *Et locutus est Dominus in die furoris sui.* Quia nihil nisi dura loqui poterat propter iniquitates meas. *Iob. 21.* In die perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Locus indignationis est hic 13.

Dolor animæ peccatri cidere

13. ℣ Mem. *Mem.* Exaggerat hic dolorem quem demonstrat, quatuor modis. Primò per acerbitatem. Secundò per conuolutionem, ibi, *Vigilauit.* Tertiò per destitutionem, ibi, *Abstulit.* Quartò per oppressionem, ibi, *Torcular.* Mem interpretatur incendium. Et alludit ei quod in versu sequenti dicitur. Incendium autem est acerbissima tribulatio. *Deuter. 32.* Ignis succensus est in furore meo. Hæc tribulatio cor incendit ad compunctionem. *Psal. 38.* Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Et compunctum ad deuotionem. *Psal.16.* Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Deuotum autem incendit ad charitatem. *Luc.12.* Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendat? Et hoc est quod dicit: *De excelso*, cœlorum scilicet habitaculo. *Isa. vlt.* Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. In sanctis enim habitat. *Isa.57.* In excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt vinificet spiritum humilium, & vinificet cor contritorum. *Misit ignem in ossibus*, hoc est, in toto robore meo, tam in animæ viribus quam in populi fortioribus. *Isa. vlt.* Ecce Dominus in igne venet, & quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flammâ ignis. Per hunc autem ignem purgationis incendit ignem sancti Spiritus ad eruditionem veritatis. *Soph.3.* In igne zelus mei deuorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei humero vno. Propter quod & ignis illuminat, quia quos per vstionem virtutem purgat, hos per illuminationem virtutem illuminat. *Ierem.20.* Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens. Vnde sequitur: *& erudiuit me*, extra truditatem ponendo, vt me & eum cognoscam. *3. Reg. 18.* Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. *2. Machab. 1.* Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo: accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Sic eruditi sunt Apostoli carnali affectu consumpto in eis. *Act. 2.* Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus.

Ignis purgat & illuminat.

Expandit rete pedibus meis, captiuitatis scilicet, quâ me retraxit à cursu concupiscentiæ & iniquitatis. *Ierem.8.* Omnes conuersi sunt ad cursum suum quasi equus impetu vadens in prælium. *Abac.1.* Traxit illud in sagenâ suâ, & congregauit in rete suum. *Eccles.9.* Sicut capiuntur aues laqueo & pisces hamo, sic capiuntur homines in tempore malo. *Matth. 13.* Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. *Conuertit me retrorsum*, vt ad eum redeam quem reliqueram. *Luc.15.* Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te. *Baruch. 4.* Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, deciès tantum iterum conuertentes requiretis eum. *Posuit me desolatam*, hoc est, quia me desolatam cognoscam. *Psal.76.* Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei, & delectatus sum. Desolatum enim se scit, qui consolari à mundo non quærit. *Isa. 3.* Mœrebunt atque lugebunt portæ eius, & desolata in te[illegible]bit. Portæ dicuntur sensus, qui conso[illegible]bus sensibilibus claudentur. *Totâ die mœrore confectam.* Mœrore conficitur, cuius mœror semper augetur: & ex hac confectione peccatum deletur. *Gregor.* in dialogis. Mœror quem quotidiè patior, & mihi per augmentum nouus est, & per assuetudinem vetus. *Ioan.16.* Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Est autem hic locus conquestionis 5.

14. ℣ Nun. *Nun*, concessio interpretatur: significat autem quod quando peccatori conceditur voluntas eius, tunc peccata in multum conuoluuntur & aggregantur. *Isa.58.* Dissolue colligationes impietatis. Et hoc est quod sequitur. *Vigilauit*, hoc est, euigilauit. *Iugum iniquitatum mearum in manu eius.* Iugum iniquitatum, intransitiua loquutio est, hoc est, iniquitas quæ est iugum. Dicitur autem iugum propter reatum quo ligat ad pœnam. *Eccles.40.* Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam. *Eccles.28.* Iugum illius iugum ferreum est, & vinculum eius vinculum æreum. Hoc iugum in manu vindictæ Domini est. *Isa.9.* Manus eius extenta. Sed dormire videtur, quando Dominus dissimulat: vigilat autem, quando Dominum dormientem clamore suo excitat. *Psal.77.* Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos. Et hoc est quod sequitur. *Conuoluta sunt*, & multo tempore complexæ in vnum, vt omnibus sic cumulatis iustior sit vindicta. *2. Machab.6.* Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies obtenerit, in plenitudine peccatorum puniat: sed & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. Sic autem conuolutæ imponuntur collo, & hoc est. *Et impositæ collo meo*: per collum enim respiratio

Iniquitas quæ dicitur iugum.

respiratio est, vt spiritum vitæ præfocent. *Psal. 37.* Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *2. Paralip. vlt.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi. *Prouerb. 22.* Stultitia colligata est in corde pueri. Istud est quia bos, hoc est, bouinus homo trahitur ad labores diaboli. *Eccles.26.* Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam. Mulier nequam est nequam anima concupiscentiis emollita. Propter hoc Sanctus dicit in *Psal.2.* Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Et quia labores diaboli difficiles sunt, ideò sequitur.

In oratione Manasse.

Infirmata est virtus meu. Sap.5. Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. *Psal. 30.* Infirmata est in paupertate virtus mea, vt scilicet non sufficiat ad bonum agendum. Et causam huius subiungit. *Dedit me Dominus in manu*, hoc est, permisit me dari, diaboli scilicet vel peccati. *Iob 9.* Terra data est in manus impij. *De quâ non potero surgere*, supple, propriâ virtute: manus enim Domini erigere quemlibet potest. *Psal.77.* Homo est spiritus vadens & non rediens. *Iob 7.* Qui descendit ad inferos, non ascendet, per seipsum, supple. Locus conquestionis est hic 6. Quia cum à Domino bonum expectaret, in summas decidit miserias.

Status peccatoris.

15. ℣ Samech. *Samech*, adiutorium interpretatur, quod scilicet omninò sublatum est, quia quem Deus non adiuuat, nullus adiuuare potest. *Psal.87.* Factus sum sicut homo sine adiutorio. *Eccl.vlt.* Respiciens etam ad adiutorium hominum, & non erat. *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei.* Magnifici sunt magna dantes, & magna expendentes, & in magnis semper ambulantes, sicut sunt principes sæculi, & Ecclesiarum & synagogæ, quos Dominus semper de medio aufert. *Isa.10.* Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. De medio autem aufer. In medio enim sunt, vt omnia extrema ad se trahant, non vt aliis æquentur. *Iob 1. & 2.* Affuit inter eos & sathan. Auferuntur autem de medio per mortem, vel damnationem, vel per humiliationem. *Baruch 3.* Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias quæ sunt super terram? Et post pauca: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. *Isa.2.* Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum.

In oratione Iosy.

Vocauit aduersum me tempus, quod scilicet mihi dedit in pœnitentiam, & mihi reuocat in testimonium condemnationis. *Iob 24.* Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiâ. *Deut.32.* Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. *Isa.29.* Additus est annus ad annum, solemnitates euoluræ sunt. In solemnitatibus enim gaudium est: modo autem venitur ad tristitiam. *Vt conterat electos meos.* Electi enim malorum præcipui sunt in malis. *Exod. 15.* Electi principes eius submersi sunt in mari rubro. *Osee 3.* Interficiam amarissima vteri eorum. Hic est 4. conquestionis locus.

16. ℣ Ain. *Ain*, interpretatur oculus: & alludit ei quod statim dicitur: *Idcircò ego plorans. Psal. 118.* Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. *Iob 17.* Caligauit ad indignationem oculus meus. *Torcular calcauit Dominus.* Metaphoricè loquitur de dolore compressiuo, in quo summa & ima in medio comprimuntur, vt in illo confringantur tanquam prælo. Et hoc est quod dicit: *Torcular calcauit Dominus*, qui pondere suo multum premit. *Iob 23.* Nolo multâ fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. *Matth.21.* Super quem ceciderit lapis iste, conteret eum. Vnde dicit, quòd calcauit, sicut vuæ calcantur ad expressionem, vt omne dulce, omne saporosum effluat, acini vacui relinquuntur. *Isa.63.* Torcular calcauit solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in irâ meâ. *Virgini filiæ Iuda*, hoc est, ad nocumentum regni duarum tribuum, quæ ideò virgo dicitur, quòd à Sennacherib defensa fuit ne deuirginaretur. *Isa.37.* Despexit te & subsannauit te virgo filia Sion, post te caput mouit filia Ierusalem. Significat autem Ecclesiam, quæ virgo esse debet. *2. Corinth.11.* Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Hanc comprimit Dominus prælo pœnitentiæ, vt impurum à puro separetur. *Iacob. 2.* Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

Cur ciuitas dicitur virgo.

Idcircò ego plorans. Psal 41. Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte. *Et oculus meus deducens aquas.* Abundantiam notat lachrymarum, vt criminis maculas lauare possit. *Luc.7.* Cœpit rigare pedes eius. Et causam fletus subiungit. *Quia longè factus est à me consolabor*, hoc est, Dominus qui solus consolari potest, quem per peccatum longè mihi feci. *Isa.59.* Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. *Marc. 2.* Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. *Conuertens animam meam*, à dolore scilicet ad lætitiam, quia ipse solus facere potest. *Ioan. 16.* Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Isa. vlt.* Ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. *Facti sunt filij mei perditi.* Propter quod & ploro. Malo exemplo enim interfecti sunt. *Osee 9.* Ephraim educet ad interfectorem filios suos. *Psal. 105.* Sacrificauerunt filios suos & filias suas dæmoniis. Filij enim opera significant. *Quoniam inualuit inimicus*, sicut heu in toto mundo videtur. *1. Machab.2.* Nunc confortata est superbia & castigatio & tempus euersionis & ira indignationis. *Deuteron.28.* Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos. Est autem 7. hic indignationis locus.

17. ℣ Phe. *Phe*, interpretatur oris: ore enim clamare non sufficit: & ideò manus extendit, vt dicit *Glossa. Psal. 65.* Ad ipsum ore meo clamaui. Tangit autem hic supplicationem, vt flectat ad misericordiam, tripliciter, scilicet supplicando, peccatum confitendo, ibi, *Iustus est Dominus.* Amicorum destitutionem allegando, ibi, *Vocauj amicos meos.* Dicit ergo: *Expandit Sion manus suas*, scilicet ad omnes vt misereantur. *Ierem.4.* Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas. Væ mihi quia defecit anima mea propter interfectos. Vel expandit ad Dominum in oratione. 1. ad *Timoth. 2.*

Expansio manuum significat anxij impetrationem.

Leuantes

Leuantes puras manus sine ira & disceptatione. *Et non est qui consideret eam.Osee* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis. *Mandauit Dominus aduersum Iacob.* Non enim posset esse nisi de mandato suo. *Rom.* 13. Non est potestas nisi à Deo. *Sapient.*18. Durus debellator insimulatum imperium tuum portans. Et quia mandauit, ideò sequitur : *In circuitu eius hostes eius. Iob.* 30. Quasi rupto muro & apertâ ianuâ irruerunt super me , & ad meas miserias deuoluti sunt.

Facta est Ierusalem, quæ quondam munda & sanctissima fuit , *quasi polluta menstruis inter eos*, hoc est , abominabilis sicut menstruata. *Isa.*64. Facti sumus vt immundi omnes nos , & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Quia etsi aliquid iustum videmur habere, hoc ipsum torpore & negligentia ita infectum est & fœtè tuepibus cogitationibus , quòd ab oculis mundissimi Domini immundum reputari necesse est. *Iob* 9. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ , tamen sordibus intinges me , & abominabuntur me vestimenta mea. *Ierem.*2. Qui quærunt eam, non deficient , in menstruis eius inuenient eam. Et est hic locus 4. conquestionis.

18. *Sade* , interpretatur iustitiæ , & est confessio iustitiæ diuinæ in vltione. *Psal.*118. Iustus est Dominus & iustitias dilexit , æquitatem vidit vultus eius. Item *Psal.* 118. Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. *Tob.* 3. Omnia iudicia tua vera sunt. Et hoc est : *Iustus est Dominus. Deuter.*32. Deus fidelis , & absque vlla iniquitate iustus & rectus. *Ierem.* 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum , Dominus iustus noster. *Quia os eius ad iracundiam prouocauit* , hoc est, sermonem oris , non obediendo & contradicendo. *Isa.* 30. Os Domini non interrogauerunt. Vel os Domini prophetæ sunt , quibus contradixerunt. *Ierem.* 15. Si separaueris pretiosum à vili , quasi os meum eris. *Isa.* 1. Propter hoc dicit. Os enim Domini locutum est : & qui verbo Domini contradicit , ori Dei contradicit. Quia propter hoc Dominus prouocatur. *Osee* 4. Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti. Et statim sequitur : Et corrues hodie , & corruet etiam propheta tecum , falsus scilicet propheta. Nihil tam displicet Deo sicut contradicere verbis suis. Vnde *Psal.*94. Si vocem eius audieritis , nolite obdurare corda vestra. *Audite obsecro vniuersi populi* , vt omnes accipiatis exemplum obediendi per pœnas meas , ne vobis propter inobedientiam similiter accidat. *Deuter.*32. Audite cœli quæ loquor , audiat terra verba oris mei. 3.*Reg. vlt.* Audite populi omnes. *Psal.* 77. Attendite populi meus legem meam. Inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Videte dolorem meum* , ne in similes pœnas incidatis. *Luc.* 13. Si non pœnitentiam habueritis , omnes similiter peribitis. *Luc.*16. Vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Propter hoc *Num.*25. dicit Dominus ad Moysen : Tolle cunctos principes populi , & suspende eos contra solem in patibulis , vt auertatur furor meus ab Israel. Publicè enim puniuntur terrores ceteris aliis. Plus enim dicit , quòd homines magis terrentur pœnis , quam amore virtutis ad bonum prouocentur. Et explanat dolorem per martiriam.

Prophetæ os Domini.

Virgines meæ , hoc est , virginales animæ , *& iuuenes mei* , hoc est , mentes florentes virtute , & semper iuuenes existentes , *abierunt in captiuitatem* , à rege confusionis captiuati & literaliter, & spiritualiter. *Psal.*77. Iuuenes eorum comedit ignis , & virgines eorum non sunt lamentatæ. Tamen est ætas , quæ per dissolutionem à multis peccatis irretitur. Propter quod & Roboam subuersus est , consilium sequens iuuenum. 3.*Reg.* 12. Et dicitur , quod illi iuuenes nutriti secum erant in deliciis , & ideò nihil nisi concupiscentiam cogitauerunt. *Prouerb.*7. Considero vecordem iuuenem , qui transit per plateas iuxta angulum , & prope viam domus illius graditur in obscuro aduesperascente die , domus illius, scilicet garrulæ mulieris. De virginibus autem dicitur *Genes.*34. quòd egressa est Dina vt videret mulieres regionis illius : quam cum vidisset Sichè filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, adamauit eam , & rapuit , & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. *Iob* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis , vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper , & hæreditatem omnipotens de excelsis, supple, si de virgine cogitarem. Est autem hic indignationis locus 8.

Coph , vocatio interpretatur , & significat vocationem & inuocationem amicorum quorum nullus exaudiuit. *Iob* 5. Voca si est qui tibi respondeat , & ad aliquem sanctorum conuertere. Quasi dicat : Omnes offendisti , & ideò nullus te vocantem exaudit. *Vocaui amicos meos. Eccl.*6. Non permanebit in die tribulationis. Et est idem vocaui quod inuocaui. Et amicos vocat Ægyptios , & Assyrios , quibus confœderata fuit. *Thren.vl.* Ægypto dedimus manum & Assyriis, vt saturaremur pane. Amici etiam sæculares falsi amici sunt , & in tempore necessitatis non subueniunt : & propter hoc sequitur : *& ipsi deceperunt me*, blandiciis labiorum decipientes. *Iob* 16. Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus. *Isa.*3. Popule meus, qui te beatum dicunt , ipsi te decipiunt , & viam gressuum tuorum dissipant. *Eccles.* 6. Est amicus qui conuertitur ad inimicitiam , & est amicus qui odium & rixam & conuitia denudabit. Talis amicus est diabolus & mundus. In quo autem deceperunt, subdit :

19. p Coph.

Sacerdotes mei , quibus reuerentia propter ordinem debebatur , *& senes mei* , quibus propter canitiem honor exhibendus fuerat , *in vrbe consumpti sunt* , fame scilicet & peste : sicut etiam in Ecclesia sacerdotes destituti gratia sacramenti, & senes destituti consilio Dei , consumuntur. *Ier.* 23. Propheta namque & sacerdos polluti sunt , & in domo mea inueni malum eorum. *Thren.vlt.* Senes defecerunt de portis , iuuenes de choro psallentium. *Daniel.*13. Inueterate dierum malorum , nunc veniunt peccata tua. *Isa.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit. Quæ verò sit causa consumptionis , subiungit: *Quia quæsierunt cibum sibi* , qui non simplex cibus est , sed [illegible] concupiscentiis eorum conuenientes. *Sapient.*11. Quæ dabit nobis ad recordandum [illegible]? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis , in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones , porrique , & cepe , & allia , quæ sine lachrymatione (vt dicit Bernardus)

Senes consilio Dei destituti , consumuntur.

Bernardus) comedi non possunt , & tamen à carnalibus desiderantur. Et hoc est quod sequitur : *Vt refocillarent animas suas* , hoc est, animalitates. 1. ad *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei : stultitia enim est illi. Et dicit , Refocillarent : quia concupiscentia insatiabilis est. *Psal.* 77. Tentauerunt Deum in cordibus suis , vt peterent escas animabus suis. Talet enim per iram destruit Deus carnalia spiritualibus præponentes. *Psal.* 77. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Est hic 4. locus conquestionis.

20. 7 Res. *In tertium Abacuc.*

Res , capitis vel caput interpretatur: eò quod infirmitas corporis tota descendit à capite. *Abacuc* 3. Percussisti caput de domo impij. *Ierem.*5. A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student. *Amos* 9. Auaritia enim in capite omnium. *Vide Domine quoniam tribulor.* Vide autem oculo misericordiæ. *Psal.*119. Ad Dominum , cum tribularer , clamaui. Vide autem dicit , quia visam tribulationem relenare consueuit. *Exod.* 3. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto , & clamorem eius audiui : descendi vt liberem eum. Sic respexit Petrum, & à peccato abnegationis liberauit. *Matth.*26. & *Luc.*22. Hic respectus etiam ipsum cum suis in tribulatione posuit. *Isa.*63. In omni tribulatione eorum est & ipse tribulatus. *Psal.*90. Cum ipso sum in tribulatione. *Conturbatum est venter meus* , hoc est , affectus. *Psal.*30. Contribatus est in irâ oculus meus , anima mea & venter meus. Vel venter Ecclesiarum turbatur ex diffusione clericorum vel subditorum, sicut venter Rebeccæ. *Genes.*25. Collidebantur in vtero eius parituli.

Venter Ecclesiæ conturbatur ex diffusione clericorum vel subditorum.

Subuersus est cor meum , hoc est , [illegible] meæ , ita quod non [illegible] habeo ad rerum per consilium , nec motum per virtutem ad bonum. *Iob* 30. In memetipso [illegible] animæ meæ , & possidere me dies afflictionis. *Psal.* 54. Cor meum conturbatum est in me : Deus meus virtus mea & [illegible] oculorum meorum & ipsum non est mecum. *Osee* 11. Conuersum est in me cor meum , pariter conturbata est pœnitudo mea. *Quoniam amaritudine plena sum* , ita quod nihil in me dulce est. *Thren.* 3. Repleuit me amaritudinibus , inebriauit me absynthio. *Prouerb.*23. In nouissimo mordebit vt coluber , & sicut regulus venena diffundet. Vnde autem cauetur hoc, subdit : *Foris vastabit eos gladius* , hostis scilicet & perfectionis. *Tob.* 2. Nouerat vnum de filiis Israel iugulatum iacere in platea. Gladius enim in platea interficiunt , quia malo exemplo occidunt. 2. *Paralip.* 10. In semetipso verti mundo concidere volueritis. *Et domi mors similis est* , deductione scilicet , fame & peste. *Deuter.*32. Foris vastabit eos gladius , & domi pauor. *Ezech.* 7. Ecce conteram baculum panis in Iaiebiam , & comedent panem suum in pondere & in solicitudine , & aquam in mensura & in angustia bibent : vt deficiant panis & aqua [illegible] vniuscuiusque ad fratrem suum , & [illegible] in iniquitatibus suis. Et autem hic locus conquestionis 11. rei 1. & [illegible] 1. quia singula incommoda quasi præ oculis ponit.

Sin , dentes vel dentium interpretatur , quia dolor dentes commouit vt exiderent. Est enim naturale vt homini ex facto fame & tristitia decidant dentes. *Thren* 3. Confregit ad numerum dentes meos , cibauit me cinere. *Audierunt quia ingemisco ego* , supple, inimici mei. *Psal.*6. Laboraui in gemitu meo. *Et non est qui consoletur me. Psal.*68. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuerunt , &c. eò quòd verum consolatorem offenderam. Et quod dicit , subiungit apertius. *Omnes inimici mei audierunt malum meum*, pœnitè scilicet aure. *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia. *Latrans fuit* , tam dæmones quam homines. *Eccles.*12. Non agnoscetur in bonis amicus , & non abscondetur in malis inimicus. Et ibidem : Si occurrerit tibi malus , odiens inimicum illic priorem. 2.*Reg.*1. Nolite annunciare in Geth , neque in compitis Ascalonis , ne forte lætentur filiæ Philistiim , & se exultent filiæ incircumcisorum. *Quoniam tu fecisti*, id est, fieri permisisti. *Amos* 3. Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?

21. 8 Sin.

Adduxisti diem consolationis , iam scilicet in præordinatione præscientiæ & adduces in opere, quando scilicet redimes à captiuitate. *Isa. vlt.* Quomodo si cui mater blandiatur , ita ego consolabor vos. Tristitia enim mea conuertetur in gaudium. *Et fient sicut ego.* Me enim consolato deprimes illos , sicut factum est in Babylone. *Sap.*12. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multiplicans flagellas , vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes , & cum de nobis iudicatur , speremus misericordiam tuam. Et est hic 2. indignationis locus : offendit enim ad quem res sua pertinet principaliter, hoc est , ad ipsum Dominum , qui in suo deducit , & ad eundem locum [illegible] reflexe , qui [illegible] 3. locum indignationis [illegible] , [illegible] quod dicit. [illegible]

Thau. [illegible] Per eam significat ad [illegible] , vt per [illegible] filium [illegible] 22. 9 Thau.

[illegible]

CAPVT

CAPVT II.

1. & Aleph. *Quomodo obtexit.* Hic agitur de depositione à gloria pristina. Diuiditur autem in tres partes. Primò enim ostendit deiectionem. Secundò doloris de deiectione incomparabilitatem. *Cui comparabo te.* Tertiò in oratione ad Dominum, ostendit quòd dolor nullum habet exemplum, ibi, *Vide Domine & considera.* Prima diuiditur in duas. Primò enim ostendit deiectionem in communi in ædificiis. Secundò in speciali in personis, ibi, *Sederunt in terra.* Adhuc prima in duas diuiditur, in quarum prima inducitur Dominus destruens. In secunda autem cum inimico oppugnans, ibi, *Tetendit arcum suum.* Prima adhuc habet duo, ita quòd primò plangit destitutionem. Secundò in quo destituta est, ibi, *Præcipitauit Dominus.* Dicit ergo:

Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, hoc est, filiam quæ est Sion: & quòd dicit, Quomodo, compassionis & teneritudinis amoris significatiuum est, sicut ibi, Quomodo obscuratum est aurum? & *Ierem.* 51. Quomodo capta est & comprehensa inclyta vniuersæ terræ? Non ergo ignorantis, nec admirantis, sed compatientis & diligentis exclamatio est. Caligo autem est bona & mala. Bona quidem triplex, superexcellentis lucis, quæ reuerberando visus nostros caligineni inducit, sicut dicitur *Exod.* 34. quòd Moyses ascendit ad Dominum in caligine: quod, sicut *Dionys.* dicit, superexcellentiam luminis demonstrat. Est caligo allegoriarum in Scriptura, de qua dicitur in *Psal.* 17. Caligo sub pedibus eius. Quia in talibus allegoriis vestigia veritatis deprehendunt. Est caligo deuotionis & [illegible] de qua dicitur *Genes.* 15. Cum occubuisset sol, factus est caligo tenebrosa, & apparuerunt [illegible] fumantes. Hæc enim caligo obscuritatem humilitatem significat, quæ est in [illegible] quando cor deuotione succendunt. Et est etiam caligo mala, quæ est caligo errores & ignorantiæ qui perdidit Dominus Ægyptum. *Exod.* 14. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec moueat se de loco in quo erat. Est caligo quæ peccata [illegible], hoc est, obscuratio [illegible] [illegible] *Iob* 3. Non [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] operantur [illegible] caligine. Et de hac [illegible] [illegible] caligo [illegible] [illegible] cum hic dicitur, quod Dominus [illegible] in furore suo, furor enim [illegible] est in magnum vindictam. Hoc est ergo quod dicit, *Quomodo obtexit*, hoc est, obtegi permisit, *in furore suo Dominus filiam Sion*, hoc est, filiam quæ est Sion, Ecclesiam, vel [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Speciosa Iacob, pulchritudo virtutis, splendor veritatis, & honor conversationis.

plendor veritatis, & honor conuersationis. *Destruxit in furore suo munitiones*, hoc est, munimenta, *virginis Iuda*, hoc est, Iuda confitentis & laudantis, quæ virgineam mentem habere debuerat. Munimenta autem sunt arma virtutum, scientiarum, & sacramentorum. *Abac.* 1. Ipse super omnem munitionem ridebit, diabolus scilicet, & comportabit aggerem, hoc est, terrenum affectum, & capiet eam. *Deiecit in terram*, hoc est, in conculcationem terrenorum. *Naum* 1. Munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. Quæ autem fuerunt illæ munitiones, subdens determinat. *Polluit*, hoc est, polluitum ostendit *regnum & Principes eius*, polluitis scilicet operibus ostendendo inquinarum. *Isa.* 52. Polluitum nolite tangere, mundamini qui fertis vasa Domini. *Thren.* 4. Recedite polluti, clamauerunt eis. Hoc enim modo polluitum fuit regnum, quantum ad omnes in regno habitantes, paucis exceptis. Vnde Rex *Ezechiel.* 21. prophanus & impius dicitur. Tunc de Principibus, *Isa.* 1. Principes tui infideles, locij furum. Hoc autem magis apparet in Ecclesia.

Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel.

3. ℵ Ghimel. *Cornu significat potestatem.*

Tangit depositionem fortitudinis. Cornu enim potestatem significat: vnde in missa Episcopi duo cornua sunt, veritatis scilicet in intellectu ad ventilandum errorem, & virtutis in affectu ad ventilandam malitiam. Hæc cornua confregit, hoc est, confringi permisit. Quoniam veritas errori, virtus autem cedit malitiæ. *Psal.* 74. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur iusti. Et attende quod omnis animal cornutum prædatorium est, sed simplicis pascitur & communi germine, cum autem cornuti nostri prædones sint, & oblata diripiant. *Ezech.* 19. Leo factus est, & didicit capere prædam, hominemque comedere. Hoc autem ideo est, quia non ex naturali pietate, sed in fortitudine propria sibi sumpserunt cornua. *Amos* 6. Confortati in virtutibus iudicium: & fructum iniuriæ in alty aliquam, qui lætamini in nihilo, qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus sibi cornua? Adhuc attende, quod cornua ad lesionem animalis induuntur, si eleo aliquando non inungantur. Propter quod dicitur 1. *Reg.* 16. Imple cornu tuum oleo. Ponere quam & sic fortitudo semper cum pietate esse debet, & aliter confringitur cornu. Nec [illegible] legimus cornua ferrea [illegible] propheta Sedechiæ. 3 *Reg.* 22. Hæc ergo dicit cornua confringit Dominus. *Ezech.* 17. Cornuta cornu iniquum [illegible]. *Ezechiel.* 34. Cornibus vestris [illegible] infirma pecora dorsis [illegible].

Auferis retrorsum dexteram suam, in qua virtus est impugnandi [illegible], & [illegible], quorum infirma [illegible]. Et hoc est quod legitur: *A facie [illegible]*, hoc est, a pauperum violentia pecuniæ. *Zachar.* 10. [illegible] arcuabitur [illegible], & oculus [illegible]. Dexter enim [illegible] ita, fuisset autem ad temporalia, [illegible] autem totam virtutem perdiderunt. *Et incendit in Iacob quasi ignem flammæ*, hoc est, incendi permisit, qui ignis significat zelum lib-

dinis & cupiditatis. *Isa.* 50. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. *Osee* 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. *Deuorantis in gyro*, hoc est, omnia bona consumentis. *Iob* 31. Ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.

Tetendit arcum suum. Tangit hic Domini impugnationem. Arcus autem de longe & de occulto ferit, quia Domini iudicium longè peccator recordatur, & de occulto, dum non peratur, percutit. *Iob* 29. Arcus meus in manu mea instaurabitur. *Iob* 20. Fugiet ab arcu ferreo, peccator scilicet. Hic arcus tenditur, dum continuè iudicium contra se provocatur. *Sap.* 5. Ibunt directè emissiones fulgorum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilent. Tangit enim peccatores. *Iob* 6. Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. *Quasi inimicus.* Non enim inimicus est affectu. *Sap.* 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil eorum odisti quæ fecisti. Secundum effectum habet se vt inimicus dum punit. *Iob* 30. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. *Psal.* 17. Cum peruerso peruertis eis. Cum enim naturaliter amicus sit, in effectu peruertitur à peruerso, & habet se vt inimicus.

Firmauit dexteram suam quasi hostis, vt firmam plagam de percutiens. *Isa.* 51. Induere fortitudinem brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? *Isa.* 63. Salvauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi, & conculcauit populos in furore meo? *Et occidit omne quod pulchrum erat visu*, hoc est, quod splendorem mundi prætendebat. *Isa.* 1. Dies Domini super omne quod visu pulchrum est. Et incurabitur altitudo hominum, & humiliabitur altitudo virorum. *Prouerb.* 20. Fallax gratia & vana est pulchritudo. *In tabernaculo filiæ Sion*, in quibus multa pulchra erant facta in Ecclesiasticis patribus. *Iudic.* 5. Cum pertransisset ad tabernaculum, percussit clauum, & vsque in humerum eius transiuit, & mortuus est, stantis pedibus suis. Tabernaculum enim [illegible] & pulchra in tabernaculis [illegible] virtutum. *Et effudit quasi ignis ardor [illegible]*. Ignis dicitur quia [illegible] iniquitatem. *Ezech.* 22. [illegible] & in igne [illegible] eius.

Factus est Dominus velut inimicus. Vbi dicit, quia etiam quando pacem, vt amicus pulsat, [illegible]. *Thren.* 3. Non enim humiliauit ex corde suo, & afflixit filios hominum. Et iungit hæc de diuersitate cornuorum, & hoc est *Prærupta sunt* [illegible] in casum. *Isa.* 34. Deiecit eos ad inferos superbia tua. *Isa.* 30. Elevatus es, & quasi super vertum posuisti [illegible]. 4 *Reg.* 2. Sic Isabel præcipitata est de turri. Hæreditas durus fit quasi limum [illegible]. In quo autem præcipitatur, subdit *Prærupta sunt muri eius*, destruendo scilicet ædificia regum, & ædificia magnorum in

4. ד Daleth. *Iudicij Dei cum arcu comparatio.*

5. ה He.

ciuitate. *Ierem.*52. Incendit domum Domini & domum regis, & omnes domos Ierusalem, & omnem domum magnam igne combussit. Hoc videmus factum in Ecclesia, in qua habitacula Domini destructa sunt.

Dissipauit munitiones, hoc est, personas munientes populum, sicut viros literatos, & zelum Domini habentes. Munitiones etiam sunt munimenta virtutum, quæ annihilantur & destruuntur. *Genes.*42. Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ, venistis. Et post pauca ibidem: Immunita terræ huius considerare venistis. 1. ad *Thessal.*5. Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superuenier interitus. Qui enim securi sunt, non muniunt, nec habent munitiones, & idcircò deprehenduntur. *Iudic.* 18. Vrbem incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium. *Iob* 30. Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt. *Numer.*14. Sicut panem, ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne præsidium.

Et repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam. Literaliter humiliatum vocat ephebio vitio pollutum, eò quod à dignitate conditionis humanæ depositus est. *Thren. vlt.* Adolescentibus impudicè abusi sunt. *Ioel.* 3. Poluerunt puerum in prostibulo. 2. *Machab.*4. Iniquissimus Iason ceratum quinquaginta talenta obtulit, si potestati eius concederetur gymnasium & ephebium sibi constituere. Humiliatam verò dicit, vel quæ adulterio polluta est, vel quæ illicita defloratione polluta est, si virgo fuit, vel etiam indebito vase non cognita. *Thren.vlt.* Mulieres in Sion humiliauerunt. Spiritualiter autem humiliati & humiliatæ sunt hypocritæ, qui aliud exhibent, & aliud sunt, quibus tota repletur Ecclesia. *Eccl.* 19. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. 2. ad *Tim.* 3. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Ad *Coloss.*2. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum quæ non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, hoc est, non tenens caput Christum. 1. ad *Corinth.*2. Viri caput Christus.

In oratione Ierem. Cur humiliatus vocatur ephebio vitio pollutus.

In oratione Ierem.

6. Vau. *Et dissipauit quasi hortum tentorium suum.* Post destructionem munitionum & mœnium inducit destructionem templi, & regni, & eorum quæ pertinent ad vnumquemque, & ostendit ideo, quod dissipatur regnum & sacerdotium quasi esset hortus communis & vilis & infructuosus, & vnctione sacra non esset consecratum & sanctificatum. *Isa.*2. Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, sicut ciuitas quæ vastatur. Tentorium autem vocat regnum, eò quod erat umbraculum quietis omnium eorum qui erant sub ipso, quandiu per iustitiam gubernabatur. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt, & erit vir sicut qui abscondit à vento, & celat se à tempestate. Eo modo dicitur regnum & sacerdotium tabernaculum: quia ex vtroque procedebant populi defensores & propugnatores. *Numer.*24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israël: Eisdem proprietatibus Ecclesia dicitur tabernaculum & tentorium & tabernaculum. Ad ipsam confugimus vt in vmbra eius refrigeremur. *Psal.* 56. In vmbra alarum tuarum sperabo. *Isa.* 49. In vmbra manus suæ protexit me. Ex ipsa etiam habemus propugnatores contra hostes. *Apocal.*21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. De vtroque istorum simul dicitur. *Isa.*4. Super omnem gloriam protectio: & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. Sed nunc hoc tentorium & tabernaculum dissipatum est quasi esset hortus: dissipatio enim est sepis irruptio & deiectio: sepes enim fuerunt statuta patrum, statuta conciliorum, obseruationes mandatorum, præsidia Angelorum, custodiæ & solicitudines prælatorum. *Psal.* 88. Destruxisti omnes sepes eius, posuisti firmamentum eius formidinem. *Isa.* 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Sicut enim hortus diripitur destructa sepe, ita diripitur Ecclesia sepibus talibus destructis, qui dicti sunt. *Eccl.* 36. Vbi non est sepes, diripitur possessio. Comparatur tamen Ecclesia horto: quia ab oriendo dicitur, eò quod omnis generis delectabilia oriuntur in ipso. *Eccles.*2. Feci hortos & pomaria, & consueui ea cuncti generis arboribus. In his enim hortis sponsa habitat & deambulat cum dilecto. *Cant.* 8. Quæ habitas in hortis, amici auscultant. Et ante: Veniat dilectus meus in hortum suum. Et adhuc: Veni in hortum meum soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis. Sed dissipatus est pecorinis hominibus, & iumentinis intrantibus per eum. *Isa.* 7. Erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris. *Demolitus est tabernaculum*, hoc est, in minima redegit, ita vt in puluerem redigatur, sicut etiam videmus quod minima scintilla non adhæret in personis Ecclesiasticis *Ioel.*1. Demolita sunt horrea. Hoc est quod dicitur. *Iob* 30. Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri.

Ecclesia vt tentorium tabernaculum & tentorium.

Oblitum fecit Dominus. Tangit destructionem perrinentium ad sacerdotium & ad regnum, & hoc est: *Oblitum fecit Dominus in Sion festiuitatem*, hoc est, ad modum obliuiscentis se habuit: quia ad cor misericordiæ non reduxit, ac si nunquam instituisset. *Ezech.*3. Si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, non erunt in memoria iustitiæ eius quas fecit. Indignatur enim multum cor Domini quod minus in corde suo ponat per memoriam. *Ibid.* 1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. *Psal.* 87. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt. *Iob.*18. Memoria illius peribit de terra, & non celebrabitur nomen eius in plateis. Horum aliqui festiuitas & sabbata non curantur: exterius enim faciunt, & interius diabolo seruiunt. *Isa.* 1. Calendas vestras, neomenias & sabbata festiuitates non feram. Facta sunt mihi molesta. *Et sabbatum in opprobrium.* Quia ad literam cum Deo vacare deberent, vacant turpitudinibus & spectaculis. 1. *Machab.* 1. Dies festi eius conuersi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium. *Thren.* 1. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius. *Et in indignatione furoris sui*, supple, tradidit

Regem

Regem & sacerdotem. Ad idem refertur: quia sacerdotium regale est: sed rex dicitur regendo subditos, sacerdos verò sacra dans. *Thren. vlt.* Spiritus oris nostri Christus Dominus, hoc est, rex vnctus, sub quo traximus spiritum, captus est in peccatis nostris. Et in oratione: Cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccauimus. *Ezech.* 21. Aufer cydarim, tolle coronam. Cydaris fuit sacerdotis, corona regis. Vnde sequitur: Nonne hæc est quæ humilem sublimauit, & sublimem humiliauit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam. Corona enim & cydaris positæ humilem exaltant, & depositæ sublimem humiliant. Et hoc quoniam ad iniquitatem referuntur triplicem, scilicet sanctitatis prophanationem, reguminis peruersitatem, & morum pollutionem.

7. Zain. *Repulit Dominus.* Tangit destructionem altaris: & quia duplex erat altare, dicit repulsionem vtriusque, & sancti Sanctorum & sanctorum: & hoc est. *Repulit Dominus altare suum*, quod scilicet erat in atrio & vocabatur altare holocaustorum. In hoc autem repulit, quod nullum ibi exaudiuit holocausta offerentem, & ipsum altare destrui præcepit. *Isa.*29. Væ ariel, ariel ciuitas quam expugnauit David. Ariel leo Domini interpretatur, vel ara Domini, eò quod leo deuorauit sacrificia sibi imposita. Væ autem dicitur: quia maledictioni de cætero addictum est. 3. *Reg.*19. Altaria tua destruxerunt. Ibi etiam orantes non exaudiuit. *Isa.*1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Ita altaria Domini in Ecclesia, quæ sunt corda fidelium, & maximè clericorum & sacerdotum, repulsa sunt. *Osee* 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. *Malach.*1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. *Numer.*16. Ne respicias sacrificia eorum. Propter peccata enim sacerdotum sæpè repelluntur sacrificia offerentium. *Iob, vbi.* Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum sicut seruus meus Iob. *Psal.* 88. Tu verò repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum.

Altaria Domini, corda fidelium.

Maledixit sanctificationi sua, hoc est, sancti sanctorum, & altari incensorum quod erat in templo, vt etiam scilicet illud destruatur, quod in Ecclesia significat contaminationem clericorum, & religiosorum. *Ezech.*9. Contaminate domum, & implete atria interfectis. Domus enim contaminatur, quando igne libidinis penetralia Dei intima succenduntur: eò quod ipsi primò contaminauerunt illa per prophanationem culpæ: & propter hoc non sunt digna domus in interioribus enim conierdari debent corda sacerdotum, & illi præcipuè maledicti sunt, quando in maximis peccatis Deo appropinquare audent. Nihil enim ita abominabile est Domino sicut ignis alienus, hoc est, concupiscentia. *Leuit.*10. Imposuerunt ignem & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Ignis enim alienus ignis concupiscentiæ est carnalis. *Tradidit in manu inimici muros turrium eius.* In angulis atrij & in portis turres dicuntur fuisse eleuatæ, sicut narrat Egesippus, & illæ ab inimicis deprehensæ sunt: & hoc est quod deplangit. Hi autem muri sublimitates virtutum prælatorum significant. *Psal.* 38. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Sed illæ à diabolo occupatæ sunt. *Abac.*1. Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. *Isa.* 2. Dies Domini super omnem turrim excelsam, & super omem murum munitum, hoc est, dies vindictæ Domini. *Vocem dederunt in domo Dei*, hostes scilicet & gentiles. *Sicut in die solemni.* Cum enim non deberent intrare etiam in atria, ad interiora templi proruperunt, & de hoc idola sua laudauerunt, sicut esset solemnitas idolorum, in locis & in vasis Domini festa idolorum celebrantes, sicut nostri temporis ministri sæpè laudant venerem plusquam Dominum: & plus auditur sonus concupiscentiarum quam sonus laudis diuinæ. *Daniel.*5. Allata sunt vasa aurea quæ asportauerat de templo quod fuerat in Ierusalem, & bibebant in eis rex & optimates eius, vxoresque & concubinæ eius, & propter hoc non erat mirum si contaminabatur locus. Tales magis sunt monstra quam clerici. *Isa.*34. Occurrent dæmonia onocentauris & pilosus clamabit alter ad alterum: sicut patet in versu sequenti.

Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion. Tangit enim hic de dissipatione muri totius ciuitatis. Propter hoc talia fecerunt, qualia dicta sunt: locus enim immundus est, in quo immundi habitant, & ideò dissipandus. Et hoc est quod dicit: filia enim Sion dicitur intransitiuè, hoc est, filia quæ est Sion, vt appositiua sit constructio. Et hæc erat filia in diuinam formam per leges & Prophetas formata, & muri eius munimenta legum & Prophetarum. Hanc cogitauit Dominus dissipare, ne de cætero sit defensio malitiis eorum. Quando enim talia ponuntur munimenta sine charitate habitantium, murus sine cæmento est *Ezech.*13. Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Luto linitur carnalium peccatorum cœno. Atque plateis autem est, quando primò temporalia ab Ecclesiis auferuntur, & posteà etiam ipsi muri templorum eliciuntur. Vnde sequitur. Dic eis quod casurus sit. *Tetendit funiculum suum*, hoc est, perpendiculum vt redigatur ad nihilum, vt scilicet secundum mensuram culpæ sit & mensura pœnæ. *Isa.*34. Extenderit super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. *Luc.* 6. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Propter hoc dicitur. *Sophon.* 2. Væ qui habitatis funiculum maris gens perditorum: funiculus enim maris mensura est amaritudinis, quia secundum mensuram culpæ infunditur. *Et non auertit manum suam à perdendo.* Manum enim percutientem non auertit Dominus nisi per pœnitentiam, sicut 2. *Reg.*24. dicitur de David postquam pœniuit. Cum extendisset manum Angelus Domini super Ierusalem vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti populum, sufficit, nunc continue manum tuam. Ad obstinatos autem non continet manum. *Isa.*9. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Sed populus non est reuersus ad percutientem se.

8. Heth.

Deus secundum meritum retribuit.

Luxitque antemurale. Antemurale est, quod locicule vocatur, fidelis populus, qui æterno luctui præparatur. *Et murus pariter dissipatus est.* Murus enim firmitas sacerdotij & cleri, qui totus dissipatus est tam in maioribus quam in minoribus. *Isa.*26. Ponetur in eâ murus & antemurale. *Ier.*5. Ascendite muros eius & dissipate. *Ierem.*6. Surgite & ascendamus in nocte, & dissipemus domus eius. *Isa.*24. Dissipatione dissipabitur terra.

9. ט Teth. *Defixæ sunt in terrâ portæ eius.* Tangit de destructione portarum & eorum qui portas in custodiam acceperant: & hoc est quod dicit. Doctores autem portæ sunt tam in synagogâ quam in Ecclesiâ, per quos deberet esse ingressus. *Isa.* 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. Sed istæ portæ in terrâ, hoc est, in terrenis affectibus defixæ sunt. *Soph.on.* 1. Visitabo super viros defixos in fæcibus suis. Ita enim in terram sunt defixi, quod erui non possunt. *Psal.*68. Infixus sum in limo profundi. *Perdidit & contriuit vectes.* Vectes sunt repagula, & significant potestates clauium Ecclesiæ, quæ sicut dicitur *Exod.* 26. semper in circulis arcæ, hoc est, sapientiæ æternæ remanere deberent. Sed nunc perditi sunt per malum meritum, & contriti per incuriam, quia non curantur. *Psal.* 106. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Quid autem intellexerit per vectes & portas, subdit: *Reges eius & Principes eius in gentibus*, hoc est, prælatos maiores & minores, qui per portas significantur, perdidit in gentilibus ciuitatibus. *Psal.*105. Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. *Thren.*1. Habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. *Non est lex*, id est, legis obseruatio: lex enim à ligando dicitur: & quando non ligat, à significatione nominis cadit. *Ierem.*2. Rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam. *Psal.* 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. *Et Prophetæ non inuenerunt visionem à Domino*, hoc est, doctores nullum spiritum doctrinæ habentes. *Isa.*29. Clauder oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, quæ vident visiones operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati. Vnde Dominus. *Matth.* 15. Cæci sunt & duces cæcorum.

Portæ, Doctores.

10. Iod. *Sederunt in terrâ.* Tangit hic personarum depositionem dignarum primò, secundò miserabilium. Dicit ergo: *Sederunt in terrâ*, de sedibus scilicet proiecti. *Isa.*47. Descende, sede in puluere. *Ione* 3. Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. In cinere enim sedet, qui totum se ad terram refert & consternit. *Conticuerunt senes filiæ Sion.* Conticuerunt autem: quia nihil dicere poterant, cum essent culpabiles. 2. *Reg.* 2. Impij in tenebris conticescent. *Iob* 39. Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum. *Isa.* 38. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit? Ex quo senes autem tacent, nullus loqui audet. *Eccles.* 32. Loquere maior natu: decet enim te primum verbum. *Conspersérunt cinere capitá sua virgines Ierusalem*, quæ præcipuè decorem in capillatura quæsierunt. Et significant eos qui virgineas mentes habere deberent, quorum caput mens est: & capillatura descendens, studia pulcherrima, quæ deberent à mente defluere. Sed hæc fœdata sunt puluere terrenorum & concupiscentiarum. *Iob* 2. Scissis vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum, & sederunt in terrâ. *Accinctæ sunt ciliciis*, in signum tardæ pœnitentiæ & tristitiæ quam habebant interius, quæ pœnitentia pœnam habet, sed remedium non habet indulgentiæ. *Isa.*32. Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos & confundemini, accingite lumbos vestros, super vbera plangite. *Isa.* 3. Erit pro suaui odore fœtor, & pro zonâ funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fasciâ pectorali cilicium. *Abiecerunt in terrâ capita sua virgines Ierusalem*; hoc est, virgineæ mentes eorum qui Deo consecrati sunt, quos omnes videmus vultus declinare ad terram. *Psal.* 16. Statuerunt oculos suos declinare ad terram. *Isa.*3. Desolata in terrâ sedebit. *Isa.*8. Ad terram intuebatur, & ecce tribulatio, & tenebræ, & dissolutio, & angustia & caligo persequens, & non poterit auolare de angustiâ suâ.

Capita virginum pulsa.

55. ℘ Coph. *Inuocaui nomen tuum.* Et tangit hîc inuocationem diuini auxilij, scilicet vt tribulatum adiuuet, & causam iudicet, vt inimicum deprimat, quæ per ordinem dicuntur in litera. Et hoc est: *Inuocaui nomen tuum Domine.* Tu enim solus iuuare poteris. 2. *Paral.* 33. Manasses postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum. *Ione* 2. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea. *De lacu nouissimo*, hoc est, de profundo tribulationis, vel etiam angustiis inferni. *Psal.* 129. De profundis clamaui ad te Domine. Item *Psal.* 39. Eduxisti animam meam de lacu miseriæ, & de luto fæcis. *Sap.* 10. Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum.

56. ℘ Coph. *Vocem meam audisti.* In persona dicit Christi, & sanctorum tribulatorum *Iacob.* 11. Ego sciebam quia semper me audis. *Hebr.* 5. In omnibus exauditus est pro sua reuerentia. *Ne auertas aurem tuam à singultu meo.* Singultus intimum significat ploratum, quando scilicet anima ex intimis succensa singultire cogitur. *Eccl.* 35. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam geminus. *Et clamoribus*, qui intensionem significant deuotionis *Psal.* 17. Clamor meus in conspectu eius, introibit in aures eius. Certificatus autem de exauditione subdit.

57. ℘ Coph. *Deus iuuauit adi.* *Appropinquasti in die, quando inuocaui te.* Appropinquasti autem per misericordiam. *Deut.* 4. Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris. *Act.* 17. Non longè est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. *Psal.* 33. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. *Dixisti*, per effectum subuentionis: *Ne timeas. Isai.* 1. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. *Isa.* 51. Quis es vt timeas ab homine mortali?

58. ℣ Res. *Iudicasti Domine causam animæ meæ.* Tangit iudicium causæ: & est causa animæ, causa pro anima: & hoc Deo attribuit: & hoc est quod dicit. *Iorem.* 11. Tu autem Domine sabaoth qui iudicas iustè & probas renes & corde, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam animæ meæ. *Ioan.* 2. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Redemptor vitæ meæ*, siue reemptor, siue redemptor: reemit enim nos sanguine, redemit autem potestate. *Isa.* 49. Captiuitas à forti tolletur. *Psal.* 102. Qui redimit de interitu vitam tuam. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno. Allegat autem & proponit in iudicio contra eos.

59. ℣ Res. *Vidisti Domine iniquitatem illorum aduersum me*, vt tu sis testis & iudex. *Ierem.* 19. Tu scis omne consilium eorum aduersum me in mortem. *Psal.* 108. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi. *Ierem.* 18. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? *Psal.* 108. Posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. *Iudica iudicium meum. Psal.* 42. Iudica me Deus & discerne causam meam. *Iob* 23. Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.

60. ℣ Res. *Vidisti omnem furorem.* In furore enim me persecuti sunt, & non in ratione. *Prou.* 27. Ira non habet misericordiam nec erumpens furor. *Vniuersas cogitationes eorum aduersum me*, hoc est, studia qualiter mihi malefacerent. *Prou.* 1. Abscondamus tendiculas contra insontem frustrà. *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesvm.

61. ℣ Sin. *Audisti opprobrium eorum*, quod scilicet in me dixerunt. *Psal.* 68. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. *Omnes cogitationes eorum aduersum me*, supple, audisti. *Matth.* 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Isa.* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

62. ℣ Sin. *Labia insurgentium mihi. Psal.* 21. Locuti sunt labiis, & mouerunt caput. *Isa.* 59. Concepimus & locuti sumus de corde verba mendacij, & conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit. *Et meditationes eorum aduersum me tota die. Isa.* 59. Cogitationes eorum, cogitationes inutiles, vastitas & contritio in viis eorum.

63. ℣ Sin. *Sessionem eorum*, vbi scilicet vt iudices sederunt. *Psal.* 118. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta. Hi sedent in cathedra pestilentiæ. *Et resurrectionem eorum vide*, quando scilicet surrexerunt impetu furoris, vt me ad iudicium pertraherent. *Psal.* 26. Insurrexerunt in me testes iniqui. *Ego sum Psalmus eorum*, hoc est, canticum derisionis. *Iob* 17. Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.

64. ℣ Thau. *Redde eis vicem Domine. Iacob.* 3. Citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. *Iuxta opera manuum eorum. Isa.* 3. Retributio manuum eius fiet ei. *Isa.* 27. In mensura contra perdendo eam abiecta fuerit, iudicabit eam.

65. ℣ Thau. *Dabis eis scutum cordis. Scuta victuribus capitis ferro alligabantur, & sic in equis nitentes circumducebantur, vt omnibus demonstrarent quanta virtute sustinuissent. Et per contrarium hic dicit, vt illis lexum ad cor ligetur, vt in vituperium*

Scuta victuribus capitis ferro alligata solita.

vituperium eorum cunctis demonstretur, quantâ pertinacia contra Dominum pugnauerunt. *Iob* 41. Corpus illius quasi scuta fusilia. Sancti tamen istud in bono exponunt vocantes *laborem Domini*, passionem Christi quæ datur pro scuto cordis in defensionem. *Ephes.* 6. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Psal.* 4. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

66. n Thau. *Persequeris in furore tuo. Psal.* 82. Persequeris eos in irâ tuâ, & in furore tuo turbabis eos. *Et conteres eos sub cœlis Domine. Eccles.* 36. Contere caput principum, & inimicorum dicentium, Non est alius præter nos. *Exod.* 17. Delebo memoriam Amalec de sub cœlo.

CAPVT IV.

1. a Aleph. *QVomodo obscuratum est aurum?* Tangit planctum ex comparatione tristabilium præsentium ad ea quæ lætificant in præterito: & diuiditur in duas partes, in quarum prima ponitur planctus: in secunda autem planctus consolatio, ibi, *Gaude & lætare filia Edom.* Prima adhuc diuiditur in duas, in quarum prima describitur malum quod plangitur: in secunda autem mali istius raritas & incredibilitas, ibi, *Non crediderunt reges terræ.* Prima harum adhuc in duas diuiditur. Plangitur enim malum in ædificiis quæ destructa sunt: in secunda autem in personis, ibi, *Filij Sion inclyti.* Dicit ergo:

Aurum sapientiæ obscuratum.

Quomodo obscuratum est aurum? quod scilicet erat in sanctuario sanctæ sanctorum, vt arcâ scilicet, propitiatorio, Cherub, mensâ propositionis, candelabro, altari aureo, & aliis vasibus de quibus dicitur, *Exod.* 26. & significat aurum sapientiæ, quæ debet esse in ministris Ecclesiæ. Aurum enim splendore ruber, & sic sapientia diuina, & ruber charitate, & splendet veritate. *Hebr.* 9. Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra & mensa, & propositio panum quæ dicitur sancta: post velamen autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum & arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronderat, & tabulæ Testamenti, super quæ erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. Candelabrum in claritate scientiæ, mensa in refectione gratiæ, propositio panum in officio doctrinæ, sancta sanctorum in excellenti sanctitate, aureum thuribulum in orationis deuotione, arca Testamenti in conscientia obedientiæ, circumtecta autem auro in splendore summæ sapientiæ, vrna aurea habens manna in conceptione consolationis diuinæ, virga Aaron in reditudine vitæ, florens in honestate conuersatione, & bonæ famæ opinione, tabulæ Testamenti in cordis per mandata Dei inscriptione, Cherubim in studij literarum aliitudine, in continua pro populo intercessione. Istud est aurum iguitum de quo dicitur. *Apoc.* 3. Suadeo tibi emere aurum iguitum vt locuples fias. Hoc autem hodie hes, obscuratum est per terrenorum denigrationem, & concupiscentiæ incensionem. *Rom.* 1. Obscuratum est insipiens cor eorum. *Ephes.* 4. Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. *Ierem.* 14. Portæ eius corruerunt & obscuratæ sunt. *Mutatus est color optimus*, in optimo scilicet exemplo, quia quilibet oculus desideranter intuebatur. *Ecclesiast.* 43. Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus. *Iudith* 10. Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Hic color mutatus est, & colorem inferni assumpsit. Vnde infra: Denigrata est super carbones facies eorum. *Naum* 2. Facies omnium sicut nigredo ollæ.

Dispersi sunt lapides sanctuarij, hoc est, ex quibus sanctuarium constructum erat tam in templo quam in atrio, & significant vitos solidos per constantiam quadrangulos ad virtutem, vt dicit *Philosophus. Isa.* 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum. *Isa.* 54. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Strati sunt lapides concensu & vnanimitate, saphiri cœlesti conuersatione, iaspides fidei vitore, sculpti Crucifixi & Sanctorum imagine, desiderabiles virtutum pretiositate. Hi hodie dispersi sunt schismatum & discordiarum varietate. *Psal.* Dispersi sunt inter gentes. 2. ad *Corinth.* 1. Sunt in vobis schismata. *Exod.* 5. Dissipatus est populus ad colligendas paleas. *Ezech.* 34. Dispersi sunt greges mei. *In capite omnium platearum*, hoc est, latarum viarum: platea Græce, Latine latum significat: latas enim vias ambulant ad mortem. *Matth.* 7. Lata est porta & spatiosa via, & multi sunt qui intrant per eam. *Ezech.* 16. Fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis ad omne caput viæ. &c.

2. b Beth. *Filij Sion.* Deplorat deturpationem personarum triplicem, primo scilicet inclytarum & miserabilium. Secundo voluptuose enutritarum, ibi, *Qui vestebantur coccinum.* Tertio sanctitate florentium, ibi, *Candidiores.* Primæ habet duo, inclytos scilicet & paruulos miserabiles, ibi, *Sed & iumenta.* Dicit ergo:

Filij Sion inclyti. Inclytus est, vt dicit *Fabricius*, imitatione diuitiarum, & gloriæ amicorum perfulgens, qualis fuerunt Patres Veteris & Noui Testamenti à principio, qui diuites fuerunt virtute, gloriosi virtute operis, cuiusmodi Angelorum & Sanctorum vallat. *Eccli.* 44. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. *Matth.* 2. Princeps & clarissimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filiis & fratribus. *Genes.* 23. Princeps Dei es apud nos. *Amplis auri gramma*, hoc est, summæ sapientiæ vestita. *Ezech.* 28. Aurum omne decorum. *Exod.* 26. Oblata es auro & argento, & vestita es bysso & polymito, & multis coloribus. Primum enim aurum sapientiæ diuinæ splendor est, eo quod illa sapientia cæteris nobilior est. *Genes.* 2. Aurum terræ illius optimum est. Argentum verò tinnitus Scri-

eloquij, byssus candor innocentiæ, polymitum diuersitas est splendorum in gratiis Angelorum, multi autem colores sunt picturæ virtutum. *Quomodo reputati sunt in vasa testa?* Hoc enim videmus hodiè, quòd nihil apparet in personis Ecclesiasticis nisi lutum. *Daniel.* 14. Iste est intrinsecus luteus. *Psal.* 17. Vt lutum platearum delebo eos. *Sap.*15. De eodem luto fingit quæ munda sunt in vsum vasa, & similiter quæ his sunt contraria.

Opus manuum figuli. Gregor. Luti compositores figulos vocamus. Compositores luti sunt qui tales sibi prælatos fingunt, in quibus nihil nisi lutum est. *Sap.* 15. Cum labore vanum Deum fingit de eodem luto, ille qui paulò ante de terra factus fuerat, & post pusillum reducit se vnde acceptus est. Et post pauca: Cinis est cor eius, & terra superuacua spes illius, & luto vilior vita eius.

3. ℣ Ghimel. *Sed & lamiæ.* Tangit hic destructionem miserabilium personarum in matribus & paruulis, ibi, *Adhæsit lingua.* In matribus ostendit, quòd etiam misericordia lamiæ non est inuenta in eis. Lamia enim etsi deuorat alienos, tamen lactat suos, sed matres illius populi suos abiecerunt, sicut struthiones: & hoc est. *Sed & lamiæ.* Lamiæ innubia sunt, & genera dicuntur esse simiarum, & dicuntur habere caput virgineum, corpus porcinum, & pedes equinos, & sicut tradunt historiographi, crudelissimum est, & specialiter delectatur præscindere vteros prægnantium, & deuorare embria: significat prælatos & synagogæ & Ecclesiæ, qui conceptos in vtero Ecclesiæ præscindunt & deuorant, & suos fautores lactant ad peccatum. *Isa.* 34. Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. *Isa.*5. Quare facies pauperum comminuitis: deuorant enim & molunt inter dentes. *Matth.* 23. Deuorant domos viduarum, longas orationes orantes, hoc est, orare se prominentes. *Proverb.*30. Est generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. *Nudauerunt mammas.* Nudare est apertum corruptionis exemplum præbere. Mamma autem lactatio est & enutritio ad peccati dulcedinem. *Proverb.*7. Inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. *Lactauerunt catulos suos*, hoc est, imitatores suos. *Proverb.* 1. Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. *Filia populi mei crudelis*, suppl. plusquam lamia: quia lamia suos nutrit, struthio autem suos abiicit, & significat Tyrannos, qui & suos & alienos deuorant. *Iob* 39. Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris. Herodius & accipiteres principes significant, quibus Tyrannos similat quærit in sola dominatus dessatione; sed crudelis in deserto habitans, quia ibi commissos deduxit ad desertum per depopulationem. *Iob* 39. Durame ad filios tuos quasi non sint tui. *Isa.*24. Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Et hæc est quod dicit. *Quasi struthio in deserto.*

Lamia quid

Prælaterum comparatio cum lamiis & struthionibus.

Adhæsit lingua lactantis, hoc est, parauit lac lugentis, *ad palatum eius in sitim*, quia sitis ex defectu lactis nutrientis procurebat, eò quod mater fame consumpta facta, & lac in vberibus non habebat, licet eram in Ecclesia lac doctrinæ infantulis & paruulis non exhibetur. *Osee.*9. Ephraim educet ad interfectorem filios suos. Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia. De his dicitur. *Cantic.*8. Soror nostra parua est, & vbera non habet. Propter hoc dicitur. 1. ad *Corinth.*3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. 1. *Pet.* 2. Sicut modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis. *Paruuli petierunt panem*, grandiusculi scilicet & iam ablactati, solidiorem cibum appetentes: & significant eos qui mysteria Scripturæ capere possent, si eis proponerentur. *Hebræ.*5. Perfectorum autem est est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine excitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. *Matth.* 6. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè.

Et non erat qui frangeret eis, ministro scilicet doctore fideli & prudente, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram, penitus deficiente. *Mat.* 24. *Isa.*3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nec vestimentum: nolite me constituere principem. *Ierem.*38. Non sunt panes vltra in ciuitate: frangere enim panem est verbum Dei per mysteria diuidere. *Isa.*58. Frange esurienti panem tuum. Et ne credatur hoc in pauperibus esse factum, subdit de diuitibus & voluptuosis

Qui vescebantur voluptuose. Et dicit duo: descriptionem miseriæ, & comparationem, ibi, *Et maior effecta est.* Dicit ergo: *Qui vescebantur voluptuosè*, pingues & splendidas mensas habentes. *Luc.*16. Epulabatur quotidie splendidè. *Eccles.* 31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum. *Interierunt in viis*, circumeuntes scilicet ostia mendicando. *Psal.* 58. Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Hoc videmus accidere in religiosis, qui pingues in spiritu habebant consolationes, & voluptates. *Sap.*16. Paratum panem de cœlis præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Modo autem interierunt in viis: vias enim sæcularium negotiatorum in mercationibus & aliis negotiis assumpserunt, destituti cibo spirituali. *Luc.* 15. dixit filius qui de domo patris egressus, custodiuit porcos, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.

5. ℣ He.

Qui nutriebantur in croceis. Croceis nutrimenta pulchritudinem coloris efficiunt, & carnis enethiam, & significant eos qui dulcissima & pulchertima fœlicitatis æternæ studia habuerunt. *Cant.*4. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula & cynnamomum, cum vniuersis lignis Libani. Cypri in calore charitatis, nardo in odore virtutis, crocus in pulchritudine conuersationis, fistula in concauo humilitatis, cynnamomum in condimento spiritualis conuersationis, ligni Libani in candore castitatis. *Ezech.* 16. Similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis. Similam in puritate virginitatis, mel in dulcedine diuinitatis, oleum in pinguedine deuotionis. Hi tales *amplexati sunt stercora*, stercora pro deliciis computantes, hoc est, temporalia. *Ezech.*4. Stercore quod egreditur

egreditur de homine, operies panem tuum in oculis eorum, hæc dicit Dominus. Sic comedent filij Israël panem suum pollutum inter gentes. Contra quod dicitur *Phil.*3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

6. ℣ Vau. *Et maior effecta est.* Facit comparationem. *Iniquitas filiæ populi mei*, hoc est, populi qui mihi est pro filiâ: eò quod ad imaginem meam formata est, & à me fœcundanda: & videtur clerum notare, qui plus iniquus est quam simplex populus. *Peccato Sodomorum.* Sodoma silens interpretatur, & laicos significat & idiotas, quorum est silere in Ecclesiâ. *Quæ subuersa est in momento.* Idiota enim citò subuertitur: quia facilè persuadetur. *Isa.* 3. Populi meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Ezech.* 16. Iustificata est Sodoma soror tua ex te. Sodoma enim legem non habuit scriptam: Magistri autem Ecclesiæ & synagogæ legem se scire gloriantur. *Rom.* 2. Qui in lege gloriaris, per prænaricationem legis, Deum inhonoras. *Et non ceperunt in eâ manu*, hoc est, manus violentæ non ceperunt Sodomam obsidendo, fame afficiendo, peste corrumpendo, gladio interficiendo, & in captiuitatem trahendo. *Glossa* tamen dicit: Non ceperunt, id est, non acceperunt aliquid eleemosynæ manus pauperum. *Ezech.*16. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. *Eccles.*4. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

7. ℣ Zain. *Candidiores.* Circa deturpationem sanctorum tria dicit: miseriæ descriptionem, comparationem, ibi, *Melius fuit occisis gladio.* Exitæ Dei magnitudinem, ibi, *Complenit Dominus.* In prima dicit antiquæ sanctitatis descriptionem, & eiusdem superinducta deturpationem, ibi, *Denigrata est.* Dicit ergo: *Candidiores Nazareis eius nius.* Nazarei florentes interpretantur, & florentes in sanctitate significant. *Ecclesiast.*24. Flores mei fructus honoris & honestatis. Florent enim intus in conscientia pulchritudine virtutis, germinant in opere honestate conuersationis, fructificant autem verbo prædicationis. *Cantic.*1. Lectulus noster floridus. Hi sunt candidiores niue. *Glossa*, Candore contemplationis, & albedine castitatis. *Eccles.* 43. Sicut auis deponens ad sedendum, dispergit niuem. *Isa.*55. Descendit imber, & nix de cœlo. Nix enim in mente candor æternæ sapientiæ est in contemplatione, & nix in corpore albedinem castitatis significat. *Sapient.* 7. Candor est lucis æternæ, & speculum sine maculâ. Ecce nix in mente. *Psal.*147. Qui dat niuem sicut lanam, lanam, inquam, agni immaculati, ecce nix in corpore. *Nitidiores lacte.* Lac dulcedinem consolationis, & albedinem significat innocentiæ & puritatis. *Genes.*49. Dentes eius lacte candidiores. Dentes qui conterunt cibum, doctores significant.

Nazarei florentes.

Ebur vbi est.

Rubiscundiores eburo antiquo. Ebur quamuis candidissimum sit, tamen in antiquitate rubescit, & significat purissimæ charitatis castitatem & longâ consuetudine confirmatam. *Cantic.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Ephes.* 3. In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis. *Saphyro pulchriores*, qui serani cœli habet colorem, & cœlesti desiderium in sanctis significat, in quo libenter Deus sicut in throno requiescit. *Ezechiel.*1. Super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis saphiri, similitudo throni.

Denigrata est super carbones facies eorum, qui lacte scilicet fuerant candidiores: & hoc factum est igne concupiscentiæ. *Isa.*13. Facies combustæ vultus eorum. *Ioel.* 2. Omnes vultus redigentur in ollam. *Non sunt cognitus in plateis.* Qui scilicet erant nitidiores lacte, iam intantum deformati sunt, vt in platea sanctorum nihil simile inueniant. *Matth.* 7. Non noui vos. *Iean.*10. Non nouerunt vocem alienorum. *Adhæsit cutis eorum ossibus.* Qui ebore antiquo rubicundiores erant, modo aridâ cute ossibus adhærente pallescunt. *Iob* 30. Cutis mea aruit & contracta est. Hoc autem significat turpitudinem exterioris conuersationis. *Iob* 16. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. *Iob* 19. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. Omnis enim humor pietatis exiccatus est in eis. *Aruit & facta est quasi lignum*, quæ saphyro pulchrior fuit & nitidior: aridum enim lignum nigrum est & infructuosum, & semiputridum. *Iude* 1. Arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. *Ierem.*17. Erit quasi mirice in deserto, & non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili.

8.

8. Heth.

Melius fuit occisis gladio, &c. Hic comparat pœnas patientium, & probat comparationem per verbum sequentem: & hoc est quod dicit. Melius fuit, hoc est, minus malum occisis gladio ad literam interfectione hostis, *quam interfectis fame*, id est, destitutis interiori iniedia. *Ezech.* 21. Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit. *Osee.*14. Peribit Samaria: quoniam ad iracundiam concitauit Dominum suum: in gladio peribunt, paruuli eorum elidentur, & fœtæ eius laceranturur. In quo autem sit comparatio secundum literam, subiungit dicens: *Quoniam isti*, scilicet mortui fame exhauerunt vlceribus suis autem consumpti. *Psal.* 38. Tabescere fecisti sicut aranea animam eius. Aranea enim tabescit vlceribus suis consumpta. *Consumpti a fructibus terræ.* Sibi enim fame calore digerendo suus consumpsit fame. Eò quod non habent aliud in quod agere nisi in natura propter terræ sterilitatem, per quam egentes & pauperes consumpsum est. *Genes.* 41. Aliæ quoque tot dem spicæ tenues, & pruritæ vredine orebantur deuorare omnes priorum pulchritudinem. Et ibidem post aliqua: Deuorare & consumpsit prorsus, nullum saturitatis dedere vestigium, sed similis macie & squallore corpebant. Significat autem spiritualiter illud quod qui in Religionibus, vel in Ecclesiis desinitione verbi Dei & gratiæ deficiunt, pœnis consumuntur quam illi qui gladio diaboli consumuntur in aperta peccata. Vnde *Augustin. Dictum 48.* dicit, quod sicut nonnulli meliores sunt, quam

9. ℣ Teth.

illi qui profecerunt in religione, ita nusquam peiores sunt quam illi qui in religione defecerunt: super illos enim omnes dæmones requiescunt. *Deuteron.* 32. Consumentur fame & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Hæc enim fames significat sitim & esuriem delectationum carnalium: & sicut in corporalibus qui multum esuriunt, non tamen desiderant comedere, sed superadimpleri, ita tales nunquam possunt à carnalibus delectationibus satiari. *Aggei.* 1. Comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati. *Prou.* 23. Quando euigilabo, & rursus vina reperiam? *Eccles.* 2. Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego? Insatiabilitatis enim, vt dicit *Arist.* semper desiderium est superadimpleri. Hoc autem probat à signo, subdens.

10. e *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* Mulier magis pia est in filium quam vir, eò quod molliorem habet affectum. Quoniam autem misericordes sunt, tunc magis mirum est quod deuorant filios. *Isai.* 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? *Coxerunt filios*, in sui delectationem, & filiorum pœnam. *Facti sunt cibi eorum*, contra naturalem pietatem deuorati, *in contritione filiæ populi mei.* Tanta enim fuit obsidio & tanta fames, quod viscera in propria filius cogebantur deuorare. 4. *Reg.* 6. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Spiritualiter autem hoc significat prælatos, qui in Ecclesiis se exhibere deberent matres. Ad *Gal.* 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Qui misericordes esse dicuntur: quia misericordes esse debent. *Luc.* 6. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Hi filios suos, id est, subditos suos coquunt igne libidinis & afflictionis. *Osee* 7. Tota nocte dormiuit, scilicet, per libidinem, coquens eos: mane ipse succensus quasi ignis flamma. *Mich.* 3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & concidunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio olle. Hoc enim factum est in contritione Ecclesiæ: ad tantum enim malum deductum est, quod prælati, hodie non insidiantur nisi deuorandi subditorum. *Deuter.* 28. Homo delicatus in te & luxuriosus videt inuidebit fratri suo & uxori quæ cubat in sinu suo, ne detur de carnibus filiorum suorum quas comedet, eo quod nihil aliud habeat in obsidione, & penuria qua vastaberit te inimicus tuus.

11. *Completus Dominus furorem suum.* Tange hic quod etiam adhuc [illegible] quæ ab humana virtute pelli non possunt, & hoc est quod dicit. *Completus Dominus*, id est, peccata nostra ad plenitudinem deducta, non potest contenere Dominus [illegible] quia [illegible] non. 2. *Paralip.* 34. Magnus furor Domini [illegible] super nos, eo quod non custodierunt patres nostri verba Domini, vt [illegible] omnia quæ scripta sunt in libro [illegible] *effudit ardorem iræ suæ*, vt [illegible] non extinguatur. *Isa.* 10. Ardens furor eius, & grauis ad portandum. *Isa.* 27. Indignatio non est mihi. Quasi diceret: Sic est, & non possum non indignari: non enim possum sustinere malum. *Et succendit ignem in Sion*, id est, succendi fecit. *Deuter.* 32. Ignis succensus est in furore meo. *Ignem in Sion.* Ad literam iræ ignem & æternæ condemnationis. *Matth.* 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Et deuorauit fundamenta eius*, id est, bonum naturale quod erat in eis, multum ademit, etsi in toto consumi non potuit. *Iob* 31. Ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Dominus enim ad tempus expectat, sed in finem deuolutis peccatis cum furore condemnat. 1. *Corinth.* 3. Vnius cuiusque opus quale sit, ignis probabit. *Sup.* 4. Commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur.

12. *Non crediderunt Reges terræ.* Tangit istius raritatem & incredibilitatem, & exaggerat illam quatuor modis, scilicet ex contaminatione sanctorum, ex peccato prælatorum & doctorum, ex diuisione hostium, & ex sanctificatione persecutorum. Et hoc est quod dicit. *Non crediderunt Reges terræ.* Incredibile fuit Regibus terræ, quantumcumque essent peccatores. *Et omnes habitatores orbis*, supple, non crediderunt, qui scilicet successerunt magnalia templi. 2. *Paralip.* 9. Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ diuitiis & gloria. *Quoniam ingrederetur hostis*, id est, quòd ingredi posset, vel anderet, vel præsumeret, in sancta sanctorum. *Per portas Ierusalem*, ad templi scilicet & ciuitatis dissipationem. *Thren.* 1. Vidit gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam. Hoc autem in Ecclesia complerum vidimus. Regibus enim antiquis, sed & patronis Ecclesiarum incredibile fuit, quod tales in Ecclesia deberent introduci, quales modo vidimus. Illi enim *vere* reges fuerunt. *Psal.* 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Illi enim istis fuerunt rectores, non dissipatores. *Psal.* 23. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. *Quoniam ingrediuntur hostis*, simoniaci, vel malii. Vnde rex noster *Act.* 8. dixit Simoni mago: Pecunia tua tecum sit in perditionem, id est, non erit nisi, &c. Hostis enim omnis boni simoniacus & inimicus manifestus peccatis. *Matth.* 21. Expellit vendentes & ementes de templo. *Ezech.* 44. Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel, eò quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, *in sanctuarium Domini.* Ierusalem enim vitio plena interpretatur, & significat Ecclesiam quæ per istos destructa est. *Isa.* 64. Ierusalem deserta est. *Isa.* 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? Subdit autem de exaggeratione peccati, propter quod hoc malum inductum est, & hoc est.

13. *Propter peccata prophetarum eius.* Quod in synagogis [illegible] in Ecclesia doctores [illegible] dum, [illegible] peccatis totum [illegible] in [illegible] 1. *Esdr.* 9. Manus magistratuum fuit in transgressione hac prima. *Isa.* 9. Prophetæ docent

1 Mem.

2 Mem.

Quod in synagogis [illegible] in Ecclesia doctores [illegible] sui sui.

docens mendacium, ipse est cauda. Etenim magis efficax est in moribus doctrina facti quam doctrina verbi. *Et iniquitates sacerdotum eius.* Qui enim sacra dare deberent, prophana dare in exemplis, aliquando etiam in verbis. *Ierem. 5.* Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis. Et populus meus dilexit talia, à doctoribus enim & sacerdotibus esse malum cœpit in Ecclesiâ. *Ierem. 6.* Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter. Qui effundunt sanguinem iustorum in medio eius, maximè tempore Manassæ. *4. Reg. 24.* Impleuit Ierusalem cruore innocentium, vsque ad os. Sanguis iustorum non est tantum qui est in visceribus eorum, sed etiam ea quæ ordinata sunt ad nutrimentum sanguinis: & certum est, quia illud prælati auferunt à pauperibus. *Ierem. 2.* In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum. *Proverb. 30.* Sanguisugæ duæ sunt dicentes, Affer, affer. Tenacitas & rapacitas quæ exugunt sanguinem pauperum, vna sugendo, rapacitas scilicet, altera retinendo à pauperibus, scilicet tenacitas. *1. Ioan. 3.* Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

14. *Erraverunt cæci in plateis.* Tangit qualiter populum seduxerunt, dicens quòd ipsi in se cæci fuerunt, & alios errare fecerunt, sicut etiam in Ecclesiâ, & hoc est: *Erraverunt cæci in plateis*, id est, cum cæci essent à cognitione veritatis. *Isa. 6.* Excæca cor populi huius. *1. Reg. 11.* Dixit Nahas qui serpens interpretatur: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponámque vos opprobrium in vniuerso Israël, vt scilicet vocus Israël per vos veniat in opprobrium. Hi enim erant in plateis, id est, in latis viis quæ ducunt ad mortem. *Matth. 15.* Cæci sunt, & duces cæcorum: si autem cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent. Hoc expressum est in prælatis Ecclesiæ: Rex enim nostrè Sedechias, qui iustitia Domini interpretatur, captus est, sicut dicitur *Ierem. vlt.* & in plateis eius, & gens eius cum in erroremi induxerat. *Psal. 106.* Effusa est contemptio inter principes, & errare fecit eos in inuio: *Peccatum suum sicut Sodoma.* In peccatis singulorum & cæcitatibus. *Psal. 105.* Infecta est terra in sanguinibus, &c. *Osea 4.* Sanguis sanguinem tangit. Cumque non possent mouere per rectam viam, eò quod lumen eis ablatum. *Genes. 19.* Et qui foris erant, percusserunt eos cæcitate à maiore vsque ad minorem, ita vt ostium inuenire non possent. Vnde ipsi *sicut* ad ostium eorum non valentes, sic per ostium vitæ, transeunt lacunas prælatorum non valentes. Sicut cæcus, cum dependens totus esset vestibulum non inuenisset, & se ambo in lacunam in fouea, sic populus sequens prælatos cæcos, & ipsos in lacunas eius, abducens in fouea perditionis. *Iob 12.* Qui errare fecit gentes Dominus, & disperdit eas: qui ducit consiliarios in stultum, & iudices eorum insanire facit. *Iob 12.* Qui ducit sacerdotes inglorios, & potentes euertit. *Osea 4.* Quia vos scientiam abiecistis, abiciam vos ne sacerdotetis mihi. Dominus in bello abiciet, & subiciet eos sicut vetus. Lectus enim eburneus est vetum castitatis, quod adiunctus est ordini sacro. Lasciua delectatio contra vetum est studium luxuriæ carnalis.

Recedite, polluti clamauerunt eis. Tangit exprobrationem inimicorum duplici sensu: quia 15. Samech.
comparatione in maioribus erant peccatis, & quia à Deo proiecti sunt, & hoc est: *Clamauerunt eis*, hoc est, inclamauerunt eos, hostes scilicet. *Recedite polluti.* Polluitus enim timere debet se magis polluto plus polluatur. *Isa. 64.* Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et hoc maximè de Prælatis est, pollutiores enim sunt pollutis. *Num. 16.* Recedite à tabernaculis impiorum. Et hoc est: *Recedite, abite.* Recedite, inquam, ne contagione pestiferâ plurimi ex vobis perdantur, vt dicit *August.* Et abite, ne viam teneatis pessimorum. *Isa. 3.* Sicut in manu forti erudiuit me, ne iterem in viâ populi huius. *Matth. 23.* Secundum opera eorum nolite facere. *Nolite tangere*, per apperitum, vel imitationem. *Numer. 16.* Nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. *Apoc. 18.* Ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Vnde autem venerit vox exprobrationis, subdit: *Iurgati quippè sunt*, etiam Gentiles inter se quibusdam gentibus, pessimos esse qui Dominum offendunt, à quo tot beneficia præstita sunt eis. Sed & ipsi prælati inter se iurgati fuerunt. *Proverb. 17.* Semper iurgia quærit malus. *Proverb. 6.* Omni tempore iurgia seminat malus. *Et commoti.* Propter discordiam inter se habentes. *Psal. 106.* Effusa est contemptio inter principes. *Sap. 4.* A nimietate ventorum commouebuntur. Ventus enim suggestio diaboli est. *Diuerunt inter gentes*, vnus ad alterum scandalizatus operibus eorum. *Isa. 52.* Totâ die nomen meum blasphematur inter gentes. *Non addet vltra vt habitet in eis.* Tam enim vilescebant etiam à laicis, quòd non credebant Dominum aliquid facere cum eis. *Psal. 52.* Confusi sunt, quoniam Deus spernit eos. Item *Psal. 100.* Non habitabit in medio domus meæ, &c. Cum sanctis enim Deus habitat, & non cum peccatoribus. *Ierem. 9.* Habitatio tua in medio doli, in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.

Facies Domini vidit eos. Oblatus illius videlicet inter se, & peccata sua. *Osea 10.* Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Facies autem Domini dicunt vultum ipsius. Et indignatio eius vidit Dominus propinquè hoc. Cum *abscondam vultum meum ab eis.* Et est vulgo hoc [illegible] *Proverbium.* Sicut portantes gubernationem nauis, vel cuius libitum habent, ita dicimus eisdem esse cuius libitum habemus, & pauciori eisdem. *Iob 13.* Cur faciem meam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? *Psal. 13.* Auertit faciem suam à nobis, & fecit nos conuertere. *Non addet vt intueatur eos.* Sic & alibi: Ecce ego conuertam quod abstulerunt ad Dominum conuertendum, & gratiam ei in medio gentium obtinuit. *Isa. 16.* Iuge vos & non obtinebitis [illegible] *Osea 10.* Non addam vt miserear vobis. *Matth. 15.* Cæcus est vetus. Quare autem hoc accidit, subdit: *Facies sacerdotum,*

sacerdotum, supple, bonorum, *non erubuerunt*: & ideò hostes eos qui mali sacerdotes fuerunt, interficere & malè tractare non erubuerunt. *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. *Ierem.* 6. Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. *Neque senum miserti sunt.* Senes enim non erant nisi inuetterati dierum malorum. *Isa.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit. Hoc autem ideò fuit, quia senes patriarchas non imitati sunt, sed deriserunt. Contra quos dicitur *Eccles.* 8. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. *Sapient.* 4. Cani sunt sensus hominis; & ætas senectutis vita immaculata.

17. y Ain. *Cum adhuc sustineremus, vel subsisteremus.* Tangit hic destitutionem auxilij: sperabant enim auxilium ab Ægyptiis, & tota die sustinebant, & expectabant consilium eorum: sustinere eum expectare est in tædio. *Iob* 17. Si sustinuero, infernus domus mea est, & hoc est. *Defecerunt oculi nostri ab auxilium nostrum vanum*, id est, quod sperabamus nobis venturum, sicut multi sperant auxilium à sæcularibus. *Iob* 11. Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorũ abominatio animæ. *Isa.* 38. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Et hoc est. *Vanum.* Vanum enim est auxilium mundi. *Isa.* 30. Ægyptus frustra & vane auxiliabitur. Ideò clamauit super hoc, superbia tantum est, quiesce *Sap.* 5. Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur. *Cum respiceremus*, venire auxilium à gente, quæ saluare non poterat. Naturale est, quòd homo dirigat oculos ad eum à quo sperat auxilium, sicut heu multi respiciunt ad sæcularia. *Isa.* 30. Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit. Non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem, & opprobrium: & hoc est quod sequitur.

Vanum auxilii mundi.

18. z Sade. *Lubricauerunt vestigia*, id est, confidentia in eis fecerunt nos stare in lubrico, vt citius caderemus. *Psal.* 34. Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Et hoc est. *In itinere platearum nostrarum*, in quibus securi ambulassemus, si in Deo habuissemus fiduciam. *Ierem.* 23. Via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur & corruent in eã. Nullus enim potest stare, qui in Deo non confidit: & hoc est. *Appropinquauit finis nostri*, damnationis scilicet temporalis vel æternæ. *Eccles.* 21. Via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. Inferi propter foueam carcetis, tenebræ propter carentiam beatæ lucis, pœnæ propter oblectamentum delectationis. *Completi sunt dies nostri*, præsentis scilicet cœnulentæ lucis, vt ad terras exteriores transferamur. *Isa.* 38. In diuidio dierum meorum vadam ad portas inferi. *Luc.* 12. Hac nocte animam tuam repetent à te. *Quia venit finis nostri.* *Ezech.* 7. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te. Iste enim est finis æternæ consumptionis, non consummationis, sicut finitus est panis quando deuoratus est, vt dicit August.

19. p Coph. *Velociores fuerunt persecutores nostri.* Tangit incitationem hostis ex hoc quod confidebant in Ægyptiis. Ex hoc enim fregerunt instinctum, & negauerunt tributum, & ex hoc Regem Babyloniæ contra se concitauerunt, sicut etiam quilibet diabolum velocius facit currere super se, ex hoc quod spem ponit in mundanis. Et ideò subdit. *Aquilis cœli.* Aquila enim auis rapax est, & cum impetu & velocitate rapit. *Abac.* 1. Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum, omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens. *Ezech.* 17. Aquila grandis magnarum alarum, longa membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Hoc enim facit diabolus cum omni exercitu suo, plenus varietate tentationum, & plumis insidiarum sicut dicit *Greg.* quia insidiando circumuolat, & suadendo blanditur, & promittendo decipit, & posteà comminando terret, & opprimendo rapit. *Super montes persecuti sunt nos.* In ambitione enim mundi maximè capiunt, sicut ad literam Chaldæi populum fugientem & in rupibus latentem persecuti sunt. *Ierem.* 4. Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt: intuitus sum, & non erat homo. 2. *Reg.* 1. Montes gelboë, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortium. Gelboë vellicantes interpretatur, eò quod in montibus dignitatum constituti, non nisi ad vellicandum sunt: & ideò diabolus plurimos capit in eis. *In deserto insidiati sunt nobis.* Quia ad literam Sedechias in campis Ierochontinis captus est cum principibus & filiis suis. Diabolus etiam in deserto, vbi sanctorum non est habitatio, nec Angelorum, multos accipit. *Deuteron.* 32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Desertum etiam claustrum est, in quo nonnulli capiuntur à diabolo. *Ioel.* 2. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti.

Tentationũ mundi.

20. 7 Reg. *Spiritus oris nostri.* Tangit hic nocumentum persecutoris: quia etiam rex qui Christus Domini fuit, euadere non potuit, à quo cæteri dependebant sicut à spiritu, est enim Rex in regno sicut spiritus in homine spirans in ore singulorum, & in eius protectione tanquam in vmbra omnes alij viuere se putabant. Significat autem spiritualiter Christum Domini, de quo dicitur *Luc.* 2. Qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Qui spiritus oris nostri est: ab ipso enim dependet vita nostra. *Act.* 17. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus. *Matth.* 10. Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. *Galat.* 4. Misit Deus spiritum oris sui in corda vestra clamantem, Abba pater. *Isa.* 2. Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus est, quia excelsus reputatus est ipse. *Ioan.* 13. Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. *Captus est in peccatis nostris*, id est, pro peccatis nostris. *Isa.* 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. *Rom.* 5. Cum adhuc infirmi essemus, pro nobis mortuus est. *Cum dicimus*, sic dicunt Patriarcharum & Prophetarum. *Psal.* 44. Deo ego oramus regi. *In umbra eius*, id est, in defensione eius, & cruciatus. *Psal.* 56. In vmbra alarum tuarum speraboꝛ, donec transeat iniquitas. Vel vmbra eius, *id est* iuxta *Origenem*, dicitur imago, sicut dicitur *imago*

imago

imago speculi. Sic Christi forma in nobis, viuere nos facit. *Luc.* 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Isa.* 49. In vmbra manus suæ protexit me.

Viuemus in gentibus. Nos enim reliquiæ gentium non viueremus, nisi vmbra Christi esset: vnde ille qui hanc vmbram crucis Christi in se habuit ad *Galat. vlt.* dixit: De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini nostri IESV CHRISTI in corpore meo porto. Hoc significatum est, *Tob.* 7. Fel eius & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamentum vtiliter. Fel amaritudo passionis est, iecur magnitudo charitatis.

21. *Gaude & lætare filia Edom.* Tangit hic consolationem. Primò in deprehensione inimici. Secundò in conuersione populi. Dicit ergo per antiphrasim loquens: *Gaude*, corde, *& lætare*, corpore, *filia Edom.* Et est modus loquendi sicut dicitur proximo suspendendis; Gaudete & lætamini, quia non diu gaudebitis. *Isa* 22. Vocabit Dominus exercituum ad fletum, & ad planctum, ad calutitium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus: cras enim moriemur. *Sap.* 2. Venite & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter. De Idumæis autem specialiter dicit: quia specialiter infesti fuerant populo Dei. *Abdie*: Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, & peribis in æternum. Significat autem sæculares qui persequuntur sanctos, in gaudio & lætitia huius sæculi viuentes. *Iob* 21. Tenent timpanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Que habitas in terra Hus*, quæ pars fuit terræ Idumæorum, & interpretatur consilium: quia ad literam sapientes huius sæculi ibi habitabant, de quibus dicitur. *Luc.* 16. Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua. *Abdie*: Perdam sapientes de Idumea, & prudentiam de monte Esau. *Ad me autem pertransiit calix*, iræ Dei scilicet. *Psal.* 74. Vas enim in manu est exinanitis, bibent omnes peccatores terræ. *Ierem.* 25. Accepi calicem de manu Domini, & potauit cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus. *Inebriaberis*, vt intus ingurgitis replearis. *Thren.* 3. Replenit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio. *Ierem.* 23. Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, nec surgatis à facie gladij quem ego mittam inter vos. *Atque nudaberis*, omnibus bonis sæcularibus exuta, vt omnes videant turpitudinem vestram. *Nahum* 3. Ostendam nuditatem tuam ad faciem tuam, & ostendam in gentibus pudendum tuum, & in regnis ignominiam tuam. *Ezech.* 16. In sua hæreditate demolietur operiens [illegible]

Consumetur iniquitas tua filia Sion. [illegible]

tum. *Non addet vltra vt transmigret te.* Fundabit te in æterna gratia. *Apocal.* 14. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. *Nahum* 1. Non adiciet vltra vt pertranseat in te Belial, vniuersus interijt. *Ioan.* 16. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Visitabit iniquitatem tuam filia Edom. Psal.* 58. Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus operantibus iniquitatem. *Isa.* 24. Visitabit Dominus super militiam cœli, & super reges terræ. *Discooperiet peccata tua. Iob* 20. Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. *Ezech.* 16. Nudabo ignominiam tuam coram amatoribus tuis, & videbunt turpitudinem tuam. 1. ad *Corinth.* 4. Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

CAPVT V.

Oratio Ieremiæ.

1. R*ecordare Domine.* Hoc capitulum Oratio Ieremiæ Prophetæ vocatur: orare enim pro populo Ieremiæ conuenit, sicut dicitur 2. *Machab.* 15. Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sanctâ ciuitate Ieremias Propheta Dei. Propter quod oratio in duas partes diuidunt, in quarum prima Dominum inclinat ad propitiationem, singula attendens quæ passus est populus. In secunda duo petit liberationem, & consolationem, ibi: *Tu autem Domine in æternum permanebis.* In prima duo sunt: in vniuersali enim inclinat ad propitiationem, & in particulari, ibi: *Hæreditas nostra.* Dicit ergo: *Recordare*, & dicit tria: Recordare, intuere, *Hæc verba*, & respice. Recordatio autem refertur ad præteritum, vt Deus magnam malo clementer *Iudic.* 6. vt abiecta & humiliata; prædictio autem intuetur futura, in quibus est, vt eum moneat quæ patitur, ex [illegible] Respice autem est Deum ad [illegible] vt [illegible] in [illegible] ad [illegible] accipit. De [illegible] Domino, & [illegible] [illegible] Christo [illegible] quod [illegible] [illegible] Ieremias. [illegible] Hæc est ergo. [illegible]

[illegible]

caligo. *Psal.43.* Hæc omnia venerunt super nos, nec oblitiſumus te. *Iuuere*, vt obtutus tuos ad intima noſtra dirigas, & intimis noſtris lumen tuæ claritatis infundas. *Psal.31.* In via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. *Ioa.1.* Videns IESVS Nathanael venientem ad ſe, dicit de eo: Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt. Vidit enim IESVS eum cum lumen infudit. *Reſpice*, vt ad lucem tuam nos reſumas, qui abiecti fueramus. *Sap.3.* Reſpectus ſuper electos illius. *Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum & ſpiritu, & trementem ſermones meos? *Opprobrium noſtrum.* Non enim tantum patimur pœnam, ſed etiam confuſionem, in pœna patientes, & in confuſione humiles. *Hebre.11.* Ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres. 1. ad *Corinth.4.* Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema viſque adhuc. Sed ad hoc dicitur. *Luc.6.* Beati eritis cum vos oderint homines, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum. Patientia enim habenda eſt in talibus: quia hæc valent ad deletionem peccati. *Pſal.138.* Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium inſipienti dediſti me. *Eccleſ.7.* Cunctis ſermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſeruum male dicentem tibi, ſupple, ad impatientiam & vindictam: ſcit enim conſcientia tua, quod tu crebro maledixiſti aliis.

2. *Hæreditas noſtra.* Proponit hic Domino cuncta quæ patitur, primò in afflictione, ſecundò in deſtitutione, ibi, *Serui de pertis deſpeximus.* In afflictione duplicitet, & cum indignatione, ibi, *Serui dominati ſunt noſtri.* In afflictione duobus modis, ſcilicet in illatione mali, & in defectu auxilij, ibi, *Ægypto dedimus manum.* Illatio autem mali quatuor modis deſcribitur, ſcilicet ablatione hæreditatum, ſeruitute patronorum, tributo ſeruorum, & perpetua perſonatum. Dicit ergo: *Hæreditas noſtra*, ea ſcilicet & vineis, vel ſunt [illegible] *Verſa eſt ad alienos.* [illegible] *Hæreditas noſtra, aurum Ethiopiæ.*

Pupilli facti ſumus abſque patre, patronis ſcilicet interfectis. *Iſa.63.* Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Vel abſque malo patre, cuius ſcilicet non ſumus imitatores. De quo dicitur *Ezech.16.* Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. *Iudith 8.* Non ſumus ſecuti peccata patrum noſtrorum, qui dereliquerunt Deum ſuum. *Deuteron.33.* Dixerunt patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos; & fratribus ſuis, ignoro eos. Sic ergo duplicitet pupilli, non habentes niſi te patrem & defenſorem. *Pſal 14.* Tibi deteliſtus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor. *Matres noſtræ quaſi viduæ*, ad literam ſcilicet, vel Eccleſiæ quæ nos genuerunt in gratia. 4. *Reg.4.* Mulier quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſeum dicens: Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſeruus tuus fuit timens Deum. Et ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi, id eſt, intellectum & affectum. *Eccl.35.* Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus.

Aquam noſtram pecunia bibimus. Conqueritur tributum ſeruitutis. Aqua autem noſtra duplex eſt, literalis & ſpiritualis, quæ eſt gratia expiatiua à peccatis in ſacramentis, vel in verbo Dei. Tyranni autem tributum ponunt ſuper aquam exteriorem, prælati mali ſuper aquam ſpiritualem. Contra quos dicitur *Iſa.55.* Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate. Sed modo eſt quod dicitur. *Iereu.14.* vbi pretium in manibus ferebatur. Maiores miſerunt minores ſuos aquam, venerunt ad hauriendum. Non inuenerunt aquam, reportauerunt vaſa ſua vacua. *Iſa.41.* Egeni & pauperes quærunt aquas, & non ſunt, lingua eorum ſiti arua. *Ligna noſtra pretio comparauimus.* Hoc ad literam poſſunt dicere Eccleſiæ quarum ſylvas [illegible] vſurpauerunt [illegible] beneficia Dei, & benedictiones, quæ à malis prælatis [illegible] *Iſa.* [illegible] Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. 1. *Reg.17.* En [illegible] ſcilicet paſſionis, [illegible] ſub pretio po- [illegible] *Gen.22.* Cum- [illegible] abit in [illegible] Dominus. Et poſt [illegible] & poſuit il- [illegible] Omnia ſub [illegible] Quis in vo- [illegible] *Beneficia Dei à malis prælatis pecunia comparantur.*

3.

4.

5.

manus Dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum. *Lassis non dabatur requies. Thren.* 1. Habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. *Ierem.* 16. Seruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.

6. *Ægypto dedimus manum.* Tangit destitutionem auxilij; quia ad literam Assyrios vocauerunt in auxilium, & alij Ægyptios, & nullum auxilium est inuentum in eis, cum tamen manus dedissent ad fidei confirmationem, & homagij subiectionem. *Thren.* 1. Vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me. Spiritualiter Ægypto dantur manus, quando ad sæculare remedium confugiunt, Assyrio, qui interpretatur sustollens vigilias, quando ad negotiationem & laborem sæculi confugitur. *Isa.* 30. Ægyptus frustrà & vanè auxiliabitur. *Ierem.* 2. Quid tibi vis in viâ Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum viâ Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Aqua enim Ægypti non recipit, sed inficit. Aqua verò Assyriorum nerui percutit, & sitim non extinguit. *Vt saturemur pane*, id est, vili refectione temporalis delectationis. *Eccles.* 14. Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane indigens. De hoc pane dicitur *Prouerb.* 9. Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. *Prou.* 20. Suauis est homini panis mendacij, & posteà implebitur os eius calculo.

Manu dare quid.

7. *Patres nostri peccauerunt.* Tangit hîc causæ omnium istorum recognitionem: & hoc est. *Patres nostri*, Adæ scilicet imitatores, *peccauerunt*, præceptorum Dei [illegible]. *Et non sunt*, id est, mortui sunt peccatis suis. *Isa.* 43. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui in me præuaricati sunt. *Psal.* 107. Peccauimus cum patribus nostris. *Dan.* 9. Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris qui peccauerunt. *Et non sunt.* Ad non esse enim terminatur peccatum, sicut dicit *August.* Esse enim est, vt dicit *Boetius*, quod ordinem retinet. [illegible] *Ierem.* 31. Noluit consolari, quia non sunt. Propter hoc non esse dicuntur de mortuis. *Id est.* Habitent in tabernaculo eius socij illius qui non est. *Et nos iniquitates eorum portauimus*, imitatione culpæ, & sustinentiâ pœnæ. *Exod.* 20. Ego sum Deus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me. *Thren.* 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius, conuolutæ sunt & impositæ collo meo. *Ezechiel.* 16. Ergo & tu porta confusionem tuam, quia vicisti sorores tuas peccatis tuis scelratius agens ab eis. *Eccles.* 40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, id est, Adæ imitatores.

Peccatores desinunt esse.

8. *Serui dominati sunt nostri.* Tangit indignationem primò quidem in vilibus seruitij, secundò in ignominiis, ibi, *Mulieres in Sion humiliauerunt.* In primo tria dicuntur, scilicet indignitas angariantium, afflictio angariatorum, & effectus vtriusque. Dicit ergo: *Serui dominati sunt nostri*, id est, qui fuerunt serui diaboli, & peccati. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. *Prouerb.* 30. Per tria mouetur terra, & quartum quod non potest sustinere. Per seruum cum regnauerit, per stultum cum saturatus fuerit cibo, & per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta, & per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ. Hæc enim principia totius peuersitatis sunt, quando malus qui seruus est, dominatur, & cum malitiâ qui stultus est & alieno pane quærit saturari: qui odiosam mulierem, id est, libidinem carnis suæ in matrimonium duxit: qui ancillam, id est, sensualitatem rationi dominari facit. *Eccles.* 10. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi & diuites sedere deorsum: vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos. *Non fuit qui redimeret de manu eorum. Iob* 9. Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operuit. Propter hoc clamat Iacob. *Genes.* 32. Erue me de manu fratris mei: quia valdè eum timeo. *Psal.* 143. Mitte manum tuam de alto, eripe me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Dicit autem, quòd non fuit: quia malitiam Sacerdotum videns Episcopus non corrigit, malitiam Episcoporum nam corrigit Archiepiscopus, & sic de aliis. *Eccles. vlt.* Respiciens eram ad adiutorium hominum & non erat. *Isa.* 63. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret. *In tratione Iesu filij Syrach.*

Seruorum intolerabile dominium.

9. *In animabus nostris afferebamus panem nobis.* Afflictionem tangit angariatorum, & hoc est quod dicit in literâ: quia in obsidione in periculo animarum per desertum currentes ad Arabes modicum panis petebant, nec inueniunt. *Isa.* 21. Occurrentes sitienti ferte aquam: qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugiens: à facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prælij. Spiritualiter autem panis in periculo animæ quæritur: quia subuentiones Ecclesiasticæ à violentis quibusdam possidentur, & pauperibus non distribuuntur, nisi cum emantur. *Thren.* 4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Propter hoc de Ecclesiâ, quantum ad bonos prælatos. *Prouerb.* 31. dicitur: Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum. *Iob* 20. Panis eius vertetur in fel aspidum intrinsecus. *Iob* 15. Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. *A facie gladij in deserto.* Gladius iste maximè linguæ est à sententiis iniustis, vel obiurgationibus. *Psal.* 56. Lingua eorum gladius acutus. *Prouerb.* 30. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terrâ, & pauperes ex hominibus. *Panis cum periculo animæ quæritur.*

10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est.* Effectum tangit vtriusque: naturale enim est vt exsiccata carne, edaci fame pellis aduratur, & contrahatur, & denigretur, & exuratur. *Iob* 19. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos. Spiritualiter autem pellis extrinsecus adhærens, conuersatio est: quia tota in turpitudinem peccati auersa est. *Thren.* 4. Denigrata est super carbones facies eorum. *Naum* 2. Facies omnium sicut nigredo ollæ. *A facie tempestatum famis*, maximè pabuli interioris destitutionis,

tutionis. *Psal.*58. Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Hoc enim videmus in Ecclesiis, quod nemo patientibus famem panem porrigit, cum tamen tempestas famis valida sit: interius enim affligit, & destituit. *Luc.* 15. Ego autem hic fame pereo. 4. *Reg.* 7. Sciunt quia fame laboramus, & idcircò egressi sunt de castris, & latitant in agris dicentes: Cum egressi fuerint de ciuitate, capiemus eos.

11. *Mulieres in Sion humiliauerunt.* Tangit afflictionem cum ignominia in sexu muliebri, in principibus, in senibus, in adolescentibus & paruulis. Dicit ergo: *Mulieres in Sion humiliauerunt*, ad literam, matronas honestas libidine polluentes, quod peccatum in Ecclesiæ ministris multum abundat. *Osee* 6. In domo Israël vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraïm. Ephraïm fructifera interpretatur: quia ex abundantiâ libido crescit fornicationis. 1.*Corinth.*5. Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis qualis nec inter gentes. *Et virgines in ciuitatibus Iuda*, supple, humiliauerunt, per defloratione scilicet, nec oportet quòd hoc aliam habeat Glossam: virginum enim custodes clerici, & monachi, defloratores earum inueniuntur. *Psal.* 105. Initiati sunt Beelphegor. Beelphegor idolum tentiginis fuit. *Num.* 25. Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, initiatusque est Israël Beelphegor. Vidimus enim, quòd nostri sacerdotes Beelphegor facti sunt, semen suum idolo illi immolantes. *Deuter.* 27. Maledictus qui dormit cum sorore suâ filiâ patris sui, vel matris suæ, & dicet omnis populus, amen. Filia Patris filia Dei est, matris autem filia Ecclesiæ.

Beelphegor quid.

12. *Principes manu suspensi sunt*, in equuleis scilicet ante domos proprias, vt dicit *Paschasius*, quasi essent latrones infames, quibus quæstiones legis fieri deberent. *Psal.*21. Dinumerauerunt omnia ossa mea. Extensione nimiâ equulei, dinumerabilia fecerunt. Suspensi autem manu sunt, vt manus adiutorium sibi ferre non possent. Hoc autem iustum fuit: quia manus pollutas habuerunt sanguinum & muneribus. *Numer.*25. Suspende principes contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Occidat vnusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor. *Facies senum non erubuerunt*, quin scilicet interficerent, sicut nullâ reuerentiâ digni essent. *Deuteron.* 28. Ego adducam super te gentem de longinquo, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli. Hoc autem iustum erat: quia senes, sicut dicitur *Daniel.* 13. Inueterati dierum fuerunt malorum. *Isa.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit.

13. *Adolescentibus impudicè abusi sunt*, ad literam, pro ephebis, eis abutentes. Spiritualiter autem aburuntur, qui adolescentulos ad lasciuias nutriunt, & impudicitias. *Ioël.*3. Posuerunt puerum in prostibulo. *Roman.*1. Relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. *Isa.*2. Pueris alienis adhæserunt. *Glossa*: Per libidinem. Ne ergo dimittas eis. *Pueri in ligno corruerunt*, ad literam suspensi per superliminaria domorum, & per portas platearum. *Ierem.* 11. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terrâ viuentium. Spiritualiter autem paruuli infirmi in Ecclesiâ. In ligno, id est, in rigiditate prælatorum corruunt: quia quasi vectes rigidi & inflexibiles sunt. *Isa.* 27. Suscitabo super Leuiathan, serpentem vectem, id est, qui vt vectis ligneus rigidus est.

14. *Senes de portis defecerunt*: senes enim de populo eligebantur, & in portis pro iudicibus ponebantur. Vnde *Prouerb. vlt.* Nobilis in portis vir eius, cum sederit cum senatoribus terræ. Sed isti modo in Ecclesiâ defecerunt, & pueri sunt qui sedent in sedibus iudicum. *Isa.* 3. Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. *Eccles.* 10. Væ tibi terra cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Vnde in Timæo Platonis dicitur: Certè pueri estis, & non est in vobis vlla cana sapientia. *Et iuuenes de choro psallentium.* Iuuenes hic dicuntur bonæ indolis ministri Dei, de quibus sperabatur, quòd ad potiora deberent ascendere, qui omninò in Ecclesiis defecerunt. *Mich.*2. A paruulis tuli stis laudem meam in perpetuum. *Psal.*77. Iuuenes eorum comedit ignis. Chorus autem psallentium est ad literam in choro & in Ecclesia cantantium, in quo choro bene nutriti iuuenes psallere cum lætitiâ consueuerunt, iuuenculas & virgines animas populi ad deuotionem excitantes. *Psal.*67. Præuenerunt principes coniunCti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum, ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.

15. *Defecit gaudium cordis nostri*, id est, materia gaudij: hoc enim iustum est: quia gaudebant in vanis & caducis. Idcircò etiam gaudium ablatum est ab eis quod fuit in festis. *Tob.* 5. Quale gaudium mihi est, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? *Isa.*24. Ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. *Isa.* 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in punCto ad inferna descendunt. *Versus est in luctum chorus noster*, quo scilicet in choro concordi coram Deo gaudere consueueramus: eò quod indignos nos fecimus, qui resonare verba Dei deberemus. 1.*Machab.*1. Dies festi conuersi sunt in luctum. *Iob* 30. Versa est in luctum cithara nostra, & organum nostrum in vocem flentium. *Isa.*24. Cessauit gaudium timpanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

16. *Cecidit corona capitis nostri*, quia corona circumdabant mentem in splendore diuinitatis, in circulo æternitatis, in lapidibus pretiosis diuinarum virtutum. *Ezech.* 21. Aufer cidarim, tolle coronam. De hac corona dicitur. *Prou.* 4. Cum amplexatus fuerit sapientiam, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. *Psal.* 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Tamen literaliter notat amissionem regni.

Væ nobis, quia peccauimus. Omne enim væ, sicut dicit *Hieron.* ex peccato est, & temporale & æternum. *Osee* 7. Væ eis quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia præuaricati sunt in me. *Isa.*3. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt sunt eis mala. Et ibidem: Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei. *Væ ex peccato est.*

Propterea

17. *Propterea mœstum factum est cor nostrum.* Mœstitia deiectionem significat in ablatione omnis boni quando cor concidit in seipso. 2.*Cor.*1. Supra modum grauati sumus, & supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Et in tantum mœstum est cor nostrum, quòd *contenebrati sunt oculi nostri*, hoc est, consilium & ratio periit à nobis. *Psal.*54. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Spiritualiter autem oculi Ecclesiæ sunt doctores & prælati qui contenebrati sunt. *Zach.*11. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.

18. *Propter montem Sion*, qui scilicet in tanta gloria esse consueuit, & significat Ecclesiæ eminentiam in sanctitate, & in omni scientia. *Ierem.*31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Qui disperiit*, id est, in diuersa vitia periit. *Psal.*82. Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ. Endor interpretatur fons generationis, quia ad literam in inguine, vbi fons est generationis, disperierunt, & propter stercus, id est, temporalium cupiditatem. *Vulpes ambulauerunt in eo.* Non dicit latuerunt: quia manifestè ambulant qui per astutias intrauerunt, & qui aliis quasi vulpes insidiantur. *Ezech.* 13. Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israël. *Cant.* 2. Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas. Isti enim omnes vineam Domini demoliuntur.

19. *Tu autem Domine.* Conuertit se ad orationem, vt consolationem ad tantam desolationem adhibeat, & dicit tria, promissionis æternitatem, auersorum conuersionem, & protectionis lamentationem. Dicit ergo: *Tu autem Domine*, omnibus superpositus, omnibus honoribus & bonis diues. *Esther.*13. In ditione tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati, Dominus vniuersorum tu es. *Rom.*10. Diues in omnes qui inuocant eum. *In æternum permanebis*, non in substantia tantum, sed in veritate tuarum promissionum, & exhibitione misericordiarum. *Psal.*101. Tu idem ipse es, & anni tui non deficient. Et ibidem: Tu autem in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem. *Deut.*7. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Solium tuum in generationem & generationem.* Solium, inquam, vbertatis & iustitiæ: in illis enim in perpetuum confidit super fideles. *Ierem.*14. Solij gloriæ tuæ ne auertas, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Generationem verò & generationem dicit generationem præsentium mortalium, & generationem futurorum æternorum. *Psal.*44. & *Heb.*1. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. *Dan.*7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. *Isa.*9. Super solum Dauid, & super regum eius, vt corroboret illud in iudicio vique in sempiternum.

Deus omnino immutabilis.

20. *Quare in perpetuum obliuisceris nostri. Isa.* 11. Nunquid obliuiscetur Dominus misereri? *Psal.* 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem. *Derelinquens nos in longitudinem dierum*, scilicet alienando nos à tua gratia. *Isa.* 49. Dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Ac si dicat: Consideratione peccatorum meorum dignus sum, quòd mei non recorderis in bonum, sed misericordia tua tanta est, quòd adhuc spero redire ad recordationem tui. *Ioan.*2. Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

21. *Conuerte me Domine ad te.* Aliter enim auersi sumus. Et hoc est quod sequitur. *Et conuertemur.* Conuersio enim sonat positionem debitam & maximè ad humilitatem. *Matth.* 18. Nisi conuersi fueritis, & efficamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Ezech.*3. Ipsi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad illos. 3.*Reg.*18. Ostende hodiè, quia tu es Deus Israël, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc, exaudi me Domine, exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti corda eorum. Item *Psal.* 84. Conuerte nos Deus saluaris noster, & auerte iram tuam à nobis. *Innoua dies nostros sicut à principio*, id est, quod simus sicut in patriarchis fuimus, in totum pulso pristini erroris penetrato intellectu. *Isa.* 26. Verax error abes. *Eccl.* 36. Innoua signa, & immuta mirabilia. *Apoc.* 2. Memor esto vnde excideris, & prima opera fac. *Ierem.* 2. Recordatus sum tui misericordiam adolescentiæ tuæ, & charitatem desponsationis tuæ.

22. *Sed proiecisti nos usque ad nihilum nimis iratus es contra nos.* Proiecisti enim populum tuum domum Iacob, quia reputat hæc vt nihil, & augures habebunt vt Philistæi. *Ierem.* 14. Eiice illos à facie tua vt egrediantur. *Psal.* 5. Secundum multitudinem iniquitatum eorum expelle eos. Iratus es contra nos vehementer. *Isa.*5. Iratus furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum. Irasci enim vehementer, est irasci ad mentitam iniquitatis. *Psal.* 73. Iratus est furor Domini in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam. *Isa.*64. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis nostræ.

D. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM,

COMMENTARII IN LIBRVM BARVCH.

PROLOGVS.

1. *Auctor huius operis & susceptus.*

PSAL. 117. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hoc verbo Auctor & causa suscepti operis demonstratur, & scripturæ huius auctoritas. Auctor, quia Baruch interpretatur benedictus: in benedictione enim venit Domini. *Genes.* 24. Ingrédere benedicte Domini. *Psal.* 13. Veniens ad vos, in abundantia benedictionum Christi veniens. Propter quod dicitur venire, quasi in adiutorium Ieremiæ qui à Deo missus est, prouidè occurrens. *Prou.* 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Auctoritas autem scripturæ notatur in hoc quod dicitur: In nomine Domini. Nomen enim à notitia impositum est: notitia autem Dei, qui veritas est sola, dictis præbet auctoritatem: auctoritas enim ex reuelatione est, reuelatio autem firmissimum fundamentum est quod haberi potest. *Prouerb.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. *Ioan.* 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. In sermone enim Dei, notitia Dei habetur: ex notitia vero nomen inuocatur: ex notitia ergo benedictio, siue Baruch illuminatio infunditur. *Numer.* 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.

2. Causa autem suscepti operis per hoc habetur quod dicitur, *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Vt enim Deus Dominus esse cognoscatur, & non idola, & hæc lux veritas animabus hominum infundatur, præsens opus à Prophota susceptum est. *Psal.* 49. Deus deorum Dominus locutus est, & vocauit terram. Verum enim est quod Deus deorum nobis loquitur, & aduocata terra ad auditum, tota terra illustratur. *Ezech.* 43. Terra splendebat à maiestate eius. *Ioan.* 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Eccl.* 24. Illuminabo omnes sperantes in Domino.

3. *Expositio prologi beati Hieronymi in librum Baruch.*

Huic Prophetiæ *Hieron.* paruum præmittit prologum, in quo notatur huius scripturæ origo & vtilitas. Origo, cum dicitur: *Liber iste qui Baruch*, genitiui casus, *nomine prænotatur.* Consuetum est enim Hebræis à nominibus Auctorum libros prænotare, sicut dicitur liber *Isa. Ierem.* & aliorum, vt ex nomine Auctorum & Auctoritate libri accipiat libri scriptura, ne aliquis pseudoprophetæ esse credatur. *Exod.* 33. Tu ipsum nosti ex nomine, inuenisti gratiam coram me. De illis autem dicitur in *Psal.* 15. Nec memor ero nominum eorum per labia mea. *In Hebraica* [illegible] *habetur*, hoc est, in ordine Canonicæ Scripturæ. Nec tamen propter hoc veritas eius [illegible] est; quia Scripturæ Canonis [illegible]. Non enim aliud hic traditur, nisi quod [illegible] descriptum est, & propter hoc in [illegible], cum prophetia Ieremiæ [illegible]. Habetur enim sub numero 22. librorum [illegible] Scripturæ 22. libros computant, vel 24. sub numero 24. seniorum. Adiunctos autem iis in eundem supputant numerum, sicut Baruch adiunctus Ieremiæ, eò quod ex ore Ieremiæ accepit, quidquid descripsit: propter quod etiam Baruch sententiis suis non præmittit, Hæc dicit Dominus: quia ex dictis Ieremiæ potius quam ex dictis Domini accepit; ita tamen quod tota huius scripturæ veritas reuelationi Dei, quæ ad Ieremiam facta est, innititur: qui sicut dicitur in 2. *Machab.* 2. Multas fecit descriptiones, quas mandauit transmigratis, ne obliuiscerentur præcepta Domini. Vnde autem habitus hic liber, subiungitur. *Sed tantum in vulgata editione.* Vulgata verò editio dicitur liber legis & sacrorum voluminum ad omnes in commune diuulgatus,

ter, qui dicitur inuentus fuisse in quodam antro templi Ierusalem, qui *inter patrem & filium* pertenerat, vsque ad reditum *Eldræ de captiuitate*, vbi conuersatus cum Ieremia & Baruch notarius eius. Simile enim est *4. Reg. 22.* vbi dicitur Helchias sacerdos ex improuiso inuenisse librum legis Domini, cum iam recta templi instauraretur. Ex hoc idem *2. Paralip. 34.* constatur. & quod tali editione habemus ab & vulgatam, plenam continet veritatem. *Sumitur & epistola Ieremiæ*, quæ huic libro in fine annectitur. Sacra vero Ecclesia hic auctoritatem quod *Ieremiæ* dicitur: Colligite fragmenta ne pereant, & non tantum libros Prophetarum, sed etiam fragmenta diligenter collegit, sciens hoc quod dicitur *Deuter. 8.* Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Et hoc est quod de causa huius collectionis subiungitur. *Propter notitiam autem*, hoc est, peritiam, *legendi*: supple, acquirendam, *scripta sunt*, hoc est, vt ex scriptura ista notitia Dei habeatur. *Rom. 15.* Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. *Abac. 2.* Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum, hoc est, percurrendo intelligere possit. *Maximus* Episcopus, & sacræ Scripturæ expositor: Auctoritas est rationis reperta veritas, & ob vtilitatem posteritatis scripto commendata. Et hoc est quod sequitur. *Quæ multa de Christo*, quantum scilicet ad incarnationem & diuinitatem eius, *Deum videre* quod in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, quod solus in Deum vera vita, quod solus in Deus, ad quem non *adiungitur* alius. *Nouissimisque temporibus mandata*, scilicet id de resurrectione, quod in *suis partibus*. Exaltatio Ierusalem stola laetitiæ, & vestimentum, & mitra de decore & honore eius qui à Deo obtinet, in sempiterna gloria, & multa alia quæ in sequentibus manifestabuntur.

Auctoritas quid.

CAPVT I.

1. ET *hæc verba libri*, &c. Liber iste in tres partes diuidatur. Primo enim Auctor describitur. Secundo fructus seu vtilitas libri subiungitur, ibi, *Et legere Baruch*. Tertiò verò subiungitur instructio prophetalis, ibi, *Audi Israël mandata vitæ*. Dicitur quod Auctoris triplicitur fit, genere, loco, & tempore. Genere duplicitur, matris scilicet, & patris & auita dignitate. De nomine dicitur: *Et hæc verba libri*. Compilatum verbum sic locutionem notat ad prophetiam Ieremiæ, vt dicat, Omnibus descriptis quæ *Ieremiæ Deus*, etiam hæc verba Scripsit Baruch, quæ ex traditionibus Ieremiæ accepit. *Ieremias* enim verba sua in ore Baruch dedit, *Deus* verba sua in ore Ieremiæ dedit. *Ieremi. 36.* Scripsit Baruch ex ore Ieremiæ omnes sermones Domini. Vnde dicere possunt illud *Psal. 44.* Lingua mea calamus scribæ velocter scribentis. Et hoc est, *Quæ scripsit Baruch. Apocalyp. 1.* Quod vides, scribe in libro.

D. Alb. Mag. Comment. in Baruch.

Baruch genealogia.

benedictionem Domini scribere potest: eò quod ab ore benedicti non nisi benedictio procedit. *Eccli. 19.* Iste tanquam imbres mittet eloquium sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino. De patre autem subiungit. *Filius Neriæ*, qui lucerna Deo interpretatur: eò quod omnis illuminatio ad honorem Domini terminatur. *Matth. 5.* Luceat lux vestra sicut luminaria in mundo. A luce ergo Domini benedictio procedit: quia à luce veritatis nascitur benedictio virtutis. Auus autem huius subiungitur: *Filij Maasiæ*, qui onus Domini vel assumptio Domini interpretatur: eò quod onus Domini assumpsit, & ex onere obedientiæ ad lucem veritatis peruenit. *Matth. 11.* Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Non enim aliquis potest accipere intellectum veritatis, nisi prius ceruicosa superbia onere obedientiæ comprimatur, per quam altitudo intellectus ad fidei religionem captiuetur. 2. ad *Corinth. 11.* In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. De attauo autem huius subiungitur: *Filij Sedechiæ*, qui iustificans Dominum interpretatur: eò quod omnes iustitias Domini per iustitiam fidei compleuit, & ostendit. *Rom. 10.* Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. De proauo verò subditur: *Filij Sedeij*, qui cibarium meum interpretatur, vel ex latere meo æneus: eò quod sermo gratiæ cibus eius fuit. *Sap. 16.* Non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus. *Ezech. 3.* Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto quod ego do tibi. Hic ex latere Dei fuit: eò quod semper Deo astitit, expugnans omnia quæ contra Dominum se erexerunt. *Psal. 93.* Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? Vnde & æneus dicitur propter inflexibilem constantiam. *Ierem. 1.* Ego quippe dedi te hodie, in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram. De sobauo verò subditur: *Filij Helchiæ*, qui pars Domini, vel vendicatus Domino interpretatur: eò quod totus vendicatus, vt pars hæreditatis fuit Domino, & nullam in eo partem habuit diabolus. *Deuteron. 32.* Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. *Isa. 19.* Hæreditas mea Israël. Cum autem dicit *Hieronymus*, quòd patres & aui in titulis Prophetarum positi etiam Prophetæ fuerunt, pater quanta paterna & auita dignitate iste præfulserit, qui ex tot Prophetarum generatione processit. *Eccli. 34.* Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. De loco autem in quo scripsit, subiungitur: *In Babylonia*. Propter vtilitatem enim & consolationem captiuorum in Babyloniam venit Propheta: eò quod hanc libertatem acceperat à Domino, vt saluus esset ad quemcumque locum pergeret. *Ierem. 45.* Dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis ad quæcumque perrexeris. De tempore verò supponit, & in communi, & in speciali, & in singulari. In communi quidem.

In anno quinto. Vel à transmigratione Ioachim

de quâ dicitur. 4. *Reg.* 24. & 2. *Paralip.* 36. Et hoc probabilius est. Quidam tamen dicant, quòd in anno quinto à captiuitate generali. In speciali autem tempus describit, cum subdit: *Septimo die mensis.* Et quia non additur secundi vel tertij vel deinceps mensis, intelligitur mensis primi, qui est Aprilis, de quo dicitur *Exod.* 12. Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. In singulari verò addit: *In tempore quo ceperunt Chaldei Ierusalem.* Et si intelligitur de tempore transmigrationis, sensus est, quo ceperunt, id est, quo capere cœperunt. Si verò de tempore generalis captiuitatis, tunc litera plana, & hoc innuitur per sequentem literam. *Et succenderunt eam igni:* quod tamen secundum primum modum expositionis intelligitur, succenderunt, id est, succendere cogitauerunt, maximè propter sequentia. Quia dicitur in auribus Iechoniæ librum legisse, qui transmigratus & non captiuatus fuit: de quâ succentione *Ierem. vlt.* habitum est.

3. *Et legit Baruch.* Describit hic huius libri fructum seu vtilitatem, & dicit duo, verbum fructificans, & fructum, ibi, *Qui audientes plorabant.* Dicit ergo: *Et legit Baruch*, qui mentem scriuit Dei & Ieremiæ. Benedictus legit explanando, *verba libri huius*, verba, inquam, verberantia autes sono vocis, & verberantia mentes sensu spiritus. *Ierem.* 36. Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos. *Ad aures Iechoniæ filij Ioachim*, qui scilicet cum matre translatus in Babyloniam fuit. In auribus enim Sedechiæ legere non potuit: quia ille exoculatus carcere conclusus fuit. *Regis Iuda*, iure scilicet successionis, quamuis non haberet iurisdictionem potestatis Per Reges enim ad subditos verbum Dei propalari debet. *Sap.* 6. Audite ergo Reges, vt intelligite, discite iudices finium terræ. *Psal.* 21. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. *Ad aures vniuersi populi venientis ad librum:* eò quod sine personarum acceptione omnibus prodesse voluit. *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est, &c. *Eccles. vlt.* Finem loquendi pariter omnes audiamus. *Marc. vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ. In hoc enim quod dicit, *venientis ad librum*, deuotio notatur audientium. *Isa.* 2. Venite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas.

Huius libri vtilitas.

4. *Et ad aures potentium filiorum Regum.* Filij Regum dicuntur, qui ex successionibus regalis prosapiæ processerant, & potentatus ante captiuitatem conuenire consueuerant obtinentes, vt illis inclinatis ad librum, facilius alij inducerentur. *Ierem* 5. Ibo ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui. *Et aures presbyterorum.* Presbyter Græcè, Latinè sonat senior, eò quod seniorum est canam habere sapientiam, & intellectum legis. *Sap.* 4. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. *Iob.* 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. *Et ad aures populi à minori, vsque ad maximum eorum.* Ad aures legere dicitur, qui ad intellectum aurium legit, vt omnes intelligere possint, Vnde Apost. 1. ad *Corinth.* 14. dicit eum non audire qui non intelligit dicens, nemo enim audit, spiritus autem loquitur mysteria. *Sap.* 6. pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ipsi cura de omnibus. In vno vero sermone Scripturæ, & parnus accipit eruditionem in historiâ, & maximus in mysterio spirituali. Propter quod dicit *Grego.* quòd Scriptura est fluuius, in quo agnus peditat, & elephas natat. *Et Ezech.* 47. dicitur, quòd introductus propheta est in flumen vsque ad talos, & vsque ad genus, & vsque ad renes, & tandem ad profunditatem quam non potest transuadere. *Omnium habitantium in Babylonia*, vt nullus esset qui non instrueretur. *Nec.* 8. Attulit Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, & legit in eo distinctè & aperrè. *Ad flumen Sudi.* Babylonia terra aquosa est, iuxta cuius flumen quod Chobar dicitur, captiui Iudæi positi, sicut patet *Ezech.* 1. *Psal.* 136. Super flumina Babylonis illic sedimus, fleuimus. Hoc flumen Sodi vel Sudi vocatum ab euentu, quia Sodi, vel Sudi exclusio mea interpretatur, vel latus meum, eò quod in latere fluminis exclusi à terrâ suâ à rege Babylonis sunt positi. *Isa.* 15. Ad torrentem salicum ducunt eos *Psal.* 136. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

Scriptura est fluuius, in quo agnus peditat, & elephas natat.

5. *Qui audientes plorabant.* Tangitur hic fructus lectionis in duobus, pœnitentiâ scilicet, & oratione, ibi, *Et nunc Domine Deus Israël.* Pœnitentia tripliciter describitur, compunctione scilicet cordis, affectione corporis, & satisfactione operis. De compunctione cordis dicit. *Qui audientes plorabant.* Ad deuotionem enim cordis & compunctionem deducuntur per audiuum. *Rom.* 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. *Abac.* 3. Domine audiui auditum tuum, & timui. *Genes.* 3. Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui: eò quod nudus essem. 2. *Paral.* 34. Iosias cum audisset verba, scidit vestimenta sua. Plorabant autem vt lachrymæ delerent dilictum: quia voce pudor erat confiteri, vt dicit *Ambrosius. Isa.* 38. Fleuit Ezechias fletu magno, vt scilicet deleret delictum, & consolationem reciperet. *Et ieiunabant*, vt compunctioni cordis adhiberetur afflictio corporis. *Ioël.* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Est autem ieiunium tripler, scilicet in abstinentiâ delectabilium corporis propter penitentiam extinguendam. *Dani.* 10. Panem desiderabilem non comedi, & carn & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum. Est ieiunium animalitatis in abstinentiâ concupiscentiarum. *Iona* 3. Pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Pecora sunt pecorini motus animalitatis, qui nihil concupiscentiarum gustare debent, nec pasci delectationibus sensibilibus, nec bibere aquam insipidam carnalitatis. Tertium ieiunium est rationis & voluntatis, vt scilicet inferior portio rationis vnum non gustet, & hoc vocatur ieiunium sanctum. *Ioël.* 2. Sanctificate ieiunium. *Isa.* 58. Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Sic totus homo ieiunat. *Et orabant in conspectu Domini.* Oratio pars sanctificationis est, & præcipue illa oratio generalis quâ homo corde, ore & opere orat. 1. Ad *Thessal.* 5. Sine intermissione orate. vbi dicit *Glossa*, Non desinit orare, qui non desinit benefacere. 1. *ad Corinth.* 14. Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Et hanc tripliciter explicat, scilicet eleemosynâ, intercessorum supplicatione, ibi, *Ecce misimus ad vos.* Et vocali oratione, ibi, *Et nunc Domine Deus Israël.* Quod autem dicit, *in conspectu Domini*, notat quod intentio orantis debet esse vt soli Deo placeat, non vt capter fauorem hominum. *Matth.* 5. Tu autem cum orauerit, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. *Iudith* 9. Iudith ingressa est ad oratorium suum, & induens se silicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum. Ingressa enim est oratorium vt fauorem populi fugeret. Oratio enimi, vt dicit *August.* pius est affectus in Dominum effectus, quem fauor populi auferre non debet. *Psal.* 34. Oratio mea in sinum meum conuertetur. De eleemosynâ autem subdit.

Ora.

Oratio sanctificationis.

6. *Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit vnusquisque manus.* Collegerunt dicit, vt paruum quod vnusquisque dabat collectum ad vtilitatem pauperum & ministrorum Ecclesiæ peruenire posset. 2. ad *Corinth.* 8. Sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientiâ, & omni solicitudine, insuper & charitate vestrâ in nos, vt & in hac gratia abundetis, collectione scilicet in pauperes. Quod autem dicit, *Secundum quod potuit vnusquisque manus*, id est, cum eo quod potuit facultas conferrit in bonis. 2. ad *Corinth.* 8. Si voluntas prompta est, secundum quod habet accepta est, non secundum quod non habet. Ideò dicitur. *Luc.* 11. Quod superest, date eleemosynam. Superest autem quod excrescit super necessitatem. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire stude. Propter hoc. *Matt.* 12. oblatio viduæ quæ duo minuta obtulit, omnibus præferitur, quia totum victum suum obtulit. Quo autem & quibus obtulerunt, sequitur.

Eleemosyna summe laudatur & ordinatur.

7. *Et miserunt in Ierusalem* ad templum scilicet, quod Ecclesiam significat: extra enim Ecclesiam non valet oblatio. *Machab.* 12. Vt sacrificium Iudas facta collatione 12. millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum. Sic 2. ad *Corinth.* 8. collectionem præcepit fieri Apostolus, in pauperes Sanctorum, qui fuerant in Ierusalem. Quibus autem miserunt, sequitur. *Ad Iaciam filium Helciæ.* Secundum eam is pauper est, principaliter debetur oblatio, præcipue si bonus est: quod videtur per eandem interpretationem, & paternam & eximam hæreditatem. Iaciam præuaricatus Dominus interpretatur, Helciam parte vindicans Domino dictum. Sacerdotes vero sacificii mortis interpretatur. Ita Sacerdos enim qui in pace conficiebat, voto obtulerunt Deo vindicans est, & omni merito iustitiæ [illegible] vt dignè possit offerre pro populo. *Et ad Iethe ad letitiam meam Iob.* offerre holocaustum pro vobis. Iob autem letitiæ meæ oculos pro vobis, fratres cum filiis. Propter hoc

Deuter. 12. Præcipitur: No dimittas leuiten, quia aliam partem non habet. *Et ad sacerdotes*, quia etiam minoribus ministris subueniendum. *Prouerb.* 3. Honora Dominum de tuâ substantiâ, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. *Et ad omnem populum.* Nota ordinem, prius enim maiori si indiget subueniendum est, deinde minoribus inferioribus, deinde communiter pauperibus *Luc.* 6. Omni petenti tribue. *Tob.* 4. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Recolierunt autem dicti Dauid: Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus. Non enim condendæ sunt diuitiæ, sed ministris altaris tribuendæ, & in pauperes, qui in formâ Christi veniunt erogandæ. *Isa.* 23. Erunt negotiationes Tyri, & mercedes eius sanctificatæ Domino, non condentur, neque reponentur: quia his qui habitauerunt coram Domino, erit negotiatio eius vt manducent in satietatem, & vestiantur vsque ad vetustatem. *Tob.* 4. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire ad tenebras. Causam autem paupertatis subiungit dicens. *Qui inuenti sunt cum eo*, hoc est, cum sacerdote, *in Ierusalem.* Multis enim cum Iechonia & matre transmigratis pauperes remanserunt spoliati, ita quod etiam multi propter penuriam dispersi sunt, & significant eos qui vitæ nostro intra Ecclesiam inuenuntur. *Eccles.* 4. Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere. *Eccles.* 7. Honorifica sacerdotem, & peruerga te cum brachio, da illis partem sicut mandatum est tibi primitiarum. Et post pauca: Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio & benedictio tua. Quando autem ex spoliati, & depauperati fuerunt, subdit.

Cum acciperunt, scilicet, Chaldæi, *vasa templi Domini.* Quia cum Iechonia & matre suâ & thesauris regis & populi, in Chaldeam translata sunt, sicut legitur 4. *Reg.* 24. & 2. *Paral.* vl. Quæ translatio ministrorum Ecclesiæ significat translationem & spoliationem. Et hoc est. *Quæ dicta sunt de templo.* De templo enim auferuntur, quando animæ fideles & boni Ecclesiarum ad vias seculares adhibentur. Tales fuerunt sunt Antiochus qui spoliare templum iussit. 2. *Machab.* 5. Propter quod autem offerebant, subiungit, cum dicitur: *Reuertere in terram Iuda*, hoc est, vt Dominus vasa templi in terram Iuda reuocare, sicut & legitur factum esse 1. *Esdræ* 1. Rex Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & referri fecit in Ierusalem. Quando autem hæc oblatio facta fuit, ostendit subdens. *Decima die mensis Sebat*, quod conuertitur interpretatur, eò quod tropicus mensis tui, quemadmodum solis conuersio geniæ conuersionem significat. *Matth.* 4. Oriente vobis [illegible] mensis autem sol nascitur, & fructus in pratis tuis. De [illegible] autem subdit, vt [illegible] subdit. *Vasa [illegible] ipse Rex Iuda*, qui [illegible] [illegible] [illegible]

peritet, quæ tamen etiam à Chaldæis postea abstracta sunt: & hoc est quod sequitur.

9. *Posteaquam cepisset Nabuchodonosor Rex Babylonis*, in transmigratione scilicet, *Iechoniam*, Regem, *& principes*, secundo loco à rege differentes, *& cunctos potentes*, hoc est, potentatus obtinentes sub rege & principibus, *& populum terræ*; hoc est multos de populo artifices & inclusores, *ab Ierusalem*, abstrahendo scilicet, *& duxit eos vinctos in Babylonem*, transmigratos scilicet. Tunc enim in magnâ paupertate erant constituti *Et dixerunt*, ad sacerdotes scilicet, quando eis pecuniam hanc abstulerunt: *Ecce misimus ad vos.* Tangit hic de intercessione & oblatione. Dixit enim Ptolemæus, quòd intercessor est petentis ala. Oblatio autem per hoc placet, quod est signum figuratiuum oblationis Christi in cruce. *Psal.* 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta. *Hebr.* 9. Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Et ideò duo hic dicuntur, scilicet pro quibus est offerendum, & orandum, & qualiter hæc ædificatio in alios est propalanda, ibi, *Et legite librum istum.* In primo duo dicit, qualiter scilicet offerendum pro principe, qui est persona publica, & qualiter offerendum pro ipsis, ibi, *Et pro nobis ipsis* Dicit ergo.

Intercessor aiâ petentis ala.

10. *Ecce misimus ad vos pecuniam.* Eò quod per pecuniam omnia habentur quæcumque necessaria sunt. *Eccles.* 10. Pecuniæ obediunt omnia. *Arist.* in 5. Ethic. Numisma seu pecunia fideiussor est futuræ necessitatis. Et hoc est quod sequitur. *De quibus emite holocausta mata*, quæ scilicet tota incendebantur, ab olon quod est totum, & cauma quod est incendium, dicta, & significant cor, & animalitatem humanam, quæ in toto igne pœnitentiæ & deuotionis cremari debent. *Daniel* 3. In animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium. *Et thus*, quod redolentiam significat deuotionis. *Cantic.* 3. Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. *Et facite munus*, quod interpretatur munus, vel consolatio, seu sacrificium, vel holocaustum, hoc est, offerte munera in holocaustum, & consolationem nostram. Et hoc significat eleemosynam quæ est munus Deo oblatum. 1. *Paral. vlt.* Populum qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio offerre tibi donaria. *Et offerte pro peccato*, hoc est, pro redemptione peccati. *Hebr.* 8. Omnis pontifex ad offerenda munera, & hostias constituitur. Significant autem hæc oblationem Christi in cruce pro totius mundi redemptione. *Hebr.* 9. Christus semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et post pauca: Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. *Isa.* 53. Propter scelus peccati mei percussi eum. *Ioan.* 17. Pro eis sanctifico meipsum. *Chrysost.* hoc est, sacrifico. *Ad aram Domini Dei nostri* quæ significat incensionem cordis humani. Ara enim ab ardendo dicitur. *Leuit.* 6. Ignis in altari semper ardebit.

Numisma est fideiussor futuræ necessitatis.

11. *Et orate pro vitâ Nabuchodonosor Regis Babylonis*, cui nunc concessa fuit gubernatio Reipublicæ. Turbatio enim vitæ illius causa fuisset turbationis omnium subditorum: in turbatione autem quietè Deo seruire nemo potest. *Et pro vitâ Balthazar filij eius.* Quia vsque ad illius tempora duraui captiuitas. *Ieram.* 29. Quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci, & orate pro eâ ad Dominum: quia in pace illius erit pax vestra. 1. ad *Timoth.* 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. *Vt sint dies ipsorum*, quibus scilicet regere habent prouincias, *sicut dies cœli super terram*, quietè scilicet & ordinatè sibi succedentes, secundum quod in cœlo ordinatum est: sicut etiam *Matth.* 6. dicitur: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ. *Psal.* 118. Ordinatione tuâ perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.

Orandum pro regibus.

12. *Vt det Dominus virtutem nobis*, patientiæ scilicet, quâ sustinere possimus peccatorum purgationem. *Eccles.* 36. Reple Sion inenarrabilibus virtutibus tuis, & gloriâ tua populum tuum. *Et illuminet oculos nostros*, vt saltem per tribulationes cognoscamus quod in culpâ cæci cognoscere non valuimus. *Apoc.* 3. Collyrio inunge oculos tuos vt videas. Collyrium amarissimum est, sed illuminat oculos. *Gregor.* Sæpè fit, quòd oculos quos culpa clausit, amaritudo pœnæ aperit. *Vt viuamus sub umbrâ Nabuchodonosor Regis Babylonis.* Vmbra protectionem significat. *Isa.* 49. In vmbrâ manus suæ protexit me. *Et sub umbrâ Balthasar filij eius.* Sub iis enim duobus purgata fuit iniquitas populi. *Et seruiamus ei multis diebus.* 70. scilicet annis: seruitus enim illorum, flagellum nostræ purgationis fuit, sicut dicitur. *Genes.* 15. Scito præuoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ: & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. *Et inueniamus gratiam in conspectu eorum*, supple, orate ne scilicet crudeliter interficiant, sed gratiosè sustineant. Simile est. *Exod.* 11. Dabit Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. *Tob.* 1. Dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanazar Regis, & dedit illi potestatem quocumque veller ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. Hæc enim gratia seruis Dei necessaria est, quia aliter à multis bonis impediretur. *Eccles.* 45. Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est.

Vmbra pro protectione.

13. *Et pro nobis ipsis orate.* Secundum est, *Ad Dominum Deum nostrum. Iacob.* 5. Orate pro inuicem vt saluemini. Et ibidem: Multum valet deprecatio iusti assidua. Per intercessionem enim sanctorum sæpè conuertuntur peccatores. 1. *Reg.* 12. Ora pro seruis tuis Dominum Deum tuum, vt non moriamur. *Isa.* 53. Pro transgressoribus rogauit vt non perirent. *Quia peccauimus Domino Deo nostro*, hoc est, contra Dominum Deum nostrum, & ideo indigni sumus qui pro nobis oremus. *Ioan.* 9. Scimus quia peccatores Deus non audit. *Et non est auditio*

ferat

furor eius à nobis usque in hunc diem: semper enim usque adhuc peruenit. *Isa.* 9. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. In captiuitate enim contra nos excitatur, & ideò intercedere non audemus.

In pastorali. 1. p. c. 11. & lib. 2. epist. c. 24. Quia dicit *Gregor.* Cum is displicet qui ad intercedendum mittitur, irati animus iudicis ad deteriora prouocatur.

14. *Et legit librum istum.* Doctrinam suæ correctionis in alios penè propagari, ne & ipsi similes patiantur pœnas. Librum autem vocat conscriptionem Baruch de populi correctione, & hoc est. *Quem misimus ad vos*, vt omnes erudiantur. *Iob.* 31. Librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero portem illum, & circumden illum quasi coronam mihi. Et hoc est quod sequitur. *Recitari*, & hoc est vt reciteur, *in templo Domini in die solemni*, in quo omnes conueniunt, vt omnibus propaletur, quia ad omnium pertinet ædificationem. *Iuan.* 18. Ego semper docui in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. *Psal.* 117. Constituite diem solemnem in condensis. Quia in condensis populorum verbum Dei solemniter proponendum est. *Et in die opportuno*, hoc est, in aliis diebus professis quando opportunum est, quando ex aliquâ causâ populus congregatur. *Eccles.* 24. In Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur. *Psal.* 106. Exaltent eum in Ecclesiâ plebis.

15. *Et dicetis.* Hic docet modum eruditionis populi in confessione peccati, in transgressione legis, in punitione iusti iudicii. Ex hoc est. *Domino Deo nostro iustitia.* Iustus enim est inferendo iram pro peccato. *Rom.* 3. Numquid iniquus Deus qui infert iram? Absit. *Iob.* 34. Omnia iudicia tua vera sunt. *Psal.* 118. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Nobis autem confusio faciei, propter peccatum scilicet quod commisimus: confusio enim seu erubescentia, vt dicit *Damasc.* timor est ex turpi actu, siue ex turpi perpetrato. *Ierem.* 30. Confusus sum, & erubui quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Sicut est hodie hoc*, hoc est, sicut demonstrat dies hæc in qua comprehensi sumus in confusione nostrâ. Videmus enim nunc propter peccatum nos esse confusos *Ierem.* 2. Quomodo confundatur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel. *Omni Iudæ, & habitatoribus Ierusalem.* Iuda dicitur populus regni duarum tribuum: habitantes autem Ierusalem senatores, quorum decreto omnia fiebant: & hos per partes explicat dicens.

Lib. 2. c. 13. Erubescentia est timor ex turpi perpetrato.

16. *Regibus nostris*, in quibus fuit prima auctoritas, 1. *Pet.* 2. Siue regi quasi præcellenti. *Principibus nostris*, qui secundas dignitates post reges obtinebant, & partem populi continebant, *& sacerdotibus nostris*, qui sacra violabant & prophanabant, *& Prophetis nostris*, qui pseudo fuerunt, & visionibus falsis populum decipiebant, *& patribus nostris*, quibus quasi hereditariâ malitiâ successimus. Hoc in Ecclesiis est communis populus, communis clerus, maiores prælati, prælati infectiores, sacerdotes, & religiosi, & primi malorum inuentores, qui in peccato nos quasi genuerunt. *Daniel.* 9. Regibus nostris confusio, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodiè viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem, & omni Israël, his qui propè sunt, & his qui procul in vniuersis terris. *Rom.* 3. Omnes peccauerunt, & egent gratiâ Dei. *Psal.* 52. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum.

17. *Peccauimus ante Dominum Deum nostrum*, hoc est, ante lumen cognitionis Domini Dei nostri, quod per cognitionem legis & prophetiæ splendebat super nos. *Psal.* 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Modos autem peccati subiungit primò contra veritatem, dicens: *Et non credidimus*, supple, verbis eius, *diffidentes in eum*, hoc est, fiduciam non habentes in eum, vt impleret promissa, & induceret comminata. Contra quod dicitur. *Rom.* 4. In Repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quòd quæcumque promiserit ei Deus, potens est & facere. *Isa.* 21. Qui incredulus est, infideliter agit. Deinde subiungit de superbia dicens.

18. *Et non fuimus subiectibiles illi*, vt scilicet curuatâ ceruice mandatis eius subiiceremur. *Iob.* 15. Cucurrit aduersus Dominum erecto collo. *Exod.* 10. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequo non vis subiici mihi? Tertiò adiungit de inobedientiâ dicens: *Et non audiuimus vocem Domini Dei nostri.* Obaudire est vocem tenuiter auditam negligere, & hoc non tantum fecimus, quinimò contra clamantem aurem obturauimus, ne vox eius in aures nostras intraret. *Ierem.* 7. Locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis: vocaui vos, & non respondistis. *Proverb.* 1. Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, increpationes meas neglexistis. Qualiter autem non tantum obaudiuerunt, sed aures obturauerunt, subdit: *Vt ambularemus in mandatis eius*, hoc est, vt proficeremus de virtute in virtutem: retrorsum enim semper abiimus. *Isa.* 1. Abalienati sunt retrorsum. *Bernard.* Quomodo proficerent, qui semper retrahebantur, cum ambularent? *Quæ dedit nobis*, largitate scilicet gratiæ suæ. Magnæ enim largitatis indicium est dare præcepta quæ dirigunt ad vitam. *Isa.* 63. Quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. *Ezech.* 20. Et dedi eis præcepta mea, quæ si fecerint, viuent. Non enim parua culpa est à tali benignitate recedere. 2. *Pet.* 2. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Et ne credatur semel hoc accidisse, ostendit quandiu in hoc fuerunt, subdens.

19. *A die qua eduxit patres nostros de terra Ægypti.* Tunc enim apud montem Syna vitulum fecerunt conflatilem. *Exod.* 33. *Numer.* 16. Illicita concupierunt. *Numer.* 11. Idolo Beelphegor initiati sunt, & idolothyta comederunt, & idola adorauerunt. *Numer.* 26. Populum in

Ægyptum

Ægyptum reducere noluerunt. *Isa.* 43. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me. *Vsque in hanc diem*, vt sicut patres, ita & nos declinaremus. *Sap.* 4. Ex iniquis omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ in parentes eorum. Et in quo initiati sunt, subdit: *Et dissipati*, per discordias scilicet, *recessimus*, elongantes à Deo, *Ne audiremus vocem ipsius. Psal.* 34. Dissipati sunt nec compuncti, tentauerunt me, &c. *Isa.* 48. Scio, quòd præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. *Ierem.* 2. A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti: Non seruiam.

20. *Et ideo*, supple, *adhæserunt nobis multa mala*, pœnæ scilicet, quæ tandiu adhæret, quandiu malitia culpæ perseuerat. *Et maledictionis*, vt scilicet exemplum maledictionis simus. *Psal.* 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. *Quæ* scilicet mala & maledictiones, *constituit Dominus Moysi seruo suo. Deuter.* 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit: & dicet omnis populus, Amen. *Qui*, scilicet Moyses *eduxit patres nostros de terrâ Ægypti. Mich.* 6. Memento, quòd eduxerim te de terrâ Ægypti, & miserim ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam. *Dare nobis terram fluentem lac & mel.* Non enim in terrâ sterili locauit, sed in eâ quæ abundanter fluit lacte, hoc est, dulcedine terræ, & melle in dulcedine roris: quia hoc dicit Auicenna in 2. maioris canonis, Mel est ros linguis apum collectus. Significat autem lac virtutem de humanitate Christi fluentem, mel autem dulcedinem diuinitatis eius. *Numer.* 13. Venimus ad terram in quam misistis nos, quæ reuera fluit lacte & melle. *Genes.* 27. In pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua. *Numer.* 16. Reuera induxisti nos in terram quæ fluit riuis lactis & mellis. *Sicut hodierna die*, supple, comprobatur: hodiè enim fluit lacte & melle, si sit qui gustare velit. *Isa.* 55. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.

Mel est ros linguis apiū collectus.

21. *Et non audiuimus vocem Domini Dei nostri*, ingrati scilicet contra tanum benefactorem, *secundum omnia verba Prophetarum*, qui loquti sunt, supple, nobis, in nomine Domini, *qui*, scilicet nos regere debebant: reges scilicet & sacerdotes. *Isa.* 30. Populus ad [illegible] prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt.

22. *Et abiimus*, hoc est, à recto via recessimus, *vnusquisque in sensu cordis sui maligni*, hoc est, male ignui & inflammati ad malum. *Ierem.* 7. Non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis sui mali. *Isa.* 53. Omnes quasi oues erraimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Hoc autem specificat subdens: *Operari dii alienis*, hoc est, operibus tua [illegible] *facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.* Quod maioris contemptus quam si in obscurità Dei facerent. Hebr. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. *Eccles.* 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum

CAPVT II.

EX his autem infert iustum Domini esse iudicium, qui intulit pœnas: & hoc est. *Propter quod statuit Dominus Deus noster*, sententiam scilicet confirmando, *verbum suum, quod locutus est ad nos*, per legislatorem scilicet & prophetas. *Isa.* 31. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. *Et ad iudices nostros*, sicut patet in toto libro Iudicum, *qui iudicauerunt in Ierusalem*, quilibet scilicet in diebus suis, *& ad reges nostros*, qui successiuè regnauerunt, vt patet in libris *Reg. & Paralip. & ad principes nostros*, sacerdotes scilicet qui in sacris præerant, *& ad omnem Israël*, hoc est, decem tribus, *& Iudam*, hoc est, duas tribus. *Psal.* 48. Quique terrigenæ filij hominum, simul in vnum diues & pauper. *Iob.* 3. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo. 1.

Vt adduceret Dominus magna mala, merito scilicet nostræ iniquitatis. *Isa.* 1. Si me audire nolueritis, & ad iracundiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos. *Quæ*, scilicet mala, *non facta sunt sub cœlo.* Iustum enim est vt vltimum exemplum habeant in pœnis, qui omnibus deteriores fuerunt in culpis. *Apoc.* 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Isa.* 27. In mensurâ contra mensuram, cum adiecta fuerit, iudicabit eam. Et specificat subdens: *Quemadmodum factum est in Ierusalem*, quæ tantò acerbius [illegible] quantò ante in deliciis fuit: & exemplum in singulari, veritatem legis & prophetæ intendens. 2. *Dui iustè iudicauit.*

Secundum quæ scripta sunt in lege Moysi. Deut. 28. Comedes fructum ventris tui, & carnes filiorũ tuorum & filiarum tuarum, quas dederit Dominus Deus tuus, in angustiis vrbis quà opprimet te hostis tuus. Et hoc est quod sequitur. *Vt manducaret homo carnem filij sui, & carnem filiæ suæ.* Quod plangit *Ierem. Thren.* 2. dicens: Vide Domine & considera quem vindemiauerit ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ? *Thren.* 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. Et ne hoc [illegible] 3.

Et dedit eos [illegible] Ægypti, quibus ante superiores [illegible] Rex [illegible] Ægypti Iosiam interfecit, & terram [illegible] fecit, sicut legitur. 4. *Reg.* 22. Rex Assyriorum 10. tribus in Assyrios transtulit. 4. *Reg.* 17. Rex Chaldæorum 2. tribus captiuauit. 4. *Reg.* vlt. Et hoc est quod sequitur. *Qui sunt in vicinitate nostra.* Et ita quilibet prævaluit in eos. *Iob.* 30. Insidiati sunt mihi & prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium. Quasi rupto muro, & aperta iniuriâ irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt. *In maledictionem & in desolationem in omnibus populis. Psal.* 78. Diripuerunt eam omnes transeuntes viam, factus est opprobrium, &c. *In quibus me dispersit Dominus*, hoc est, dispergi præcepit. *Ezech.* 5. Disperges in eos omnem ventum, & gladium nudabis post eos. 4.

Et facti sumus subtus, & non supra, omnibus scilicet inferiores, & omnes quantumcumque vilcs 5.

viles superiores nobis. *Thren. vlt.* Serui dominati sunt nostri, non fuit qui redimeret de manu eorum. *Deuter.* 28. Eris subtus & non supra. Horum autem omnium causa peccatum est, & maximè idololatria, & hoc est quod sequitur. *Quia peccauimus Domino Deo nostro*, per idololatriam scilicet, *Non obaudiendo vocem eius*, tantum, supple, sed etiam indurauimus cor contra eum. *Tob.* 3. Non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus sincerè coram te. Propter quod iustum iudicium Dei. Et hoc est quod sequitur.

6. *Domino Deo nostro iustitia*, in omnibus scilicet iudiciis suis: *nobis autem & patribus nostris confusio faciei. Psal.* 68. Operuit confusio faciem meam. *Sicut est dies hæc. Psal.* 43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subiannationem & derisum his qui in circuitu nostro sunt.

7. *Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc*, præmuniens nos scilicet per legislatorem & prophetas. *Quæ*, scilicet mala, *venerunt super nos. Tob. vlt.* Non excidit verbum Domini. *Numer.* 23. Non est Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. *Deus prius admonet quam feriat.*

8. *Et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri*, vt cordis scilicet humilitate, & lachrymis deleremus delictum quod puniendum fuerat: quod si fecissemus, profectò ira Dei auersa fuisset à nobis, sicut placauit Moyses Dominum *Exod.* 33. *Psal.* 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Et hoc est, *vt reuerteremur vnusquisque nostrum à via nostrâ pessimis. Isa.* 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.

9. *Et*, quia non sumus reuersi, *vigilauit Dominus in malis*, hoc est, vigilanter aperte. *Psal.* 77. Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos. *Et adduxit ea*, scilicet mala, *super nos*, ad oppressionem nostram. *Isa.* 37. Ex diebus antiquis plasmaui illud, & nunc adduxi. *Iob.* 4. Qui seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos. *Thren.* 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuoluæ sunt, & impositæ collo meo. *Quia iustus est Dominus in omnibus operibus suis*, reddens scilicet vnicuique pro meritis. *Isa.* 3. Væ impio in malum, retributio manuum eius fiet ei. *Quæ mandauit nobis*, per Moysen scilicet & prophetas. *Eccles.* 24. Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum. *Deus vigilauit ad punitiendum.*

10. *Et non audiuimus vocem ipsius. Psal.* 3. Noluit intelligere vt bene ageret. Et hoc est quod sequitur. *Vt iremus in præceptis Domini. Iob.* 21. Dixerunt Deo, Scientiam viarum tuarum nolumus. *Psal.* 77. In legem eius noluerunt ambulare. *Quæ*, scilicet præcepta, *dedit ante faciem nostram*, hoc est, coram oculis nostris, videntibus nobis, ne dubitaremus. *Exod.* 20. Cunctus populus videbat voces & lampades, & sonitum montemque fumantem. Omnium enim oculis manifestum est quod præcepit lex naturalis, quæ continetur in moralibus præceptis. *Ierem.* 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.

11. *Et nunc, Domine Deus Israël.* Ponit hic orationem quã sacerdotes orare debebant pro populo, secundum tres conditiones, peccati scilicet recognitionem, verbi Dei siue comminationis veritatem, ibi, *Quia non secundum iustitias patrum.* Et orantis angustiam, seu necessitatem, ibi, *Et nunc, Domine Deus Israël.* In primo tria sunt, scilicet magnalium Dei rememoratio, peccatorum confessio, ibi, *Peccauimus.* Et vt malum removeatur deprecatio, ibi, *Auertatur ira.* Dicit ergo: *Et nunc Domine Deus Israël.* Ac si dicat: Tunc mirabilia fecisti tempore patrum, nunc autem necessitas instat vt iterum facias. Propter hoc etiam semper in fine dicimus orationum: Sicut erat in principio & nunc & semper. *Psal.* 92. Parata est sedes tua ex tunc, & nunc & vsque in sæculum tu es Deus. Non enim deficiunt miserationes Domini, semper enim paratus est subuenire. *Isa.* 59. Ecce non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat. *Dan.* 3. Et nunc non possumus aperire os: confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his qui colebant te: ne tradas nos in perpetuum. *Daniel.* 9. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui. *Qui eduxisti populum tuum de terrâ Ægypti in manu validâ*, hoc est, oppressionibus validissimis, quibus plagasti Ægyptum. *Psal.* 131. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum. *Exod.* 3. Non dimittet vos Rex Ægypti vt eatis nisi per manum validam, extendamque manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis. *In brachio excelso.* In brachio virtus est, & brachium excelsum, excellæ sunt virtutes quas ostendit in cœlo & in terrâ. *Sap.* 28. Stans in terra respexit omnia mortis, & vsque ad cœlum attingebat stans in terrâ. *Psal.* 131. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, in manu potenti & brachio excelso. *Et in signis & prodigiis.* Signum est opus diuinæ potentiæ ostensiuum, prodigium autem quod proditur diguo omnium: eo quod maximæ virtutis est iudicium. *Exod.* 3. Extendam manum, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis. *Psal.* 71. Qui facit mirabilia magna solus. *Iob.* 9. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. *Et fecisti tibi nomen sicut est die hac.* Quod scilicet vbique tua virtus prædicatur: hoc enim est nomen gloriæ. Dicit enim *Tullius in suis primis rhetoricis*, quod gloria est ore multorum prædicata laudatio, vel late patens præconium. *August. super ad Rom.* in fine: Gloria est clara cum laude notitia. *Isa.* 63. Sic adduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. *Brachium.* *Dei excellsum, quid.* *Gloria diffinitio.*

Peccauimus, impie egimus, iniquè fecimus. Peccatum est quilibet deformis actus. Vnde *August.* Peccatum est actus incidens ex defectu boni. Impietas autem est peccatum contra Dominum. Quia dicit *August.* quod pietas est theosebia vel eusebia, hoc est, Dei bonus cultus. Iniquitas autem peccatum contra proximum, est enim priuatio æquitatis quam nos ad proximum habere debemus, vt omnia æquè illi faciamus, quæ nobis fieri volumus. *Dan.* 9. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus. *Dan.* 3. Peccauimus, iniquè egimus recedentes a te, & deliquimus in omnibus, *Domine Deus noster*, cui seruire maxime debebamus. *Peccatum, impietas & iniquitas quomodo differunt.*

Deut. 6.

Deuter.6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. *In omnibus iustitiis tuis*, hoc est, contra omnes iustitias tuas, quia & contra maiestatem, & contra benefactorem, & contra patrem peccauimus. *Dan. 9.* Iniquitatem fecimus Domine in omnem iustitiam tuam.

13. *Auertatur ira tua à nobis*, hoc est, effectus iræ, seu plagæ tuæ. *Psal. 84.* Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Et allegat miseriam subdens. *Quia derelicti sumus pauci*, multitudine tantâ in nihilum redactâ, *inter gentes vbi dispersisti nos*, quæ etiam dispersos & pauculos persequitur, & occidere quærunt. *Deuter.28.* Sicut antè lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens. *Isa.24.* Relicta est in vrbe solitudo, & calamitas opprimet portas. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. Quomodo si paucæ oliuæ quæ remanserunt, excutiantur ex oleâ, & racemi cum fuerit finita vindemia. *Isa. 16.* Relinquetur in eo sicut racemus paruus & modicus, nequaquam multus.

14. *Exaudi Domine preces nostras*, de amouendis malis, *& orationes nostras*, de impetrandis bonis. *Psal. 54.* Exaudi Deus orationem meam cum deprecor. Et subdit de malo amouendo. *Et educ nos propter te*, de malo scilicet captiuitatis propter te: quia in nobis non est causa quare hoc facias. *Ezech. 36.* Non propter vos ego faciam domus Israël, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum. *Psal.113.* Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Dan.9.* Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi. Bonum enim semper debet benefacere. Et subiungit de impetrandis bonis. *Et da nobis inuenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt*, vt scilicet miteſcant in nos. *Exod.3.* Dabo gratiam populo huic coram Ægyptiis. Exemplum huius in *Tob.* de quo dicitur. *Tob.1.* Quod dedit illi Dominus gratiam in conspectu Salmanazar Regis. *Eccles. 44.* Conseruauit illi homines misericordiæ inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.

15. *Vt sciat omnis terra, quia tu es Dominus Deus noster.* Ex hoc enim quod liberas tuos, nomen tuum prædicabitur. *Eccles. 36.* Congrega omnes tribus Iacob, & cognoscant, quia non est Deus nisi tu, vt enarrent mirabilia tua. *Et quia nomen tuum inuocatum est super Israël*, cuius inuocatio numquam deſuit in auxilio. *Ierem.14.* Tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos. *Eccles. 36.* Miserere plebi tuæ, super quâ inuocatum est nomen tuum. *Et super genus ipsum*, magis spirituale quam corporale. *Rom 9.* Non qui filij carnis, sed qui filij promissionis sunt, æstimantur in semine. *Eccles.44.* In testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos.

16. *Respice Domine*, vultu scilicet ad nos reducto, quem à nobis auertisti. *Sap.4.* Respectus eius super electos illius. *De domo sancta tua in nobis*. Domus sancta Dei, cœlestium habitatio, ad quam semper benignum conuertit vultum: & horum petit intercessionem, vt etiam in nos afflictos respiciat. *Isa.vlt.* Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? *Isa. 57.* In excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. *Isa.63.* Attende de cœlo, & vide de habitaculo sancto tuo, & gloriæ tuæ solio. *Et inclina aurem tuam, & exaudi nos*, quam scilicet propter peccatum à nobis remouisti. *Psal.16.* Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.

17. *Aperi oculos tuos & vide*, quos clausisti propter peccata nostra. *Exod.3.* Vidi afflictionem populi mei. *Dan.9.* Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram. Deinde allegat populi emendabilitatem, eò quod obstinationem mortis non incurrerit. Et hoc est. *Quia non mortui qui sunt in inferno*, damnati desperabiliter, supple, *quorum spiritus acceptus est à visceribus suis*, & æternaliter, supple, condemnati; *dabunt honorem & iustificationem Domino. Psal.113.* Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. *Isa.38.* Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. Quinimo tales blasphemant. *Apoc.16.* Æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam. *Qui mortui non possunt laudare Deum.*

18. *Sed anima*, viuens scilicet & pœnitentiæ susceptibilis, *quæ tristis est super magnitudinem mali. 2. Corinth.7.* Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. *Et incedit curua*, curuitate humiliationis. *2.Paral.vlt.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi. *Et infirma*, resolutione scilicet virtutis propter pœnitentiæ labores. *Psal.30.* Infirmata est in paupertate virtus mea. *Et oculi deficientes*, per respectum ad cœlum & propter lachrymas. *Isa. 38.* Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. *Et anima esuriens*, te scilicet, & cibum gratiæ cœlestis. *Matth.5.* Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. *Dabit tibi gloriam*, de iustificatione receptâ. *Luc.1.* Gloria in altissimis Deo. *Et iustitiam Domino*, pro vindictâ peccati. *Isa. 38.* Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. Deinde allegat humilitatem orantis, quia non ex meritis postulat, sed ex indulgentiâ miserantis. Et hoc est. *Ieremiæ Manasse.*

19. *Quia non secundum iustitias patrum nostrorum*, quæ multæ sunt, *nos fundimus preces. Thren. vlt.* Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus. *Et Petimus misericordiam ante conspectum tuum Domine Deus noster.* Quia illi tuam iram meruerunt. *Tob. 3.* Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. *Dan.9.* Neque enim in iustificationibus nostris proferimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Ad *Tit. 3.* Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Et allegat veritatem quâ moniti fuerant cum peccarent. Et hoc est.

20. *Sed secundum misericordiam tuam*, primò scilicet affligendo fame & peste, *& furorem tuum super nos*, postè scilicet in captiuitate & gladio. *Psal.6.* Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me. *Sicut locutus es*, comminando scilicet, *in manibus puerorum tuorum & Prophetarum. Osee 12.* Ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum. *Dicens*, maximè *Ierem.37.*

21. *Sic dixit Dominus*, cuius omne dictum ad effectum perducitur. *Psal. 148.* Dixit, & facta sunt. *Inclinate humerum vestrum*, ad onera portanda scilicet, *& ceruicem vestram*, ad obediendum scilicet, *& opera facite Regi Babylonis*, ad seruiendum scilicet, *& sedebitis in terra quam dedi patribus vestris. Isa. 30.* Si reuertamini & quiescatis, salui eritis: in silentio & in spe erit fortitudo vestra. Hic enim loquitur de his qui seruierunt Regi Babylonis. *Regibus obtemperandum.*

22. *Quod si non feceritis*, scilicet subdentes vos Regi Babylonis, *nec audieritis vocem Domini Dei vestri*, dicentis. *Ierem.27.* Gens & regnum quod non seruierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quicumque non curuauerit collum suum sub iugo Regis Babylonis, in gladio & in fame, & in peste visitabo super gentem illam. Et hoc est quod sequitur. *Operari Regi Babylonis*, sicut præcepit. *Ierem.42.* Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos. *Desolationem vestram faciam de ciuitatibus Iuda*, vt scilicet habitatores deficiant, *& à foris Ierusalem*, in villis & in vicis, vt scilicet non sit habitator. *Ierem. 9.* Dabo Ierusalem in acceruos arenæ, & cubilia draconum, & ciuitates Iuda dabo in desolationem, eò quod non sit habitator.

23. *Et auferam à vobis vocem iucunditatis*, in nubilis scilicet & canticis. *Ierem. 9.* Ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo ei aquam fellis. *Et vocem gaudij.* Quia mutabo eos in tristitiam cordis. *Prouerb.14.* Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Et vocem sponsi, & vocem sponsæ. 1. Machab.1.* Omnis maritus sumpsit lamentum, & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant. *Et erit omnis terra sine vestigio. Isa.2.* Desolabitur sicut in vastitate hostili. Ab inhabitantibus, supple, deficientibus. *Isa.7.* Erit in pascuam bouis, & in conculcationem pecoris. *Thren. 1.* Viæ Sion lugent, eò quod non sint qui veniant ad solemnitatem.

24. *Et non audierunt vocem tuam*, contradicentes verba mea, dicit Dominus, quæ misi ad eos per seruos meos Prophetas. *Et ideò*, supple, *stauisti verba tua*, hoc est, opere confirmasti. Quæ locutus es in manibus seruorum tuorum Prophetarum. *Cassiodorus*: Propheta est diuina aspiratio, rerum euentus immobili veritate pronuntians. *Deuteron. 18.* Prophetam suscitabo eis de medio fratrum. Qui autem verba Prophetæ, qui loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Et hoc est quod sequitur. *Vt transferremur ossa regum nostrorum.* Vt non dicit causam finalem, sed terminum peccati. Ad hanc enim pœnam terminatum est peccatum inobedientiæ, quod ossa regum de tumulis eiecta sunt. *Ierem.22.* Sepultura asini sepelientur, putrefactus & proiectus extrà portas Ierusalem. *Et ossa patrum nostrorum de loco suo*, principum scilicet & sacerdotum de loco suo, hoc est, de sepulchris suis. Quod duabus de causis asserunt esse factum: vel quia ambitiosè sepulti sunt, & thesaurus in sepulchris quærebatur: vel locus sepulturæ à Gentibus ad alios vsus deputabatur. *Isa.14.* Tu proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus. *In prol. super Psal. cap. 1.* *Vt non sibi dicit causâ finalem.*

25. *Et ecce sunt proiecta in calore solis*, vt scilicet torrore solis exiccentur ad scissionem, *& in gelu noctis*, vt gelu inducente humidum putrefaciens, per putrefactionem ossa incinerentur: & sic memoria patrum pereat, cuius recordatio aliqua fuit in conseruatione ossium. Vnde *Gen. vlt.* Ioseph moriens dixit: Asportate ossa mea vobiscum. *Eccl.42. 12.* Prophetarum ossa pullulant de loco suo. *Et mortui sunt in doloribus pessimis*, quos scilicet Moyses prædixit. *Deut.28.* Percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine, & persequatur te donec pereas. Et hoc est quod sequitur. *In fame, & gladio, & in emissione*, captiuitatis scilicet. *Ezech. 5.* Immittam in vos famem & bestias pessimas vsque ad internecionem: & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. Nec tantum hoc fuit in hominibus, sed etiam in templo. Et est hoc quod sequitur.

26. *Et posuisti templum in quo inuocatum est nomen tuum in ipso*, quod scilicet per idololatriam polluerunt patres nostri, sicut dicitur *Ezech.8.* per totum. *Sicut hec dies*, in qua demonstratur quod succensum est. *Isa.64.* Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, versa est in exustionem ignis. *Propter iniquitates domus Israël*, hoc est, 10. tribuum, *& domus Iuda*, hoc est, 2. tribuum. *2.Mach.5.* Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Dominus elegit. Idcò locus factus est particeps malorum populi. *Et fecisti in nobis.* Confiteretur hîc peccasse contra veritatem legislatoris præmunientis eos, & ostendentis quoniam & ipsa captiuitas misericorditer, vt per eam in sensum veniant, & Dominum recognoscant. Et hoc est quod dicit.

27. *Et fecisti in nobis Domine Deus noster*, secundum omnem benignitatem tuam, benignè corrigens nos per captiuitatem vt patet filios. *Ioel.2.* Benignus & misericors, & præstabilis super malitia. *Rom.1.* An diuitias bonitatis eius & longanimitatis contemnis? *Psal. 50.* Benignè fac in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. *Et secundum omnem misericordiam tuam illam magnam.* Signanter verò magna est temporaliter corripere, ne in æternum damnetur. *2. Machab.6.* Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. *Experimenta correctionis Dei in hac vita.*

28. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi*, vt patet per totum. *In die qua præcepisti ei scribere legem tuam*, hoc est, iterato rescribere, sicut patet *Deut.1.& 31.& 32. Coram filijs Israël. Deut. 31.* Locutus ergo Moyses audiente vniuersa coetu Israël verba carminis huius. Et ad finem vsque compleuit. *Dicens*, Moyses scilicet *Deuteron. 28.* per sensum scilicet & non per verba.

29. *Si non audieritis vocem meam*, pro operis scilicet impletione. *Iacob.1.* Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. *Ambitio hæc magna*, in diuitiis scilicet & supellectile

lectile & potentatu, & multa in frequentiâ populi,& ædificiorum varietate. *Conuertetur in minimam gentem,* interfectis scilicet plurimis. Gens enim minima dicitur esse, quæ pauca in numero est, & pauper liberum regnum non habens, sed data in omnium seruitute. *Deuter.*32. Dixi, Vbinam sunt, & cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Et post pauca : Videbit, quòd infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. *Quoniam dispergam eos. Ezech.*5. Disperges eos in ventum, & gladium nudabis post eos.

30. *Quia scio quod me non audit populus. Deut.*31. Noui quod post mortem meam iniquè agens, & declinabitis citò de viâ, **quam præcepi vobis**, & occurrent vobis **mala in extremo** tempore. *Populus est enim durâ ceruice.* **Quia** scilicet non inclinatur ad obedientiam. *Act.*7. **Durâ ceruice**, & indomabili corde, **vos semper Spiritui** sancto resistitis. Et subiungit de misericordiâ, dicens. *Et conuerte vt ad cor suum in terrâ captiuitatis suæ*, per afflictionem scilicet seruitutis. *Isa.*28. Tantummodò sola vexatio intellectum dabit auditui. *Osee.*6. In tribulatione suâ manè consurgent ad me venite,& reuertamur ad Dominum : quia ipse cepit, & sanabit nos : percutit, & curabit.

Afflictio ad cor reductionem vtilis.

31. *Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum*, per tribulationes scilicet. *Psal.* 95. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. Et tunc, supple, *dabis eis cor*, quod scilicet modo amiserant. *Ezech.*11. Auferam cor lapideum,& dabo cor carneum. Stultum enim cor non est. *Isa.* 46. Redite præuaricatores ad cor. *Et intelligent*, veritatem scilicet. 2. ad *Timot.* 2. Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum. *Psal.*118 Da mihi intellectum vt discam mandata tua. *Et audent*, supple, dabo eis audiendi, *& audient*, obediendo scilicet. *Matth.*13. Qui habet aures audiendi, audiat.

32. *Et laudabunt me in terrâ captiuitatis suæ*, de iusto scilicet iudicio, & misericordi. *Tob.* 13. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum, quoniam ideò dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, vt enarretis mirabilia eius. *Et memores erunt nominis mei*, in liberatione suâ scilicet. *Isa.* 12. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi : conuersus est furor tuus, & consolatus es me.

33. *Et auertent se à dorso suo duro*, quod curuare non poterant sub onere meo, sicut malus seruus curuatur per verba, ne abiiciat onus. *Eccles.* 33. Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illũ in operationem ne vacet. Et post pauca. Quod si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem. *Et à malignitatibus suis.* Malignitates sunt, quæ non ex infirmitate, vel ignorantiâ, sed solâ malitiâ procedunt. *Sap.*5. In malignitate nostrâ consumpti sumus. *Quia reminiscentur viam patrum suorum*, quæ scilicet duxit ad mortem. *Qui peccauerunt in me*, hoc est, contra me. 1. *Esdr.*9. Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum:& delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum à diebus patrum nostrorũ. *Psal.* 105. Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Et tũc consolabor eos. Et hoc est quod sequitur.

Et reuocabo eos in terram quam iurauí patribus eorum. 3. *Reg.*8. Quod si peccauerunt tibi (non est enim hõmo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate suâ, tu propitiaberis populo tuo. *Ezech.*36. Tollam vos de gentibus,& congregabo vos de vniuersis terris,& adducam vos in terram vestram. *Abraham, Isaac & Iacob. Exod.*32. Recordare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum. *Et dominabuntur eius*, scilicet terræ. *Isa.*58. Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. *Et multiplicabo eos*, ex paucis. *Isa.*60. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam. *Et non minorabuntur*, per peccatum, vel per hostis gladium, quod maximè in sanctis in Ecclesiâ impletum est. *Isa.*60. Populus tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram.

34.

Et feriam illis testamentum æternum, quod non nisi de Nouo Testamento intelligi potest. *Ierem.* 31. Feriam domui Israël, & domui Iuda pactum nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum. *Vt sim illis in Deum*; per propitiationem, *& ipsi erunt mihi in populum*, per cultum & seruitutem. *Apoc.*12. Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. *Et non mouebo amplius populum meum.* Quod de Iudæis intelligi potest: quia posteà captiuati sunt. *Filios Israël*, spirituales scilicet, *à terrâ suâ*, & hoc est, à fundamento Ecclesiæ, in quo fundaui eos. *Isa.*60. In æternum hæreditabunt terram. *Eccles.*1. Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. *Psal.*60. Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum Domine.

35. *Promittitur Nouum Testamentum.*

CAPVT III.

1. ET nunc Domine Deus Israël. Tangit hic angustiam, & dolorem orantis, allegans miseriam in quâ est, ibi, *Domine omnipotens.* Subinferens etiam quod emenda non perditio fuit de intentione affligentis, ibi, *Quia propter hoc dedisti timorem tuum.* Dicit ergo : *Et nunc Domine Deus Israël.* Ac si dicat : Tunc quidem obstinati fuimus in culpis, nunc autem ad pœnitentiam conuersi sumus. *Psal.*76. Dixi, Nunc cœpi. *Dan.* 3. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. *Anima in angustiis*, existens, supple, propter malum perpetratum. *Dan.*13. Angustiæ mihi vndique nimis. *Et Spiritus anxius clamat ad te.* Anxius spiritus est, anxietatem indicans anhelitus; sicut gemitus,& singultus, & huiusmodi. *Psal.*6. Laboraui in gemitu meo. 4. *Reg.*4. Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est.

2. *Audi Domine & miserere*, qui semper gementes & dolentes audis. *Eccles.*35. Deprecationem læsi exaudiet, non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. *Quia peccauimus ante te*, solum scilicet : omnia enim vides. 2. *Paralip vlt.* Excitaui iram tuam,& malum coram te feci, statuens abominationes,& multiplicans offensiones. Et hoc est quod sequitur.

Quia

3. *[illegible] Domine, audi, inquam, [illegible], & [illegible] reddendum [illegible] Psal.* 79. Qui [illegible] Cherubim, hoc est, plenitudinem [illegible] *Deus*, Benedictus es qui inuenis abyssos, & sedes super Cherubim, hoc est, qui inuenis tenebrosa & profunda cordium. *Et nos peribimus in eis*? hoc est, in æternum morte [illegible] scilicet. *Iacob.* 19. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. *Ezech.*18. Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.

Dominus omnipotens Deus Israël. Potens enim es ad liberandum, sicut potens fuisti ad percutiendum : non enim ita tibi dominatur, nec aliquis passio. Ille enim solus omnipotens, cui nulla penitus passio dominatur, & cui nulla obuiare potest potentia. *Esther.*13. Domine Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati. Deus autem Israël es, omnem de semine Israël sciscipiens. *Audi nunc orationem mortuorum Israël*, hoc est, mortui addictorum, *& filiorum ipsius*, quos scilicet in captiuitate genuerunt. *Psal.*78. Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum. *Quia peccauerunt ante te*, & non, supple, ante illos: & ideo illi non habent causam in eos, sed tu. *Isa.*52. Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Tuum est ego misereri, & non illorum. *Psal.* 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Ierem.* 14. Tibi peccauimus, expectatio Israël, saluator noster in tempore tribulationis. *Et non audierunt vocem Domini Dei sui*, præmonentem per legislatorem, & monentem per Prophetas. *Prouerb.*1. Vocaui, & renuistis : extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret : & omnes increpationes meas neglexistis. Et ideo, supple, *conglutinata sunt nobis mala*, pœnæ scilicet. Conglutinatum autem est, quod quasi glutino vel visco adhærens tenet quasi inseparabiliter. *Deuteron.*28. Conuertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuisti, & adhærebunt tibi. Pœnæ enim quasi gluten est culpæ : vnde *Gen.* 14. dicitur, quòd terra Sodomorum multos habebat glutinosos bituminis : quod significat gluttiam culpæ & concupiscentiæ, per quod conglutinatur pœna cum peccatoribus.

Deus solus vt ens & gloriosus.

Peccatis est ortus Deus videns omnia.

5. *Noli meminisse iniquitatis patrum nostrorum*, quas imitati sumus, quia nec per pœnitentiam recedimus ab eis. *Iudith.* 5. Non sumus seruiuiniquitates patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum. *Tob.* 3. Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. *Psal.* 70. Ne meminieris iniquitatum nostrarum antiquarum. *Sed mentiantur nomen tuum*, hoc est, operum magnorum quæ sæpè fecisti in nobis, & ex consueta benuolentia rerum miserere. *Psal.*76. Memor operum Domini. *Eccl. vlt.* Memoratus sum misericordiæ tuæ, & cooperationis tuæ quæ à sæculo sunt. *Et memini tui in tempore illo*, tribulationis scilicet. Hoc autem nomen est Dominus, vt alium Dominum non habeas super nos. *Psal.*78. Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus, vt possideas nos, & domineris nobis. Et hoc est : *In tempore illo.* Quoniam alieni Domini vendicant sibi. *Isa.* 26. Possiderunt nos Domini absque te, tamen in te recordemur nominis tui. *Isa.*52. Dominatores eorum iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur.

*Quia tu es Dominus Deus noster. Psal.*8. Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum, in vniuersa terra. 1. ad *Cor.* 8. Sunt dij multi, & Domini multi, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. *Et laudabimus te Domine*, de redemptione nostra scilicet. 2. *Paralip. vlt.* Laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis militia cœlorum. *Eccles. vlt.* Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione.

6.

7. *Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris*, per pœnas scilicet captiuitatis, quibus te timeri fecisti. *Psal.* 41. Immitte timorem tuum in gentibus quæ te non nouerunt. *Eccles.* 36. Immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te. *Vt inuocemus nomen tuum*, in pœnis scilicet. *Psal.*129. De profundis clamaui ad te Domine. *Eccl. vlt.* Inuocaui Dominum & patrem Domini mei, vt non derelinquat me in tempore tribulationis meæ. Et laudemus te in captiuitate nostra. Quia videmus, quod captiuitas reduxit nos ad te. *Isa.*26. In angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et hoc est quod sequitur. *Quia conuertimur ab iniquitate patrum nostrorum*, per afflictionem scilicet captiuitatis. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam macerie; & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet, & dicet : Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. *Qui peccauerunt ante te*, patres nostri scilicet, quorum fuimus imitatores. *Ierem.*7. Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant faccolas reginæ cœli. Et ideò sequitur.

Afflictio auertit à peccatis.

8. *Et*, ideò, supple, *sumus hodie in captiuitate nostra*, quam nostris peccatis nostram fecimus. *Isa.*30. Ambulare in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. *Quia dispersisti nos*, inter gentes scilicet pro peccatis nostris. *Psal.*41. In gentibus dispersisti nos. *In improperium*, vt omnes scilicet improperent nobis. *Psal.*43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris. *Et in maledictum*, vt omnes scilicet maledicant nobis. [illegible] 29. Iratus est furor Domini contra [illegible] ilium, vt induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt. *Et in [illegible]*, hoc est, vt in terra idolorum peccato idolatriæ deuiamus. *Ierem.*16. Eiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, & patres vestri, & seruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. *Secundum omnes iniquitates patrum nostrorum*, qui scilicet tot & tanta mala meruerunt. *Iocl.* 3. Citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. *Quia*, scilicet patres *discesserunt à te Domine Deus noster. Ierem.* 2. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis,

quod elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem & vani facti sunt. Huc vsque descripta est historia de pœnitentiâ, & oratione eorum qui præsentem librum Baruch audierunt, & deinceps describetur libri instructio.

9. *Audi Israel, mandata vitæ.* In hac autem parte tria dicuntur, scilicet cognitionis diuinæ super omne humanum ingenium sublimitas, reuertentium ad ipsam vtilitas, ibi, *Conuertere Iacob, & apprehende eam.* Et promissionum eius claritas & iucunditas, ibi, *Circumspicite Ierusalem ad Orientem.* In prima quatuor sunt, scilicet difficultas, subtilitas, ibi, *Quis inuenit locum eius.* Sublimitas, ibi, *Sed qui scit vniuersa, nouit eam.* Et continentiæ eius vtilitas, ibi, *Hic liber mandatorum Dei.* In primâ tria sunt per quæ ostenditur difficultas, scilicet attentionis excitatio, experimenti probatio, ibi, *Quid est Israël?* Eorum quæ sciri debent subtilis indagatio, ibi, *Disce vbi sit prudentia.* Dicit ergo: *Audi Israël.* Non enim audire potest nisi Israël, rectissimus virtute, & vir videns Dominum contemplatione. Talis enim solus potest audita probare. *Iob.* 34. *Auris verba probat, & guttur escas gustu diiudicat.* Probat quidem qui probatam habet virtutem, & diiudicat qui iudicij habet scientiam. Hoc enim esse non potest nisi per virtutem & scientiam. *Iob.* 34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me. *Mandata vitæ.* Mandata & præceptum in subiecto idem sunt, sed differunt in ratione: præceptum enim est, secundum quòd est præceptum vt regula operis, mandatum autem secundum quod est indicium intentionis primi mandantis, seu nuntiantis, & secundum hoc directè est mandatum vitæ effectiuè, quia à primâ vitâ procedit: omnia enim quæ ad hoc procedunt, à vitâ procedunt, & à vitæ fonte, & vitam faciunt, & ad vitam conducunt. *Ioan.* 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: lux enim primum est vitæ principium in corporalibus. *Auribus percipe vt scias prudentiam.* Auribus percipit, hoc est, præcapit, qui ad intentiua verba accipit, & intentionem verborum perfectè diiudicat. *Matth.* 13. Qui habet aures audiendi, audiat. *Apoc.* 2. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. *Iob.* 34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me. *Prouerb.* 8. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum. Et subiungit de experimento primo in contrario, vt concludat oppositum de opposito: & hoc est.

Mandatum & præceptũ differunt.

10. *Quid est Israël?* hoc est, experiaris in te ô Israël, quæ causa sit quod in terrâ inimicorum es captiuus detentus, infrà terminos alienos inimicorum naturæ & rationis, & virtutis & veritatis: omnia enim enim hæc exterminat inimicus. Hoc significatum est. 4. *Reg.* 5. De Syria egressi fuerant latrunculi & captiuam duxerant de terrâ Israël puellam paruulam. Latrunculi Syriæ, quæ sublimis interpretatur, motus sunt superbiæ, in quâ sicut dicitur. *Tob.* 4. Initium sumpsit omnis perditio. Puella paruula anima parua & virtute & intelligentiâ veritatis. Captiua autem per intentionem & consensum peccati. Terra inimicorum termini potestatis dæmonum. *Iob.* 9. Terra data est in manus impij.

Inueterasti in terrâ alienâ per [illegible] delectationem, & peccati antiquauisti. *Ioan.* 13. *Vtinam auferas peccata tua.* *Isa.* xlv. Peccator centum annorum maledictus erit. *Psal.* 129. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. *Conquiescere et cum mortuis.* Quod fit per consuetudinem, quoniam iam ad peccatum, nullum sentit dissensum, quasi tabe peccati mortuus est, & resolutus. *Iob.* 27. Putredini dixi, Pater meus es, & sorori mea. Propter hoc dicitur. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. *Deputatus et cum descendentibus in infernum.* Descendunt in infernum, qui continuè grauosine peccati descendunt, quod fit per impœnitentiam & obduationem, & desperationem. *Psal.* 87. Deputatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Vt scilicet adiutorio postposito liberè possit in me mors dominari. *Thren.* 3. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Nec quærit vt discat, sed vt ad experimentum propriæ conscientiæ reducat: & ideò subdit.

11. *Inueterasti in terrâ alienâ.*

Derelinquisti fontem sapientiæ. Fons sapientiæ est verbum in Patre: tunc fundit, quando se in animas influendo transfundit. *Eccles.* 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Excelsis enim Dei donis etiam lucidius fulget verbum in Patre existens, quod influens in animam, nuntiat & mandat & notificat ea quæ sunt in Patre. *Sapient.* 7. Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit. Derelictio illius causa omnium malorum est. *Ierem.* 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas quæ continere non valent aquas. Et de proposito concludit.

12. *Verbum in Patre, fons sapientiæ.*

Nam si in via Dei ambulasses, hoc est, profecisses in viâ quâ Deus venit ad te, & quâ tu venis ad eum, Deus ad te per influentiam virtutis & veritatis, tu ad ipsum per amorem virtutis & lumen contemplationis. *Psal.* 24. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. 1. *Ioan.* 1. Lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus: si autem ambulamus in luce sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem. Quia ipse venit ad nos, & nos ad ipsum, supple, & 1. *Ioan.* 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. *Habitasses vtique in pace super terram,* hoc est, super gratiæ & veritatis stabilitatem. *Isa.* 48. Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, interior scilicet & exterior: fluctuanti enim cordi nulla est pax, pax enim quies, & tranquillitas cordis est, vt dicit *Augustin. Philip. vlt.* Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Ergo, supple, in seipso.

13.

Disce vbi sit prudentia, quæ est agendorum ratio, vt dicit *Philosophus, vbi sit virtus,* quæ (sicut dicit *Socrates*) habitus est inclinans in optima. Hanc enim non inuenis nisi in Deo. *Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam

14. *Virtus non inuenitur nisi in Deo.*

& virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. *Vbi sit intellectus,* qui (sicut dicit *Philosophus*) omnis veritatis principium est. *Isa.* 11. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus. *Gregor.* intellectum dat, dum de auditis mentem illuminat. De auditis, inquam, à Deo. *Vt sciat simul,* quasi ex syllogismo concludens, *vbi sit longitudo vitæ.* Hæc enim non est nisi in radice purissimi intellectus, sicut etiam Philosophi posuerunt intellectum adeptum radicem esse immortalitatis. *Eccles.* 4. Sapientia filios suos vitam inspirat, & suscipit inquirentes se. *Ptolemæus Philosophus:* Non fuit mortuus, qui scientiam vinificauit: nec fuit pauper, qui intellectui dominatus est. *Et vitam,* qui vitam continuè sustentat: quia non potest esse nisi continuus influxus sapientiæ, & intellectus, & virtutis. *Sapient.* 8. Non habet tædium conuictus sapientiæ, sed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me, quoniam immortalis est in cogitatione sapientia, & in amicitia illius delectatio bona. *Vbi sit lumen oculorum,* hoc est, oculos illuminans: hoc enim etiam secundum philosophiam non est nisi primus fons luminis per se, quod dulcissimum lumen est, omnia illuminans quæ illuminantur. 1. *Reg.* 14. Gustaui paululum de melle isto, & illuminati sunt oculi mei. *Ioan.* 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Et pax.* Pax est in eo, quo habito nihil amplius requiritur, hoc est, in Deo. *August.* in lib. 1. confess. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec ad te perueniat. *Ioan.* 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. *Psal.* 75. In pace factus est locus eius. Locus enim est, ad quem omne quod est, mouetur, & quiescit quando est in ipso, sicut per se locus est, & non locus vt vas sicut nauis nautæ.

Intellectus adeptus Philosophis est radix immortalitatis.

Cap. 1.

15. *Quis inuenit locum eius?* Tangitur hic huius cogitationis subtilitas: eò quod ab humano ingenio inuenirj non potest. Et hoc ostendit triplicitèr, in communi: in speciali, ibi, *Vbi sunt principes?* & ipsius cognitionis altitudinem, ibi, *O Israël quam magna est domus Dei?* Et ex his tribus concludit, quod solus Dominus inuentor eius est; ibi, *Sed qui scit vniuersa, nouit eam.* Dicit ergo: *Quis inuenit locum eius?* Quantum ad humanum quis notat impossibilitatem: quia præsumptione humani ingenij inueniri non potest. *Psal.* 83. Defecerunt scrutantes scrutinio. *Ioan.* 1. Deum nemo vidit vnquam. Hoc significatum est. *Exod.* 8. vbi magi defecerunt in tertio signo, clamantes: Digitus Dei est hic. Nisi enim digitus Dei scribat in corde hominis, cognitionem diuinam habere non potest. Secundum autem reuelationem acceptam, quis notat dignitatem: & est sensus, quantæ dignitatis est, qui locum tantæ sapientiæ inuenit. 2. *Corinth.* 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Quod autem non ab homine, sed à Deo sit, paulò ante dicit: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Locus autem est, sicut iam diximus, ad quem res mouetur, & sic locus diuinæ sapientiæ Deus est. Ab illo enim procedit, & ad illum reflectitur, vt dicit *Dionysius*, & conuertit ad ipsum omnes in quos procedit. *Iob* 28. Auro locus est in quo conflatur. Et ibidem admirans altitudinem loci istius, dicit: Sapientia verò vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius. *Et quis intrauit in thesaurum eius?* Sapientiæ diuinæ thesauri dona ipsius sunt innumerabilia, & inæstimabilia in virtutibus intellectus & operationis. *Sap.* 7. Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Et post pauca: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Sapientia enim lumen est, & candor lucis æternæ, cuius transitio in animas sanctas, ad intellectum & affectum plurimas facit reflexiones. Propter quod *Sapient.* 7. Spiritus sapientiæ dicitur vnicus, & multiplex, & in illa multiplicitate multos constituit thesauros bonorum & honorabilium. Intrate autem in thesauros istos, est intima horum omnium bonorum penetrare per rationem & experimentum. Propter quod dicitur *Matth.* 12. quòd bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Et *Matth.* 13. Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrisfamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Et quod studiis humanis superponatur, & excedat ea, ostendit per partes studiorum, scilicet altitudinis, vanitatis, cupiditatis, vanitatis simul & cupiditatis, profectus mundani, & indagationis prophetiæ, & hoc per ordinem ponit in litera. Et hoc est quod dicit.

Quis sit thesaurus sapientiæ diuinæ.

16. *Vbi sunt Principes gentium?* qui ad alta student, ac si dicat: In loco sapientiæ non sunt, & ideò fluctuant sicut res extra locum suum existens: quantumcumque enim grauis sit lapis suspensus extra locum suum, facilè mouetur. 1. ad *Corinth.* 2. Loquimur sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius sæculi cognouit. *Isa.* 19. Sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Studere enim altitudini non stanti, ruinæ studere est. *Ezech.* 28. Eieci te de monte sancto Dei, & perdidi te, ô Cherub, de medio lapidum ignitorum. Si ergo Angelus altitudini studens, sic proiectus est qui natura cœlestis est, quomodò stabit in altitudine gleba terrestris? *August.* in lib. de conflictu vitiorum & virtutum. Pensandum est quantis tenebris inuoluenda sit gleba propter superbiam, si globos suæ lucis amittere potuit, & in tantam temeritatem mutari Lucifer qui mane oriebatur. *Et qui dominantur super bestias quæ sunt super terram.* Per naturam enim, vt dicit *Gregor.* homo solus præpositus est bestiis: ambitiosi autem hominibus quasi bestiis vti quærunt, & præesse eis quibus per naturam æquales sunt, vel fortè aliquando inferiores, & ideò merito cadunt. *Isa.* 14. Super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo. Et sequitur statim: Verumtamen ad infernum detraheris. Sunt etiam principes Philosophi, bestiæ autem idiotæ, quorum studia etiam pereunt. *Rom.* 1. Cum Deum cognouissent, non sicut Dominum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum

Principes gentium Philosophi.

Cap. 2.

est insipiens cor eorum. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et idcò non possunt demonstrare vbi sunt per sapientiam suam. Et subiungit de studio vanitatis, dicens.

17. *Qui in auibus cœli ludunt.* Auis componitur ab a, quod est sine, & via, quia viam certam non tenet. In auibus ergo ludunt, qui vanitatis ludos sequuntur, qui viam certam non tenent. *Ierem.2.* Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. *Eccles.34.* Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Qui enim apprehendere nititur vmbram, conuertit se ad vmbram: & quò magis nititur apprehendere vmbram, eò magis vmbra præcedit: & qui magis persequitur ventum, eò magis effugit ventus. Et sic est de vanis spectaculis mundi: & ideò talibus studentes non possunt demonstrare vbi sunt. Et subdit de studio cupiditatis, dicens.

Qui dicuntur ludere in auibus.

18. *Qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines. Tob.5.* Qui possident aurum, & replent domos suas argento. Dicitur autem aurum & argentum omne quod ad valorem auri vel argenti æstimatur. Confidunt autem in hoc homines, sicut in hoc quod sufficientiam promittit, quam tamen non exhibet. *Iacob.5.* Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. *Et non est finis acquisitionis eorum.* Auaritia enim non ponit finem. *Eccles.5.* Auarus non implebitur pecuniâ. *Proverb.30.* Ignis numquam dicit, sufficit. Isti etiam demonstrare non possunt vbi remanent studia eorum. *Luc.12.* Quæ parasti, cuius erunt? Deinde subiungit simul de studio cupiditatis & vanitatis. *Qui argentum fabricant*, ad speciem scilicet. Anaglyphi, id est, vasis, & alio decore, annulorum scilicet, & monilium, & coronarum: & hoc est quod sequitur. *Et soliciti sunt*, vt scilicet docta manus aurifici omnem effingat speciem deforis: & hoc est quod sequitur. *Nec est inuentio operum illorum.* Tam subtilia enim sunt, quòd vix inueniri possunt. *Eccles.2.* Coaceraui mihi argentum & aurum, & substantias Regum & prouinciarum, feci mihi cantatores & cantatrices, & delicias filiorum hominũ, scyphos & vrceolos ad vinũ fundendũ. Et post pauca: Cumque me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustrà sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animæ. Et hoc est quod sequitur.

Auaritia aurum & argentum pro omnibus quæ ad valorem auri vel argenti æstimantur.

Auari infelicitas.

19. *Exterminati sunt*, hoc est, extra terminos studiorum suorum positi. *Iob.27.* Diues cum dormierit, nihil secum afferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. *Psal.75.* Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Et ad inferos descenderunt. Exod.15.* Descenderunt in profundum quasi lapis. *Luc.16.* Mortuus est diues, & sepultus in inferno. *Et alij in locum eorum surrexerunt.* Alios vocat non natos ex ipsis, qui diuitias eorum frequenter possident. *Eccles.5.* Est alia infirmitas pessima quam vidi sub sole, Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Perdunt enim in afflictione pessima generauit filium qui in summâ egestate erit. Deinde subdit de profectu earum dicens.

Inuenit enim lumen, in claritate sensibilium scilicet, & ex illo lumine non didicerunt apprehendere cœlum: & hoc est quod sequitur. *Et habitauerunt super terram*, hoc est, in terra quæ dicuntur habitationem. *Psal.16.* Oculos suos statuerunt declinare in terram. Auersi enim à lumine cœlesti in tenebris terræ remanserunt. *Iob.24.* Ipsi fuerunt rebelles lumini, ignorauerunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius. Et hoc est quod sequitur. *Viam autem disciplinæ ignorauerunt.* Disciplina enim est, qui dicitur sapientia: via autem disciplinæ, quod à principio sapientiæ non inierunt; & hanc viam ignorauerunt, quoniam lumen apprehensum non secuti sunt. *Ioan.3.* Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim ipsorum mala opera.

20.

Neque intellexerunt semitas eius, scilicet lucis & disciplinæ, hoc est, intelligere noluerunt. *Psal.35.* Noluerunt intelligere vt bene agerent. *Proverb.6.* Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Et qui has vias non tenuerunt, ad mortem deducti sunt. *Neque filij eorum susceperunt eam:* Filij enim tenebrarum tenebrosis patris consecuti sunt. *Thren.3.* Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem. Et hoc est quod sequitur. *A facie eorum longe fuit*, id est, claritas scilicet sapientiæ. *Iob.3.* In tenebris sedeo, & lumen cœli non video. Et subiungit de studiis philosophiæ, dicens.

21.

Non est audita in terra Chanaan. Chanaan dicitur tota terra circa Ægyptum, & Ægyptus, vbi liberales scientiæ, vt dicit *Arist.* primitus exiterunt, & quamuis multa inuenerint, tamen fidei sapientiam & pietatem inuenire non potuerunt. *1. Corinth.1.* Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et hoc ostendit per partes subdens: *Neque visa in Theman.* Theman auster interpretatur, & est terra Esau, in quâ magnæ exquisitiones fuerunt mathematicarum scientiarum, & tamen hanc pietatis cognitionem non inuenerunt. *Abd.* Perdam sapientes de Idumæa, & prudentes de monte Esau.

22.

In prooemio Metaphy.

Ægyptij liberalium scientiarum inuentores.

Filij quoque Agar, qui ex Abraha stirpe descendentes per ancillam, *qui exquirunt prudentiam quæ de terra est*, hoc est, de terrenis lucris, vel physicam, vel historiam terrenorum. Quod vberius explanat, dicens: *Negotiatores terræ*, hoc est, terrenorum lucratores. *Iacob.3.* Non est ista sapientia deorsum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Et Iduman*, hoc est, Idumæi, qui eam exquirunt studia terrena, *& fabulatores exquisitores prudentiæ & intelligentiæ.* Quia per fabulas in poeticis, exquisitiones alias in logicis & philosophicis quæ fierunt prudentiæ mundi, & intelligentias disciplinales. Dicit enim *Arist.* quod fabula componitur ex miris. Admiratio autem inquisitionem facit, inquirere autem philosophiam est, vt dicit *Arist.* de & nunc philosophari incepimus est, a admiratio est nunc philosophari incepimus est, a admiratio est nunc

23.

Vide 1. Metaphy. cap. 1. & 2. cap. 6.

A veritate studiosi recedunt, vel fabulis eorum conuertuntur. *Vanæ autem sapientiæ seducunt.* Hæc enim in fabulis non consistit. 2. *Pet.1.* Non indoctis fabulis secuti, notam fecimus vobis Domini nostri IESV CHRISTI virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. *Non autem sunt sapientia eius*, quæ solitos ducunt ad ipsum. *Eccl.32.* Recesserunt ab eo vt ab quibus [illegible] *Psal.24.* Nolebant intelligere, vt benedicerent. *Iob.21.* Dixerunt enim Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

24. *O Israel quam magna domus Dei.* Admirationem hic magis cognoscere [illegible] magnitudinem [illegible] considerantes [illegible] hominis non est capacitas [illegible] tatem diuinæ [illegible] Dicit ergo: *O Israel*, qui rectissime es, [illegible] dens Dominus, *quam magna est domus Dei.* Domus Dei dicuntur [illegible] quibus se demonstrat Deus vel per [illegible] vel per effectum gratiæ, vel per imaginem, vel per vestigium: in omnibus enim talibus decor diuinæ contemplationis demonstratur. *Psal.25.* Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. *1. Paralip.22.* Domus quam ædificare volo, talis esse debet vt in cunctis regionibus nominetur. *Et magna locus possessionis eius.* Possessio, vt dicit *Hermes Trismegistus*, est in quo post sedet id quod superius est: superius enim in ordine creaturæ semper sedet in inferiori, & manifestatur in eo: & secundum hoc Deus sedet in omnibus, in omnibus enim resultat. *Daniel.3.* Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula. *Proverb.8.* Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. In omnibus enim ita in inferioribus sedet aliquo dictorum modorum, & in omnibus his notitia diuina acqui potest. *Genes.14.* Leuo manum meam ad Dominum Deum possessorem cœli & terræ. Sic enim dicitur possessio quasi pedum positio, eò quod vestigium Dei repræsentat.

Domus Dei quæ sint.

25. *Magnus*, virtute scilicet, & ambitu capacitatis. *Psal.110.* Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. *Et non habent finem*: non enim deficiunt ea in quibus Deus manifestat suas diuitias. *Psal.101.* Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. *Isai.57.* In excelsis habitat. *Et sublimis*: quia nec loco, nec tempore, nec intellectu mensurari potest. 1. ad *Timoth.6.* Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. *Eccles.1.* Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Dominum enim dicit in cœlo quod excellens est, & secundum terræ in omnibus generatis, in quibus se manifestat Deus, profundum abyssi in mente [illegible], in quibus deos inferna, & profundum [illegible] perpendimus. Quis potest [illegible]? Quasi dicat: Nullus. Et hoc est quod sequitur.

26. *Ibi fuerunt gigantes*, terreni scilicet. Philosophi, de terrenis terrenos mores habentes, *nominati illi*, hoc est, aliquantulum nominati de altitudine scientiæ, vt Socrates, Plato, Aristoteles, & alij quidem, *qui de initio fuerunt magni*

Gigantes terreni Philosophi.

27. *Et hos non elegit Dominus.* Filius enim [illegible] *de Dominus.* Et hoc est, [illegible] *Proverb.* [illegible] Addunt conclusiones in [illegible] *Iob.* [illegible] Apprehendit [illegible] in astutia eorum, & consilium [illegible] dissipat.

28. *Et nec viam habuerunt sapientiæ*, religione scilicet fidei munitam: *mortuus propter suam infatuitatem*: & ideò vocatur populus imprudens, quamuis alia verba diuinæ humanæ sapientiæ. *Isai.33.* Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia. Et hoc probat per sequentia, dicens.

29. *Qui ascendit in cœlum?* Trinitatis scilicet, propter ingenij perspicacitatem. *Sapient.9.* Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? & quis, supple, *dedicit eum de mentem?* Nubes hic dicitur obscuritas diuinæ [illegible] *Psal.103.* Ponis nubem ascensum meum, qui ambulas super pennas ventorum. Propter hoc dicitur *Exod.34.* quod Dominus in caligine habitauit in monte, ad quem Moyses ingressus est.

30. *Qui transfretauit mare?* Oceanum scilicet, qui altera parte ad terram terminatur, quis sapientia Dei penetrat, vbi certitudo Dei sunt sapientiam Dei manifestantes: *& mutauit eam*, hoc est, inuenire potuit eam per indagationem. Quasi dicat: Nullus: sicut enim docet Philosophia in conclusione *Iuris, Prudentiæ & cæteri astronomi*, non nisi quartam partem terræ tantum intelligunt, & non nisi in parte. De tribus autem quarta partibus alias nihil sciunt, vt de illa quæ sub nobis est, & de duabus, scilicet & habitari, quæ sunt post æquinoctialem. *Eccles.1.* Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. *Et attulit illam super aurum & topazion?* Et quo enim apparebit est super aurum, inuestigari deinde, & possidere. Pone ergo, quod ab humana corde inuestigari non potest. *Sapient.9.* Quis enim hominum potest scire consilium Dei? Aut quis potest cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et hoc est quod sequitur.

Terra quarta pars tantum Aftronomi nota.

Deus incomprehensibilis.

32. *Nec est qui possit sapientiam eius*, quibus scilicet vidit in sapiente: *nec qui comprehendat semitas eius*, perfectis

perfectâ scilicet comprehensione. In vestigio quidem creaturarum cognoscimus vtcumque, sed procul est. *Iob.* 36. Omnes homines vident Dominum, vnusquisque intuetur procul. *Iob.* 11. Sarcitatem humanam reprehendens, dicit: Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies? Et hoc est quod sequitur. *Neque qui exquirere*, hoc est, qui exquirere possit, *semitas eius*, quibus compendiosâ breuitate seipsum ambit & comprehendit. *Psal.* 79. In mari via tua, hoc est, in immenso profunditatis, & semitæ tuæ in aquis multis, hoc est, in inundatione immensitatis sapientiæ, quæ de te manet: & vestigia tua non cognoscentur, perfectè scilicet.

32. *Sed qui scit vniuersa, nouit eam.* Tangit hic, quòd non nisi per ipsum Dominum habeti potest: & quidquid scitur de eâ, per reuelationem ipsius est, & perfectior scientia ipsius per Dominum Iesum Christum est. In horum primo duo sunt, scilicet quòd Dominus comprehensor sapientiæ suæ ipsius est, & quod manifestat se in effluxu creaturarum. Et hoc est. *Sed qui scit vniuersa, nouit eam*, notitiâ scilicet comprehensionis, hoc est, cuius scientia causa est vniuersorum. *Prouerb.* 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. *Et adinuenit eam prudentiâ suâ*, hoc est, adinueniri fecit prudentiâ, hoc est, prudentiâ suâ, hoc est, tantum quantum prodere voluit de eâ, seu manifestare. *Ioan.* 1. Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Qui enim secreta Patris timatus est, & enarrare potuit, & quantum voluit enarrauit. *Sap.* 9. Sensum tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis. Modum autem illius prudentiæ seu manifestationis subiungit in naturali Theologiâ, primò in iis quæ propinqua sunt homini. Secundò autem in remotis: & hoc est. *Qui præparauit terram in æterno tempore.* Sensus est: qui in æterno præparauit terram, tempore mensuratam scilicet: fluit enim tempus sub æterno tanquam sub causâ & exemplari. Vnde *Boëtius* in 5. de consolat. Qui tempus ab æuo ire iubes. Sic enim in temporali terrâ æternitatem cognoscimus. Vtrumque *Prouerb.* 8. Ab æterno ordinata sum & ex antiquis antequam terra fieret. Et post pauca: Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. *Et replenit eam bipedibus*, paruis scilicet animalibus, *& quadrupedibus*, animalibus scilicet perfectis, in quibus scilicet consistit terræ ornatus, à quibus vtrisque discimus aliquid sapientiæ diuinæ. *Iob.* 12. Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? Deinde inducit magis à sensu hominis distantia, subdens.

Scientia Dei, causa vniuersi.

33. *Qui emittit lumen & vadit.* Emissio luminis est effluxio luminis à luminaribus cœli in terram, ire autem luminis profectus eius in terræ nascentia. De omnibus enim his verum est quod dixit Pythagoras, quòd omnium terræ nascentium terra mater est, & sol pater. *Eccles.* 43. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi. In diuersitate enim aspectus per exitum luminis annuntiat diuersas virtutes, & infundit terræ nascentibus, & per hoc mirabile vas efficitur, in omnia opera quæ facit Dominus. *Et vocauit illud*, hoc est, reuocat per occasum scilicet & recessum, *& obaudit illum*, hoc est, obedit illi, *in tremore*, hoc est, in reuerentiâ. *Eccles.* 1. Oritur sol, & occidit, & in circulos suos reuertitur, accedêdo scilicet & recedendo omnem procurat successionem generationis. Sic in lumine spirituali omnia in animabus sanctis generantur, & proficiunt bona quæ in recessu eiusdem deficiunt. *Prouerb.* 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.

Stella autem dederunt lumen in custodiis suis. 34. Custodiæ sunt obseruationes cursuum in præuenionibus, & coniunctionibus, & aliis respectibus ad solem & ad inuicem, quarum naturis & virtutibus, lumen solis distinguitur, & figuris vniuersorum adaptatur. *Eccles.* 43. Species cœli gloria stellarum mundum illuminans in excelsis Dominus. *Et lætatæ sunt*: quòd scilicet in hoc Altissimo ministrare possunt. *Eccles.* 43. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè. Non enim resplenderet gloriæ Domini nisi lætaretur.

Stellarum custodia.

Vocatæ sunt, hoc est, reuocatæ per recessum, 35.
& dixerunt, *Adsumus*, sicut & sol per recessum inducit corruptionem, vt iterum succedat generatio. *Eccles.* 43. In verbis sancti stabunt stellæ ad iudicium, & non deficient in vigiliis suis. *Et*, sic, supple, accedendo & recedendo, *luxerunt ei cum iocunditate*, *qui fecit illas*: hoc enim iocundissimum est hic obsequi creatori. *Psal.* 103. Lætabitur Dominus in operibus suis. Hypallage, hoc est, lætari faciet opera sua in ipso. Sic etiam spiritualiter stellæ Angeli vel sancti à sole lumen mutuantes, in custodiis illuminationum suarum lætatæ sunt. *Psal.* 146. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Et cum vocâtur à Deo ad ampliores illuminationes, promptitudine spiritus & deuotionis dicunt, Adsumus dicentes illud. *Iob.* 38. Indica mihi, per quam viam spargitur lux, diuiditurque æstus super terram? Sic cum iocunditate lucent creatori. *Dan.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sic expugnant principes tenebrarum. *Iudic.* 5. Stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sysaram pugnauerunt. Post omnia concludit.

Hic est Deus noster, omnis illuminationis 36.
principium. 1. ad *Tim. vlt.* Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. *Et non æstimabitur alius aduersus eum.* *Psal.* 76. Quis Deus magnus sicut Deus noster? *Ierem.* 10. Tuum est decus. Inter cunctos sapientes gentium, & in vniuersis regnis eorum nullus est similis tui, penitus insipientes & fatui probabuntur.

Deus omnis illuminationis principium.

Hic adinuenit, hoc est adinueniri fecit, *omnem viam disciplinæ*, quæ scilicet ad veram sapientiam deducit: non enim haberi potest nisi per manifestationem eius: vnde sapientia dicit. 37.

Eccles. 24.

Eccles. 24. Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam, ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens. Et subiungit de reuelatione. *Et tradidit illam Iacob puero suo*, hoc est, luctatori ad veritatem, qui sicut puer deputat spiritum, *& Israël dilecto suo*, qui rectissimum per veritatem habet intellectum, & videt Dominum. *Sap.* 7. Ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator. Et post pauca: Omnium artifex docuit me sapientia. Et cum hæc omnia reuelationibus sanctorum angelis multiplicitèr perfecisset.

38. *Et post hæc, vt omnia compleret, in terris visus est*, hominis nam assumens, & illuminans: *Eccles.* 24. Peruenibo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Inferiora enim mundi assumpsit, alii negligentes dormientes qui tenebris clausa sentire habuerunt, lumine suæ præsentiæ respexit, & omnes in se sperantes ad lumen veritatis inuexit. *Et cum hominibus conuersatus est*, vt ex ipso & verbo perfectè doceret veritatem. *Iuc.* 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Malac. vlt.* Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. *Ibid.* 1. Multifariè multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.

CAPVT IV.

1. *Hic liber mandatorum Dei.* Tangit hic huius cognitionis vtilitatem, & hoc est. *Hic*, hoc est, huius cognitionis, *liber* scriptus in corde fidelium est. *Mandatorum Dei*, plenissimè continens ea quæ mandat Dominus: 2. ad *Corinth.* 3. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris. Et post pauca: Scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. *Et lex quæ est in æternum*, eò quod non succedat alia. *Isa.* 8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. *Psal.* 36. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. *Omnes qui tenent eam, pertinent ad vitam.* *Prouerb.* 3. Custodi legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. *Qui autem dereliquerunt eam, in mortem*, supple, pertinuiunt. *Ierem.* 17. Qui te detelinquunt, confundentur, recedentes à te in terrâ scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.

2. *Conuertere Iacob.* Ponit hic exhortationem ad conuersionem, & ad reditum illum, & ad sapientiam, & dicit tria, scilicet exhortationem, exhortantis compassionem, ibi, *Nemo gaudeat super me.* Et modum qui adhiberi debet ad conuersionem, ibi, *Sicut enim fuit sensus vester vt erraretis.* In primo quatuor facit. Exhortatur ad redeundum. Si non reuertantur, ostendit damnum, ibi, *Ne tradas alteri.* Confortat ad reditum, ibi, *Beati sumus.* Necessitatem subiungit conuersionis, ibi, *Traditi estis aduersariis.* Dicit ergo.

Exhortatio ad conuersionem.

Conuertere Iacob. Patrem nominat vt filios inclinet ad imitationem patris. *Ioël.* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. *Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. *Et apprehende eam*, tenens & ad te trahens. *Prouerb.* 4. Attrape illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab illâ, cum eam fueris amplexatus. *Ambula per viam*, mandatorum scilicet & virtutum. *Psal.* 118. Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini. *Prouerb.* 4. Ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. *Ad splendorem eius*, hoc est, ad splendôrem illustrantem vias tuas. *Iob.* 29. Splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. *Contra lumen eius*, Cœlitus lumen stat, qui se conuertit ad lumen. Qui autem à lumine auertitur, in tenebris stat vmbræ suæ. *Psal.* 88. In lumine vultus tui ambulabunt. Item. *Psal.* 35. In lumine tuo videbimus lumen. *Ieremia* 13. Date Domino Deo vestro gloriam antequam tenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Et subiungit de damno non conuersi.

Ne tradas, hoc est, ne tradi permitas, *alteri gloriam tuam*, hoc est, culpam Dei gloriosi, *& dignitatem tuam*, supple, ne tradas *genti alienæ.* Dignissima enim gens est dignissimum habere cultum. *Deuter.* 4. Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus tuus adest omnibus obsecrationibus tuis. *Prouerb.* 5. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. *Apoc.* 3. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. 3.

Beati sumus Israël. Confortat ad redeundum, ad quod exigit scire, & velle, & posse. 4.
De scire dicit. *Beati sumus Israël. Quoniam sunt nobis quæ Deo placent, nobis manifestata sunt.* Quod magnæ dignitatis est. *Psal.* 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. De velle subiungit. *Ad conuersionem exigunturus.*

Animæquior esto populus Dei memorabilis Israël, hoc est, animum erige plusquam fecisti, & exerce, quia tu es populus Dei per cultum. *Deuter.* 7. Te elegit Dominus vt sis ei populus peculiaris. Et est memorabilis propter virtutes patrum. *Eccles.* 44. Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defecerunt. Et post pauca: Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuet in generationem & generationem. Ergo imitando tantos, esto animæquior, constanti animo reuertens ad Dominum. Et de posse redeundi supponit dicens. 5.

Venundati estis gentibus non in perditionem, 6.
finalem scilicet abiectionem, & ideò redire poteritis. *Iudith* 8. Flagella Domini quasi serui qui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus. Et hoc est quod sequitur. *Sed propter quod irritastis*, hoc est, in peccato ita digno ad iracundiam provocastis Dominum. *Osee* 14. Pereat Samaria: quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum. *Ierem.* 7. Libant diis alienis, vt me ad iracundiam provocent. Et ideò, supple, *traditi estis aduersariis*, emendandi scilicet, non finaliter condemnandi. 2. ad *Corinth* 5. Tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fit in die Domini nostri Iesu Christi. *Deus corripit ad emendationem datum.*

Exacer-

7. *Exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum eternum. Deuter.* 32. Dominum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. *Immolantes dæmoniis & non Deo.* 1. *Corinth.* 10. Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant & non Deo: quia idolum non est Deus.

8. *Oblisti enim estis eum qui nutriuit vos*, ita scilicet quod proposuistis eum, & per cultum ad memoriam non reduxistis. *Ierem.* 2. Populus meus oblitus est mei diebus innumeris. *Isa.* 57. Mentita es, & mei non est recordata. Dominus enim nutritor noster est, & Ecclesia sancta nutrix nostra. Et hoc est quod sequitur, *& contristastis nutricem vestram Ierusalem. Genes.* 48. Deus qui pascit me ab adolescentiâ meâ. *Isa. vlt.* Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. *Ruth.* 4. Nutricis ac genitrix fungebatur officio. *Isa.* 49. Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.

Ecclesia nutrix nostra.

9. *Vidit enim*, per Prophetas, *iracundiam à Deo venientem vobis*, propter peccata scilicet, quæ multiplicastis. *Ierem.* 1. Virgam vigilantem ego video. Virga vigilans securitatem significat punitionis. *Amos* 8. Quid tu vides Amos & dixi: vncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, vt ait *Hieronym. & dixit*, præmuniendo scilicet & arguendo vos. *Audite Sion*, hoc est, omnes qui pertinetis ad Sion, hoc est, à peccatis reuocaui. *Ierem.* 7. Locutus sum ad vos manè consurgens & loquens, & non audistis. Ad arguendum autem me compulit compassio & charitas. Et hoc significat id quod sequitur. *Adduxit enim mihi Deus luctum magnum*, in pœnis vestris. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei? *Isa.* 22. Nolite incumbere vt consolemini me, super vastitate populi mei, dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum à Domino Deo exercituum.

10. *Vidi enim*, hoc est, præuidi, *captiuitatem populi mei*, futuram scilicet, *filiorum meorum & filiarum*, hoc est, quos dilexi vt filios & filias. *Thren.* 1. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator conuertens animam meam: facti sunt filij mei perditi. *Quam*, scilicet captiuitatem, *superduxit illis æternus*, hoc est, super peccata eorum adduxit. *Isa.* 31. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. Nec mirum erat si compassus sum.

11. *Nutriui enim illos cum iocunditate. Thren.* 4. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? *Dimisi autem eos cum fletu, & luctu.* Quia ex tantis deliciis gratiæ Dei, ad tantas tristitias commutati sunt. *Thren.* 4. Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

12. *Nemo gaudeat super me.* Tangit exhortationem compassionis & luctus, & dicit tria, scilicet tristitiæ causam, & aliorum vocationem ad compassionis molestiam, ibi, *Veniant confusi Sion.* Et extremam in iis in quibus compatitur allegans miseriam, ibi, *Delicati mei.* Dicit ergo: *Nemo gaudeat super me viduam & desolatam*, desolatam à filiis, viduam autem à viro, ne iterum fœcunder in filios. *Isa.* 54. Vt mulierem *viduam derelictam* & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentiâ abiectam. Hoc dicere potest Ecclesia bono pastore desolata, & filiis bonis destituta. Et hoc est quod sequitur. *A multis derelicta sum*, merito, *propter peccata filiorum meorum.* Vade licet sint homines, tamen formam patris non tenuerunt, ita quod melius esset non habere filios. *Prouerb.* 10. Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ. *Sap.* 3. Nequissimi filij illorum, maledicta creatura eorum. *Quia declinauerunt à lege Dei*, per inobedientiam scilicet patris. *Psal.* 17. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inuetterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.

viduam dereliquit, qua sine viro est.

13. *Infantes enim ipsi*, quæ in mandatis Dei exprimuntur, *nescierunt*, hoc est, scire noluerunt. *Ierem.* 5. Renuerunt accipere disciplinam. *Psal.* 35. Noluit intelligere vt bene ageret. *Nec ambulauerunt per vias mandatorum Dei.* Et ideò per deuia ierunt errorum. *Psal.* 106. Errare fecit eos in inuio, & non in viâ. *Neque per semitas vestigatis eius*, hoc est, per consilia Prophetarum & Doctorum, *cum iustitiâ*, quam scilicet exhibeterent in opere, *ingressi sunt*: nec enim consilia nec præcepta seruauerunt: quia nemo dixerunt illud. *Isa.* 30. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israël. *Psal.* 77. In viâ eius noluerunt ambulare.

Semitæ sunt consilia.

14. *Veniant confusi Sion.* Vocat complangentes, & dicit tria, scilicet vocationem complangentium, & depositionem signorum iocunditatis, ibi, *Exui me.* Spem tamen conuersionis, ibi, *Animaquiores estote.* In primo tria dicit, complangentium vocationem, planctus materia, mæstitorum defectum. Dicit ergo: *Veniant confusi Sion*, vicini magis effectu quam loco, qui scilicet complangant mecum. *Ierem.* 9. Contemplamini, & vocate lamentatrices vt veniant, & ad eas quæ sapientes sunt mittite, & properent, festinent, & assumant super nos lamentum. Et hoc est quod sequitur. *Et memorentur captiuitatem filiorum, & filiarum mearum*, in tristitiâ scilicet & in lamento. *Thren.* 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. Filij enim & filiæ à rege confusionis abducti sunt. Quod maximè lamentabile est, & hoc dispositione diuinâ. Et hoc est quod sequitur. *Quam superduxit illis æternus*, sapientiâ suâ, & iudicio. *Isa.* 37. Ex diebus antiquis plasmaui illud, & nunc adduxi. *Deuter.* 28. Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & cæremonias quas ego præcipio tibi, venient super te omnes maledictiones. Et hoc est quod sequitur.

15. *Adduxit enim super illos gentem*, crudelem scilicet, *de longinquo*, ne propter notitiam alicui parcant. *Gentem impudentem*, quæ omni pietati & omnibus precibus preterue contradicit, *& alterius linguæ*, ne supplicationes eorum propter ignorantiam linguæ audiant.

16. *Qui non sunt reuerti senem*, quin scilicet trucidarent eum. *Thren. vlt.* Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt. *Neque*

Pueri miserícordiam meruerunt.

que puerorum miserti sunt, quibus tamen misericordia debetur propter innocentiam. *Thren. vlt.* Adolescentibus impudicè abusi sunt, & pueri in ligno corruerunt. *Et abduxerunt dilectos vidua*, & vnicos, supple, qui debebant esse ei in solatium, *& à filiis vnicam desolauerunt*, hoc est, solam dimiserunt filiis destitutam. *Psal.* 93. Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. *Thren.* 2. Iacuerunt in terrâ foris puer & senex, virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio. Hoc totum prædictum est. *Deut.* 28. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ partibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non possis: gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli.

17. *Orationi eius, edimeta.*

Ego autem quid possum adiuuare vos? Peccata enim vestra obstiterunt supplicationi meæ. 1. *Ioann. vlt.* Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. *Dan.* 10. Princeps Persarum precibus Danielis restitit 21. diebus. *Zach.* 3. Sathan stabat à dextris IESV sacerdotis magni, vt aduersaretur ei. Oportet ergo conuerti ad Dominum, si preces debent exaudiri. Et hoc est quod sequitur.

18. *Qui enim adduxit super vos mala*, propter peccata vestra scilicet. *Ierem.* 7. Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. *Ipse vos eripiet*, hoc est, eripere potest, *de manibus inimicorum vestrorum*, conuersos scilicet ad ipsum: conuersos enim ad se non percutit amplius, non enim percutit nisi in posteriora, adorantem non percutit. *Psal.* 77. Percussit inimicos suos in posteriora. *Ierem.* 15. Si conuerteris, conuertam te: & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.

19. *Ambulate filij*, ex quo nullus potest vos nisi Dominus iuuare. Ambulate in mandatis Dei. *Ambulate*; patienter in pœnis purgantes vos. *Isa.* 2. Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. *Ego derelicta sum sola. Thren.* 1. Sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium.

20. *Exui me stolâ pacis.* Tangit depositionem signorum lætitiæ, & est sensus: Exui me stolâ iocunditatis quâ vtebar tempore pacis. *Induti autem me succo obsecrationis. Isa.* 22. Vocabit Dominus Deus exercituum ad fletum, & ad planctum, & ad calnitium, & ad cingulum sacci. *Ion.* 3. Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Saccus enim, & cinis, & cilicium arma sunt pœnitentium & plangentium, hunc habitum sancti assumunt pro peccatoribus, *Esther.* 14. Cum deposuisset vestes regias, fletibus & luctu apta indumenta suscepit. Et post paucta: Omniaque loca in quibus lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit, & deprecabatur Dominum Deum Israël. Et hoc est quod sequitur. *Et clamabo ad Altissimum in diebus meis. Ion.* 3. Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine. *Animaquinta estote filij*, vt animum conuertatis ad Dominum. *Tob.* 1. Forti animo esto, in proximo est vt à Deo euteris. *Clamate ad Dominum*, intentione deuotionis. *Ierem.* 33. Clama ad me, & exaudiam te. *Isa.* 38. Sicut pullus hyrundinis sic clamabo, meditabor vt columba. *Et eripiet vos de manu principum iniquorum*, Chaldæorum scilicet & dæmonum. *Eccles.* 51. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam; de manibus quærentium animam meam. Quod autem possibile sit quod liberentur, ostendit per spem sanctorum, subdens.

Pœnitentiæ arma.

21. *Spes sancta nos confortat.*

Ego autem speraui in æternum salutem vestram. Rom. 5. Spes non confundit. *Hebr.* 6. Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. *Isa.* 30. In silentio & spe erit fortitudo vestra. *Et venit mihi gaudium à sancto*, in spe scilicet illâ: spes enim quando firma est, lætificat, & temperat malum. *Rom.* 5. Gloriamur in spe filiorum Dei, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus; scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. *Psal.* 70. Ego autem semper sperabo, & adiiciam super omnem laudem tuam. *Super misericordiâ quæ veniet vobis ab æterno saluatori vestro.* Dominus enim in æternum saluat. *Isa.* 26. Sperastis in Domino, in sæculis æternis. *Psal.* 116. Misericordia Domini manet in æternum.

22. *Emisi enim vos cum luctu, & ploratu*, hoc est, querelâ & lachrymatione. *Ierem.* 31. Vox in excelsis audita est lamentationis & fletus Rachel plorantis filios suos. *Reducet autem vos mihi Dominus*, reuocando scilicet ad pœnitentiam, *cum gaudio*, cordis, *& iocunditate*, gratulantium *in sempiternum. Luc.* 15. Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. *Isa.* 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.

23. *Sicut enim viderunt vicini Sion*, amici scilicet, *captiuitatem vestram*, in compassione scilicet & tristitiâ: *sic videbunt*, supple, in lætitiâ & congratulatione, *& in celeritate salutem vestram à Deo. Sap.* 5. Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. *Isa. vlt.* Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio, vniuersi qui lugeris super eam. *Quæ* scilicet salus. *Superuenit vobis cum honore magno.* Honor testimonium virtutis est in laudibus & titulis & demonstrationibus. *Psal.* 18. Gloriâ & honore coronasti eum. *Esther* 6. Honore condignus est quemcumque Rex voluerit honorare. *Et splendore æterno*, claritatis scilicet in lumine cœlesti. *Tob.* 13. Luce splendidâ fulgebit, & omnes fines terræ adorabunt te. Et ideo, supple.

24. *O filij patienter sustinete iram quæ superuenit vobis*, per flagella scilicet Domini. *Mich.* 7. Iram Domini prouocabo: quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. *Eccles.* 2. Sustinæ sustentationes Dei, coniungere Deo, & sustine vt crescat in nouissimo vita tua. *Persecutus est enim te inimicus tuus*, Chaldæus scilicet vel diabolus. *Psal.* 118. Iniqui persecuti sunt me, adiuua me Domine Deus meus. *Sed citò videbis perditionem ipsius. Mich.* 7. Aspiciet me inimica mea, & operietur confusione quæ dicit ad me, Vbi est Dominus Deus tuus? *Et super ceruices eius ascendes*, conculcando scilicet eos. *Mich.* 7. Oculi tui

tui videbunt inimicam tuam, nunc erit in conculcatione vt lutum platearum. *Malach. vlt.* Calcabitis impios cum fuerint cinis sub plantâ pedum vestrorum. *Eccles.* 24. Superborum & sublimium colla propriâ virtute calcaui.

26. *Delicati mei.* Tangit miseriam eorum quibus compatiendum est, qui tantò miseriores sunt, quanto contrariis ad ea quæ patiuntur sunt assueti. Et hoc est. *Delicati mei*, quondàm, supple, *ambulauerunt viam asperam*, captiuitatis vel peccatorum. *Sap.* 5 Lassati sumus in viâ iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis. *Dulci sunt vt grex diripiat ab inimicis.* In grege diripto aliquis plures, aliquis pauciores trahit ad interficiendum. Et sic fuit in populo, & sic spiritualiter à diabolo. *Thren. vlt.* Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies.

27. *Animæquiores estote filij. Isa.* 35. Dicite pusillanimes confortamini. *Et proclamate ad Dominum. Thren.* 2. Leua manus tuas pro animâ paruulorum tuorum. Et ibidem. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem ac noctem. *Erit enim memoria vestra*, in bonum scilicet, *ab eo qui duxit vos*, hoc est, permisit duci in captiuitatem. *Psal.* 65. Induxisti nos in laqueum, posuisti, &c. Et de recordatione. *Isa.* 49. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa obliita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

28. *Sicut enim fuit sensus vester.* Tangit hic modum conuersionis, & dicit quatuor, scilicet modum conuersionis, modum consolationis, modum confortationis, & inimicis modum destructionis. Et hoc est. *Sicut enim fuit sensus vester vt erraretis*, hoc est, sensualis motus, qui principium omnis erroris est. 1. ad *Cor.* 2. Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. *Glossa* ibidem: Animalis est, qui dissolutâ lasciuiâ fertur in quinque corporis sensus, quos intra se spiritus rector non continet. *Decies tantò iterum conuertetur.* Ad literam, vt dicit Auicenna, decè sunt sensus, quinque interiores, scilicet sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimatiua, & sensibilium memoria, & quinque exteriores, visus, auditus, gustus, olfactus, tactus. Hi decem sensus cum appetitu qui sequitur eos concupiscibili, & irascibili, omnis peruersitatis principium sunt; & quando non formam accipiunt rationis, & rectæ ordinationis: & ideò dicit. *Decies tantò iterum conuertetur et requiretis eum.* Posset etiam dici, quòd propter decem præcepta dicit decies tantum. Hoc significatum est. *Isa.* 38. Ecce ego reuerti faciam vmbram lineatam per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum, & reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.

Vnus peccato refrenandus.

29. *Qui enim induxit vobis malo*, pœnæ scilicet, *ipse iusus adducet vobis sempiternum in eum finem nostræ. Isa.* 45. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc. *Ad.* 5. Ipse vulnerat, & medebitur: percutit, & manus eius sanabunt. *Deut.* 32. Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo.

30. *Animæquior esto Ierusalem.* Conclusio est ex philosophicis, & est ac si dicat: Ergo esto animæquior, & confortare. *Iosue* 1. Confortare & esto robustus. *Exhortatur enim te qui te nominauit*, hoc est, qui primo tibi nomen Israël imposuit. *Genes.* 32. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël. Propter hoc enim vocaberis Iacob, quòd in rectitudine virtutis veniasad rectitudinem veritatis, & tangit depressionem inimicorum, dicens.

31. *Nocentes peribunt.* Nocentes fuerunt inimici. *Isa.* 27. Ignis hostes eius deuorat. *Psal.* 24. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Et hoc est quod sequitur. *Qui te vexauerunt. Sap.* 5. Stabunt iusti in magnâ constantiâ aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. *Et qui gratulati sunt in suâ ruinâ, punientur*, sicut inuidi Idumæi, & quidam alij qui inuident prosperitatibus sanctorum. *Abd.* Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, & peribis in æternum.

32. *Ciuitates quibus seruierunt filij tui, punientur. Genes.* 15. Gentem cui seruituri sunt iudicabo, dicit Dominus. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Dominatores enim eorum dabuntur eis in seruos, & ancillas. *Et quæ accepit filios tuos.* Ciuitas quippe vel gens, quæ filios tuos subiugauit. *Isa.* 43. Subiiciam ante faciem eius gentem, & dorsa regum vertam. Propter hoc sanctis promittitur. *Psal.* 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum.

33. *Sicut enim gauisa est in suâ ruinâ*, culpæ scilicet, *& lætata est in casu suo*, pœnæ scilicet, hoc enim inuidorum est. *Prouerb.* 2. Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. *Thren.* 2. Aperuerunt super te os suum omnes inimici, sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Deuorabimus: en ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus. *Sic contristabitur in suâ desolatione.* Hoc enim iustum est quod gaudens in alterius ruinâ, deducatur in desolationem & tristitiam. *Iob* 31. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum. *Thren.* 1. Omnes inimici audierunt malum meum, lætati sunt quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.

34. *Ampliabitur exultatio multitudinis eius*, hoc est, multitudo peccatorum in qui exultat Rex confusionis. *Isa.* 10. Subuertentur condensa saltus eius ferro, hoc est, sententiâ Domini, quæ per securim significatur. *Luc.* 3. Securis ad radicem arboris posita est. *Et gaudium eius erit in luctum.* Gaudium eorum dicitur quasi gaudij suorum, gaudium quo se hostis, & inuidus mouet: hoc est enim gaudium de quo dicitur. *Prouerb.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Et modum pœnæ subiungit dicens.

35. *Ignis enim superuenit a Domino*, hoc est, à Deo per inimicos suos exercitus, & hoc est ignis æternus, de quo dicitur. *Matth.* 25. Discedite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. *Iudith.* 16. Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. *Et habitabitur à demonis in multitudine temporis.*

temporis. Apoc. 18. Facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.

CAPVT V.

1. C*Iroumspice Ierusalem.* Tangit hic de gloriâ consolationis quæ præcipuè erit in gloriâ resurrectionis: & dicit hic quatuor, scilicet gloriam visionis in multitudine sanctorum, dotes resurrectionis in animabus & corporibus resurgentium, collectionem beatorum in vnam gloriam, & beatorum nomen sic beatificatorum, & modum resurrectionis quò adducentur congregationes in vnum omnium sanctorum. Dicit ergo. *Circumspice Ierusalem ad Orientem*, licet ab vndique veniant sancti, tamen ad Orientem præcipè respici, quia omnis salus eorum ab ortu solis iustitiæ. *Zach. 6.* Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur. Quod autem dicit, *circumspice*, hoc est, quod oculi circumducantur, quia vndique venit materia gaudij. *Isa. 60.* Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Et paulò ante: Gloria Domini super te orta est. Et adhuc ibidem: Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. *Et vide iocunditatem à Deo venientem*, hoc est, materiam iocunditatis, iocunditas autem est gaudium cordis prorumpens in tripudium, & iocos corporis. Hoc erit in congregatione sanctorum. *Psal. 132.* Ecce quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum. *Isa. 60.* Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Et huius gaudij ponit demonstrationem.

Iocunditas quid.

17. *Pueris autem his*. Tangit hic tanti meriti remunerationem, & duo dicit, scilicet præmium virtutis, & perseuerantiam dignitatis, ibi, *Fuit autem Daniel*. Et hoc est. *Pueris autem his*, quatuor scilicet, *dedit Deus*, merito scilicet talis propositi, *scientiam & disciplinam*. Hæc in præcedentibus exposita sunt. *In omni libro*, supple, discendo, *& sapientia*, quæ de altissimis & diuinis est. *Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. *Iacob* 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. *Daniel autem*, specialiter *dedit Deus intelligentiam omnium visionum*. Visio est, vt dicit *Philosophus*, in qua res vt futuræ sunt, ostenduntur; & hæc est intellectualis visio. Vnde *Hieron.* Danieli extra alios hoc dedit Deus: quia quod alij in phantasmate, hic mentis oculis conspiciebat in veritate. *Et somniorum.* *Hieron.* Ænigmarum, vel imaginum, quibus [illegible] futura. Vnde *Rabbi Moyses* [illegible] quod somnium est casus à prophetia, quia prophetia est visio in lumine intelligentiæ, somnium autem manifestatio futurorum in imagine, in quo cadit & quasi occumbit lumen intelligentiæ. *Numer.* 12. Ore ad os loquor ei & palam, & non per ænigmata & figuras Deum videt. *Osee* 12. Ego visiones multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum. *Psal.* 88. Tunc locutus es in visione cum sanctis tuis. Et subdit de experimento huius præmij.

Daniel Prophetæ eximium.

Somnium est casus à prophetia.

18. *Completis itaque diebus*, trium annorum scilicet, *post quos dixerat Rex*, Nabuchodonosor scilicet, *vt introducerentur*, pueri scilicet in conspectu eius. *Isa.* 28. Quem docebit scientiam, aut quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos à vberibus. Ita isti pueri qui diffuescentes Hebraica, & consuescentes Chaldaica, ad regem introducuntur: & hoc est. *Introduxit eos præpositus Eunuchorum*, Asphenez scilicet, *in conspectu Nabuchodonosor*. Quia iam nihil erat in eis quod oculos maiestatis eius posset offendere. *Psal.* 31. In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Sic 2. *Reg.* 19. dixit Dauid ad Chanaan, transmutatus scilicet ad virtutem: mecum transeat Chanaan, & ponam oculos meos super eum. Et subdit de Regis experimento.

19. *Cumque eis locutus fuisset Rex. Hieron.* Tentando eorum sapientiam. *Iacob.* Beatus vir qui suffert tentationem. *Non sunt inuenti tales*, hoc est, illis in sapientia similes. *De vniuersis*, scilicet pueris in palatium assumptis. *Eccles.* 44. Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem Excelsi. *Vt Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. Hieron.* Quos panis vitæ, & fons sapientiæ pauerat, & docuerat. *Eccles.* 15. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. *Et*, supple, ideò digni, & idonei, *steterunt in conspectu regis*, parati in omnibus obsequiis, sicut & nos in conspectu regis nostri stare deberemus. *Prou.* 14. Accepti est regi minister intelligens.

20. *Et omne verbum sapientiæ*, quæ de diuinis est, hoc est, quidquid poterat quæri de diuinis, *& intellectus*. Intellectus est lumen quod per modum principij cuiusdam ad omnia dirigit inuestigando. *Gregor.* Intellectum dat, dum de auditis mentem illuminat. *Isa.* 11. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus. *Eccles.* 17. Cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos. *Quod suscitatus est ab eis rex*, hoc est, quæ quæsuit ab eis. *Inuenit in eis decuplum.* Quia super illuminationem humanam, nouem ordinum Angelorum habebant, & diuinam illuminationem. *Psal.* 88. In lumine vultus tui ambulabunt. *Super omnes Ariolos. Hieron.* Arioli ab aris dicuntur, qui in extis animalium in aris immolatorum futura prædixerunt, sicut adhuc extant libri, qui sunt de illa parte necromantiæ quæ incantatiua vocatur, in qua animalia cum carminibus obtecrata degulantur, in degulatis iudicatur, si in compositione & cutis sanguinis naturaliter se habet, & secundum hoc fausta pronunciantur. *Et magos.* Magi dicuntur secundum *Hieron.* quasi magistri, qui de vniuersis philosophantur, magi tamen specialiter astronomi dicuntur, qui in astris futura diuinantur. *Qui erant in toto regno eius.* Huius causa redditur. *Luc.* 21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. *Actu.* 6. Non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur. Et

subiungit

subiungit de præmio dignitatis.

21. *Fuit autem Daniel*, antonomasticè scilicet, *usque ad annum primum Cyri regis*, in honore scilicet & dignitate. *Sapient.* 10. Honestauit illum in laboribus, & complenit labores illius.

CAPVT II.

1. *IN anno secundo regni Nabuchodonosor.* Hic tangitur reuelatio facta Daniel in visione impij regis Nabuchodonosor, & diuiditur in partes duas, in somnij visionem, & interpretationis inquisitionem, ibi, *Præcepit autem rex.* Circa somnij visionem duo dicuntur; visio scilicet & deletio: & hoc est. *In anno autem secundo. Hieron.* Si post tres annos pueri ingressi sunt in conspectu regis, quomodo in secundo anno somniasse nunc dicitur? Hoc ita soluunt Hebræi. Secundus annus hic dicitur, quo omnibus barbaris gentibus imperauit, Assyriis, & Ægyptiis, Moabitis, & reliquis nationibus, non tantum Iudæis, & Chaldæis: *vnde Iosephus:* post annum secundum Ægyptiacæ captiuitatis Nabuchodonosor vidit mirabile somnium, & fugit ab eo. *Regni Nabuchodonosor*, quo scilicet vt monarcha regnare cœperat. *Vidit Nabuchodonosor somnium. Iudith. 2.* dixit hoc in corde suo esse. Cum non sit videre nisi secundum intellectum, per hoc intelligitur, quod aliquid de intelligentia habuit confuse & indistincte. Per hoc autem quod dicit, *somnium*, nota quod hæc visio in imaginibus corporalibus erat descripta. Et hoc est somnium quod differt à visione, & oraculo, quod visio est ostensio rerum in veritate vt futurarum, oraculum autem expressa rerum prædictio, & somnium est reuelatio percepta à diis, vel à diuinis viris: quæ autem à cibis causantur, vel actibus hominum, phantasmata dicuntur. Et subdit de causa obliuionis. *Et conterritus est spiritus eius.* Spiritus hic dicitur corporalis rector formarum, qui quando in terrore confunditur, delentur formæ quæ in eo sunt; & deletis formis somnium cadit in obliuionem, & hoc est quod sequitur. *Et somnium eius fugit ab eo.* Territus autem istius causa fuit magnitudo visionis. *Iob 4.* In horrore visionis nocturnæ quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. *Iob 7.* Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concutiet.

2. *Præcepit autem rex.* Tangitur hic interpretis inquisitio, & dicuntur duo, scilicet inquisitio, & inuentio, ibi, *Tunc Daniel requisiuit de lege.* In prima duo sunt, interpretum vocatio, & interpretationis requisitio, ibi, *Et dixit ad eos Rex.* Dicit ergo. *Præcepit autem Rex*, Nabuchodonosor scilicet, *vt conuocarentur*, ad eum scilicet, *arioli & magi.* Alia translatio, incantatores, & philosophi. Arioli enim interfecta animalia carminibus sacrificant, & in extis diuinant, propter quæ carmina incantatores dicuntur. Magi autem sunt, qui de singulis philosophantur. *Et Chaldæi*, Astronomi scilicet vel Mathematici, vt dicit *Glossa: & malefici.* Glossa: Qui victimis vtuntur & sanguine, & sæpè contingunt corpora mortuorum, qui propriè negromantici dicuntur à νεκρὸς quod est mortuus, quia in mortuis diuinant. *Vt indicarent regi somnia sua.* Somnia dicit in plurali propter multas partes somnij. *Hieron.* Secundum artem mathematicam principes & Reges illius gentis omnia faciunt, vnde in natiuitate Domini primi ortum eius notauerunt, & Bethlehem venientes puerum adorauerunt. Ex quo accipitur, quòd ortus Saluatoris non per creationem nouæ stellæ, sed per naturalem cursum stellarum deprehensus est. Cuius contrarium tenet Ecclesia. Ad hoc dicendum videtur, quòd *Hieron.* non negat nouæ stellæ creationem, sed dicit quod cum Mathematici cœlestia sæpe contemplentur, quidam inter alios etiam lucem creatæ stellæ primi viderunt in ortu Saluatoris, quam non vidissent, si cœlestia contemplati non fuissent. *Qui cum venissent*, conuocati scilicet, *steterunt coram rege*, reuerenter audituri præcepta regis.

Et dixit ad eos rex. Tangitur hic interpretationis requisitio, primò sub comminatione, secundò sub sententiæ interminatione, ibi, *Quo auditò rex in furore.* In primo tria sunt, primò enim simpliciter requirit, secundò sub promissione, & pœnâ, tertiò impossibilitatis euasione: quæ patent in litera. Dixit ergo. *Dixit ad eos rex.* Quæritur, quare dixit, & quæ fuit quod impossibile fuit? Ad hoc dicendum, quòd Mathematici ex astris dicunt causari inferiora, & ideò cum profiterentur se scire cursus stellarum, & quas impressiones facerent in inferioribus, quærebat rex quas in animâ suâ stellæ fecissent impressiones. *Vidi somnium.* Recolit se vidisse, sed quid viderit ignorat. *Et mente confusus*, quia prius dixit spiritum esse conterritum, *ignoro*, supple, distincte, *quid viderim*, quamuis indistinctè sciam me aliquid magni vidisse. *Hieron.* Vmbram & quasi aurum, & vestigia somnij retinebat, vt alis referentibus posset quod viderat reminisci, non à mentientibus decipi. Et attende, quod hoc simpliciter dixit coram Mathematicis, vt ipsi ex se prorumperent in narrationem interpretationis. Vnde sequitur,

Respondentque Chaldæi, hoc est, Mathematici, *Regi Syriacè*, hoc est, Chaldaicè: quia Syriaca lingua est est Chaldaica. *Rex in sempiternum viue. Hieron.* Superius non salutauerunt, quia non fuerant ausi loqui vt inferiores: sed postquam locutus est rex, ipsi volentes respondere, prius salutant captantes benevolentiam à parte audientis. *Dic somnium seruis tuis:* hoc enim accipiunt pro fundamento, ex cuius similitudinibus coniiciant interpretationem: & hoc est quod sequitur. *Et interpretationem eius indicabimus.* Quia interpretatio coniecturalis est, & non immobilis veritatis, & talem interpretationem non quærebat rex. Et attende, quòd perceptio somnij significat, quòd impij etiam aliquid altum de cœlestibus percipiunt, sed territi de austeritate pœnitentiæ, quod conceperunt, perdunt. *Iob 33.* Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lecticulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. *Et respondens rex.* Tangit hic requisitionem interpretationis cum promissione præmij

Differentia inter visionem, oraculum & somnium.

Quomodo Chaldei Saluatoris ortum primi intellexerãt.

Quare Nabuchodonosor à mathematicis quæsiuit quod erat impossibile.

3.

4.

mij, & comminationis pœnæ: & hoc est.

5. *Et respondent rex, ac Chaldæi.* Solos Chaldæos, seu Mathematicos alloquitur: quia illi citius diuinabant. *Sermo ergo à me*, hoc est, somnium de quo est [illegible] *nisi notum feceritis mihi somnium*, prius scilicet, *& interpretationem eius narraueritis*, hoc est, interpretationem coniecturalem, *peribitis*, [illegible] *& domus vestra* [illegible] *publicabuntur*, hoc est, publicæ diuproscriminabuntur. Et subiungit promissionem.

Publicari quid.

6. *Si autem somnium*, prius scilicet, *& interpretationem eius narraueritis*, postea [illegible] quod meruistis, *& dona*, [illegible] ex munificentia regis, [illegible] demonstrationibus scilicet, [illegible] *Genes.* 41. & Mardochæus *Esther.* 6. [illegible] Multumque in vno loco, nec in vno tempore, sed vbique & semper. *Esther* 2. Domus longe est iuxta magnificentiam principalem. Et post comminationes, & promissiones, subiungit intentionem. *Somnium igitur*, primò, *& interpretationem eius*, secundò, [illegible] Ac si dicat: Si somnium dixeritis, [illegible] interpretationi.

7. *Respondent secundò*, Chaldæi scilicet, *rursum dixerunt ei*, scilicet regi. *Rex somnium dicat seruis suis* (Regiam maiestatem in [illegible] tur, & in se seruitium, vt beneficentiæ & munditiis eum alliciant) *& interpretationem eius dicabimus.* Ac si dicant: Interpretationem [illegible] nisi quid interpretemur, [illegible] enim possunt scire, quid in [illegible] ad *Corinth.* 2. Quis enim hominum [illegible] quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis [illegible] est? Significat autem [illegible] coniecturas cordium [illegible] ad suum sensum volunt [illegible] Loquimini nobis [illegible] rotes.

8. *Respondit rex, & ait*, [illegible] cur, vt magis [illegible] *dominis*, ambage [illegible] *quod recessit a me sermo*, [illegible] scilicet, & [illegible] euadere.

9. *Si ergo somnium* [illegible] dicatis [illegible] dicatis esse [illegible] *sententia*, hoc est, [illegible] *quod interpretationem* [illegible] eundum [illegible] qua me [illegible] confoderetis, vt [illegible] tione [illegible] alia [illegible] Mundi [illegible] *dicatis inter vos* [illegible] vt tale [illegible] *quod mutatum est* [illegible]

Somnium & interpretatio ad eum referuntur causam.

10. *Respondent* [illegible] est. *Non est homo super terram* [illegible] *quod sermo regis* [illegible] *nisi* [illegible] *omnis* [illegible] *Sed* [illegible] *Ecce* [illegible] *Ecce* [illegible] *Ecce

supple, dat, *intelligentibus*, hoc est, intus in corde legentibus. *Disciplinam Glossa*: morum correctionem diligentibus. *Sap.* 1. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

22. *Ipse revelat profunda*, in se scilicet profunditate mysteriorum. *Eccles.* 1. Profundum Abyssi quis dimensus est? *Et abscondita*, hominibus scilicet. *Matth.* 11. Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. *Et novit*, hoc est, nosse facit, *in tenebris constitutæ*, quoad causas scilicet, quia causæ talium nobis tenebrosæ sunt, & occultæ. *Rom.* 11. Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? *Isa.* 40. Cum quo ergo consilium, & instruxit eum? *Et lux cum eo est*, illuminationis scilicet omnium. 1. ad *Timot. vlt.* Lucem habitat inaccessibilem. Et subiungit de gratiarum actione in singulari.

23. *Tibi Deus patrum meorum confiteor. Hieron.* Ne videatur suis attribuere meritis, refert hoc ad patrum iustitiam, & Dei virtutem, qui seminis eorum etiam in captivitate liberavit. *Teque laudo.* Singulariter laudat, qui singulare donum accepit. *Eccles. vlt.* Laudabo eique ad mortem anima mea Dominum. *Quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi.* Sapientiam in revelatione secretorum, fortitudinem in constantia, quia nec prosperis, nec adversis moveor. *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. *Et nunc ostendisti mihi*, soli scilicet, *quæ rogavimus te*; non ego solus, sed nos quatuor. *Hieron.* Amicorum fugit, ne solus impetrasse videatur. *Quia sermonem regis aperuisti nobis*, hoc est, sermonem de somnio regis. *Amos* 3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.

24. *Post hæc Daniel.* Agitur hic de examinatione interpretis, & habet paragraphos tres, scilicet interpretis exhortationem, interpretis introductionem, & interpretis examinationem: quæ patent in litera: & hoc est. *Post hæc Daniel ingressus ad Arioch*, principem scilicet militiæ, *quem constituerat rex*, Nabuchodonosor scilicet, *ut perderet sapientes Babylonis. Proverb.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem innoxium. Mirabile enim erat stultis parcere, & præcipere vt sapientes perderentur: cum scriptum sit. *Sap.* 6. Multitudo sapientum, sanitas est orbis terrarum. *Sic ei locutus est*, scilicet Daniel. *Proverb. vlt.* Lex clementiæ in lingua eius. *Sapientes Babylonis ne perdas.* Mira charitas, pro his qui eum perdere quærebant, orat ne pereant. *Matth.* 6. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Isa.* 53. Pro transgressoribus rogavit ne perirent. *Introduc me in conspectu regis.* Arrogantiam vitat: quia ipse recto itinere poterat ire, & tamen per alium petit introduci. *Psal.* 130. Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. *Et solutionem regi narrabo.* 1. *Pet.* 3. Parati ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est, spe. Qui enim solus acceperat, aliis per charitatem participat. *Sap.* 7. Quam sine ficione didici, & sine invidia communico.

Danielis charitativa oratio.

25. *Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem.* Festinus: quia iniuriæ exequebatur præceptum. *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt convertatur, & vivat. *Et dixit ei*, regi scilicet, *Inveni hominem de filiis transmigrationis Iudæ*, hoc est, qui transmigrati fuerant cum Ioachim rege Iudæ, *qui solutionem regi annuntiet.* Et quæritur literaliter, quomodo ita cito credidit Arioch? & vult *Hieron.* quod in aliis experimentum habuerat, quod prophetiam habebat spiritum, & propter hoc credidit ei. 2. ad *Cor.* 2. Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.

26. *Respondens rex, & dixit.* Tangitur hic examinatio. *Daniel cui nomen erat Baltassar.* Nomen enim ei ad Chaldaicam linguam sic fuerat mutatum. Dicit enim *Hieron.* quod hæc consuetudo prævalet, & in bonis & in malis, quod mutato statu alicuius personæ in altius, etiam nomen mutatur, sicut *Genes.* 41. Vocatus est Ioseph Salvator mundi. *Putasne verè potes?* hoc est, sine deceptione & fictione, *mihi indicare somnium quod vidi*, quia scio prognosticum esse futurorum, *& eius interpretationem eius?* Et volebat scire virtute ex conscientia spiritus habitantis in eo loquentis. *Isa.* 32. Ut video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

27. *Et responsum Daniel coram rege, ait*, hoc est, publicè, & constanter. *Matth.* 10. Cum steteritis ante reges, & præsides, nolite præmeditari quomodo aut quid loquamini. Exhibitum: Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Mysterium*, hoc est, secretum, *quod rex interrogat*, hoc est, cuius solutionem quærit. *Eccles.* 1. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. *Sapientes, & magi, & aruspices.* Aruspices sunt augures qui in his quæ ex aviis, vel aere fiunt, promittunt divinationem, sicut volatu, vel garritu avium, vel auditu tonitruorum, vel occursu bestiarum. *Nequeunt indicare regi.* *Aliter vertunt:* Auferre regi prævam suspicionem, ne existimaret inveniri posse humana solertia, quod solius Dei habet potentia. Et hoc est quod sequitur.

Qui dicuntur aruspices.

28. *Sed est Deus in cælo*, continens scilicet quæcumque cœli ambitu continentur. *Sap.* 3. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, &c. hoc est, cœlum. *Revelans mysteria*, quorum solus habet notitiam. *Psal.* 15. Deus æterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. *Patefecit rei rex Nabuchodonosor*, per somnium, scilicet in visione imaginaria, *quæ venturæ sunt novissimis temporibus. Num.* 12. Per somnium loquar ei illum. Tempora autem novissima nominat: quia visio decursum mundi vsque ad finem significat. 1. ad *Corinth.* 10. Scripta sunt in quos fines sæculorum devenerunt. *Somnium tuum.* Tangit hic narrationem somnij & interpretationis, & habet duas partes, scilicet somnij revelationem, & revelantis honorem, ibi. *Tunc rex Nabuchodonosor.* In primo duo sunt revelatio somnij, & revelatio interpretationis, ibi. *Interpretationem eius dicam.* In revelatione somnij duo sunt, causa somnij, & somnium, ibi. *Tu rex videbas.* Causa somnij

Cognitio futurorum à Deo.

primò

primò nuge [illegible]
lit: & hoc est [illegible]
permanet. *Et [illegible]*
nium & visiones pro [illegible]
quod somnium est re[illegible]
tem, visiones autem ad [illegible]
nes. *Osee* 12. *Ego visiones multiplicabam eis, & in manu prophetarum assimilabor.* dicit, ne credamus somniis, sed visionibus [illegible]
tem, quia tantum similes visionibus [illegible]
tuorum. *Numer.* 12. *Qui erit in vobis Prophetes Domini, in visione apparebo ei, & per somnium loquar ei.* hoc est, vadit de Generalibus, & somniando cognoscit futura. *In somnis [illegible]* inquisitorum significat, à nimia [illegible] percepit, *Osee* 2. *Dabo [illegible] & loquar ad cor eius. Ibi respondebit [illegible]* in somnis fallitur. *Et [illegible] quod dicit Gregor.* quod lex [illegible] genera [illegible]. Dum [illegible] quia [illegible] ex pulmonis [illegible]. *Venite, [illegible] ventris [illegible]*, [illegible] pleniudines; & hoc [illegible] sunt in somnis. *[illegible]* diabolus fallit [illegible] tum ex [illegible] tum [illegible] ab hominibus, [illegible] Quintum [illegible] multis modis [illegible] tione, & [illegible] Et hoc est.

Gregor. lib. 8. dial. cap. 21. sic genera somniorum.

29. *In vos [illegible] in [illegible]*, hoc est, [illegible] & [illegible] quod [illegible] hoc est, post [illegible] [illegible] [illegible]

cidit, & fuit ruina eius magna. Similem stultitiam fecit qui aurum, argentum, æs, ferrum, in luto fictili fundauit. *Et redacta sunt quasi in fauillam æstiuæ areæ*, hoc est, in fauillam stipulæ, quæ relinquitur in area æstiua ad modicum ignis iræ Domini succensa. *Isa.*1. Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. *Quæ rapta sunt vento. Psal.*34. Fiant tanquam puluis ante faciem venti. *Nullusque locus inuentus est in eis*, quo scilicet possent redire ad veritatem & dignitatem. *Isa.* 38. Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem quietis. *Lapis autem*, solidæ scilicet virtutis, & veritatis. *Isa.* 28. Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, pretiosum in fundamento locatum. *Qui percusserat statuam*, mundanæ scilicet dignitatis. *Ioan.*16. Confidite, ego vici mundum. *Factus est mons magnus*, scilicet dignitate, potestate, & gratiâ. *Isa.* 2. Erit mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. *Et impleuit vniuersam terram*, per metionymiam, hoc est, homines habitantes in terra. *Ioan.*1. De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.

36. *Hoc est somnium*, quod scilicet vidisti. *Interpretationem.* Incipit narrare interpretationem: & hoc est. *Interpretationem quoque eius dicemus coram te rex*, hoc est, publicè, & manifestè. *Prouerb.*1. Animaduertite parabolam & interpretationem eius.

37. *Tu rex regum es*, hoc est, aliis regibus imperans. *Apoc.* 19. Habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. *Et Deus cœli*, qui omnia continet, *regnum*, hoc est, potestatem regnandi, *& fortitudinem*, subditos scilicet continendi, *& imperium*, subditis scilicet præcipiendi, *& gloriam*, in decore regni, *dedit tibi. Psal.*20. Gloriam, & magnum decorem impones super eum.

Nabuchodonosor alius regibus imperauit.

38. *Et omnia*, supple, dedit tibi, *in quibus habitant*, per cordis desiderium, *filij hominum*, hoc est, ciuitates, villas, & oppida, *& bestiæ agri*, quas venatione scilicet insequeris, *& volucres cœli*, quas capitis aucupio, *dedit in manu tua. Psal.*8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris. *Et sub diuina tua vniuersa constituit*, & sic quasi imaginem suæ potestatis te in terra fecit. *Ezech.* 28. Tu signaculum similitudinis in deliciis paradisi Dei fuisti. *Tu es ergo caput aureum*, quod scilicet cætera excellit, sicut aurum omne metallum.

Cur regni Nabuchodonosor aureum.

39. *Et post te consurget regnum aliud minus te*: quia scilicet in vrbanitatibus erit corruptum magis, sicut argentum deficit ab auro, & hoc est regnum Persarum. *Isa.*1. Argentum tuum versum est in scoriam. *Et regnum tertium aliud æreum*, supple, significat, hoc est, quod sicut æs se habet ad aurum & argentum, ita se habebit ad alia regna: & hoc fuit regnum Græcorum siue Macedonum: quia non nisi sonoritatem, & non successionem exhibuit. *Psal.*9. Periit memoria eorum cum sonitu. *Quod imperabit vniuersæ terræ*, fama, supple, potius quam effectu. *Psal.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum.

Persarum argentum.

Græcorum æreum.

40. *Et regnum quartum*, Romanorum scilicet, *erit ferreum*, per similitudinem scilicet, non per veritatem. Et explanat similitudinem. *Quemadmodum ferrum comminuit, & domat omnia*, comminuit conterendo sicut per malleum, & domat producendo in formas quas vult, *sic comminuet*, quædam, supple, tesistentia sibi, *& conteret omnia hæc*, hoc est, quidquid sublimitatis fuit in omnibus his. *Iob.* 40. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.

Romanorum ferreum.

41. *Porro quia vidisti pedum & digitorum*, in pede, supple, *partem testeam figuli*, hoc est, partem de testa figuli, *& partem ferream*, hoc, supple, significat quod *regnum diuisum erit, quod tamen*, hoc est, quæ diuisiones, *de plantario ferri orietur*: quia de fortitudine Romani imperij quædam regna fortia, quædam debilia exorientur. *Psal.*2. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. *Secundum quod vidisti regnum mixtum testæ*, per contractum scilicet & non per vnionem, quia mali non per vnionem charitatis, sed per vnionem fictionis coniunguntur. *Psal.*118. Longè à peccatoribus salus. *Osee* 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. *Ex luto.* Scilicet ortos.

42. *Digitus pedum ex parte ferreos*, supple, vidisti: quia de propria fortitudine præsumebant. *Amos* 6. In fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua. *Et ex parte fictiles*, hoc est, debiles, & imbecilles. *Isa.*40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. *Ex parte regnum erit solidum*, humana soliditate, quæ tamen infirma est. *Numer.* 24. Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? *Et ex parte contritum*, sicut videmus in partibus regni Romani. *Psal* 109. Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Isa.* 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. *Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto*, quod tamen per naturam fieri non potest, sed per tactum solum, significat, supple, quòd *commiscebuntur quidem humano semine*, hoc est, per connubia, *sed non adherebunt sibi*, scilicet per charitatem, & spiritus vnitatem, violabunt enim iura naturæ, & inimici erunt ad inuicem. *Ierem.* 9. Omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem detridebit, & veritatem non loquentur. *Sicuti ferrum misceri non potest testæ.* Mali enim non possunt concordare bonis, nec etiam inter se. *Luc.* 11. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

Hominum infida societas.

43. *In diebus autem.* Expositio secundæ partis somnij, de regno Christi, & hoc est quod dicitur. *In diebus regnorum illorum*, hoc est, in fine regnorum illorum, *suscitabit Deus cœli*, continens cœlos scilicet, *regnum*, scilicet Christi, *quod in æternum non dissipabitur.* Quia illi regno non succedet alterum. *Isa.*9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. *Et regnum eius alteri populo non tradetur. Dan.*7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. *Comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc*, Romanorum scilicet imperium. *Isa.*37. Siccáui vestigio pedis mei, omnes riuos aggerum. *Et ipsum stabit*

Regnum Christi sempiternum.

bit in æternum, exclusiuè scilicet, hoc est, in fine, quando æternitas incipit. *Luc.*1. Regni non erit finis.

45. *Secundum quod vidisti.* Visionem adapta ad interpretationem: vnde sensus est, Secundum formam quam vidisti in similitudine, *quod de monte abscissum est lapis*, hoc est, solidum regnum virtute & veritate, *sine manibus*, vnis scilicet operatione. *Eccles.*51. Respiciem eum ad adiutorium hominum, & non erat. *Isa.*63. De gentibus non est vir mecum. *Et comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum*; hoc est, quæcumque sunt huius mundi, omnia enim tanquam nihil reputauit. *Philip.*3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifacium. Et subiungit de confirmatione somnij, & interpretationis veritate. *Deus magnus*, qui omnia per sapientiam & potentiam ambit, *ostendit regi quæ futura sunt post hæc*, hoc est, post eum qui adhuc in conuertendo regis. *Sap.* 12. Adeunes vt relicta malitia credant in te Domine. *Iob* 42. Erudiens eos instruit disciplina, vt mortui hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de superbia. *Et verum est somnium.* Ecce confirmatio, hoc est, narratio somnij, *& fidelis*, hoc est, veraz, *interpretatio eius. Deuter.* 32. Deus fidelis, absque vlla iniquitate, iustus, & rectus. *Tunc rex Nabuchodonosor.* Tangit de [illegible] interpretationis in adoratione, confessione, & exaltatione, quæ per ordinem patet in litera. De adoratione dicit.

46. *Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam. Glossa*: Qui cadit in faciem, videt in quo cadat: qui autem retrò cadit, [illegible] Vnde creditur, quod Deo [illegible] dirus sit, quia retrò cecidit. *Iob* 1. *1. Corinth.* 14. Cadens in faciem suam adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. *Et adorauit Danielem*, hoc est, Deum in Daniele *Psal.*131. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius, hoc est, vbi cognouimus vestigia eius. *Et hostias*, hoc est, per [illegible] *& incensum*, pro diuinitate deuotione, [illegible] *vt sacrificarent ei*, vt scilicet Deum [illegible] rem cognoscere. *Psal.*140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Et de hostia subiungit: Eleuatio [illegible] sacrificium vespertinum, quod erat sacrificium solemnissimum, agnus scilicet qui in vespere offerebatur. Et subiungit de confessione fidei & veritatis.

Cadere significatur sentire in facie, mali retrò.

47. *Loquens ergo rex, ait Daniel*, exponentem scilicet accipiens diuinitatem. *Vere Deus vestter*, quem vos colitis a partibus [illegible] *Deus deorum est & Dominus regum. Sed.* 4. *Reg.*3. Vere tu es Deus in vniuerso mundo, [illegible] *Et Dominus regum*, hoc est, [illegible] reges terræ. *Esther* 13. [illegible] posita. *Reuelans mysteria*, [illegible] occulta superiorum [illegible] *sicut in parabolis*, per [illegible] *sacramentum*, hoc est, hoc [illegible] 24. Dabo [illegible] [illegible] non [illegible]

Nabuchodonosor Deum confitetur.

48. *Tunc rex Danielem in sublime extulit*, demonstrando scilicet, & in potestatem constituendo, sicut dicitur *Genes.* 41. clamante præcone, vt omnes eorum eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ. Et *munera multa, & magna dedit ei*, in quibus Porphyrius [illegible] Danielem: sed Daniel accepit, vt conqueremo ministraret, quibus rex iniuste abstulerat. *Psal.* 111. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Et constituit eum*, vice sua, *principem super omnem prouinciam Babylonis*, hoc est, subditus regno Babylonis, *principem*, in potestate scilicet, *& præfectum*, in iudicia, *& magistrum*, in ordinatione legum, *super cunctos sapientes Babylonis. Genes.* 41. Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Egypti. Et subiungit de recordatione locorum, cum esset in prosperis.

Porphyrius redargutus Danielem.

49. *Daniel autem petiuit a rege*, hoc est, licentiam accepit. *Psal.* 2. Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam. Et, supple, licentia accepta, *constituit super opera*, publica, supple, *prouinciæ Babylonis. Psal.*8. Constituisti eos super opera manuum tuarum. *Sadrach, Misach, & Abdenago. Psal.* 44. Pro patribus tuis natus tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. *Ipse autem Daniel*, præterquam scilicet ante eos, *erat in aula regis*, vt scilicet [illegible] in fauore sui, & capitonum. *Matth.* 23. Quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. 2. *Mach.*15. Hic est fratrum amator, & populi Dei.

CAPVT III.

1. *Nabuchodonosor rex.* Postquam obtentum fuit Nabuchodonosor regi in somnio, quod ipse esset caput aureum, idolum sibi voluit fabricari [illegible] aureum, quod permittit Deus, vt verus pretorum fidelium probaretur, & non iustitia ad fidem ædificaretur: & ideo [illegible] in capitulo illo, scilicet [illegible] & solemnio pretorum probatio, [illegible] *Rex & nobilium* ad fidem ædificatio, ibi. *Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit.* In primo duo sunt [illegible] [illegible] adoratione, & non adoratione non [illegible] ibi. *Nunquam in ipso tempore.* In primo [illegible] scilicet [illegible] adoratione vocatio, vocationem ad adorandum congregatio, scilicet & quando [illegible] prædicatio, [illegible] patent in litera & hoc est.

Nabuchodonosor rex, [illegible] *Isa.* 14. [illegible] [illegible] [illegible]

mè Chaldæis, qui magnis gaudebant imaginibus. *Ierem.* in epist. Nunc autem videbitis in Babylone deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus. Et propter hoc *Isa.* 46. dicitur. Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem, contabuerunt; & loquitur contra Babylonicos. *Et statuit eam in campo Duræ*: eò quod ibi latius erat spatium, in quo multi poterant congregari: vndè & Dura, pulchritudo interpretatur. *Prouincie Babylonis. Hieron.* Verisimile est, quod circumuallauit eam in campo Duræ, vallo aqua pleno ad instar vinarij, ne quis temerè accederet, vel fortè fluuius præterfluebat, & campum circumterminabat. Secundus paragraphus.

Bar.6.

2. *Itaque Nabuchodonosor*, & est de vocatione adorantium. Et hoc est. *Misit ad congregandos satrapas*, qui quasi seniores erant, *magistratus*, qui officia cutiæ ordinabant, *& iudices*, qui causas audiebant, *& duces*, militum scilicet Cerethi, & Pherethi legionum, *& tyrannos*, strenuos scilicet inter milites & præfectos qui singulatibus vallis præerant, *omnesque principes regionum*, qui præsides erant in prouinciis, *vt conuenirent*, corde & corpore, satrapæ quidem & magistratus & iudices, vt consulerent qualiter fieret: duces autem & tyranni & præfecti, vt cogerent. *Psal.* 2. Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum. *Ad dedicationem statuæ*, quia sancta, & diuina erat pronuntianda, *quam erexerat Nabuchodonosor rex.* Nota, quòd hanc statuam erigunt auari, qui aurum vt Deum venerantur. *Ephes.* 5. Auaritia quæ est idolorum seruitus. *Iob* 31. Si pratui aurum robur meum, & obrizo dixi, Fiducia mea. Quasi dicat, malè accidat mihi. *Eccles.* 10. Auaro nihil est scelestius: hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. Tamen videmus, quod satrapæ & magistratus hanc imaginem adorant. *Ierem.* 6. A minore vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student. *Amos* 9. Auaritia in capite omnium. Paragraphus 3.

Auaritia idolatria comparatur.

3. *Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & iudices, duces, & tyranni, & optimates.* Hæc omnia in præhabitis exposita sunt. *Qui erant in potestatibus constituti.* Prælatos verò primò inclinauit, vt per consequens subditi compellerentur, sicut fecit Antiochus 1. *Machab.* 2. Princeps, & clarissimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs & fratribus: ergo accede prior, & fac iussum Regis. *Et vniuersi principes regionum*, cuiuscumque scilicet dignitatis. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum. *Vt conuenirent*, vno consensu, *ad dedicationem statuæ*, hoc est, ad adorationem: *quam erexerat Nabuchodonosor rex. Psal.* 48. Celebitatur nomina sua in terris suis. Sic Herodes honorem diuinum sibi attribuit, & consumptus à vermibus expirauit. *Act.* 12. *Statuam eorum.* Quartus Paragraphus, & est quintus, quando Iuuenes adorandis proponuntur: & hoc est *Statuam eorum*, conflatam Iudæis, vt consulto flamen, prouisor scilicet & speculator: *statuæ*, pulchritudinem & quantitatem, *quam posuerat Nabuchodonosor rex.*

4. *Et qui dedicandis adsunt*, hoc est, magistratus. *Filius Maccabæi*

ciuitatis populus dicitur, *& tribubus.* Populus enim pro tribu dicitur, *& linguis*, eò quod homines diuersarum linguarum regi subiciebantur.

In hora qua audieritis sonitum tubæ, corneæ scilicet, vel metallicæ, *& fistulæ*, quæ diuersis foraminibus sonum modulatum emittit, *& citharæ*, quæ chordis æneis super concauum extensis componitur, *& sambucæ*, quæ per rotundum non perforatam sonum emittit, *& Psalterij*, quod decem chordis super concauum extensis perficitur, *& symphoniæ*, quæ erat in cantibus sacerdotum. *Et vniuersi generis musicorum*, de quibus dicitur *Amos* 5. Auferè à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. *Amos* 6. Canitis ad vocem Psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. *Cadentes adorare statuam auream.* Benè dicit cadentes: quia nisi prius caderent, non adorarent. *Matth.* 4. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. *Quam constituit Nabuchodonosor rex*, ad adorandum scilicet. Hanc statuam adorari videmus in pulchritudine mundi, & diuitiis. *Psal.* 113. Simulachra gentium, argentum & aurum. In symphoniis, hoc est, in mundanis gaudiis etiam adorant. *Iob* 21. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et subdit de non adorantium comminatione.

5. Fistula. Cithara.

Sambuca.

Psalterium. Symphonia.

Si quis autem non prostratus adorauerit, corde scilicet & corpore. *Ioan.* 4. Vos adoratis quod nescitis. *Eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Hebræ.* 10. Terribilis expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Et sequitur de obedientia populorum.

6.

Post hæc igitur, Principibus scilicet inclinatis, *postquam vt audierunt omnes populi*, tribus, & linguæ, *sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ, & Psalterij, symphoniæ, & omnis generis musicorum*, sicut præconizatum fuit, *cadentes. Hieronym.* Benè dicit cadentes, tam mente, quàm corpore. Qui autem in *Apoc.* Dominum adorant, in faciem cadunt. *Apoc.* 5. Ceciderunt in faciem suam, & adorauerunt viuentem in sæcula. *Adorauerunt statuam auream*, venerationem diuinam exhibentes, *quam constituerat Nabuchodonosor rex.* Confusionis enim rex constituit, vt aurum adoraretur. Propter quod dicitur. *Matth.* 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Et sequitur: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

7.

Qui Deum adorant, cadunt in faciem.

Statimque in ipso tempore. Tangitur de puerorum accusatione, & habet tres partes, scilicet accusationem, accusationis examinationem, ibi, *Tunc Nabuchodonosor in furore.* Et examinatorum cõdemnationem, ibi, *Tunc Nabuchodonosor repletus.* In primis duo sunt, præcepti regis cõmemoratio, & accusationis formatio: & hoc est. *Statimque in ipso tempore*, ne aliquis obliuionis posset esse causa, *audiuit enim ad vnum. Ecclesiast.* 1. Pedes illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocuum. *Accidentes ergo Chaldæi*, ad regem scilicet inuidia stimulati, *accusauerunt*, id est, obtulerunt in orbem *Iudæos*: *Iudæos autem dicunt*, qui sunt ex

8.

Chaldæi in tres partes inuidia.

parte

parte illius. *Accusauerunt Iudæos.* Peccator accusat iustum. *Sap.* 2. Grauis est nobis etiam ad videndum.

9. *Dixerunt viro Nabuchodonosor regi*, in dolo scilicet blandientes, *Rex in æternum viue.* Captant benevolentiam. *Psal.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum.

10. *Tu rex*, tantæ potestatis scilicet. *Isa.* 36. Hæc dicit magnus rex Assyriorum. *Posuisti*, hoc est, firmiter statuisti, *decretum*, hoc est, decretale præceptum, quod non licet violari. Ac si dicerent id *Esther* 3. Optimè nosti, quòd non expediat regno tuo, vt insolescat per licentiam, *vt omnis homo*, quia neminem excepisti, *qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & Psalterij, & symphoniæ, & vniuersi generis musicorum. Glossa:* Hæc omnia fiebant, vt & statua honoraretur, & populus citius seduceretur. *Prosternat se*, conculcandum scilicet à dæmonibus. *Iob* 20. Vadent, & venient super eum horribiles. *Isa.* 51. Dixerunt animæ tuæ, Incurua vt transeamus: & posuisti vt terram corpus tuum transeuntibus. *Et adoret statuam auream.* Contra quod dicitur *Matth.* 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

11. *Si qui autem non procidens adorauerit*, statuam scilicet, *mittatur in fornacem ignis ardentis. Hieronym.* Non statim dicunt, vt eos interficiat, sed eos primùm in odium regis regem pertrahunt. Et subinsegit de accusatione. *Sunt qui viri Iudæi.* Ac si dicant: Si aliqui nobiles, & tui ciues fecissent, non esset tam mirandum, vt de istis extraneis, *quos constituisti super opera regionis Babylonis. Hieronym.* Insidiosè dicunt, quasi dicerent, Quos captiuos & seruos principes fecisti, & nobis præposuisti, in superbia dei præcepta tua contempserunt. *Sadrach, Misach, & Abdenago.* De Daniele tacent, quia ipsum in foribus regis existentem accusare non audebant. *Viri isti*, quos scilicet honorasti, *contempserunt rex decretum tuum*, & sic te adorare noluerunt ingrati & immemores beneficij, vt dicit *Hieronym. Psal.* 34. Retribuebant mihi mala pro bonis. *Deos tuos non colunt.* Ac si dicant: Tua iniuria etiam in deos redundat. *Et statuam auream quam erexisti*, scilicet in magnificentiam & ostentationem, *non adorant*, & hoc est, tuam contemnunt. *Iude cap.* Dominatione spernunt, maiestatem blasphemant. Tamen aliter adorationem faciunt accipientes personarum, qui diuites adorant pro diuitiis, sicut quos dicitur. *Iacob* 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. *Act.* 10. In omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Non est personarum acceptor Deus.

Contra acceptores personarum.

13. *Tunc Nabuchodonosor.* Tangit de accusationis examinatione, examinandis secundò, id loquendo, & vt prius compendiosè dicendo. Et hoc totum fecit primò, & [illegible] sibi responsiones [illegible] *Sadrach.* Dicit ergo: *Tunc Nabuchodonosor* [illegible] *ira*, furentis. *Psal.* 17. [illegible] similitudinem [illegible]. *Et ira*, [illegible] licet pœnæ. *Tunc* [illegible] in ira [illegible] Dei operantur. *Præcepit ut adducerentur* [illegible] consultores Chaldæi, [illegible] *Abac.* 1. [illegible] *Quia* [illegible]

sium adducti sunt in conspectu regis, illusione scilicet regis vrgente. *Thren.* 5. Cruciibus minabamur, lassis non dabatur requies.

Pronuntiansque Nabuchodonosor rex ait eis, examinans veritatem accusationis: & hoc est. *Verum Sadrach, Misach, & Abdenago*, quos ex nomine noui, & exaltaui, *Deum meum non colitis*: & sic vt mihi non proponitur vultus, *& statuam auream quam constituo, non adoratis?* & sic scilicet maiestatem meam contemnitis. Mirantur enim mundani, quòd boni diuitias & delicias non colunt. 1. *Pet.* 4. Mirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.

14.

Nunc ergo. Reuocat ad sui præcepti impletionem: & hoc est. *Si estis parati*, sine mora, *in quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, &c.* In gaudio enim vult deducere diem. *Prosternite vos*, à dæmonibus scilicet conculcandos. *Ierem.* 2. Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. *Et adorate statuam quam feci*, vt meam maiestatem videamini venerati. *Quod si non adoraueritis.* Pœnam subiungit. *Eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis.* Ignis vlciscebatur: quia ignis actiua proprietate plus affligit. *Isa.* 26. Ignis hostes meos deuorat. Et prorumpit in blasphemias. *Et quis est Deus qui eripiat vos*, hoc est, eripere possit de manu mea? Simile dixit *Isa.* 36. Vbi sunt dij gentium qui eruerint terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea? *Dicunt.* 12. etiam dicit: Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? *Respondentes.* Tangitur hic responsio puerorum fide & constantia plena, & habet duo, scilicet responsionem, & condemnationem. Responsio comminationem vanam, confusionem vanam, fidem diminuit, & deuotionem confirmat: & hoc est.

15.

Respondentes Sadrach, Misach, & Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor, ne tacentes vilis videremur: *Non oportet nos de hac re respondere tibi*, scilicet in Deum posse adorare non, *Iudæi*, enim magis probandum est quam verba: sicut enim dicunt, verba fore quibus loquitur Deus. 1. *Pet.* 2. Hoc Deus non de remotione [illegible] [illegible] *Ecce* [illegible] Cum [illegible] in igne, non combusti [illegible] non [illegible] in te.

16. Non timemus.

Deus noster, qui vobis est, *de hac* [illegible] *potest eripere.* *Psal.* 1. Deus noster refugium [illegible] *Quem colimus. Psal.* 43. Si obliti [illegible] & si exercidimus [illegible] *Deus* [illegible] *Psal.* 17. [illegible] *Deus* [illegible] *Iob* 13. [illegible] *Deus* [illegible] *Ecce* [illegible] *Deus* [illegible] *Ecce* [illegible] *Deus* [illegible] *Ecce*

Isa. 12. Notas facite in populis adinuentiones eius, *Quòd deus tuus non colimus.* 1. ad *Corinth.*8. Et si sunt qui vocantur dij, siue in cœlo, siue in terra, siquidem sunt dij multi, & Domini multi, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo. *Et statuam auream quam erexisti, non adoramus*: eò quod altitudinem mundi in diuitiis, & deliciis, & honoribus non venemur. *Deuter.*6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore.* Tangitur hic sententia condemnationis in sententia, in effectu, & in miraculi perfectione, & hoc est.

19. *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore.* In furore enim & non in iustitia regnabat. Vnde *Isa.* 14. de eo dicitur: Subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. *Et assectus faciei illius*, hoc est, Nabuchodonosor, *mutatus est*, vt scilicet sufflaret per nares, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaret. *Isa.*2. Quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus eius. *Esther.* 15. Cum eleuasset faciem rex, regina corruit, in pallorem colore mutato. *Super Sidrach, Misach, & Abdenago*, quos antea charos habuerat. De Daniele non fit mentio, vt dicit *Hieron.* Quia cum rege erat, qui propriam statuam non adorabat. *Matth.*10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Et præcepit vt succenderetur fornax*, quæ in campo parata fuerat. *Isa.*9. Succensa est quasi ignis impietas, *Septuplum quam succendi consueuerat*: septem enim vitiis inflammatus, septuplum incendij recepit, quasi simplex ignis non sufficeret ad torrendum sanctos.

Daniel non adoranis statuam.

Cur Nabuchodonosor præcepit fornacem septuplum accendi.

20. *Et viris fortissimis de exercitu suo*, quos putabat etiam diuinæ fortitudini resistere, *iussit*, Nabuchodonosor scilicet, *vt ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago*, ne solutis pedibus extra ignem resilire possent, *mitterent eos in fornacem ignis ardentis*, vt tam ligati vinculis, quam concluſi fornace, ignem non euaderent. *Sap.*3. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos.

21. *Et confestim viri illi.* Tangit de executione sententiæ per opus, & hoc est quod dicit. *Viri illi*, tres pueri scilicet, *vincti cum braccis*, siue sarabellis, quod Chaldæum verbum est, & significat crurum & tibiarum regimen, braccas scilicet, *& tiaris*, Græcum est, & genus est pileoli, *& calceamentis.* *Epist.*6. Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. *Et vestibus*, ne nudi apparerent, *missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Vincula significant obedientiam. *Isa.*45. Vincti manicis pergent, & te adorabunt. Braccæ castitatem. *Isa.*52. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Tiaræ spiritum salutis. *Epist.*6. Galeam salutis assumite. Calceamenta consideratione humilitatis mortalitatis. *Exod.* 12. Calceamenta habebitis in pedibus. Vestimenta significant honestatem conuersationis. *Isa.*61. Induit me Dominus vestimentis salutis. Fornax ardens significat asperitatem nouadiuæ tribulationis. *Ita* ergo hoc vas omnes accendentes ignem, secundi Dominus, ambulate.

Braccæ & sarabellæ & tiaræ quid.

22. *Nam iussa regis vehementer*, qui in furore volens hoc fieri. *Sap.*6. Non custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.

Fornax autem succensa erat nimis. 1. *Ioan.*5. Mundus totus in maligno positus est. Et subdit de perfectione miraculi duplicitè, quoad bonos, & quoad malos. De malis dicit. *Porro viros illos*, fortissimos scilicet de exercitu suo, *qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago*, supple, in fornacem, *interfecit flamma ignis*, *Hieronym.* Vt non solum de miraculo pertimesceret, sed etiam exercitus sui cladem sentiret. *Psal.* 105. Flamma combussit peccatores. *Sap.* 16. Ignis exardebat vndique, vt iniquam terræ nationem exterminaret.

Viri autem hi tres, viriliter scilicet stantes in Dei fide. *Sidrach, Misach, & Abdenago.* *Eccles.*4. Funiculus triplex difficile rumpitur. *Ceciderunt*, præcipites scilicet, quia ligati, *in medio camino ignis*, vbi flamma fortior fuit, *colligati*, nè flammas possent euadere. *Psal.*149. Ad alligandos reges eorum in compedibus. 23.

Et ambulabant. Hic tangitur gratiarum actio primò per modum orationis, & secundò per modum gratiarum actionis, ibi, *Et non cessabant.* In oratione duo sunt, confessio, & oratio, ibi, *Ne quæsumus tradas nos.* In confessione primo confitetur in communi, secundo in speciali, & hoc est. *Et ambulabant*, soluti scilicet vinculis exustis, ignis enim beneficij obsequium contulit, & iniuriam non intulit, vt dicit *Hieron.* *In medio flammæ*, sicut scilicet in vento roris, *laudantes Deum*, prædicatione virtutis scilicet Dei. *Eccles.* 51. Collaudabo te Deum saluatorem meum. *Et benedicentes Dominum*, in gratiarum scilicet actione. 1. ad *Tess.* *vlt.* In omnibus gratias agite. 24.

Stans autem Azarias. In speciali tangit confessionem. Stetit autem, vt dicit *Hieron.* in aduersis fortis, quia stare fortium est. 2. *Paralip.* 20. Confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos. *Orauit sic.* Oratio est pius affectus mentis in Deum directus. *Psal.* 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Aperiensque os suum*, magna scilicet dicturus. *Psal.* 119. Os meum aperui, & attraxi spiritum. *Sap.*24. Aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur. Os enim illud est apertum, quod non oppilauit iniquitas. *In medio ignis ait*, vt mirabilior scilicet esset prædicatio. *Benedictus es Domine Deus.* Laudat hic Deum ex amore patrum, ex veritate operum, ex iustitia iudiciorum: & hoc est. 25. *Stare fortis est.*

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, hoc est, qui misericordias promissionis patrum custodis in filios. *Exod.*20. Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. *Deuter.* 4. Dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. *Deuter.*10. Patribus tuis conglutinatus est. *Et laudabilis*, scilicet prædicatione virtutis, *& gloriosum nomen tuum in sæcula*, scilicet clarum cum laude notum. *In sæcula*, scilicet. *Isa.* 6. Plena est omnis terra gloria eius. 26.

Quia iustus es, in retributione scilicet pro meritis, *in omnibus quæ fecisti nobis.* *Isa.* 3. Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum ad inuentionis suæ comedet. *Væ impio in malum*, scilicet, retributio enim manuum eius fiet ei. *Et omnia opera tua vera*, supple, sunt, rectitudini æternæ conformia, quæ scilicet circa nos fecisti. 27. *Azarias iustitiam Dei commendat.*

fecisti. *Deuteron.* 32. Deus fidelis, absque vlla iniquitate, iustus, & rectus. *Et viæ tuæ rectæ*, hoc est, vestigia. *Psal.*144. Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. *Et omnia iudicia tua vera*, quæ scilicet contra nos fecisti. *Tob.* 3. Omnia iudicia tua vera sunt, & omnes viæ tuæ misericordia & veritas.

28. *Iudicia enim vera fecisti*, hoc est, malis meritis nostris debita. *Ezech.* 18. Nunquid via mea non est æquia? *Iuxta omnia*, mala, supple, *quæ induxisti super nos.* *Matth.*21. Malos malè perdet. *Et super ciuitatem sanctam*, sacramentis tuis scilicet sanctificatam. *Isa.*1. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. *Patrum nostrorum*, hoc est, patribus nostris datam, *Ierusalem.* *Isa.*64. Ciuitas sancta tua facta est deserta. *Quia in veritate*, hoc est, secundum merita nostra, *& in iudicio*, supple, iusto, secundum tuam iustitiam, *induxisti omnia hæc propter peccata nostra.* *Hieron.* Quidquid patimur, peccata nostra meruerunt. *Gregor.* Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Et subiungit confessionem peccati dicens.

29. *Peccauimus enim*, in nos scilicet in inordinato actu. *August.* in 2. lib. confess. Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sibi omnis sit inordinatus actus. *Psal.* 105. Peccauimus cum patribus nostris. *Et iniquè egimus*, in proximos scilicet corrumpendo eos. *Isa.*3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? *Recedentes à te*, per incommutabilis boni desertionem. *Ierem.* 2. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. *Ierem.* 17. Recedentes à te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. *Et deliquimus in omnibus*, omittentes scilicet mandata tua. *Osee.* 4. Dominum dereliquerunt in non custodiendo. *Isa.* 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël. *Peccata confitetur.*

30. *Et præcepta tua non audiuimus*, obediendo scilicet. *Zachar.* 7. Auerterunt scapulam recedentes. *Nec obseruauimus*, in opere scilicet: duo enim peccata sunt, nolle audire, & audi. tui nolle obedire. Contra quod dicitur in *Psal.* 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Nec fecimus sicut præceperas nobis*, vt scilicet ad lineam præceptorum tuorum ambularemus. *Prouerb.*6. Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. *Vt bene esset nobis*, in obseruatione scilicet legis. *Isa.* 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Ex his ergo concludit subdens.

31. *Omnia ergo quæ induxisti super nos*, mala, supple, & quod dicit super nos, notat oppressionem. *Psal.* 37. Sicut onus graue, grauatæ sunt super me. *Et vniuersa quæ fecisti nobis*, iudicio tuo. *Psal.*119. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. *Vero iudicio fecisti*, hoc est, recto, & meritis nostris, *competenti.* *Psal.*18. Iustitiæ Domini rectæ.

32. *Et tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum*, qui vt inimici volunt nocere, & vt iniqui nulla virtutis honestate refrænantur. *Psal.* 24. Odio iniquo oderunt me. *Et pessimorum*, crudelitate scilicet propria. *Ierem.* 6. Crudelis est, & non miserebitur. *Prænaricatorumque*, qui nulla alicuius legis iustitia refrænantur. *Isa.*48. Scio quia prænaricans prænaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. *Et regi iniusto*, Nabuchodonosor scilicet: vnde *Isa.*14. dicitur de ipso. Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. *Eccl.* 10. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi. *Et pessimo vltra omnem terram*, supple, regi. *Abac.* 1. Et semper interficere gentes non cessat.

Et nunc, præ confusione, supple, qua in nobis ipsis confundimur, *non possumus aperire os.* *Isa.*38. Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim? Causam autem subiungit. *Confusio*, cordis scilicet in conscientia, *& opprobrium*, exprobrationis exterius, *facti sumus seruis tuis*, obiicimur enim eis ad exprobrationem, *& his qui colunt te*: quia bonis infertur confusio & opprobrium propter nos. *Psal.*78. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Et iuxta confessionem ponit orationem, quæ conficitur ex quinque, scilicet gloria nominis, suffragio paternæ intercessionis, confessione humiliationis, sacrificio tribulati cordis, sequela perseuerantissimæ voluntatis: & hoc est. 33.

Ne quæsumus tradas nos in perpetuum, hostibus scilicet in æternum cruciandos. *Isa.* 64. Ne irascaris Domine satis. *Psal.* 73. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. *Propter nomen tuum*, quod bonitatis nomen est. *Cantic.* 1. Oleum effusum nomen tuum. *Et ne dissipes testamentum tuum*, quo scilicet testatus es, te nobis daturum. *Luc.* 1. iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. 34. *Deum erat.*

Neque auferas misericordiam tuam à nobis, qua scilicet promisisti te nasciturum ex nobis. 2. *Machab.* 6. Corripiens in aduersis populum suum non derelinquit. *Psal.*88. Misericordiam meam non auferam ab eo, neque nocebo ei in veritate mea. Et interponit suffragia patrum dicens: *Propter Abraham dilectum tuum*: quia ex diuersis electus est. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. *Ioan.*15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. *Et Isaac seruum tuum.* Seruum vocat, quia simpliciter obediuit. *Hebræ.*11. In Isaac vocabitur tibi semen. *Et Israël sanctum tuum*, cui primo sanctitas templi, & cultus Dominì monstrata sunt. *Gen.*28. *Sap.*10. Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum. 35. *Quare Abraham dicitur dilectus Dei, Isaac seruus & Israël sanctus.*

Quibus locutus es, per seipsum apparens scilicet. *Hebræ.* 1. Multifariè, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis. *Polliceni*, hoc est, promisisti, *quòd multiplicaret semen eorum*, hoc est, natos ex ipsis bonos, *sicut stellas cœli.* *Dan.*12. Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ, in perpetuas æternitates. *Gen.* 15. Suspice cœlum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum. *Et sicut arenam quæ est in litore maris*, quantum ad malos, qui graues sunt sicut arena, & traduntur tribulationibus seculi. *Psal.*138. Dinumerabo eos, & super arenam maris multiplicabuntur. Et subdit de humiliatione. 36.

37. *Quia imminuti sumus Domine*, multis scilicet interfectis, *plusquam omnes gentes. Matth.7.* Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniant eam. *Sumusque humiles*, ad humum scilicet conculcati. *Psal 43.* Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Item *Psal. 106.* Propter iniustitias suas humiliati sunt. *In vniuersa terra*, vt omnes scilicet nos despiciant. *Psal.21.* Opprobrium hominum, & abiectio plebis. *Propter peccata nostra. Ier.2.* Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. *Thren.1.* Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.

38. *Et non est in tempore hoc.* Ostendit, quòd non est expiatio per sacrificium exterius. *Princeps. Osee 3.* Dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe. Et intellige, quòd non est princeps, qui ordinarie possit populum. *Et Propheta*, qui reponsum possit dare diuinum. *Isa. 29.* Claudet oculos vestros, Prophetas, & principes vestros. 3. *Reg.19.* Prophetas tuos occiderunt. *Psal. 73.* Iam non est Propheta. *Et dux*, qui spiritualiter scilicet ducat populum. *Isa.56.* Speculatores eius cæci omnes. *Matth.15.* Cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Neque holocaustum*, totum scilicet in igne consumptum, sicut deberent esse viri spirituales. *Psal.16.* Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. *Neque sacrificium*, scilicet Deo sacrificatum de aridis, vel de liquidis. *Psal.50.* Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. *Neque oblatio*, quæ partim incenditur, & partim redditur offerenti. *Psal. 39.* Holocaustum pro peccato non postulasti. *Neque incensum*, exterius scilicet, spiritualiter autem redolentia deuotionis, quam semper voluit Deus. *Psal.140.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Neque locus primitiarum coram te*, sed, supple, primitias cordis offerimus, hoc est, præcipuos fructus. *Prou.3.* De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus.

39. *Vt possimus*, supple, per hæc exteriora quæ tu non curas, *inuenire misericordiam tuam. 1. Reg.16.* Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Et subiungit modum veræ conuersionis. *Sed in animo contrito*, per pœnitentiam, supple, conterentem in se peccatum, & omnes peccati delectationes, *& spiritu humilitatis*, scilicet vt non nisi humilia sentiamus de nobis ipsis, *suscipiamur*, scilicet ad misericordiam. *Psal.50.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Modus veræ conuersionis.

40. *Sicut in holocausto arietum*, qui Apostolos & prælatos significant pro fide immolatos, *& taurorum*, qui significant prædicatores scindentes corda fidelium vomere prædicationis. *Prouerb. 14.* Vbi apparent plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. *Et sicut in millibus agnorum pinguium*, qui significant simplices Deo se in sacrificium offerentes. *Psal. 68.* Placebit Deo super vitulum nouellum coram producentem & vngulas. *Sic fiat sacrificium nostrum*, hoc est, in eadem fide & deuotione acceptum, *hodie*, in luce tuæ gratiæ, *in conspectu tuo*, hoc est, vt ante nos respicias. *Genes. 4.* Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. *Vt placeat tibi*, & placatus sias nobis. *Exod.32.* Placatus est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. *Quoniam non est confusio.* Confusio est à spe cadere, & rem speratam non inuenire. *Rom. 5.* Spes non confundit. *Ierem. 17.* Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. *Confidentibus in te*, hoc est, sperantibus in te. *Isa.40.* Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. *Psal. 31.* Sperantem in Domino misericordia circumdabit.

Et nunc sequimur, in hac præsenti tribulatione, *te*, vt lucem, & vitæ præceptorem. *Ioan. 8.* qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *Iob 23.* Vestigia eius secutus est pes meus. *In toto corde*, nihil cordis à te auertentes. *Ioël.2.* Conuertimini ad me in toto corde vestro. *Psal.118.* In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me. 41.

Et timemus te, filiali scilicet timore, qui semper vtilis est. *Iob 31.* Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. *Deuter. 10.* Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, ac seruias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua? *Et quærimus faciem tuam*, hoc est, notitiam, & præsentiam tuam. *Psal.102.* Quærite faciem eius semper. *Philip. 3.* Posteriorum oblitus ad priora se extendens.

Timor semper vtilis est.

Ne confundas nos, fraudandos scilicet re sperata. *Psal.118.* Non confundas me ab expectatione mea. *Isa.50.* Scio quoniam non confundar. *Sed fac nobiscum*, hoc est, nos adiuuando. *Psal. 125.* Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. *Iuxta mansuetudinem tuam*, quam semper in sanctis ostendit. *Matth.11.* Discite à me, quia mitis sum. *Numer. 12.* Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. *Et secundum multitudinem misericordiæ tuæ*, supple, fac nobiscum. *Isa.63.* Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum, super me continuerunt se. 42.

Et eruе nos in mirabilibus tuis. Mirabilibus enim Dei sancti liberantur. *Eccles. 36.* Innoua signa, & immuta mirabilia. *Psal.76.* Tu es qui facis mirabilia. *Et da gloriam nomini tuo Domine.* Per hoc enim gloriosè nominandus eris in tota terra. *Psal.78.* Propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. 43.

Et confundantur omnes confusione scilicet pœnitentiæ, vel æterna, *qui ostendunt seruis tuis mala*, vel faciendo, vel malum exemplum dando. *Mich.7.* Aspiciet inimica mea, & operietur confusione. *Psal. 108.* Induatur sicut diploide confusione suâ. *Confundantur in omnipotentia tua*, cognoscendo quòd potentia eorum infirmitas est. 1. ad *Corinth. 1.* Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. *Vel in omnipotentia tua*, vt potentiam tuam ostendas contra eos. *Eccles. 36.* Glorifica manum, & brachium dexterum, excita furorem, & effunde iram. *Et robur eorum conteratur*, in quo scilicet confidunt. *Isa. 14.* Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. *Isa.1.* Erit fortitudo vestra, vt fasilla stupæ. 44.

Et sciant, quia tu es Dominus Deus solus, cognoscentes te in tribulatione, quem in prosperis noluerunt 45.

noluerunt cognoscere. *Isa. 26.* in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Et gloriosus super orbem terrarum*, solus scilicet. *Psal. 67.* Gloriosus Deus in sanctis suis mirabilis. *Et non cessabant.* Hic incipit agere de gratiarum actione, & dicit duo, magnitudinem scilicet beneficij, & gratiarum actionem, ibi, *Benedictus es Domine Deus.* In primo tria sunt, grandis scilicet humana malitia, mirabilis Dei clementia, & liberatorum in magna laude lætitia. Dicit ergo.

46. *Et non cessabant ministri regis*, malitia eos vrgente, *qui miserant eos*, tres pueros scilicet in fornacem, *succendere fornacem*, vt igne testexo in seipso ardentior esset. *Naphtha. Sallustius* dicit naphtha esse genus fomitis apud Persas, quo maximè nutriuntur incendia. Alij dicunt naphtham esse ossa oliuarum arefacta. Vnde Græcè νάφθα dicitur, eò quod ignem nutriat, qui Græcè πῦρ vocatur. *Plinius* dicit naphtham circa Babylonem instar liquidi bituminis profluere, & nutriendis ignibus amicam esse. Significat autem nutrimenta carnalis concupiscentiæ. *Ierem.* in epist. Mulieres eorum circumdatæ funibus sedent, succendentes ossa oliuarum. *Et stupa*, quæ de facili ignem conciperet. *Eccles.21.* Stupa collecta synagoga peccantium. Significat enim fomenta libidinis. *Et pice*, qua ignis fortiter hæreret, & significat peccati consuetudinem. *Eccl.13.* Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Et malleolis.* Sarmenta vitium dicuntur malleoli, eo quod ad nodos maioris quantitatis sunt, quam in medio, & significant quotidiana lucra, & quotidiana gaudia, æstum concupiscentiæ nutrientia. *Osee. 10.* Ephraim vitula docta diligere triturare.

Naphtha quid.

Baruch.6.

47. *Et effundebatur flamma*, fumi scilicet succensi, *super fornacem*, hoc est, extra fornacem, *cubitis 49.* Quinquagenarius numerus remissionis numerus est, à quo defecit 49. & ideò peccati numerus est, quia flamma concupiscentiæ vorat, qui ad remissionem non perueniunt. *Deut. 32.* Ignis succensus est in furore meo.

48. *Et erupit*, extra fornacem scilicet. *Thren. 2.* Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro. *Et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis.* Quia etiam calor concupiscentiæ lambit eos, qui propinqui sunt concupiscibilibus. Vnde Loth. *Gen.19.* dictum est, Non stes in omni circa regione. Et subiungit de Dei clementia.

49. *Angelus autem Domini*, qui nunquam defuit suis. *Malac. 3.* Ego mittam Angelum, & præparabit viam ante faciem meam. *Psal. 90.* Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. *Descendit*, per operationem scilicet visibile, *cum Azaria, & sociis eius. Matt.18.* Vbi sunt duo vel 3. congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *In fornacem.* Ad literam. *Psal.90.* Cum ipso sum in tribulatione. *Et excussit flammam ignis de fornace*, ne pueros scilicet lædere posset. *Isa 43.* Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.

50. *Et fecit medium fornacis*, vbi ignis fortissimus fuit, *quasi ventum roris flantem*, vt per rorem esset extinctiuus, per ventum autem refrigeratiuum. *Psal. 147.* Flauit spiritus, & fluxerunt aquæ. Hoc etiam videmus fieri quando expulsa flamma diaboli à corde, refrigerium sentitur Spiritus sancti, sicut in Magdalena. *Et non tetigit eos omninò ignis*, pueros, supple, tactu physico ad nocumentum, & hoc est, *neque contristauit*, id est, non contristauit in cordibus, *nec quicquam molestiæ intulit*, etiam in vestibus. *Sap. 3.* Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.

51. *Tunc hi tres*, liberati scilicet magnificè, *quasi ex vno ore*, vnanimi scilicet voluntate *Rom. 15.* Vnanimes vno ore honorificetis Deum. *Vel vno ore*: quia diuisum os non imperat, vt dicit *Glossa* super id 1. *Pet. 3.* In fide omnes vnanimes. *Laudabant*, præconio virtutis scilicet. *Psal.145.* Laudabo Dominum in vita mea. *Et glorificabant*, demonstratione claritatis & celsitudinis. *Eccles. 43.* Glorificantes Dominum exaltate, quantumcumque potueritis, & superualebit adhuc admirabilis magnificentia eius. *Et benedicebant*, in gratiarum actione scilicet, *Deum in fornace, dicentes. Tob.13.* Benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Ipsum Benedicite, & cantate ei.

52. *Benedictus es Domine Deus*, In hac gratiarum actione duo sunt, scilicet benedictio puerorum, & ad benedicendum Dominum inductio creaturarum, ibi, *Benedicite omnia opera.* In benedictione puerorum duo sunt, scilicet benedictio pro specialibus beneficiis patrum, & benedictio pro generali generali gubernatione omnium, ibi, *Benedictus es in throno.* In primo tria sunt, scilicet assumptio patrum, notitia nominis in profectu filiorum, perfectio sanctificationis in pertinentibus ad templum. Et hoc est: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum*, quorum scilicet semen apprehendisti. *Hebre. 2.* Semen Abrahæ apprehendit. *Et laudabilis*, virtute, *& gloriosus* claritate maiestatis, *& superexaltatus*, vt omnia excellat. *Isa.2.* Exaltabitur Dominus solus. *Eccles.43.* Ipse omnipotens est super omnia opera sua. *In sæcula*, hoc est, in spatio omnium sæculorum. *Psal. 145.* Laudabo Dominum meum in vita mea, psallam Deo meo, quandiu fuero. *Et benedictum nomen gloriæ tuæ.* Secundus versus est, quo scilicet innotescis & nominaris in profectibus sanctorum. *Sanctum*, hoc est, in nobis sanctificatum. 2. *Matth.6.* Sanctificetur nomen tuum. *Apoc.3.* Scribam super eum nomen Dei mei. *Et laudabile, &c.* Et subiungit de perfectione sanctificis in templo. *Cantica trium puerorum.*

53. *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ*, in quo scilicet gloriam patribus ostendisti. Et hoc templum vel est cœlum, vel literale templum, vel Ecclesia, vel fidelis anima. *Psal.64.* Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. *Ierem. 7.* Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. 1. *Corinth. 3.* Templum Dei sanctum est, quod estis. *Ibid.* *Et superlaudabilis in sæcula.* Et subdit de vniuersali gubernatione, scilicet quantum ad instituendum debitum, quantum ad prouidentiæ intuitum, & quantum ad institutionem ornatum. De primo dicit. *Templum cœlum, vel Ecclesia, vel anima.*

54. *Benedictus es in throno regni tui*, quod regnum totus mundus est, quem vt rex dispensat. *Prouerb. 20.* Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. *Psal. 9.* Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam. *Et super* *Deus mundum regit & gubernat.*

superexaltatus in sæcula. Et subdit de prouidentia.

55. *Benedictus es qui intueris abyssos*, hoc est, absconditas partes, in quibus nihil te latet. *Eccles.* 23. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi. *Et*, id est, quia, *sedes*, hoc est, quiescis, *super Cherubim*, hoc est, super plenitudinem scientiæ. Non enim discurris super scita sicut nos, nec tua scientia causatur à scitis sicut nostra: sed tua scientia est causa scitorum, & sicut pertingis vbique faciendo, sic pertingis vbique videndo. *Iob* 42. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. *Sapient.* 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. *Et laudabilis, &c.*

Scientia Dei causa rerũ.

56. *Benedictus es in firmamento cœli*, intransitiuè, hoc est, in firmamento, quod est cœlum: & dicitur cœlum firmamentum, quia firmat omnia in se contenta, ipsum autem à Deo firmatum est. *Gen.* 1. Vocauit Deus firmamentum cœlum. *Matth.* 6. Pater noster qui es in cœlis.

Quare cœlum dicitur firmamentũ.

57. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Omnia quæ hic inducuntur, vt materia laudis diuinæ inducuntur, & tunc benedicere Dominum dicuntur, quando virtutibus sibi inditis faciunt ea ad quæ instituta sunt. Hunc tenet ordinem. Primò inducit ea quæ in alto sunt, secundò ea quæ inter altum & imum generantur, ibi, *Benedicite omnis imber & ros.* Tertiò inducit ea quæ in imo sunt, ibi, *Benedicat terra Dominum.* Inter alta primò ponit opera in communi, secundò in speciali, ibi, *Benedicite Angeli.* Et hoc est. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, omnia opera Domini siue in natura, siue in nobis bona sunt, & ideò materia laudis diuinæ sunt. *Gen.* 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. De operibus quæ facit in sanctis. *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es nobis Domine. Nihil enim bonum potest fieri sine ipso. *Ioan.* 15. Sinè me nihil potestis facere. *Laudate. Eccl.* 43. Deum in operibus suis exaltate. Laudat autem: quia virtus Dei in ipso demonstratur. Superexaltat autem: quia creator supereminere proprietatibus creaturæ probatur. *Et superexaltate eum in sæcula*: quia à principio vsque ad finem, ab ipso continetur. *Isa.* 55. Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris. De continentia autem dicitur. *Isa.* 40. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo pondeauit? Et subiungit in speciali.

58. *Benedicite Angeli Domini Domino.* Et omnes spiritus cœlestes vocat Angelos, propter hoc quod ad minus descensu illuminationum mittuntur, quæ à superioribus ad medios, & à mediis ad inferiores descendunt. *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? *Psal.* 102 Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute. *Laudate, &c.*

59. *Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt Domino.* Aquæ istæ quæ super cœlos sunt, vt dicit *August.* minutissimis guttis ibi suspensæ sunt. Vnde quidam autumant idde rorem descendere. Vel forte melius dicitur, quod aquæ nomen est proprium materiæ. *Gen.* 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et ratione perspicuitatis in cœlo crystallino sunt super cœlos, ratione autem fluiditatis & humiditatis sunt in elemento inferiori. *Gen.* 1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Moraliter dicunt quidam, quòd aquæ quæ super cœlos sunt, sunt perspicuæ mentes sanctorum in quibus sicut in speculo resplendent diuina. *Psal.* 148. Aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. *Ezech.* 47. Aqua egrediebatur de templo. *Apoc.* 22. Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni. *Laudate, &c.*

Aquæ super cœlum. Lib. 2. super Genes. cap. 4.

60. *Benedicite omnes virtutes Domini Domino.* In orbibus cœlorum virtutes sunt mouentes & instaurantes naturam, quas hic inducit ad laudem. *Rom.* 8. Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc, reuelationem filiorum expectans. Ibi dicit *Glossa*, quòd omnis creatura cum labore sua explet officia: ad laudem tamen Dei facit, & vt impleatur numerus electorum. Quidam etiam dicunt, quòd virtutes sunt Angeli. *Psal.* 102. Potentes virtute, facientes verbum illius. Et ibidem: Benedicite Domino omnes virtutes eius. *Laudate, &c.* Et tangit cœlorum ornatum, subdens.

Virtutes cœlorum quæ.

61. *Benedicite sol & luna Domino.* Sol dicitur solus lucens: luna quasi illuminata, lumen mutuans. Sol significat intellectum veritatis, luna affectum virtutis. *Gen.* 1. Fecit Deus duo luminaria, solem vt præesset diei, & lunam vt præesset nocti. Et Ecclesia vtrumque habet in *Apoc.* 12. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. *Laudate, &c.*

62. *Benedicite stellæ cœli Domino.* Stellæ à stando dicuntur: quia quamuis in cœlo moueantur, tamen non mutant situm positionis suæ in imagine, sicut quæ stat in oculo tauri, semper stabit, & sic in aliis. Stellæ significant doctas animas veritate lucentes. *Dan.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates. *Baruch* 3. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt. *Laudate, &c.* Et subiungit de natis inter altum & imum.

63. *Benedicite omnis imber & ros Domino.* Imber, quia terram infundit. Ros, quis flores & germina dulci nutrit humore. Significat verò imber doctrinam, ros verò consolationem sancti Spiritus. *Isa.* 55. Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam. *Isa.* 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. *Laudate, &c.*

64. *Benedicite omnes spiritus Domino.* Spiritus dicitur ventus qui spirat ad terræ nascentium & hominum consolationem. Significat autem aspirationes sancti Spiritus. *Eccles.* 1. Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. *Psal.* 134. Qui producit ventos de thesauris suis. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. *Laudate, &c.*

Spiritus Dei virtus.

65. *Benedicite ignis & æstus Domino.* Et ignis dicitur ignis in sphæra, æstus autem proxima regio iuxta ignem. Significat quem ignis charitatem, æstus verò charitatis feruorem, & deuotionem *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? *Thren.* 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. *Laudate, &c.*

Differentia inter ignem & æstum.

66. *Benedicite frigus & æstus Domino.* Tangit temporum qualitates extremas: frigus enim pro hyeme, & æstas ponitur pro æstate, quæ motu superiorum distinguuntur. Æstas autem significat virtutis maturitatem, frigus verò concupiscentiæ extinctionem, in quibus sanctis benedicunt Dominum. *Cant.* 2. Hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terrâ nostrâ. *Laudate, &c.*

67. *Benedicite ros & pruina Domino.* Quorum vnum est effectus temperati caloris, alterum effectus frigoris. Ros autem significat prosperitatem, & pruina aduersitatem. *Iob* 29. Ros morabitur in messione mea. *Psal.* 118. Factus sum sicut vter in pruinâ, iustificationes tuas non sum oblitus. *Laudate, &c.*

68. *Benedicite gelu & frigus Domino.* Frigus causa causa gelu est. Significant autem ista tribulationem restringentem à libertate operum. *Eccl.* 43. Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. *Psal.* 147. Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? *Laudate, &c.*

69. *Benedicite glacies & niues Domino.* Vtrumque effectus frigoris in aquâ est, & vocat glacies ex aëre descendentes in grandine, niues verò aquas, quia rarè congelatæ descendunt. Significant autem iudicia Dei, quibus punimur & flagellamur, in quibus debemus benedicere Dominum. *Psal.* 148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Laudate, &c.*

70. *Benedicite noctes & dies Domino.* Nox ab opacitate causatur inferiorum, dies à luce superiorum. Et nox significat obscurum pœnitentiæ & humilitatis, dies autem claritatem innocentiæ & veritatis. *Psal.* 138. Nox sicut dies illuminabitur. *Gen.* 1. Appellauit lucem diem, & tenebras noctem. *Laudate, &c.*

71. *Benedicite lux & tenebræ Domino.* Lux enim spargit vigiliam, tenebra verò continet & refouet spiritum, ne dissoluatur. Significat autem lux mentis illuminationem, tenebra verò humanam ignorantiam: in vtroque enim horum debemus benedicere Dominum. *Iob* 38. Indica mihi, si nosti, in quâ viâ lux habitet, & tenebrarum quis locus sit, vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas eius. *Laudate, &c.*

72. *Benedicite fulgura & nubes Domino.* Fulgura sunt ignes qui micant de nubibus, nubes autem aquæ vaporalitet eleuatæ, quæ iam condensari incipiunt. Fulgura verò miraculorum, vel bonorum operum significant coruscationem: Nubes verò doctrinæ prædicationem. *Iob* 38. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentur, & dicent tibi, Adsumus? De nubibus. *Iob* 37. Numquid nosti semitas nubium magnas & perfectas scientias? Et subiungit de his, quæ sunt in imo, primò in terra, & aqua, secundò in hominibus, ibi, *Benedicite filij hominum.* Dicit ergo.

73. *Benedicat terra Dominum*, dando fructum suum, quæ pro stabilitate sui & fructificatione virtutum sanctum significat. *Hebr.* 6. Terra super se venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo *Psal.* 23. Domini est terra & plenitudo eius. *Laudate, &c.*

Terra quomodo benedicat Dominum.

74. *Benedicite montes & colles Domino.* Montes & colles vapore subterraneo eleuantur, vel ab aquis in vnum congesta mole causantur, & significant maiores & minores personas in prælatione, qui benedicere debent Dominum. *Ioel.* 3 Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte. *Laudate, &c.*

75. *Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.* Hæc enim flores virtutum & germina bonorum operum significant. *Psal.* Iustus germinabit sicut lilium. *Laudate, &c.* Et inducit quæ sunt in elemento liquido.

76. *Benedicite fontes Domino.* Fons à fundendo aquas dicitur, & significat sacerdotale officium, quod in fontibus doctrinæ & sacramentalis gratiæ semper manat & fundit. *Isa.* 12. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Ioel. vlt.* Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. *Laudate, &c.*

77. *Benedicite maria & flumina Domino.* Flumina causantur à confluxu fontium, maria verò à confluxu fluminum. *Genes.* 1. Congregationes aquarum appellauit maria. Significat autem mare tumultum & inquietudinem huius sæculi, & amaritudinem habitantium in sæculo. Flumina verò fluxus gratiarum, & consolationem. *Psal.* 76. In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis. *Eccles.* 24. Factus est mihi trames abundans, & fluuius messis appropinquauit ad mare. *Laudate, &c.*

78. *Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino.* Hæc enim vestigia sunt bonitatis diuinæ. Cete autem significat magnos in aquâ renatos, & potentes. Alia quæ mouentur in aqua, significant simplices in aqua baptismi morum vitæ accipientes. *Laudate, &c.*

79. *Benedicite omnes volucres cœli Domino*, ad ornatum scilicet aëris pertinentes. Significan tautem contemplatiuos pennis virtutum in altum eleuatos. *Psal.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et volabo & requiescam. *Laudate, &c.*

80. *Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino*, quæ ad ornatum terræ pertinent. Bestiæ autem significant bestiales & pecorinos, qui ad rationem mutati benedicunt Dominum. *Psal.* 148. Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ. *Iob* 5. Bestiæ terræ patificæ erunt tibi. *Laudate, &c.* Et subiungit de hominibus primò in generali, secundò in speciali: & hoc est:

81. *Benedicite filij hominum Domino*, omnium scilicet pro similitudine imaginis, quam in ratione indidit nobis. *Eccles.* 17. Secundùm imaginem suam fecit illum, & secundum se vestiuit illum virtute. *Psal.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. *Laudate, &c.*

82. *Benedicat Israël Dominum*, specialiter, pro nõtitia scilicet, & promissionibus sibi datis. *Baruch* 4. Animæquior esto populus Dei: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. *Deuter.* 33. Quis similis tui populo qui saluaris? *Laudate, &c.*

83. *Benedicite sacerdotes Domini Domino.* Sacerdotes sunt, qui sacra dos sunt, & sacra dosis distribuunt. *Ierem.* 31. Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur.

plebitur. *Isa.* 61. Vos sacerdotes Domini vocabimini, Ministri Dei nostri, dicetur vobis. *Laudate, &c.*

84. *Benedicite serui Domini Domino.* Serui sunt creati, & redempti à Domino, quibus summa libertas est Deo seruire. *Psal.* 115. O Domine quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. *Laudate, &c.*

Summa libertas seruire Deo.

85. *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino. Glossa* vult, quòd spiritus sunt quibus discernimus, & animæ quibus viuificamur. *Psal.* 150. Omnis spiritus laudet Dominum. *Psal.* 145. Lauda anima mea Dominum, vt scilicet vitam & intentionem ad laudem Dei referamus. *Laudate, &c.*

86. *Benedicite sancti & humiles corde Domino.* Sancti, quia vos decet. *Eccles.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Humiles corde*, non per hypocrisim, sed per veritatem, quia præ cæteris gratiam accepistis. *Iac.* 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Laudate, &c.*

87. *Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino. Glossa*, præsenti beneficio credentes eum superemine omni creaturæ. 2. *Mach.* 1. De magnis periculis liberasti, magnificè gratias agimus. *Quia eruit nos de inferno. Glossa*, Quia si mortui fuissemus, ad infernum descendissemus. *Iob.* 17. In profundissimum infernum descendent omnia mea *Psal.* 85. Eruisti animam meam ex inferno. *Et saluos fecit de manu mortis*, hoc est, de potestate mortis. *Sap.* 3. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *Et*, id est, quia, *liberauit nos de medio ardentis flammæ*, in fornace scilicet. Et hoc exponit vlterius: *Et de medio ignis eruit nos. Eccles.* 51. Liberasti me à pressura flammæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus. *Psal.* 89. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

88. *Confitemini*, ergo, supple, *Domino quoniam bonus.* Verè bonus, de quo dicit *Greg.* Cuius esse bonitas, natura dulcedo, proprium misereri & parcere. *Matth.* 19. Vnus est bonus Deus. *Psal.* 118. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. *Quoniam in sæculum misericordia eius. Psal.* 18. Non est qui se abscondat à calore eius. *Thren.* 3. Non defecerunt miserationes eius.

89. *Benedicite omnes religiosi Domino.* Religiosi, quasi religati dicuntur, qui votis propriis se ligauerunt ad obediendum Domino. *Eccles.* 1. Timor Domini scientiæ religiositas. *Iac.* 1. Religio munda, & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Deo deorum*, hoc est, cuius participatione etiam sancti dij sunt. *Psal.* 81. Ego dixi, Dij estis. *Laudate, &c.* Demonstratione scilicet virtutis. *Psal.* 148. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini. *Et confitemini*, confessione prædicationis, & veritatis. *Psal.* 64. Confitebimur tibi Deus, confitebimur. *Quia in omnia sæcula misericordia eius.* Omnibus enim misereretur, puniendos etiam citra condignũ punit. *Sap.* 11. Misereris omnium, & nihil eorum odisti quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.

Religiosi quasi religati.

90. *Tunc rex.* Tangitur hic de ædificatione miraculi, & apud præsentes, & apud absentes per epistolam. *Nabuchodonosor rex omnibus populis.* In prima tria sunt, stupor, facti examinatio, & præsentium ædificatio. Dicit igitur: *Tunc Nabuchodonosor obstupuit.* Sicut membrum stupidum dicitur carens sensu, & motu, ita cor obstupescere dicitur, quando tanta agonia admirationis percutitur, quod nec sensu, nec facultate potest in id quod admiratur. *Isa.* 21. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. *Et surrexit*, tam corde quam corpore. *Isa.* 60. Surge, illuminare Ierusalem. *Properè*: admiranti enim & amanti nihil satis velox est. *Isa.* 55. Properate, emite, & comedite. *Cant.* 2. Surge, propera amica mea. *Et ait optimatibus suis*, vt per eos ad inferiores descenderet, per quorum consilium missi in fornacem fuerant. *Amos* 6. Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël. *Nonne tres viros*, tantum, supple, *misimus in medio ignis*, vbi tota virtus ignis congregata est, *compeditos*? Ne ab igne possent exire. *Hebr.* 11. Extinxerunt impetum ignis. Tres viri missi in ignem, sunt spiritus, anima, & corpus, vel rationabilis, concupiscibilis, & irascibilis, quæ in sanctis non comburuntur flammis concupiscentiæ & libidinis, *Psal.* 16. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. *Qui*, scilicet optimates, *respondentes regi dixerunt: Verè rex*, supple, est sicut dicis, veritate enim miraculi conuictos oportuit dicere veritatem. 3. *Esdræ* 3. Super omnia vincit veritas. *Act.* 4. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

Respondit rex, & ait, Nabuchodonosor scilicet: *Ecce ego videò viros quatuor*, cum tres tantum posuerimus, *solutos*, cùm ligati fuerint, *& ambulantes*, cum primò in fornacem ceciderint iacentes, *in medio ignis*, vbi vis ignis maior est: *& nihil corruptionis in eis est*, ad nocumentum, supple. Impleuit in eis Dominus quod dixit. *Matth.* 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Psal.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. *Et species quarti*, apparentis scilicet cum tribus, *similis est filio Dei. Hieron.* In quo Angeli significantur, qui & dij & Dei filij nuncupantur. *Iob* 1. Cum venissent filij Dei, & assisterent coram Domino. Item *Hieron.* Iste Angelus, siue Dei filius, Christus est, qui ad inferni fornacem descendit, in quo sanctorum animæ tenebantur, nec cremabantur, vt ab inferis liberaret. *Isa.* 9. Magni consilij Angelus. *Tunc accessit Nabuchodonosor.* Tangitur hic facti probatio in virorum euocatione, consideratione, & probatione: & hoc est. *Tunc accessit Nabuchodonosor*, per seipsum scilicet, *ad ostium fornacis ignis ardentis*, hoc est, contra ostium: per seipsum enim honorem voluit exhibere. *Esther* 4. Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. *Et ait, Sidrach, Misach, & Abdenago.* Chaldaicis nominibus nominat, quibus sibi in palatio innotuerant, *Serui Dei excelsi viui.* Serui per cultum, excelsi per potentiam. *Isa.* 2. Excelsus reputatus est ipse. *Viui*: quia semper influit vitam. *Act.* 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. *Psal.* 35. Domine, apud te est fons vitæ. *Egredimini*, scilicet de fornace, *& venite*, ad nos

91.

Quartum fuerunt solium in fornace Hieronymus existimat esse Angelum, vel Chr. filium.

nos scilicet, vt amicos, quos hostes ante pertulistis. Sic oues capiunt lupos, *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos in medio luporum. *Stetimus ergo sunt Sidrach, Misach, & Abdenago*, non obstantes scilicet pro salute inimicorum. 1. *ad Corinth.* 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. *De medio ignis*, penitus nusti. *Eccles. vbi.* In medio ignis non sum vsuras. Et subdit de consideratione.

94. *Et congregati Satrapæ, magistratus, & iudices, & potestates*, alij, supple, *regis*, tanto miraculo percussi, *contemplabantur* diligenter *viros istos*: bene viros, qui etiam flammam vicerunt. *Quoniam nihil potestatis habuisset ignis*, virtus scilicet & tam validus, *in corporibus eorum*, ad nocumentum scilicet. *Psal.* 28. Vox Domini intercidentis flammam ignis. *Chrysost.* Intercidit, vt sanctis lumen sit in solatium, & ardor virtus iniciae in supplicium. *Et capillus capitis eorum non vsque adustus. Matth.* 10. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. *Et sarabellæ eorum*, quæ superius castitatem significare diximus, *non fuissent immutata*, scilicet ad libidinem. *Psal.* 138. Vre renes meos & cor meum, & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna. *Et odor ignis non transiisset per eos. Isa.* 43. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Literaliter autem odor ignis est euaporatio halitus fiectitatis, quæ in puteis non apparuit.

95. *Et exclamans*, spiritu, supple, *cogente eum. Iob.* 32. Venter meus quasi mulsum absque spiraculo, quod lagunculis nouas diruppit. *Iob* 4. Concepto sermonem incere quis poterit: *Nabuchodonosor ait*, & tangitur hic facti probatio, & fructus mirandi. *Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago. Tob.* 12. Benedicite Deum coeli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei. *Qui misit Angelum suum. Psal.* 90. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te. *Et erunt sicut sunt. Tob.* 12. Eunte instinentes te, & liberte eos de manu [illegible]. *Qui crediderunt in eum. Iob.* Scilicet de [illegible] ne tendentes in eum. *Iom.* 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Et verbum regis*, [illegible] *Eccli.* 18. Ie dabo [illegible] [illegible] pem, & potentia [illegible] illum verbum [illegible] *ra sua*, in [illegible] timete [illegible] habere [illegible]

96. [illegible]

Matth. 12. Spiritus blasphemiæ non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Contra Deum Sydrach, Misach, & Abdenago*, qui solus Deus est. *Psal.* 80. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: ego enim Dominus. *Disperit*, in corpore. *Leuit.* 24. Educ blasphemum extra castra, & lapidet eum omnis populus. *Et domus eius vastetur*, & nullæ scilicet reliquiæ remaneant. *Psal.* 51. Emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem de terra viuentium. Et subiungit rationem. *Neque enim est alius Deus*, ab ipso, supple, *qui possit ita saluare. Ierem.* 14. Expectatio Israël, saluator eius in tempore tribulationis. *Matth.* 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Tunc rex, per seipsum, supple, quod ante fecerat per Danielem, *promouit*, in potestatem, supple, & dignitatem, *Sidrach, Misach, & Abdenago*, quos fideles inuenerat, *in prouincia Babylonis*, vt scilicet essent præfecti operum, & prouinciarum. *Matth.* 24. Quis, putas, est fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam. Et subdit de epistola qua ædificauit absentes ad fidem: & hoc est.

97.

Nabuchodonosor rex, scribis, scilicet, vel optat, *omnibus populis*, ciuitatum scilicet & oppidorum, *Gentibus*, in distinctione terrarum, *& linguis*, pro diuersitate nationum, *qui habitant in vniuersa terra*, Orientali scilicet, *Pax vobis multiplicetur.* Pax enim bonum est cunctis mortalibus exoptatum. *Esther.* 13. Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementiã & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optatã cunctis mortalibus pace fruerentur.

98.

Signa & mirabilia. Signa & mirabilia idem sunt subiecto, sed inquantum demonstrant potentiam summam operantis diuinam, dicuntur signa; inquantum autem referuntur ad videntes præter quorum spem & facultatem euenunt, dicuntur mirabilia. *Fecit apud me Deus excelsus. Psal.* 112. Qui in altis habitat. *Placuit ergo mihi, & reputabam inconueniens signa non ostendere. Tob.* 12. Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. *Prædicare eius signa. Matth.* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta.

99. *Differentia inter signa & mirabilia.*

Quia magna sunt, hoc est, magnæ potentiæ de[illegible]. *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus Domine, magnificus in sanctitate? *Et mirabilia, quæ fecit*, humanam virtutem excedentia. *Iob* 9. Qui facit magna & incomprehensibilia mirabilia, quorum non est numerus. *Et regnum eius regnum sempiternum*, quo scilicet re[illegible] perfectionem iustitiæ. *Isa.* 9. [illegible] imperium, & regni non erit finis. *Potestas eius*, coercendi scilicet malos, [illegible] *in generationem, & generationem. Dan.* 7. Potestas eius potestas sempiterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.

100.

CAPVT IV.

[illegible] Nabuchodonosor. Habita visione de regno [illegible], secundum potestatem qua conterit regna mundi, inducitur hic visio de eodem, secundum

1.

cundum cognitionem, & viam quæ ducit ad ipsum, vt sciatur scilicet esse in dispositione Dei, & quod eleemosynis & bonis operibus veniatur ad ipsum: & de his duobus dicitur. *Matth.6.* Quærite primum regnum Dei, vt scilicet cognoscatis illud, & iustitiam eius, per quam scilicet veniatis ad ipsum. Diuiditur autem in tres partes, scilicet visionis manifestationem, & visionis explanationem ibi, *Tunc Daniel, cuius nomen Baltassar.* Et explanationis impletionem, ibi, *Omnia hæc somnium.* Prima diuiditur in tres. Primò enim ponit ea quæ faciunt ad visionis magnitudinem. Secundò narrat visionem, ibi, *Visio capitis mei, in cubili meo.* Tertiò inducit reuelationis certitudinem, ibi, *In sententia vigilum decretum est.* In prima harum quinque sunt. Ostenditur enim primò magnitudo ex parte videntis, secundò ex parte multitudinis visionem audientis, tertiò ex parte impossibilitatis interpretantis, quartò ex sublimitate spiritus reuelantis, quintò ex laude Danielis: & hoc est.

Ego Nabuchodonosor. Monarcha scilicet, cuius interest de publicis cogitare. Et innuit, quòd ex cogitatione partim processit reuelatio. *Dan. 2.* Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo. *Quietus eram*: inquietus enim reuelationes non percipit. *Eccles.38.* Qui memoratur actu, sapientiam percipiet. *In domo mea*, non in exilio, vbi cor fluctuat. *Sap.8.* Intrans in domum meam conquiescam: sapientia enim non habet amaritudinem, nec tædium conuictus illius. Et hæc omnia dicit, vt ostendat, quòd totâ mente quietâ, & corde, & corpore, reuelatio verior est. *Et florens*, iucunditate scilicet & delectatione, *in palatio meo.* Et hoc dicit, vt spiritus animæ & naturales, vehentes formas reuelationis, lucidiores & subtiliores fuisse sciantur. *2. Reg.23.* Cuncta salus mea, & non est quicquam ex eis quod non germinet. Quamuis iste flos in mundana vanus sit. *Isaiæ.28.* Date florem Moab, quia florens egredietur. *Iob.14.* Quasi flos egredietur, & conteritur, & fugit velut vmbra.

Inquietus reuelationes non percipit.

2. *Somnium vidi.* Somnium refertur ad imagines, visio autem ad aliquam perceptionem intellectus. *Iob 33.* Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit. Per somnium in visione nocturnâ. Dicit enim *Dionys.* quòd nostra materialis est intellectus. & diuina non percipit nisi sub velaminibus. *Quod perterruit me*, [illegible] dine scilicet: res enim magna [illegible] tum. *Iob 4.* Quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & [illegible] mea perterrita sunt. *Et cogitationes meæ* [illegible] *mes.* Innuit somnium fuisse [illegible] tione. *Et visiones capitis mei* [illegible] ex reuelatione, quia visio [illegible] autem dicit, *capitis*, ideò [illegible] tiores sunt in capite, & [illegible] *Exod.3.* Vadam, & vide[illegible] gnam. *Conturbauerunt me*, [illegible] licet admirationis. *Isa.12.* [illegible] sicut angustia parturien[illegible] tem, & conturbatus [illegible] subdit commendat[illegible] & sapientia mundani [illegible]

3. *Et per me propositum est* [illegible] cretale mandatum, [illegible] *tio meo*, vbi nec celari, [illegible]

tantis sapientes Babylonis, de quibus dicitur. 1. ad *Corinth.1.* Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Isaiæ.3.* Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, & diabolica. Dicuntur autem hi sapientes peritissimi dominationum; secundum quod dicit *Aristot.* in 5. Ethic. Quia virtus scientiæ sapientia est. *Abdiæ.* Perdam sapientes de Idumæa, & prudentes de monte Esaü. *Et, cum ipsis vt hoc fuit introductus, vt solutionem somnij indicarent mihi. Genes.41.* Somnium vidimus, nec erat qui interpretaretur nobis. Et subdit de impotentia humanæ sapientiæ: & hoc est.

Tunc ingressi sunt mihi, iuxta aras extra animalium inspicientes, *magi*, de singulis philosophantes, *Chaldæi*, in astris diuinantes, *& aruspices*, augures scilicet in coloribus nubium, dispositione planetarum, volatu & garritu auium considerantes. *Numer.23.* Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israël. *Et somnium narrauit in conspectu eorum*, hoc est, publicè. 1. ad *Cor.2.* Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. *Et solutionem eius non indicauerunt mihi*, hoc est, non potuerunt iudicare. 1. ad *Corinth.2.* Quæ Dei sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei. *Isa.19.* Conuertam eos præcipitabo, & interrogabunt simulachra sua, & diuinos suos, & pythones, & Ariolos. Et subdit de laude Danielis interpretantis: & hoc est.

Domus collega, id est, familiaris, & amicitia colligatus. *Psal.54.* Tu homo vnanimis, dux meus, & notus meus. *Ingressus est in conspectu meo*, publicè scilicet, *qui veritas non quærit angulos. Iaan.18.* Ego palam locutus sum mundo. *Daniel*, qui iudicium Domini interpretatur: ad *Corinth.2.* Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. *Cui nomen Baltassar*, lingua scilicet Chaldæa, *secundum nomen Dei.* *Glossa*: Sic enim vocabat eum Deus Nabuchodonosor, participatio enim [illegible] nomen diuinum attribuens [illegible] *Glossa*: Non mirum si erat Nabuchodonosor [illegible] quidquid super se cernit, non Deum, sed deos arbitratur. Quidam tamen dicunt, quod dij dicuntur Angeli, à quibus Prophetæ illuminationes acceperunt. *Psal.95.* [illegible] perpetuitate à mortibus [illegible] Deus [illegible] quod [illegible]

Danielis nomen diuinum attribuens.

4.

5.

6. [illegible]

luras scilicet, eò quod homo apertas visiones non habet. *Iob 36.* Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul. *Et solutionem eorum*, scilicet somniorum, *narrare mihi*, ad intellectum scilicet. 1. ad *Cor.14.* Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quòd si non sit qui interpretetur, taceat in Ecclesiâ.

7. *Visio capitis mei.* Narratio est somnij, & habet duas partes, somnij reuelationem, & reuelationis confirmationem, ibi, *In sententia vigilum.* Anterior pars diuiditur in duas. Primo enim ponit somnium pulchritudinis regni, secundò somnium contritionis, ibi, *Videbam in visione.* Dicit ergo: *Visio capitis mei in cubili meo.* Iste est titulus, & dicitur visio capitis, ad differentiam visionis oculorum, imaginaria enim fuit, & non sensibilis. *Isa. 26.* Spiritu meo, in præcordiis meis de manè vigilabo ad te. Quod autem dicit, *In cubili meo*, notat secretum. *Isa. 26.* Intra in cubicula tua, & claude ostia tua super te. *Videbam*, hoc est, imaginatione considerabam. *Prouerb.20.* Aurem audientem, & oculum videntem fecit vtrumque Dominus. *Et ecce*, hoc est, manifestè apparens, *arbor*, rex scilicet virens dignitate, & honore. *Ierem.17.* Erit quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radices suas. *In medio terræ*, vndique terrenis infixus, & confortatus. *Isa 5.* Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? *Iob 21.* Subleuati sunt confortatique diuitiis. *Et altitudo eius nimia*, in honore scilicet & diuitiis. *Glossa*: de quo Propheta, Vidi impium eleuatum, & exaltatum sicut cedros Libani.

8. *Magna arbor. Glossa*: Non virtutum magnitudine, sed superbia eleuatur. *Iob 15.* Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumes contra Deum spiritus tuus? *Et fortis.* Qui fortitudine pro lege vtebatur. *Sapient. 1.* Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ: quod enim infirmum est, inutile inuenitur. *Et peruenit ad eam contingentia cuncta*, quæ in fastu & ambitione fuit, in qua superbi æquales Deo esse volunt, tum per se regnare cupiunt. *Psal.73.* Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. *Isa.14.* In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum. *Aspectus illius erat vsque ad terminum vniuersæ terræ.* Theditio transtulit, Dominatio eius: & est sensus, ad dominationem eius respiciebant omnes qui habitabant in terra. *Iudith.1.* Dixit cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Vnde iam omnes ad ipsum pauebant. *Isa.41.* Ego ante ibo, & gloriosos terræ humiliabo.

9. *Folia eius pulcherrima*, dicus scilicet regni, & verba, & edicta. *Iaeni.1.* Eius solium eius viride. *Psal.1.* Folium eius non defluet, & omnia quæcumque facit prosperabuntur. *Et fructus eius nimius*, diuitiarum scilicet & copiarum. *Psal. 1.* Fructum suum dabit in tempore suo. *Osee 14.* Germinabit sicut lilium, & mittet radices eius vt Libani. *Et esca vniuersorum in ea*, scilicet, erat. Omnium enim diuitias possidebat, & ad manum eius pro esca respiciebant. *Psal.144.* Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam. *Subter eam habitabant animalia*, hoc est, sub protectione eius, hoc est, sicut subter vmbram. Animalia dicuntur simplices, rusticani scilicet & religiosi homines. *Psal.72.* Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. *Et bestiæ*, bellicosi scilicet tyranni, & qui nocumento & iniuria viuunt, qui in protectione regum tyrannidem exercent. *Gen.1.* Dominabimini piscibus maris, & volucribus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Talibus enim expedit conculcari à Domino. *Et in ramis eius*, in dilatatione scilicet potestatis. *Osee.vlt.* Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. *Conuersabantur volucres cœli.* Volucres cœli sunt leues homines super terrarum spatia discurrentes, plus mente quam corpore, vt leues & mendaces. *Psal.8.* Volucres cœli, & pisces maris qui perambulant semitas maris. Tales sunt curiosi, & mercatores, & Philosophi, qui summa rimantur. *Baruch 3.* Vbi sunt, qui in auibus cœli ludunt? Et respondet post inuidium: Ad inferos descenderunt. *Et ex ea vescebatur omnis caro.* Nullus enim etiam propriis bonis frui poterat, nisi ad imperium ipsius. *Iudith 3.* Omnis ciuitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregesque ouium, & caprarum, equorumque & camelorum, & vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ, in conspectu tuo sunt: sint omnia sub lege tua. Et loquitur de Nabuchodonosor.

10. *Videbam.* Hæc est secunda pars somnij de arboris præcisione, & hoc est. Sic *videbam*, mundi pulchritudinem scilicet, *in visione capitis mei*, imaginaria scilicet, non sensibili, *super stratum meum*, quietis scilicet & sequestratus à curis. *Psal.4.* In pace in idipsum dormiam, & requiescam. *Et ecce vigil.* *Hieron.*, Theodotio: Ait, *Angelus vigilans* enim semper Angeli ad Dei officium parati. Non quoque crebris perturbationibus eos mutari debemus. De Christo quoque dicunt: Non dormiet, neque dormiet, qui custodit Israël. *Et sanctus*, à terrena cogitatione immunis, qui scilicet nec munera accipit, nec personam hominis. *Abac.1.* Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. *De cœlo*, vbi omnia reposita sunt. *Matth.6.* Pater vester qui es in cœlis. *Descendit*, ad veritatis inquisitionem & manifestationem. *Gen.18.* Descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.

Angelus vigilans dicitur vigil.

11. *Et clamauit*, vt intercessione clamoris iuten[illegible] [illegible] cordis. *Prouerb.2.* O viri ad vos [illegible] meos ad filios hominum. *Proinde*, vt [illegible] vos scilicet consequentur. *Numer. 23.* Caro fortitudo humili est diuortium. *Iob 9.* Si fortitudo quærenda, robustissimus est. *Et sic ait*, vt scilicet tenentia auriculam cognoscerent. *Ioan.15.* Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, *Suscidite arborem.* Quia scilicet fructum dignum non fecit. *Luc.3.* Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Ecclesiastes.* Semel dictum in perhibetur, audiuit Deus, & fecerunt hoc duæ vires [illegible] *Et precidite ramos*, hoc est, dilatationem potestatis, & principum, [illegible] *Ezech.17.* Distinguet,

& siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet. *Et excutiet folia eius.* Folia sunt verba, in edictis & mandatis, quæ virtute erant plena, cum erant in potestate. *Ezech.*17. Summitatem frondium eius auulsit. *Et dispergit fructus eius*, hoc est, bona quibus pascebat suos. *Luc.* 12. Stulte hac nocte animam tuam reperent à te, & quæ præparasti, cuius erunt? *Fugiant bestiæ quæ subter eam sunt*, malæ familiæ scilicet. *Numer.* 16 Recedite à tabernaculis impiorum, ne forte & vos terra deglutiat. *Et volucres de ramis eius*, supple, fugiant, hoc est, instabiles, & leues. Hæ sunt aues quas abiiciebat Abraham *Genes.*15.

12. *Veruntamen.* Mitigat hic sententiam. *Iaco.* 1. Superexaltat misericordia iudicium. *Germen radicum eius in terra sinite*, supple, permanere. *Glossa:* Notat regem deponendum, sed illi regnum seruandum. *Ierem.* 12. Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum. *Et alligetur vinculo ferreo*, hoc est, tentatione durissima, quæ domet superbiam eius. *Dan.*2. Ferrum domat omnia. *Et ære*, quod resonantiam notat: mugiuit enim sicut bos. 1 ad *Corinth.*13. Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. *In herbis quæ foris sunt*, vt scilicet virentia sæculi perquirat, & nihil curet de diuinis. *Iob.*39. Virentia quæque perquirit. *Et rore cœli tingatur.* Hic significat descensum gratiæ ad compunctionem, & pœnitentiam. *Isa.*45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. *Et cum feris pars eius*, supple, sit, *in herba terræ*, vt scilicet sæculares delicias quærat, & de spiritualibus non curet. *Iob* 40. Huic montes herbas ferunt, omnes bestiæ agri ludunt ibi.

13. *Cor eius ab humano commutetur*, hoc est, quod nullum humanum intellectum colat, sicut videmus peccatores facere: peccatores enim corda belluina habent. *Psal.*48. Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Et cor fera detur ei*, vt feris scilicet imitetur. *Genes.* 16. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. *Et septem tempora mutentur super eum.* Tempora principaliter distinguuntur ad motum solis. Vnde septem tempora, sunt septem anni. Septem autem tempora renouationem significant per pœnitentiam, cuius septem sunt partes. Confessio enim quatuor habet, scilicet quod sit vera, simplex, integra: compunctio vna, scilicet quod ex toto corde sit dolens: satisfactio ieiunium, orationem, & eleemosynam. *Iaco.*4. Heri horâ septimâ reliquit eum febris. Et subiungit de reuelatione confirmationis.

Cor Nabuchodonosor quomodo sit mutatum.

Septem partes pœnitentiæ.

14. *In sententia vigilum decretum est. Chrysost.* Qui propter suam infoelicem naturam nihil incertum discernunt. *Et sermo sanctorum*, quasi scilicet iudiciis Dei consentiunt. *Isa.*3. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui. *Et petitio*: clamant enim sancti contra malos ad vindictam. *Psal.* 78. Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo. *Apoc.* 6. Vsquequo Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et subiungit de fructu. *Donec cognoscant viuentes*, hac scilicet mortali vita. *Psal.* 93. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. *Quoniam dominatur Excelsus in regno hominum. Esther* 13. Dominus omnium es. *Psal.*82. Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus. *Et cuicumque voluerit, dabit illud.* Ad voluntatem ego Dei ad regnum Dei quisque vocandus est, vt dicit *Gregor. Hebr.*4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. *Et humillimum hominem*, hoc est, ad humum proiectum hominem, & vilificatum, *constituetur super illud*, scilicet regnum. *Matth.* 20. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. 2. *Reg.*2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore eleuans pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Et subdit epilogum huius visionis.

Hæc somnium vidi ego Nabuchodonosor Rex. 15.
Iob 4. Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius. Et conuertit se ad supplicationem interpretationis, subdens. *Tu ergo Baltassar*, per spiritum Dei, supple, quem habes, *interpretationem narra festinus.* Quia, vt dicit *Gregor.* Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. *Matth.*10. Nolite cogitare quomodo respondeatis. *Quia omnes sapientes regni mei*, mundani scilicet, quorum sapientia stultitia est. 1. ad *Corinth.*1. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. *Non queunt solutionem edicere mihi. Isa.* 19. Sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. *Tu autem potes*, hoc est, in spiritu suo facultatem habes. Et subiungit causam. *Quia spiritus deorum sanctorum in te est*, per illuminationem scilicet Spiritus sancti, & Angelorum sanctorum. *Psal.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Ioan.*3. Spiritus vbi vult spirat.

Tunc Daniel. Incipit hic somnij interpretatio, 16.
& habet tres partes. Primo enim ostendit modestiam, & compassionem interpretantis, secundò seriem interpretationis, ibi, *Quamobrem rex consilium.* In prima tria sunt, modestia scilicet interpretantis, confortatio ad interpretandum regis, & compassio: & hoc est. *Tunc Daniel, cuius nomen Baltassar*, Chaldaicè scilicet, *cœpit intra semetipsum*, conferendo scilicet, *tacitus cogitare*, qualiter scilicet regij culminis seruaret honorem, & tamen non taceret veritatem, *quasi turbatus*, ad ordinandum scilicet responsum, qualiter proferret: non enim statim protulit spiritum. *Eccli.* 21. Verba prudentium statera ponderabuntur: in pre sauorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum. Nec hoc est contra id quod dicitur. *Matth.*10. Nolite præmeditari qualiter respondeatis, de fide enim non præmeditandum est: quia statim scitur quid tenendum est, sed de ordine sermonis qualiter proponatur audientibus præmeditandum est. *Psal.*76. Meditabar nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. *Et cogitationes eius conturbabant eum*, pro rege scilicet, cui sensit impendere sententiam, quem benefactorem & promotorem habuerat. *Luc.* 24. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? *Respondens autem rex ait. Hieron.* Videns eum perterritum, ne contra se aliquid dicere vellet timoris rum, cohortatur, vt vere & simpliciter quod intellexit loquatur: & hoc est. *Baltassar, somnium & interpretatio eius non conturbet te*, quin, supple, dicas veritatem. Et est argumentum,

Daniel modestia.

quòd

quòd dura turbari debemus nuntiare: vnde *Ezech.* 3. Sedi mœrens vbi illi sedebant. *Ioel* 2. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini. *Isa.* 21. Visio dura nuntiata est mihi. Per hoc enim quod rex confortat ad interpretandum; typum gerit pœnitentiæ, qui in omne flagellum paratus esse debet. *Psal.* 37. Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Item 118. Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. *Respondit Baltassar*, qui & Daniel, *& dixit*, & ostendit compassionem: *Domine mi.* Blandis vtitur verbis, vt magis demulceat. *Psal.* 44. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Eccles.* 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. *Somnium hic qui te oderunt, tuum sit.* *Psal.* 34. Confundantur & reuereantur inimici mei. *Et interpretatio eius*, somnij scilicet, *hostibus tuis sit.* Si quæritur, quomodo hostibus malum imprecatur Propheta, qui Proxes Dei sunt in peccatores? Dicendum, quòd imprecatur hostibus inquantum sunt impugnatores animæ. *Psal.* 34. Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Ierem.* 18. Da filios eorum in famem, & dedue eos in manus gladij. Et supponit seriem interpretationis, primo de arbore, secundò de sententia. Et hoc est.

Quomodo Daniel hostibus malũ imprecatur.

17. *Arborem quam vidisti*, hoc est, imaginem arboris, *sublimem*, dignitate scilicet, *atque robustam*, diuitiis, *cuius* scilicet arboris, *altitudo pertingit ad cœlum*, præsumptione scilicet superbiæ tuæ. *Isa.* 14. In cœlum conscendam. In iniuriam enim Dei impius superbit. *Et aspectus illius in omnem terram*, per veneationem, & timorem. *Iudith* 3. Omnium gentium nostri dixerunt, Veni nobis pacifica: Domine, nunc seruitio nostro fiet pacifica.

18. *Et ramus eius pulchrum*, [illegible] & præstantia. *Psal.* 36. Vidi impium [illegible] & exaltatum sicut cedros Libani. [illegible] *omnium*, in diuitiis. *Osee* 10. Fructus [illegible] est ei. Terrena enim fructum reperit. *Et cibus omnium in ea*, hoc est, in defensione eius. *Zach.* 5. Vbi multæ sunt opes, ibi multi sunt qui comedunt eas. *Subter eam habitabant bestiæ agri*, hoc est, agrestes, id est non homines bestiales. *Baruch* 3. Vbi sunt Principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? *Iob* 5. Et tu cum terra pacifice eriis tibi. *Et in ramis eius*, arboris scilicet, *commorabant aues cœli*: sub defensione eius potentiæ suorum aues, & cunosi, & Philosophi contemplantes cœlestia habitabant. *Psal.* 103. Illic passeres nidificabunt.

19. *Tu es rex*, significans scilicet per arborem. In *Epist. Iudæ*: Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ. *Quæ [illegible]*, dignitate scilicet. Contra quod dicitur in *Psal.* 14. Non ambulauit in magnis. *Et mirabilibus*, mirabilibus, scilicet, contra quod dicitur in *Psal.* [illegible] Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. [illegible] *eius*: per discursum [illegible] Gloriabatur quasi [illegible] sui. Contra quod dicitur *Iacob* 1. [illegible] fortis in fortitudine sua. *Et potentia eius*, hoc est, id est, [illegible] *Deum.* *Psal.* 73. Superbia eorum [illegible] *dominantur.* *Et quod [illegible] omnis terra.*

D. Hieronymus. Contra Iouinianum.

terræ, supple, creuit. *Isa.* 10. Gloriatur dicens. Sicut colliguntur oua quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui.

Quod autem vidit rex vigilem. Secunda pars interpretationis est, & dicitur vigil iudex noster, quia singula considerat. *Ierem.* 1. Vigilabo super verbo meo, vt faciam illud. *Et sanctum*, terreno munere non contagiosum *Prouerb.* 6. Non suscipiet pro redemptione dona plurima. *Descendens de cœlo*, vt scilicet forma iudicij de cœlo accipiatur. *Matth.* 6. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. *Et dicens*, hoc est, sententialiter pronunciate. *Apocal.* 1. De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat. *Succidite arborem.* *Luc.* 13. Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? *Et dissipat illam*, hoc est, quæ ad ipsam pertinent. *Psal.* 108. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius. *Eccli.* 10. Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Serpentes dæmones qui animam; bestias quasi vastias, quæ possessionem, vermes autem qui corpus dissipent. *Attamen germen radicum eius*, in potestate scilicet redeundi, *de terra dimittite*, vt scilicet ad terrenum regnum possit redire, per sui recognitionem. *Iob* 14. Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit. *Et vinciatur ferro*: Iuxta enim cæteris ferreis ligari solent, vt dicit *Hieron. & alij*, propter sonoritatem furiosæ infamiæ. *In verbis ferri*, vt virorum secuti perquirat. *Isa.* 40. Fœnum est populus, & omnis gloria eius quasi fœni. *Et ros cœli conspergatur*, per vitiationem gratiæ. *Osee* 14. Ego quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium. *Et cum feris sit pabulum eius*, hoc est, [illegible] *Psal.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. *Donec septem tempora commutentur super eum*, hoc est, septem anni qui [illegible] retributiones dominorum [illegible] *Iob* 21.

20.

Hæc sententia quam dictatus sum, et iudicium, [illegible] *decretum*, scilicet eius sententiæ [illegible] *contra me.* *Isa.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. *Qui potestatem habet in regnibus, super Deum [illegible] regnat.* Dominum suum eum vocat, vt magis metuat, cui infausta nuntiantur. *Luc.* 10. Infundens oleum & vinum.

Tunc [illegible] me, vt insanum. 1. ad *Corinth.* [illegible] ex vobis ipsis. *Cum [illegible] mea.* *Et cum bestiis*, hoc est, [illegible], hoc est, feritas, *erit habitatio mea.* *Iob* 30. [illegible] *hæc insania*, hoc est, [illegible] *Sapientiæ* 2. Nullum pertranseat nostra pertranseat luxuria nostra. *Et [illegible] sicut bos.* Quia vesci non vetatur. *Genes.* 9. Caput meum oleum non est, & cervicem meam gutta nolitum. *Septem tempora mutentur super te*, id est, annis [illegible] quæ significant septem virtutes [illegible] quatuor cardinales, & [illegible] *Iob* 5. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.

21. *Nabuchodonosor rex pulsus est insanum.*

ium. *Donec scias*, pœnâ scilicet te in sensum reducente. *Psal.* 93. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. *Quod dominetur excelsus super regnum hominum*: & ideò Dominus dominorum dicitur, & rex regum. *Psal.*71. Dominabitur à mari vsque ad mare. *Et cuicumque voluerit det illud.* Vnde seu magnum, seu paruum suscitabit. 1 *Reg.*2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore eleuans pauperem, vt sedeat cum principibus.

23. *Quod autem præcepit*, supple, vigil, & sanctus, *vt relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris*, supple, significat, quòd *regnum tuum tibi manebit*, tibi scilicet per pœnitentiam restitutum. *Isa.*1. Restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. *Postquam cognoueris potestatem esse cœlestem*, flagellis scilicet correptus. *Isa.*26. In angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Psal* 82. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. Et subiungit de consilio pœnitentiæ.

24. *Danielis consilium monentis Nabuchodonosor ad pœnitentiam.*

*Quamobrem rex consilium meum placeat tibi. Tob.*4. Consilium semper à sapiente perquire. *Et peccata tua.* fœdos scilicet actus, *Eleemosynis redime. Prouerb.* 23. Redemptio animæ viri diuitiæ suæ. *Prouerb* 16. Misericordia, & veritate redimitur iniquitas. *Ephes.*5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Et iniquitates tuas*, quas scilicet in iniuriis Christi commisisti, *misericordiis pauperum*, redime. *Tob* 4. Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 1. ad *Timot.* 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. *Forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Forsitan dicit, quia in gratia & voluntate Dei est. *Ioel.*2 Quis sci, sit conuertatur & ignoscat Deus. *Glossa* hic obiicunt: quia si sciuit prædeterminatam sententiam, cum diffinitio Dei mutari non possit, consilium ad mutandum non profuisset. Ad hoc respondet *Glossa*, quòd prophetia comminationis est, quæ ex nostris meritis dependet, sicut & illa quæ dicta fuit Ezechiæ *Isa.* 38. Dispone domui tuæ, &c. De Niniuitis *Ionæ* 3. Adhuc 40. dies & Niniue subuertetur. *Ierem.* 18. vbi dicit, quòd si mala comminatur genti, & illa gens bene fecerit, minas clementia commutabit. Et sunt hæc verba *Hieronymi*: Quamuis Deus præsciuerit, cuius præscientia non potest mutari, hortetur tamen ad eleemosynam & pœnitentiam: quia nesciebat an esset commutatio: & Ezechiæ & Niniuitarum sententia commutata est, non iudicij varietate, sed eorum mutatione, qui conuersi veniam meruerunt.

25. *Omnia hæc.* Dicit impleta omnia, & ita dicit scilicet quo demetro & qualiter Iudæam impleta est: & qualiter per pœnam correxit, & ibi, *Igitur post finem dierum.* Et quia finem eiusdem correctionem securus est, ibi: *In ipso tempore sensus meus reuersus est.* In primo hæc tria sunt. Primò enim in communi dicit impletam esse sententiam. Secundò dicit per quam mansuetudinem cautam. Tertiò describit intentæ sententiæ. Dicit ergo, *Omnia hæc*, quæ scilicet Daniel prædixit, *venerunt super Nabuchodonosor regem.* *Isa.* 34. Requirite diligenter in libro Domini, vnum ex eis non defuit, aliud autem non quærat. Et subiungit de malo merito.

Post finem mensium duodecim, quibus scilicet ad pœnitentiam à Deo expectabatur. *Sapient.*11. Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *In aula Babylonis deambulabat*, vt superbus, & omnium Dominus. *Iob* 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo, in superbia. 26.

Respondiqueræx, & ait, nulli loquens, sed fastidio cordis sui. *Nonne hæc est Babylon*, in regnis scilicet inclyta. *Isa.*21. *Ciuitas magna*, diuitiis scilicet & potestate, sicut. *Genes.* 10. Nemroch ædificauit ciuitatem. *Quam ædificaui.* Nihil Deo attribuit, qui mundi ædificat ciuitatem, cum tamen dicatur *Iosue* 6. Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho. *In domum regni*, in qua scilicet regnem super terram. *Apoc.* 18. Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non video. *In robore fortitudinis meæ.* Fortitudine enim semper pro lege vtebatur. *Ezech.*34. Cum austeritate imperabitis eis, & cum potentia, *& in gloria decoris mei*, hoc est, vbi ostendam gloriam decoris. 1. *Mach.* 2. Cuius gloria stercus, & vermis est: hodiè extollitur, & cras non inuenietur. 27.

Cumque sermo adhuc esset. Tangit hic sententiam, & pœnam: & hoc est. *In ore regis*, vt statim scilicet vltio adhiberetur. *Sapient.* 1. Sermo obscurus in vacuum non ibit. *Vox de cœlo ruit.* Imperum notat vindicantis. *Salust.* Frangit Deus omne superbum. *Psal.*67. Dabit voci suæ vocem virtutis. De cœlo autem dicit, quia auctoritate diuina tonuit de cœlo. *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex*, ex sententia scilicet vigilis & sancti: *Regnum tuum transiuit à te*: iam enim data est sententia. *Isa.* 47. Non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltrà non vocaberis mollis & tenera. 28.

Et ab hominibus eiciet te. Gregor. Qui sordescere bominem vitat, superest, vt bestiaiter viuat. *Et cum bestiis, & fœno erit habitatio tua. Psal.* 119. Habitabit cum habitantibus Cedar. *Fœnum quasi bos comedet. Psal.*105. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. *Et septem tempora mutabuntur super te. Exod.* 21. In septimo anno egredietur liber. *Donec scias*, per pœnam scilicet correptus, *quia dominatur excelsus in regno hominum. Esther* 13. In ditione tua cuncta sunt posita. *Et cuicumque voluerit det illud. Hebræ.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et quoad de huius sententiæ impletione. 29.

Eodem hora sermo completus est super Nabuchodonosor. 30. Iste sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. *Et ex hominibus abiectus est*, vt iumentis qui se bouem reputauit. *Psal.* 21. Opprobrium hominum, & abiectio plebis. *Et fœnum vt bos comedit. Iob* 40. Fœnum quod hoc comedit. *Et ros cœli corpus eius infectum est. Deuter.* 33. Cœli caligabant rore. *Donec capilli eius*, quasi scilicet & inconsti, *in similitudinem aquilarum crescerent*, vt scilicet pilus alter [illegible] fuit aquilæ plumis. 30.

Aquila [illegible] rapacitatem. *Et ungues eius quasi auis*, quibus cruciatur. *Exod.* 17. Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis & varietate, venit ad Libanum. *Quare Nabuchodonosor aquilæ comparatur.*

Igitur

31. *Igitur post finem dierum.* Ponitur hic correcti confessio, & confessionis effectus: & hoc est. *Igitur.* Inceptiuum est. *Post finem dierum*, septem scilicet annorum. *Isa.* 24. Post multos dies visitabuntur. *Ego Nabuchodonosor*, flagellis scilicet correptus. *Ierem.*31. Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus, confusus sum, & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Oculos meos ad cœlum leuaui*, mentis scilicet, vt Deum cœli cognoscerem. *Psal.*122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. *Et sensus meus*, hoc est, regnum rationis in sensibilibus, *redditus est mihi*, qui prius scilicet cor habui ab humano mutatum. *Isa.*46. Redite prævaricatores ad cor. *Psal.*84. Loquitur pacem in plebem suam, & in eos, qui conuertuntur ad cor. *Et Altissimo benedixi*, gratias scilicet agendo. *Eccli.*51. Dauit mihi sapientiam dabo gloriam. *Et viuentem in sempiternum laudaui*, de iudicio scilicet. *Apocal.* 4. Dabant gloriam & honorem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum. Viuens in sempiternum dicitur, viuens & viuificans vita sempiterna. *Matth.* 22. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. *Et glorificaui*, hoc est, prædicaui. Tullius in fine primæ Rhetoricæ: Gloria est late patens præconium. *Quia potestas eius potestas sempiterna*, qua scilicet subditos, & creaturas potest coercere, ne possint eis nocere, quantum volunt, vel præiudicare. *Luc.* 1. Deposuit potentes de sede. *Iob* 5. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperunt. *Et regnum eius in generationem, & generationem*, hoc est, regimen & gubernatio. *Psal.* 144. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum. *Nabuchodonosor quomodo mansuetus hominis factus.*

32. *Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Isa.* 40. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum reputatæ sunt ei. *Augustin.* Quod corruptibile est, respectu eius quod vere est, non est. *Iuxta voluntatem enim suam*, [illegible] *fecit tam in virtutibus cœli*, corporum cœlestium scilicet & Angelorum. *Eccli.* 24. Gyrum cœli circuiui solus. *Psal.* 3. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Quia non est qui resistat manui eius*, hoc est, hominibus. *Psal.* 134. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra. *Et non est qui resistat manui eius. Esther* 13. Deus omnium tu es, nec est qui resistat maiestati tuæ. *Iob* 10. Cum fecerit quis de manu tua possit efficere, *ea dicere ei, Quare sic fecisti? Daniel* 4. O homines, vos dicitis, nec respondetis Deum. Quod [illegible] quis [illegible] fecit? Et [illegible] fecit? [illegible] 33.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

nem, ibi, *In eadem hora*. Et regis & aliorum contubernationem, ibi, *Tunc fecit regis*. In prima notantur quatuor, vanitas scilicet festiuantium, edacitas conuiuantium, sacrilegium vasa consecrata in vsibus propriis prophanantium, & blasphemia Deum verum inhonorantium: & hoc est. *Baltassar rex. Hieron.* Iste Baltassar non fuit filius Nabuchodonosor, vt vulgò creditur: sed, vt ait *Berosus*, qui Chaldæam, scribit historiam, & qui eamdem sequitur, *Iosephus*, post Nabuchodonosor, qui in Chaldæâ regnauit annis 44. successit Euilmerodach filius eius, de quo scribit Ieremias, quòd in primo anno regni sui, leuauerit caput Ioachim regis Iudæ, & eduxerit eum de domo carceris. Huic successit filius eius Neglisar, qui habuit filium Labosordach patrem huius Baltassar: quo à Medis & Persis occiso, destructum est regnum Chaldæorum. Item *Hieron.* Tradunt Hebræi, quòd irritam putans Dei promissionem, qua Ieremias captiuitatem Iudæorum dixerat relaxandam, quasi spei vanæ insultans captiuorum, fecit grande conuiuium. Dicit ergo. *Baltassar rex*, vt regalis noscitur ambitio, *fecit grande conuiuium*. Grande dicitur propter multitudinem apparatus, conuiuium autem propter iucunditatem epulantium. *Optimatibus suis mille*. Mille dicitur, quia maximus numerus est, vt intelligatur in maximo numero fuisse inuitatos. *Et bibit*. 2. Fecit grande conuiuium cum tribus principibus, & patris suis. Quod vituperatur. *Luc. 16.* Induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Vituperatur etiam, quòd distribuit rebus, & non pauperibus. *Luc. 13.* Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne forte & ipse te inuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, vocà pauperes, & debiles, & claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. *Luc. 8.* Cum diuitibus opportunus accidit. Herodes in natali suo cœnam fecit principibus, tribunis, & primis Galilææ. Et *vinum bibebant* [illegible] *Glos.* Secundum [illegible] in conuiuiis ordinem, & modo viri [illegible] habere cogebantur, vt scilicet quilibet mensæ [illegible] sua [illegible]. *Hieron.* Non ex ipso [illegible] cogitur ad libertatem. Et [illegible] *Et laudabant deos suos aureos, & argenteos, & æneos, & ferreos, & lignos, & lapideos.* Quod [illegible] *Ecclesiastes*. Cum [illegible] *Sapientiæ 14.* Quoniam [illegible] *Hieronymus* [illegible] *Et in illa hora exierunt digiti manus hominis scribentis contra [illegible] parietis palatii regis, & rex aspiciebat extremitatem manus quæ scribebat.*

in quibus ad ostensionem magnificè bibere volunt. Significant autem hæc vasa libros, & auctoritates Scripturæ, vel fideles animas, quas diabolus in hæreticis, vel malis hominibus, ad suas adhibet delectationes & abusus, sicut dicitur. 2. *Paralip. vlt.* Tradidit in manu eius vniuersa vasa domus Domini, tam maiora, quam minora. *Quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius*, hoc est, proauus eius. *De templo.* Hoc dicit ad aggrauationem, quia sacrilegum erat de templo accipere. Et ad aggrauationem peccati addit. *Quod fuit in Ierusalem.* 2. *Machab.* 5. Templo quod vniuersa terra sanctius est. 1. ad *Corinth.* 3. Si quis Dei templum violauerit, disperdet illum Dominus. *Et biberent in eis rex*: quòd prophanum erat, quòd homo vasis Dei vteretur sicut præceptum est *Exo.* 35. *Et optimates eius*: quod prophanius fuit. *Vxores & concubinæ*: quod fuit prophanatissimum, vt scilicet in vsum scorti vas Domini conuerteretur. Hoc tamen hodiè videmus fieri, quando thesauri domus Domini in abusum scorti conuertuntur. 2. *Machab.* 6. Templum luxuria erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se vltrò ingerebant. Et sicut præcepit, sic opere impletum est: & hoc est.

Tunc allata sunt vasa aurea, cultum Domini 3.
decentia, *& argentea, quæ asportauerat de templo*, Nabuchodonosor scilicet, *quod fuerat in Ierusalem*, vbi summa vigebat sanctitas. *Psal.* 92. Domum tuam decet sanctitudo. *Et biberunt in eis rex*, malum exemplum dando, *& optimates eius*, malo exemplo corrupti, *& vxores, & concubinæ eius*, ne edacitati deesset luxuria. *Ephes.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Hieron.* Venter mero æstuans, facilè despumat in luxuriam. Et subiungit de blasphemia.

Venter mero æstuans, deliuat cito ad libidinem.

Bibitium vinum, in abundanæ scilicet lætitiæ, & 4.
crapulæ, quod multis causa peccati est. *Prouerb.* 23. Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingredietur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. *Et laudabant deos suos*, in blasphemiam scilicet creatoris. *Iob.* 1. Deceat iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. *Aureos.* Auruin adorat, qui opulentiam sæculi veneratur. *Et argenteos*, quod est cultorum eloquentiæ. *Psal.* 113. Simulacra gentium, argentum, & aurum. *Et æneos*. Æs lenonum est, & carmina significat poetarum, quæ quidam venerantur. Regulus enim tabernaculum sacerdotorum. *Et ferreos*, quod significat ignorantes syllogismorum, quos omnes dominat. *Isaiæ 8.* Ex te fecerunt [illegible] *Ligneos*, quod significat [illegible] *Baruch. 6.* Vanitas in [illegible] *Et lapideos*, & [illegible] *Baruch. 6.* [illegible]

Et omnes [illegible] Tunc [illegible] 5.
[illegible] *Non*
[illegible]

hominis. Quasi dicit, quia non erat verè manus, sed species manus. Et dicit hominis, quia ad modum hominis, & ad intellectum figuratæ fuerunt. *Isa. 8.* Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis. *Scribentis*, ob perpetuam rei memoriam. Et attende, quod supra 4. vbi rex per pœnitentiam restituendus fuit, vox de cœlo ruit, quæ disparuit: significabat enim iram Dei citò finiendam. Hic autem vbi interficiendus fuit rex, & regnum dissipandum, scribitur in perpetuam rei memoriam. *Abac. 2.* Scribe visum, & explana super tabulas, vt percurrat qui legerit eum. *Contra candelabrum*, videlicet cuncti viderent. *2. Reg. 12.* Tu fecisti in abscondito, ego faciam in conspectu solis huius. *In superficie parietis*, ne tecta essent litteræ. *Matth. 10.* Nihil opertum, quod non revelabitur. *Aulæ regiæ*, vbi multorum fuit frequentia. *Joan. 17.* Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino excæcatum est super lapideam cordis eorum. *Et res significata arcanis mentis scribentis*, vt scilicet cognoscerent imminere sibi pœnam. *Psal. 49.* Arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Digiti scribentis in pariete imminentem regi cædi & regni destructionem significabant.

6. *Tunc facies regis commutata est.* Hic tangitur de regis conturbatione, & sunt duo, quæ hic dicuntur, scilicet conturbatio regis de inquisitione interpretis, & reginæ consilium, ibi, *Regina autem pro re.* In primis quatuor sunt, scilicet regis conturbatio, & interpretum compellatio, sapientum ad illa dictatio, & ex hoc amplior regis confusio. Dicit ergo, *Tunc facies regis commutata est*, in pallorem fuit. *Eccl. 13.* Cor hominis immutat faciem hominis in bonum, sive in malum. *Matth.* Facies, & color immutatus de hoc [illegible] dolorem. *Et* [illegible] tationes [illegible] fuit, quod [illegible] confusio. *Isa. 10.* Cogitationes [illegible] sibi, & mens in diversa rapiebat. [illegible] eum. *Psal. 37.* Cor meum [illegible] me. *Et* [illegible] scilicet superiora inferioribus [illegible]. *Psal. 72.* Renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum. *Et genua mea* [illegible] *collidebantur*, præ timore scilicet. *Habac. 3.* Cum audierem, conturbatus sum, cum audissem, emarcuit cor meum. Et subdit de excitandis ad interpretem.

Cor hominis immutat faciem.

7. *Exclamavit itaque rex fortiter*, vt scilicet clamoris, inconsonem agnoscere possit, naturale enim est hominis in angustia clamare. *Proverb. 3.* Anima in angustia, [illegible] clamat ad te. [illegible] & ululatus. *Glossa.* [illegible] sequitur eum [illegible] plateam. *3. Reg. 18.* [illegible] possumus intercipere [illegible] non prophetæ [illegible] [illegible] cili, & publice loquitur, vt [illegible] [illegible] pare in parvo: & de [illegible] lectum legit. *Et* [illegible] [illegible] quod [illegible]

Non mali est homini in angustia clamare.

intelligit. Daniel. 10. Intelligentia opus est in visione. *Purpura vestietur*, quod signum regale fuit, *& torquem aureum habebit in collo. Glossa:* Quod summæ dignitatis erat: torquis enim dabatur in signum, quod collum solutum non erat ad insipienter loquendum. Aurum enim sapientiam significat. *Proverb. 1.* Addatur gratia capiti tuo, & torques collo. Purpura vero sanguine purpuris colorata vestis est, quæ non licebat nisi regibus vti. *Et tertium in regno meo erit. Glossa:* Post me vnus de tribus principibus tertiam partem regni habens. *Gen. 41.* Constituit te super vniversam terram Ægypti: & tulit anulum de manu sua, & dedit in manu eius, vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. *Glossa:* Apud Iudæos, reges vnctio fuit: apud Medos quatuor insignia, scilicet purpura, fibula, anulus, & diadema. Vnum horum sine alio concessum, non dabat honorem plenitudinem, sed participationem. Scriptura hæc significat factam Scripturam, quæ præmonet homines de propriis furoribus. Lege autem, & inter prænotationem dat, qui dicit, de Scripturis profert monita salutis. *Rom. 15.* Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus: hic purpuram accipit in denotione sanguinis Domini. *Isa. 63.* Rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? passionem scilicet Christi. Torquem accipit in eloquio dilectionis. *Isai. 5.* Pone in torquem dilectionem tuam. Hic certius ex [illegible] *Et* [illegible] [illegible] [illegible]

Præter quæ acciderat Regi, & opinantibus eum, noua scilicet & stupenda, *domum eunuchij ingressa est*, ad noua enim concurritur vndique: *& prolequens ait, Rex in æternum viue.* A salutatione incipit, vt tristitiam temperet. *Matth.* 10. In quamcumque domum intraueritis, dicite: Pax huic domui. Et subdit consolationem. *Non te conturbet cogitatione tua. Ioan.* 14. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Neque facies tua immutetur*, in deiectionem scilicet & tristitiam. Vnde laudatur Ioseph *Genes.* 42. quòd læta facie tristitiam dissimulauit. Vnde *Philosophus* in 1. Ethic. dicit, quòd fœlicis est decenter ferre fortunas. Et subdit consilium.

Cap. 10.

11. *Vir est qui contra bifor. insultum biformi constantia mentis militat præmunitus.*

Et vir in regno tuo. Beoe vir. *Gregor.* Vir est qui contra biformes fortunæ insultus biformi constantia mentis militat præmunitus. *Qui spiritum deorum sanctorum habet in se.* 1. *Ioan.* 4. De spiritu suo dedit nobis. *Et in diebus patris tui*, hoc est, ataui tui, vel proaui. *Glossa*: more scripturæ quæ auos, & deinceps patres appellat. *Sapientia, & sapientia inuenta sunt in eo*, hoc est, tam in humanis, quam in diuinis peritia: præ omnibus enim doctus est, qui à Deo doctus est. *Luc.* 21. Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. *Nam & rex Nabuchodonosor pater tuus*, qui scilicet talis, & tantus fuit, quem & tu imitari debes. *Prouerb.* 4. Audite filij disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudentiam. *Princeps magorum*, hoc est, magnorum Philosophorum, *incantatorum*, qui incantationibus in herbis, vel animalibus diuinant. *Chaldæorum*: qui in astris, & *astrologia*, qui in terra lucificorum motu arcana *inuestigant*, non quod parte partem habere cum eis, sed vt regnum possidet. *Psal.* 104. Constituit eum Dominum domui suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiat principes sicut semetipsum. *Pater*, inquit, *tuus O rex.* Hoc repetit vt [illegible] ad [illegible] rationem prouocet. *Audiens te.* Vnde [illegible] carnis nostræ [illegible] mut eos. Et re-[illegible]

12. *Quia spiritus [illegible], pater [illegible] congaudendum, & prudentia, & sapientia [illegible] intelligentiam in eo [illegible]. Psal.* 33. [illegible] dum illa dabo, & [illegible] *Et interpretationem soluere*, [illegible] *Gloss.* [illegible] *dissoluit enigmata. Ostendit [illegible] Psal.* 48. [illegible] *& occulta [illegible] Psal.* 18. [illegible] *Dabo [illegible] & magnum decorem [illegible] Et vnus in regno meo [illegible] Reg.* 23. [illegible] *Dauid [illegible] Dominus, princeps meus tu. Et [illegible] Dauid.* Hic incipit [illegible] *Dominus.* [illegible] *Dominus.* [illegible] *Dominus.*

aquas. *Qui non vident, neque audiunt. Psal.*113. Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient. *Neque sentient. Psal.*134. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. *Laudati. Psal.*9. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ. *Porro Deum*, verum scilicet *qui habet flatum tuum in manu suâ*, hoc est, spiritum tuum, in manu sua, hoc est, in potestate suâ, auferendi quando vult. *Prouerb.* 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. *Et omnes vias tuas*, supple, habes in manu. *Iob* 14. Signasti quasi in sacculo delicta mea. *Non glorificasti*, per gratiarum scilicet actionem, & bonam vitam. Cum tamen dicatur *Eccl.*43. Glorificantes Dominum exaltate eum quantumque potueritis.

Manus Dei quid est.

24. *Idcirco ab eo*, Deo scilicet vero, *missus est articulus manus*, qui articulatim scriberet. *Apoc.*1. Quod vides, scribe in libro. *Que*, scilicet manus, *scripsit hoc quod exaratum est.* Ex hoc videtur, quòd non colore scriptum fuerit, sed in lapidem exaratum. *Ierem.* 17. Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino.

25. *Hæc est autem scriptura quæ digesta est*, hoc est, iudicio Dei detrecta. *Dan.*3. Omnia quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti, *Mane, Thecel, Phares*, hoc est, numerus, appensio, diuisio. *Sap.* 11. Omnia in numero, pondere, & mensurâ disposuisti.

26. *Et hæc interpretatio sermonis*, scilicet quantum ad intellectum. 1. ad *Corinth.*14. Nisi manifestum sermonem dideritis, quomodo scietur id quod dicitur? *Mane*, quod, supple, sonat numerus, significat, quod *numeravit Deus regnum tuum*, hoc est, omnes actus & verba, quæ habuisti in regno. *Iob* 31. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? *& complevit illud*, hoc est, finiuit. *Luc.*16. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.

27. *Thecel*, supple, significat, quod *appensum est in statera*, supple, regnum tuum, & vita, quantum ad circunstantias & radices operum. *Et inventum est minus habens*, quam dignum scilicet fuerit. *Prouerb.* 16. Pondus, & statera iudicia Domini sunt. *Iob* 31. Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus, appendat me in staterâ iustâ, & sciat Deus simplicitatem meam.

28. *Phares*, supple, significat, quod *diuisum est regnum tuum*, supple, à te, & à progenie tuâ. *Isa.*47. Non est solium vltra filiæ Chaldeorum. *Luc.* 12. Hac nocte repetent à te animam tuam, & quæ parasti, cuius erunt? *Et datum est Medis & Persis.* Medi mensurantes, poenam scilicet contra culpam. Perse lateri diuisores interpretantur. *Isa.*13. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærent, aurum nolint, sed sagittis paruulos conterent.

29. *Tunc iubente rege. Glossa*: Non mirum, si quamuis audiens tristia, præmium solueret, cum ventura quæ audierat, non statim credidit: Dei enim prophetam honorando, se putauit veniam promereri: non tamen obtinuit, quia sacrilegium maius fuit quam veneratio hominis Dei. *Indutus est* Daniel purpurâ. *Prouerb. vlt.* Byssus & purpura indumentum eius. *Et circumdata est torquis aurea collo eius*, præ sapientiâ scilicet quâ loquutus fuerat. *Isa.* 22. Suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera. *Et prædicatum est de eo*, voce scilicet præconis, *quòd haberet potestatem tertium in regno*, hoc est, sicut vnus de tribus principibus. *Genes.*41. Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. *Iterum.*1. Constitui te hodie super gentes, & regna.

Eadem nocte, Tangitur hic omnium dictorum impletio. *Interfectus est Baltassar rex Chaldæus. Glossa: Iosephus* dicit obsessa Babylone à Medis & Persis, Baltassar regem Babylonis, in tantam venisse obliuionem sui, vt celeberrimum conuiuiũ iniret, & in vasis templi biberet, & obsessus epulis vacaret. Vnde potest stare historia, quòd eadem nocte sit captus, & iugulatus, dum omnes, aut visionis, interpretationisque territi miraculo, aut celebritate & ebrietate conuiuij occupati essent. *Luc.* 12. Stulte hac nocte repetent animam tuam.

30.

31. *Et Darius Medus successit ei in regnum.* De hoc Dario dicit *Iosephus*, quòd fuit filius Astiagis, qui alio nomine Assuerus vocabatur, & erat auunculus Cyri regis Persarum, ætate & moribus regno dignus. *Esth.* 10. Væ terræ, cuius rex puer est. *Amos* 6. Dicit enim Aristotel. in 3. Pol. Nemo eligit iuuenes duces: quia non consilio sed esse sapientes. In tali enim ætate sedata consilio, & conceptus stabiles inuenimus. 1. ad *Timoth.* 5. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum.

Luc. 16. *Nemo eligit iuuenes duces.*

CAPVT VI.

1. PLacuit Dario. Hic tangitur excellentia Prophetæ in regno Darij, sicut excellẽs fuit in regno Chaldæorum. Diuiditur autem in partes tres. In prima ponuntur ea, quæ incendunt inuidiam. In secunda, quæ probant Prophetam, ibi, *Tunc rex primo dilexit.* In tertia describit procedentem in peccatorum vindictam, ibi, *Iubente autem rege.* Primo diuidimus in tres, scilicet Danielis exaltationem, contra Danielem inuidorum machinationem, ibi, *Visum principi & satrapæ.* Tertiò describit poenam contra Prophetam intentatam, ibi, *Tunc viri principes, & adiunxerunt Daniel.* In prima tres sunt, scilicet prouinciæ per principes regendæ, vnum super principes prouinciarum, Danielem in omni virtute confirmatio. Dicit ergo.

Vnum super principes prouinciarum. Dicit quòd Darius superposuit regno [illegible] Danielem, & in eo [illegible] cum [illegible] quin [illegible], de [illegible] & quomodo [illegible] & constituit [illegible] habere [illegible] super [illegible] *Esther.* 1. In diebus Assuerus, qui imperauit [illegible] Indiæ, usque Æthiopiam, super 127. prouincias. Quare hoc fuerit,

hoc fecerit, subdit. *Vt essem in toto regno suo*, hoc est, in omni parte regni, vt quælibet prouincia haberet, ad quem respiceret, ne longè agente rege negotia periclitarentur. *Exod.*18. Constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore.

2. *Et super eos principes tres*, supple, constituit, pauciores enim præesse non poterant, sicut prædabitum est; vnus enim curiæ, alter militibus siue exercitibus, tertius negotiis seu iudiciis præerat. 2. *Reg.* 23. Irruperunt tres fortes castra Philistinorum, qui erant cum David; *ex quibus Daniel vnus erat*, de quo rex plus confidebat; & intelligitur vnus, vnicus. *Genes.* 41. Dixit rex ad Ioseph: Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Quare autem hoc fecerit, subdit. *Vt Satrapæ*, Prouinciarum scilicet præfecti; *illi*, scilicet tribus; *redderent rationem*, hoc est, computationem de reditibus scilicet prouinciarum, & de expensis, & etiam de negotiis. *Matth.* 18. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. *Gen.* 31. Ego damnum omne reddebam, si quid furti peribat, à me exigebas. *Et non esset nocumentum*, in iudicio scilicet negotiorum, & causarum. *Numer.* 11. Moysi intolerandæ res visa est. Et post paucâ: Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, portà eam in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum. Laboriosa enim res est multis vtiliter intendere.

Daniel constitutus triumuir.

3. *Igitur Daniel superabat omnes principes*, prudentiâ, honestate, & virtute. *Eccli.*45. In fide & lenitate sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. *Et Satrapæ*, maiores scilicet homines, qui cum rege erant. *Quia spiritus Dei amplior erat in eo.* Spiritus hic dicitur manifestatio spiritus in domo. *Ioan.*3. Non ad mensuram dat Deus spiritum. *Eccli.* 46. In fide sua probatus est propheta, & cognitus est in verbis suis fidelis.

25. *Et sermones contra Excelsum loquetur*, blasphemando scilicet. *Isa.* 37. Ne timeas à facie verborum quæ audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. *Et sanctos Altissimi conteret*, probando scilicet & conterendo. *Psal.* 78. Posuerunt seruorum tuorum corpora escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. *Et putabit*, præsumptione scilicet & superbiâ, *quod possit mutare tempora. Glossa*, id est, ordinem, vel cursum temporum; hoc est, festa Christi sanctorum in sua conuerte festiuare. *Psal.* 73. Posuerunt signa sua signa. *Et legem*, vel reges, quia putabit leges Christi suis commutare, & prælatos, Archiepiscopos, & Episcopos pro arbitrio deponere. Hoc plangit Mathatias. *Machab.* 2. Templum eius sicut homo ignobilis, vasa gloriæ eius captiua ducta sunt. *Et tradentur in manu eius*, hoc est, in potestate eius. *Iob* 9. Terra data est in manus impij. *Vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Modum seruat Hebræi idiomatis, quod sicut Græcum habet numerum singularem, dualem, & pluralem: vnde tempus est annus, tempora duo anni, & dimidium temporis sex menses. Tantum enim durabit Antichristi persecutio. Vnde *Apocal.* 1. sub typo Ecclesiæ dicitur, quòd datæ sunt mulieri, hoc est, Ecclesiæ, alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis: sancti enim tunc declinant in desertum per tres annos, & dimidium.

Mira Antichristi superbia.

Et iudicium sedebit, antiquus scilicet dierum. 26.
Ierem. 23. Faciet iudicium & iustitiam in terrâ. *Vt auferatur potentia*, Antichristo scilicet, ne de cætero regnet ad oppressionem sanctorum. *Psal.* 58. Disperge illos in virtute tuâ, & depone eos protector meus Domine. *Et conteratur, & disperatur vsque in finem*, hoc est, in æternum. *Iob* 40. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. Et subdit de regno Christi.

Regnum autem, hoc est, regni decor iustitiæ. 27.
Psal. 92. Dominus regnauit, decorem indutus est. *Et potestas*, obuiandi scilicet malis, *& magnitudo regni*, virtutis scilicet, *quod est subter omne cælum*, hoc est, quod cœli ambitu continetur, *detur populo sanctorum Altissimi*, vt ipsi in Deo, & Deus regnet in ipsis. *Apocal.* 12. Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum. *Cuius regnum, regnum sempiternum est. Luc.* 1. Regnabit in domo Iacob in æternum. *Et omnes reges seruient ei*, qui verè scilicet reges sunt, sicut sancti. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. *Et obedient*, mandata eius seruando. *Act.* 5. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et subdit epilogum, dicens.

Hucusque finis verbi, breuiter scilicet perstrinxi: & dat formam breuiter loquendi. *Prou.* 10. 28.
Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prou.* 29. Totum spiritu suum profert stultus, sapiens differt, & reseruat in posterum. Et subdit de magnitudine visionis epilogũ. *Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar. Abac.* 3. Audiui, & conturbatus est venter meus, & voce contremuerunt labia mea. *Et facies mea immutata est in me*, ex timore scilicet in pallorem. *Dan.* 10. In visione tua dissolutæ sunt compagines meæ, & nihil remansit in me virium. *Verbum autem*, hoc est, de quâ verbum est, *in corde meo conseruaui*, ne scilicet per obliuionem deleretur, quod vtile scilicet poterat esse multis. *Luc.* 2. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *Psal.* 118. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

CAPVT VIII.

1. *Anno tertio regis Balthasar.* In præcedenti visione de quatuor regnis actum est, hic agit de duobus regibus illorum regnorum, Mediæ scilicet, & Græciæ, & diuidit capitulum in duas partes: primo enim describit visionem, secundo

secundo explanationem, ibi, *Factum est autem cum viderem.* Prima in duas diuiditur. In prima tangitur visio de rege Medorum, in secunda de rege Græcorum, ibi, *Ecce hircus caprarum veniebat.* Prima adhuc in duas diuiditur: describit enim primò dispositionem videnti, secundò lectori visionem, ibi, *Et ecce aries.* In prima videntem describit per locum commodum, & proprium, & proprietatem; & hoc est, *Anno tertio regni Baltassar*, qui pronepos fuit Nabuchodonosor, scilicet regis Chaldæorum, *visio apparuit mihi*, imaginaria scilicet. Cassiarus: Apparet quod præter spem sensibus obiicitur. *Isa.* 14. Longe apparuit Dominus mihi, & dixit: Sem tuum meum mihi, secretum meum mihi. Semper enim Deus visionibus sanctorum præmunit peccatores, & admonet, vt conuertantur. *Osee* 6. Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei, hoc est, occidendos prædixi. *Sapient.* 12. Hos qui exercuit paribus, corripiens, & admonens, vt cum malitia credant in te Domine. *Ego Daniel*, diuinæ contemplationi assiduè intendens. *Abac.* 2. Contemplabor vt videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. *Isa.* 21. Contemplatus est diligenter multò intuitu. *Post id quod videram in principio*, hoc est, in visione imaginaria, quæ hominis dicitur: exterior enim potius visio rei quam hominis dicitur: non enim subiace semel contemplationi intentum est, sed multoties intendendum est. *Osee* 12. Ego visione multiplicaui eis. *Psal.* 88. Tunc locutus es in visione cum sanctis tuis. Et describit locum proprium.

2. *Susa caput Elamitarum.*

Cum essem in Susis castro. Susis Metropolis est Elamitarum, non castrum: sed ita vocatur, vt pro firmitate munitionis castrum esset vocata. Et subdit de loco commodo. *Quod est in Elam prouincia.* Symmachus manifestè, in Elam ciuitate: ciuitas enim Elam vocatur. *A quo regio Persarum accepit*, sicut à Babylone regio dicitur Babylonia. Et subiungit de loco proprietatis. *Vidi autem in visione*, imaginaria scilicet, *et ecce super portam Vlai.* Portam dicit eadem ciuitatem esse Susis: Vlai autem idem est quod palus, eò quod illa porta propinqua erat paludi, quæ incubat ante ciuitatem: licet Vlai dicatur Thea porta, & sicut Vlai, dicitur porta Carmandis, vel Lauritis. Nihil autem mirandum, quòd gaudent, Elam autem interpretatur, quia in gaudio semperuno fuit visiones habere. *Isa.* 11. Venient in Sion cum laude, hoc est in contemplationem, & lætitia sempiterna super capita eorum. Porta verò Vlai habuit locum huius vitæ significat, vel finem sempiternæ, in lapide enim mortis fluxit habitantes, & in gaudio sempiternæ vitæ delectantur in palude contemplantur. *Cant.* 7. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Hesebon interpretatur cogitationes mortis: quia in morione pœnitentiæ fuerunt, & pœnam tendunt nes resultantes in aqua Spiritus. Et subdit de modo visionis.

3. *Et levaui oculos meos*, ad alta scilicet & diuina contemplanda. *Isa.* 40. Leua oculos tuos, & vide. *Luc.* 11. Respicite, & leuate capita vestra. *Et vidi. Genes.* 31. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Et ecce aries.* Describit hic seriem visionis, primo in rege Mediæ, secundo in rege Græcorum, ibi, *Ecce autem hircus.* Regis Mediæ describit figuram, abiectionem, & tyrannidem: & hoc est, *Et ecce aries*, hoc est, imago arietis, *vnus*, singularis scilicet in potestate, *stabat*, erectus scilicet & gratiosus, *ante paludem*, hoc est, ante portam Vlai, rex scilicet Medorum dominans in Susis, ante paludem enim erat ciuitas, ad quam tota retia pertinebat, *habens cornua excelsa*, duo scilicet quæ significant Darium & Cyrum, per regnum Medorum, & Persarum, in quibus dominabantur duo reges: *& vnum excelsius altero*, quod significat Cyrum, qui regnum circumquaque dilatauit: & hoc est quod sequitur. *Atque succrescens*, in potestate scilicet & diuitiis, sicut dicitur de David. 1. *Reg.* 3. David proficiens, & semper ipso robustior. Aries cornua curua habens, duræ frontis, & rigidi colli, prælatum significat duplicem potestatem, spiritualem scilicet & carnalem ad terrena conuertentem. *Proverb.* 30. Aries, nec est qui resistat ei. Duræ frontis per inuerecundiam. *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Rigidi colli. Præ fœuitatis inflexibilitate. *Iob* 15. Cucurrit aduersus Dominum erecto collo, & pingui ceruice roboratus est. Excelsa cornua abiectionem significant potestatis. *Psal.* 74. Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & deliquentibus, nolite exaltare cornu. Et subdit de potestatis ambitione.

4. *Postea vidi arietem cornibus ventilantem. Glossa*: Caput agitantem, & ventum monentem. *Contra Occidentem*, vt scilicet Occidentales subiicerent, *& contra Orientem*, vt Orientalibus imperaret, *& contra Aquilonem*, vt Aquilonaribus dominaretur, *& contra Meridiem*, vt etiam esset sub sua potestate: ambitio enim locum non ponit. *Isa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci. *Zach.* 1. Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem, hoc est, Iacob, clericos, & Religiosos. Et subdit de tyrannide. *Et nemo poterat eos potentes resistere*, hoc est, mortales homines idiotæ. *Ezech.* 14. Cornibus vestris ventilabitis omnem infirmam pecorum, donec dispergamini foras. *Neque liberari de manu eius*, hoc est, de potestate eius. *Zach.* 1. Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo illorum leuauit caput suum. *Vnusquisque secundum voluntatem suam*, hoc est, vt libuit, nec secundum rationem, & legem dominatus est. 2. *Machab.* 7. Procellarum intra homines habens cum fy corporibus, facit quod vult. *Et magnificatus est*, potestate scilicet & diuitiis. *Deut.* 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.

5. *Et ego*, supple, Daniel, *intelligebam. Hieron.* Visione priori pronunciatur, intelligebam quod mutatio regnorum significatur in visione. *Iob* 13. Omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexit singula. *Ecce autem hircus caprarum.* Tangit hic processum regis Græcorum, primo in se, secundo in successoribus. *Hircus veniebat.* Regem Græcorum describit in se quadruplicem, scilicet ab ira, a velocitate, a fortitudine, a potestatis dilatatione, & hoc est. *Ecce autem hircus caprarum.*

Alexander dicitur hircus. Hircus dicitur Alexander, non quod in se fœdus fuerit, sed quia Græci fœdi: vnde dicitur hircus caprarum, quia libidines caprarum insequebatur. *Ezech.* 34. Ecce ego iudico inter pecus, & pecus, & arietem, & hircum. *Veniebat ab Occidente.* Quia Macedonia vnde natus fuit Alexander, ad Occidentem est respectu Mediæ, *super faciem totius terræ*, hoc est, omnem terram intendens subiugare. *Isa.* 10. Omnem terram ego mihi subiugaui. *Et non tangebat terram*, hoc est, potius videbatur volare, quam ire. Alexander enim, vt dicit *August.* victoriis potius pernoluit orbem, quam bellis procederet. *Isa.* 5. Ecce festinus velociter venies, non est deficiens, neque laborans in eo. *Porro hircus* (tangit hic potestatem) *habens cornu insigne*, hoc est, regnum ditissimum, & fortissimum, quod post expugnauit, vt dicit *Hieron.* in Dario ditissimo Assuri filio, in quo Medorum & Persarum regnum destructum est. *Inter oculos suos*: quia ad id propter diuitias maximè conuertit oculos. Quia vbi amor, ibi oculus, vt dicit. *Bernard. Meth.* 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Iob* 28 Omne pretiosum vidit oculus eius. Et subdit de fecitate.

vbi amor, ibi oculus.

6. *Et venit vsque ad arietem illum cornutum*, instructo scilicet exercitu, *quem videram stantem ante portam*, Vlai scilicet, ex ordinatione enim Dei fortior semper surgit in fortem, & *cucurrit in impetu fortitudinis suæ*, nulla scilicet mansuetudine, vel misericordia retrectus. *Sapient.* 2. Sit fortitudo nostra lex iustitiæ.

7. *Cumque appropinquasset prope arietem*, intrando scilicet fines eius cum molestia, *iratus est in eum*, hoc est, feritate irruit in eum, *& percussit arietem*, hoc est, occidit. *Matth.* 21. Malos malè perdet. Per malos enim Deus punit bonos, & vindicat malos: vnde *Deuter.* 32. secundum 70. Mihi vindictam, & ego retribuam. *Iob.* Cito velociter reddam, & [illegible] super caput vestrum. *Et conteriebant duo cornua eius*, Medos scilicet & Persas. *Iob.* 4. Contritio peccatorum confringam. *Et non poterat aries stare coram illo.* Ibid. Ipse de regibus triumphabit, & tyrannos iudicabit eos. *Cumque eum* scilicet vicisset, *iecisset in terram*, hoc est, de regno deposuisset, *conculcauit*, hoc est, conculcando contribuit. *Isa.* 63. Conculcauit eos in furore meo, & calcauit eos in ira mea. *Et non erat qui liberaret arietem de manu eius.* Ibid. 21. Non parcet si vetibit potentibus, & ad deprecandum confugit.

8. *Hircus autem caprarum*, hoc est, Alexander, *magnus factus est nimis*, subiugando sibi omnia, vt dicit *Hieronym.* diuitiis, & potentia sublimatus est. *Iere.* 12. Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & fructum faciunt. Hoc facile est exponere sub eiusdem auctoritatibus de secularibus prælatis fœtidis in peccatis, qui efferuntur in principes Ecclesiasticos, spoliatis rebus & vitis diuitum prælatorum & concilium, non plangit Matthæus. *Matth.* 3. Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & conuersationem sanctorum, & [illegible] in eis, cum dantur in manibus eorum. Et post paucos: Quæ prius non habebant regnum eius, & non obtinuit [illegible] eius. Et subiuncta successoribus. *Cumque crauisset*, vsque ad summum potestatis, quam præsumpsit Deus, *fractum est cornu magnum*, hoc est, Alexander potentissimus mortuus est, 1. *Mach.* 1. Exaltatum est & eleuatum cor eius, & obtinuit regiones gentium, & tyrannos, & facti sunt ei in tributum. Et post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. *Et orta sunt quatuor cornua subtus illud*, cornu scilicet, magnum, *per quatuor ventos cœli*, hoc est, per quatuor plagas mundi: sicut enim dicitur 1. *Machab.* 1. Alexander pueros suos vocauit nobiles, qui secum nutriti erant, & diuisit eis regnum suum, dum adhuc viueret. Inter quos quatuor erant potentiores, qui per quatuor cornua significantur. Vnde *Hieronym.* in Babylone mortuo Alexandro 32. ætatis suæ anno, surrexerunt pro eo quatuor duces eius. Ægyptum tenuit Ptolomæus Lagi filius, Macedonas Philippus, qui Aridæus dictus est, & fuit frater Alexandri, Syriam & Babyloniam, & omnia regna Orientis Seleucus Nicanor, in Asia regnauit Antigonus. Isti ergo per quatuor cornua significantur.

Alexander quatuor habuit successores quibus diuisit fuit regnum eius, scilicet Ptolomæum in Ægypto, Seleucum in Syria, Antigonum in Asia, & Philippum in Macedonia.

De vno autem cornu scilicet, hoc est, Seleuco, *exiit vna*, per datum iuramentum *cornu vnum modicum*. *Hieronym.* Antiochus Epiphanes filius Seleuci, qui & Philometor dictus est, qui nescientes senatum per dolum corpit imperium, cum obses fuisset Romæ, & propter hoc dicitur cornu modicum, quia primo paruus fuit, per dolum se humiliauit, quia est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. *Et factum est grande*, illud cornu per assertum scilicet proficiens, ad Tiranos. Homines mali proficiunt in malo. *Contra Meridiem*, Ægypti scilicet regem, qui Ægypto vadit Syriam ad Meridiem est. *& contra Orientem*, contra Persas scilicet, qui ad Orientem Syriæ erant, *& contra fortitudinem*, hoc est, populum Dei, qui in Deo fortitudo eius. *Isa.* 26. Qui spernit in Domino, confortabitur. *Ibid.* 4. Ibunt de fortitudine in fortitudinem. *Ibid.* 31. Ad fortitudinem meam [illegible] & fortem multi gentes conuertentur. *Ibid.*

10. *Et magnificatus est*, dilatatus, cornu illud, *usque ad exercitum cœli*, *Isa.* 14. Vbi ait: Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo. *Et deiecit de exercitu stellarum*, hoc est, fortissimos, potentissimos de malum, principes de [illegible] *& conculcauit eos*, hoc est, [illegible] *Et usque ad principem exercitus magnificatus est*, [illegible] *Et ablatus est ab eo tollendum*, [illegible] *Et deiecit veritatem de terra*, [illegible] *Et dabitur ei contra iniquitatem*, [illegible] *Et fecit*, quod fecit [illegible] *Et prosperatus est*, [illegible] *Et contrit in diebus eius*, [illegible] *Et ecce*, [illegible] *Et*

Antiochi Epiphanis.

Deus, & Dominus.

Et vsque ad principem, hoc est, contra principem *fortitudinis magnificatus est*, superbia scilicet, hoc est, contra Dæmonem, qui contra Iudam Machabæum, qui princeps tunc fuit in populo Dei. *Isa.* 16. Superbia est valde, superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quam fortitudo eius. *Et ablatus*, hoc est, principe fortitudinis, *tulit ei sacrificium*, quod scilicet omni die, & omni mane offerebatur, sicut dicitur *Exod.* 29. quod agnus offerebatur in mane, & agnus in vespere. *Et deiecit locum sanctificationis eius*, per pollutionem scilicet templi, posuit enim in templo statuam Iouis Olympii, vt *Machab.* 1. Ædificauit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei. Ne autem aliquis credat, quod hoc fiat viribus hominum, ideo subdit.

sacrificium quid.

12. *Robur autem datum est ei*, Antiocho scilicet, *contra iugi sacrificium*, quod Deo accepimus esse, in vniuersali sacrificio. *Tob.* 13. Eleuato manuum mearum sacrificium vespertinum. *Propter peccata*, populi scilicet. *Iob* 21. Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 2. *Machab.* 5. Facinus est locus particeps malorum populi. *Et prostrauerunt veritatem in terra*, veritas scilicet duo cornua, vna, & antiqua. *Hieronym.* Cultu idolorum crescente, Dei religio decreuit. *Sapient.* 14. Infinitorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis. *Isa.* 19. Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi: & factus est veritatis obliuiscens, & qui recedit à malo, prædatus patet. *Et profperatus est*, in malum scilicet. *Hieronym.* Iustis autem ad [illegible] Dei [illegible] *Et fecit*, quod scilicet magna magnificauit. *Iere.* 11. Vis magnificare prædicatorem, qui [illegible] *Et deiecit*, [illegible] *Et dabitur*, [illegible] *Et contrit in diebus eius*, [illegible] *Et ecce*, [illegible] *Et*

13. *Et audiui*, in [illegible] *de sancto loquentem*, [illegible] *Quare de sancto loquitur*, [illegible] *Et dixit*, [illegible] *Et audiuit*, [illegible] *Et*

Angelus non accipiunt ex officio exteriori.

Cœli dicuntur sancti, qui in visibili, quia in conuersatione diuinorum.

Angeli non accipiunt ex officio exteriori, vt dicit *Greg.* ideo nomen superioris remansit incognitum. *Gen.* 32. Cur quæris nomen meum quod est mirabile. Alia translatio, quia ipsum est mirabile. Ac si dicat, per exteriora non innotescit, sed in intimis illum est mirabili lumine stellarum, & candelæ, & quidquid agunt stellæ, & candelæ, informata lumine solis agunt: ita Angelus informatus à lumine superiori operationes format ad formam apparitionis accepit. *Eccli* 24. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens. Et subdit de illuminationis petitione, & debet suppleri & dixit inferior Angelus superiori. *Vsque quo visio*, supple, dabitur quæ impletur. Simile. *Abac.* 2. Adhuc visio procul. Et quod dixit, subdit, explanando. *Et*, id est, *iugi sacrificium*, supple, conculcabitur. *Isa.* 1. Ne offeratis vltra sacrificium, incensum abominatio est mihi. *Et peccatum*, hoc est, idolum, quod antonomastice peccatum est, quod Antiochus posuit super altare Domini. 1. *Machab.* 1. *Desolationis quæ facta est*, hoc est, quæ est causa desolationis, quæ facta est [illegible] templi. *Ezech.* 3. & 9. quod gloria Domini recessit à templo, propter idolatriam. *Sap.* 14. Inuentio idolorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis. *Ibid.* 19. Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi: & factus est veritatis obliuiscens, & qui recedit à malo, prædatus patet. *Et conculcatio*, id est, *& sanctificatio*, id est, *Conculcatur*. Et hoc est, quod quæsiuit, dabitur præmissa illuminatio per exteriora conuersationis, & id est, *& sanctificatio*, id est per cœli [illegible] & hoc quod dicit, conculcabitur, id est, conculcabitur, iubiuge debet [illegible] & [illegible] alia cum iubiuge debet, dabitur, id est, [illegible] interrogatio, quæ [illegible] id est, & vna responsione terminari non potest.

suge sacrificium quid.

16. *Et dixit*, id est, Dominus scilicet, [illegible] & [illegible] *Et*

tuæ manifestati mihi. *Et mundabitur sanctuarium*, à Iudã scilicet Machabæo. 1. *Mach.* 4. Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, & renouare.

15. *Factum est*, à perfecto illuminatore. Agitur hîc de Prophetæ illuminatione; & circa hanc duo dicit, scilicet illuminatoris ad Prophetæ accessum, & humanæ infirmitatis ad illuminationem defectum, ibi, *Aries quem vidisti*. Dicit ergo: *Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem*, scilicet eam quæ dicta est, *& quærerem intelligentiam*, imaginum scilicet quæ in re significarent: cuius contrarium videtur ante dixisse: cum enim vidisset visionem, subiunxit, *ego intelligebam*. Sed ad hoc dicendum est, quòd in communi intellexit, quòd erat de mutatione regnorum, exitum tamen rei & terminum temporis & circunstantias non cognouit, & propter hoc horum intelligentiam nũc quæsuit. *Dan.* 10. Intelligentia est opus in visione. *Psal.* 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te. *Ecce stetit in conspectu meo*, visionis scilicet imaginatione, *quasi species viri*. Quasi dicit, quia non erat vir, sed viri species, siue imago. Simile. *Iob* 4. Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis.

16. *Et audiui vocem*, imaginariã scilicet visione, *viri inter Vlai*: videbatur enim stare inter paludem, & portam: & vir iste fuit illuminator illuminatoris Prophetæ: & dicunt Hebræi, quòd fuit Michaël: dicunt enim, quòd quoties de propitiatione agitur, Michaël mittitur, quiã, Quis vt Deus interpretatur: in solo enim Deo propitiatio est: collatio autem illuminationis ad propitiationem pertinet. *Daniel.* 10. Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. *Et clamauit, & ait.* Clamor intensionem significat illuminationis apertæ. *Isa.* 6. Seraphim clamauit alter ad alterum. *Gabriel fac intelligere visionem istam. Hieronym. & Philo Iudæus*: Angeli ex operibus, & officiis nomina sumunt, & quia de fortitudine bellorum agitur, Gabriel, qui fortitudo Dei interpretatur, mitti perhibetur. Quod autem dicit, istum, notat, quòd iste præ cæteris ad illuminationem percipiendam, cor habuit præparatum. 1. ad *Corinth.* 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Et post pauca: Loquimur Dei sapientiam in mysterio abscondito.

17. *Et venit*, hoc est, illuminando appropinquauit. *Psal.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini. *Et stetit*, vt notaret quod illuminatio stabilis esset, *iuxta*, hoc est, prope, *vbi ego stabam*: & hoc nihil est quam illuminationem proportionate, vt capi possit à Propheta. *Rom.* vii. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Et subiungit de infirmitate humanã ad illuminationes diuinas: & hoc est, *Cum venisset*, hoc est, illuminando appropinquasset, *pauui*, non scilicet timore mali, sed timore reuerentiæ, ad magnitudinem illuminationis, *corue*. Natura animæ est, quòd intensa ad vnum, remissa ad alterum, vnde cum intensa illuminatione, remissa est à corpore, & corpus deficit cum ab anima, ruit in seipsum, & collapsum est. *Dan.* 10. In vi sione tua dissoluta sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. *Isa.* 21. Cum audiremus, & conturbatus sum: cum videremus, euacuerit cor meum. Ideò dixit Apostol. 2. ad *Corint.* 2. Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. *In faciem meam*. Cadens in faciem, excipit se manibus, vt suauiter cadat, & videt quo cadat, quod non videt cadens retrorsum. 1. ad *Corinth.* 4. Cadens in faciem, adorabit Dominum, pronuntians, quòd verè Deus in vobis sit. *Et ait ad me*, Gabriel scilicet, *Intellige fili hominis*. Filium hominis vocat, quem per casum vult esse memorem humanæ fragilitatis, quæ ad diuina insufficiens est. *Psal.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. 2. ad *Timoth.* 2. Intellige quæ dico, dabit enim tibi Deus in omnibus intellectum. *Quoniam in tempore finis*, quando scilicet complebitur iniquitas malorum, vsque ad vitionem, & purgatio bonorum per tribulationem. *Ezech.* 7. Finis venit, venit finis: *Complebitur visio*, quæ scilicet demonstrata est tibi. *Tob. vlt.* Non excidit verbum Domini.

18. *Cumque loqueretur ad me*, illuminationem scilicet infundendo, *collapsus sum pronus in terram*, antæ excellentiæ scilicet lucem ferre non sustinens, Cui simile est, *Matth.* 1. vbi discipuli videntes transfiguratum Dominum, ceciderunt in faciem suam. *Et tetigit me*, tactu scilicet virtutis me confortantis. *Marc.* 5. *Tetigit me*, ego enim cognoui virtutem de me exiisse. *Et stauit me in gradu meo*. Gradus hominis est altior proportio quam habere potest, ad intellectum diuinorum. *Abac.* 2. Figam gradum super munitionem, & contemplabor, vt videam, quid dicatur mihi.

19. *Dixitque mihi: Ecce ostendam tibi, quæ futura sunt*, quæ solus Deus cognoscit, & ostendere potest. *Eccli.* 33. Ostendam tibi oratione bonum. *In nouissimo maledictionis*. Maledictionem vocat tempus quo idololatria durabit in templo: tunc enim abundabit maledictio. *Sapient.* 14. Manus per quas fit idolum, maledictæ sunt. *Quoniam habet tempus suum finem*. Tempus vocat spatium vitæ, vel regni, vel durationis cuiuscunque. *Iob* 14. Constituisti terminos eius, qui præterire non poterunt.

20. *Arietem quem vidisti*. Explanatio est visionis, & hoc est. *Arietem quem vidisti*, hoc est, imago arietis, *habens cornua*: potestates scilicet regis, *Reges Medorum est, & Persarum*, qui per duo cornua significantur.

21. *Porro hircus capra rum rex Græcorum est*: Alexander scilicet, *& cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus*, sicut in prædictis expositum est.

22. *Quod autem fracto illo*, hoc est, mortuo Alexandro, *surrexerunt quatuor pro eo*, sicut ibidem, in qua vna cornua, imperatores, tria pedes interpretantur: *quatuor regna de gente eius conterranea*, hoc est, de principibus regni eius. 1. *Machab.* 1. Imposuerunt sibi omnes diademata post mortem eius, & multiplicata sunt mala in terra. *Et non in fortitudine eius*. Alexandri scilicet corpus pulchrum fuit, & in arma fortis.

23. *Et post regnum eorum, quando fuerint consummati*, scilicet Reges Medorum, & Persarum. Quando dicit, *Cum fuerint consummati*, [illegible] Cum ergo [illegible] Medorum, & Persarum, [illegible] fuit

facta est tibi, noluisti erubescere. *Et intelligens propositionem*, hoc est, astutus proposita mala sciens proficere. *Psal.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

24. *Et roborabitur fortitudo eius*, vt possit perficere quod malè cogitauit: & hoc est mala fortitudo. *Sap.* 2. Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ. *Sed non in viribus suis*, sed, supple, propter peccata hominum, & ex permissione Dei: vnde. *Isa.* 10. In manu eius indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum. *Et supra quod credi potest, vniuersa vastabit. Isa.* 21. Qui depopulator est, vastat. *Et prosperabitur*, in malis scilicet, *& faciet*, hoc est, opere complebit. *Ierem.* 12. Via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui iniquè agunt. *Et interficiet robustos*, hoc est, qui in Deo robusti esse deberent: vnde dicit *Isa.* 10. Inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum.

25. *Et populum sanctorum, secundum voluntatem suam*, supple, interficiet. *Psal.* 78. Effuderunt sanguinem sanctorum velut aquam in Ierusalem. *Et dirigetur dolus in manu eius*. Vt quos vi vincere non potest, dolo capiat. *Psal.* 49. Lingua tua concinnabat dolos. *Et cor suum magnificabit*, hoc est, in superbiam eleuabit, vnde 2. *Mach.* 5. dicitur de eo, quod putabat se terram ad nauigandum, & mare ad ambulandum habere. Contra quod dicit. *Psal.* 130. Domine non est exaltatum cor meum. *Et in copia rerum omnium*, supple existens, *occidet plurimos. Luc.* 2. Diuites propter potentiam opprimunt vos, & ipsi protrahunt vos ad iudicia. *Et contra principem principum*, hoc est, Deum, *consurget*: vnde libros legis comburi fecit, & circumcisionem cessare, & legumina terræ auferri, sicut dicitur 1. *Machab.* 1. & 2. *Et sine manu conteretur*, hoc est, sine viribus, supple, hominum. Hoc legitur 2. *Mach.* 9. vbi dicitur: Vt finiuit hunc ipsum sermonem, quem, supple, contra Dominum locutus est, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & visceribus rubescentibus, & corpore vermibus scaturiente, Dei iudicio, vita fructus est, sicut & Herodes. *Act.* 12.

26. *Et visio*: Tangit visionis veritatem & magnitudinem: & hoc est. *Et visio vespere, & mane*, hoc est, quæ successu temporum implebitur, hoc est, *quæ dicta est*, per Gabrielem scilicet, *vera est*; significatione scilicet veritatis. *Abac.* 2. Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. *Tu ergo visionem signa*, hoc est, sigilla, & clausde descriptam, vt posteris remaneat. *Dan.* 12. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum, vsque ad tempus statutum. Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. *Isa.* 3. Signa legem in discipulis meis. *Quia post multos dies erit, visio fiet. Isa.* 24. Post multos dies visitabuntur. *Abac.* 2. Si morum fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et subdit de magnitudine visionis.

27. *Et ego Daniel*, confortatus ab Angelo, *langueram*, viribus deficiebam, *& ægrotaui per dies plurimos*, excessu scilicet contemplationis destituto corpore: accidit enim, quod corpus concidat, relicta ab anima: vnde in hoc casu verum est, quod dicitur, 2. *Corinth.* 12. cum infirmor, tunc potens sum: & in talibus contingit, & dele-

ctatur homo, & tamen deficit. *Psal.* 76. Memor fui Dei, & delectatus sum, & defecit spiritus meus. Item. *Psal.* 83. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Cumque surrexissem*, supple, ab infirmitate, *faciebam opera regis*, vt & Deo, & hominibus debita redderem. *Gloss.* induit id. 1. ad *Cor.* 9. Omnibus omnia factus sum: & id *Matth.* 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. *Et stupebam ad visionem*, stupore scilicet admirationis. *Act.* 3. Impleti sunt stupore, & extasi in eo quod contigerat illi. *Et non erat, qui interpretaretur*, publicã scilicet interpretatione, sicut aliæ visiones interpretatæ sunt. *Glossa* tamen dicit, quòd non erat, qui interpretaretur nomina regum, & distinctiones temporum, quibus quilibet regnauit *Isa.* 29. Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati: si enim Regi Medorum interpretata fuisset visio de destructione regni sui, indignationem concepisset contra populum.

CAPVT IX.

1. IN *anno primo Darij*. Ab hoc loco incipit agere de visionibus ad liberationem populi Dei, & habet tres partes. In prima reuelantur termini liberationis quantum ad tempus. In secunda reuelatur oblatio impedimenti liberationis infra, 10. ibi, *In anno tertio regni Cyri*. In tertia decursus tribulationis futuræ, per Antichristum, & prænuntios eius infra 11. ibi, *ego autem anno secundo*. Prima istarum in duas diuiditur: primo enim ponitur confessio cum oratione, vt reuelationem meteatur, secundo consolatio quæ orantireuelatur, ibi, *Cum loquerer, & orarem*. Adhuc prima duas partes habet: primo enim ponit quod eum ad orationem induxerunt, secundo ponitur confessio, & oratio, ibi, *Et orani Dominum Deum*. Dicit ergo: *In anno primo Darij filij Assueri. Hieronym.* Non putemus istum Darium esse eum, qui fuit filius Hystaspis, secundus Darius cognomento nothus, nec eum qui ab Alexandro rege Macedonum superatus est: ne enim hoc putemus, & nomen patris, & victoriam addidit. Tres enim Darij regnauerunt in Perside, primus fuit filius Hystaspis, secundus Darius cognomento nothus, de quo hic videtur facere mentionem, tertius fuit Darius filius Arsami, quem Alexander interfecit. Et cum dicitur filius Assueri, non intelligitur ille Assuetus, de quo in in Esther legitur primo & decimo, sed fuit Assuerus, qui & Artyxerxes alio nomine dicebatur. Et describit genus eius. *De semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldeorum*, primus scilicet, de quo dicit. *Isa.* 13. Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis paruulos interficient. *Tres Darij in Persida regnauerũt.*

2. *Vno anno regni eius*, hoc est, anno primo, *ego Daniel intellexi in libris. Ierem.* scilicet 25. & in *epist. Ierem.* Et admonet nos ad studium librorum diuinorum. *Rom.* 15. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. *Numerum annorum*, 70. *De quo*, scilicet numero, *factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam. Abac.* 3. vbi nos habemus, In medio annorum

notum facies, 70. habent, cum appropinquauerint anni, cognoscetis. *Vt complerentur*, completione finitionis scilicet, *desolationis*. Sic ordina literam, vt complerentur 70. anni desolationis, *Ierusalem. Ierem in epist.* Ingressi in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis vsque ad generationes 7. *Ierem.* 29. Cum cœperint impleri 70. anni in Babylone, visitabo vos & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum.

Baruch 6.

3. *Et posui*, hoc est, firmaui, *faciem meam ad Dominum Deum meum. Luc.* 18. Oportet semper orare, & non deficere. *Ad Dominum*, dicit: quia Domini est subditos eleuare, *Deum* verò, quia Dei est, corrupta restaurare. *Meum* verò dicit, quia suum fecit cultu, & charitatis priuilegio. *Ioan.* 20. Dominus meus, & Deus meus. *Psal* 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. *Rogare*, pro adipiscendis bonis, & deprecari pro amouendis malis, *in ieiunio, sacco, & cinere*, vt ieiunio petulantia carnis dometur, sacco, vt deliciæ carnis in asperitatem conuertantur, cinere, vt spiritus humilietur. *Ione* 3. Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament in fortitudine ad Dominum. *Tob.* 12. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosynâ. *Psal.* 34. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. *Ione* 3. Rex abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco, & sedit in cinere. *Ioel.* 2. In ieiunio, & fletu orabunt sacerdotes.

4. *Et oraui.* In hac parte primò ponit confessionem, secundo orationem, ibi, *Et nunc Domine Deus noster.* In confessione primo ponit confusionem peccati, secundò consideratione iustitiæ diuinæ, tertio confusionem quam peccatum inducit, quartò inflictionem pœnæ quam peccatum meruit, quintò iustitiam iudicis qui peccato pœnam induxit. Dicit ergo: *Et oraui Dominum Deum meum. Augustin.* Oratio est pius affectus mentis in Deum directus. *Colos.* 4. Orationi instate, vigilantes in eâ. Dominum autem suum orat: quia solus saluare poterat. *Deuteron.* 4. Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Et confessus sum. Prouerb.* 18. Iustus prior est accusator sui. *Iosue* 7. Fili mi, da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum. *Et dixi*, magis corde quam ore, *obsecro Domine*, hoc est, ob sacramentum bonitatis & pietatis tuæ peto. *Deus magne*, virtute scilicet. *Psal.* 76. Quis Deus magnus, sicut Deus noster. *Et terribilis*, seueritate iudicij. *Iob* 25. Potestas & terror apud eum est. *Custodiens pactum*, quod scilicet pepigisti cum patribus quando legem dedisti. 2. *Esdr.* 1. Quæso Domine Deus cœli, fortis, & magne atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam his, qui diligunt te. *Genes.* 17. Statuam pactum meum inter me, & te, vt simus Deus tuus. *Et misericordiam*, quam facis scilicet vltra pactum. *Iacob.* 2. Superexaltat misericordia iudicium. *Isa.* 55. Multus est ad ignoscendum. *Ione* 4. Tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitiâ. *Diligentibus.* Dilectio Dei, dilectio legis est. *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Et quia probatio dilectionis exhibitio est operis, ideò subdit. Et custodientibus mandata tua. *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. 1. *Ioan.* 3. Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.

Oratio à confessione incipit.

Peccauimus, deformi actu scilicet in nos ipsos. *Iniquitatem fecimus*, hoc est, iniuriâ in proximum. *Impiè egimus*, in te scilicet, siue in Deum. *Psal.* 105. Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. *Et recessimus*, à bono scilicet in regionem dissimilitudinis diuinæ. *Zach.* 7. Auerterunt scapulam recedentes. *Ierem.* 2. Elongauerunt à me, ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. *Et declinauimus*, per omissionem, *à mandatis tuis*, affirmatiuis scilicet, *ac iudiciis*, hoc est, iudicialibus legibus. *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. In quo autem hæc peccata commiserint, subdit. 5.

Non obediuimus seruis tuis Prophetis. Contra quod dicitur *Deut.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me audietis eum. Et isti Prophetæ vicem obtinent prædicatorum, de quibus dicitur *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. *Qui locuti sunt in nomine tuo*, & non in nomine suo proprio, sed ad honorem nominis tui. *Luc.* 5. Exemplum accipite fratres, exitus mali, longanimitatis, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. *Regibus*, qui nobis fuerunt duces peccatorum, *Principibus nostris*, qui inducti à regibus subuerterunt populum. *Osee* 7. In malitia suâ lætificauerunt regem, & in mendaciis suis principes. *Patribus nostris*, qui filios, & domesticam disciplinam subuerterunt. *Isa.* 43. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me. *Thren. vlt.* Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus. *Omnique populo terræ*: omnes enim declinauerunt. *Psal.* 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. 6.

Tibi Domine iustitia. Secundus paraphus, in quo confiteur Deo iustitiam, & sibi confusionem: & hoc est, *Tibi Domine iustitia*, supple, attribuenda est. *Deuter.* 32. Deus fidelis, absque vllâ iniquitate, iustus & rectus. *Nobis autem confusio faciei*, vt scilicet nec te, nec cœlum audeamus respicere. *Luc.* 18. Nolebat oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. 2. *Paralip. vltim.* Non sum dignum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ. *Sicut est hodie*, supple, confusio, *viro Iuda*, duabus tribubus scilicet, *& habitatoribus Ierusalem*, prælatis scilicet, regibus, & sacerdotibus, *& omni Israël*, hoc est, toti populo. *Roman.* 3. Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei. *His qui prope sunt, & iis qui procul in universo terrâ*: in diuersis enim terris longè & propè distracti fuerunt, vel propè sunt qui paucum peccauerunt, longè qui multum. *Ephes.* 2. Euangelizauit pacem his qui longè, & iis qui propè. *Ad quam*, scilicet terram, *vocasti eos*, de patriâ, supple. *Iorem.* 31. Non est anima mea ad populum istum, nisi illos, & egrediantur. *Propter iniquitates eorum. Psal.* 106. Propter iniquitates enim eorum humiliati sunt, *in quibus peccauerunt in te Domine*: omne enim peccatum reducitur in contemptum Dei, cuius mandatum sit. *Genes.* 41. In hoc hæc omnia mala recidunt. 7.

In oratione Manasse.

dunt. Tertius parabraphus, in quo de suâ re petit confusionem, & laudem iustitiæ diuinæ: & hoc est.

8. *Nobis confusio faciei. Ierem.* 31. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinuit opprobrium adolescentiæ meæ. *Regibus nostris*, hoc est, prælatis maioribus, *& principibus nostris*, prælatis inferioribus. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum. *Et patribus nostris, qui peccauerunt*, supple, est confusio. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæra.

9. *Tibi autem Domino Deo nostro misericordia*, supple, reponenda est. *Psal.* 76. Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in irâ misericordias suas. *Et propitiatio*, super peccato scilicet. *Psal.* 78. Propitius esto peccatis nostris. *Quia recessimus à te. Exod.* 32. Recesserunt citò de viâ quam ostendisti eis.

10. *Et non audiuimus vocem Domini Dei nostri.* Contra quod dicitur. *Isa.* 30. Audies verbum post tergà monentis, hæc est via, ambulate in eâ. *Vt ambularemus in lege eius*, per profectum scilicet virtutis, & operis. *Psal.* 118. Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini. *Quam posuit nobis per seruos suos Prophetas. Eccli.* 24. Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum.

11. *Et omnis Israël præuaricati sunt legem tuam. Isa* 41. Scio quia præuaricans præuaricaberis & transgressorem ex vtero vocaui te. *Et declinauerunt, ne audirent vocem tuam. Ierem.* 7. Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam. *Et stillauit.* Quartus paragraphus, vbi dicit de inflictione pœnæ, & per stillam nota, quòd citra condignum punit in præsenti, & quod præsens pœna stilla est, futura autem quasi mare: & hoc est. *Et stillauit super nos maledictio*, hoc est, pœna maledictionis tuæ. *Iob* 26. Cum vix paruam stillam sermonis eius audiuerimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? tonitruum illud est, quod dicit *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. *Et detestatio*, supple, stillauit super nos, quæ scripta est in libro Moysi. *Deuteron* 27. Ibi enim describuntur maledictiones super eos, qui non seruant legem. *Serui Dei. Numer.* 12. Seruus meus Moyses, in omni domo meâ fidelissimus est. *Quia peccauimus ei*, hoc est, contra eum, scilicet librum: vnde ibidem dicitur, Maledictus homo qui non permanet in sermonibus legis huius.

12. *Et statuit*, hoc est, per effectum firmauit, & verificauit, *sermones suos.* De maledictionibus scilicet, *quas locutus est super nos*, in *Deuteron.* scilicet. *Isa.* 31. Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. *Et super principes nostros*, malos, *qui iudicauerunt nos. Glossa*: Non secundum Deum. *Sapiens.* 6. Cum esseris ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. *Vt superinduceret in nos*, hoc est, contra nos. Et quod dicit, *vt*, non est causale, sed consecutiuum: pœna enim sequitur ad culpam. *Malum magnum*, hoc est, captiuitatem. *Sapi.* 7. In malignitate nostrâ consumpti sumus. *Quale nunquam fuit sub omni cœlo*, simile scilicet malum, in fame scilicet, pestilentiâ, & gladio. *Thren.* 1. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. *Secundum quod factum est in Ierusalem. Thren.* 2. Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tibi?

13. *Sicut scriptum est in lege Moysi*, *Deutero.* 28. *Isa.* 34. Requirite diligenter in libro Domini, vnum ex omnibus non defuit. Et hoc est quod sequitur. *Omne malum hoc venit super nos. Iob* 3. Venit super me indignatio. Et sic, supple, flagellis attriti, tamen in peccatis obstinati, *non rogauimus faciem tuam Domine Deus noster*, conuersi scilicet per pœnitentiam. *Ierem.* 2. Frustrà percussit patres nostros, disciplinam non receperunt. *Vt reuerteremur ab iniquitatibus nostris. Isa.* 55. Dereliquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum. *Et cogitaremus veritatem tuam*, quam scilicet tenes in comminationibus, & seueritate iudiciorum tuorum. *Hebr.* 2. Si omnis præuaricatio accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?

14. *Et vigilauit Dominus*, qui primò dormire visus est, per similitudinem, *Ierem.* 1. Vigilabo super verbo meo, vt faciam illud. *Super malitiam*, vindicandam scilicet. *Psal.* 77. Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. *Et adduxit eam*, scilicet malitiam, *super nos*, per pœnam scilicet opprimentem. *Hieron.* Malitia & nequitia nostra inebriant Dominum vt dormiat, quæ quando in nobis corripitur, euigilare dicitur. *Psal.* 77. Exurge, quare obdormis Domine? Et reuertitur ad confessionem iustitiæ iudicis, & est quintus paragraphus. *Iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit*, circa nos scilicet & circa omnes. *Psal.* 10. Iustus Dominus, & iustitias dilexit. *Non enim audiuimus vocem eius.* Contra quod dicitur in *Psal.* 49. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare cordà vestra. *Deum vigilare super malitiam quid.*

15. *Et nunc Domine Deus noster.* Orationem subiungit post confessionem, & in hac oratione quatuor facit, scilicet petit, indignitatem orantis ostendit humiliter, per bonitatem Dei obtinere intendit, citò exauditi petit: & hoc est. *Et nunc Domine Deus noster.* Quasi dicat: Quidquid fuerit in præterito, nunc conuersi sumus. *Ezech.* 18. Quacumque horâ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. *Qui eduxisti populum tuum de terrâ Ægypti. Glossa*: Antiquum recolit beneficium, vt ad simile prouocet eum. *Mich.* 7. Memento quod eduxerim te de terrâ Ægypti. *In manu forti*, hoc est, signis fortissimis. *Exod.* 3. Scio, quod non dimittet populum, nisi in manu forti. *Et fecit tibi nomen*, supple, cœleste, *secundum diem hanc*, in quâ scilicet omnibus notum est, quod fecisti. *Isa.* 63. Sic adduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. *Peccauimus*, in nos scilicet, *iniquitatem fecimus*, in proximum scilicet. *Manu forti signis*

16. *Domine in omnem*, hoc est, contra omnem, *iustitiam tuam*, naturalem scilicet & scriptam. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. *Auertatur obsecro ira tua*, hoc est, pœna quam et irâ inflixisti, *& furor tuus*, feruens ira, quæ in magnâ pœnâ consideratur, *à ciuitate Ierusalem. Psal.* 50. Auerte

faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. *Iob* 9. Auferat à me virgam suam. Per metonymiam autem per Ierusalem intelligit omnes pertinentes ad ciuitatem, vel ad Ecclesiam. *Et à monte sancto tuo*, per quod intelligit regnum, & sacerdotium, quia vtrumque erat in monte. *Psal.* 47. Mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni. *Propter peccata enim nostra.* Secundus paragraphus, in quo ostendit suam indignitatem, & humilitatem: & hoc est. *Propter peccata enim nostra*, quæ fecimus, nos supple, *& iniquitates patrum nostrorum*: sumus enim peccatores, & peccatorum filij. *Psal.* 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Ierusalem*, ciuitas scilicet sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi te laudauerunt patres nostri, facta est in exustionem ignis. *Et populus tuus*, qui scilicet te colebat. *Isa.* 64. Ecce Domine respice, populus tuus omnes nos. *In opprobrium sum omnibus, per circuitum nostrum. Psal.* 43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos.

17. *Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui. Eccli.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat. 2. *Mach.* 1. Exaudiat Deus orationes vestras, & reconciliet vobis. *Et preces eius*, in amouendo scilicet malum. *Psal.* 17. Clamor meus in conspectu eius introuibit in aures eius. *Baruch* 3. Spiritus angustiatus clamat ad te Domine. *Et ostende faciem tuam*, luminosam scilicet in lumine gratiæ tuæ. *Psal.* Illustra faciem tuam super seruum. *Super sanctuarium tuum, quod desertum est*, hoc est, super templum, & legis sanctificationem, quam ipse, supple, dedisti. *Psal.* 74. Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Item *Psal.* 78. Polluerunt templum sanctum tuum. Et subdit de pietate Dei, in quâ totam spem ponit. Et est tertius paragraphus, & hoc est, *propter temetipsum*, hoc est, propter pietatem tibi connaturalem. *Ezech.* 36. Non propter vos ego faciam, filij Israël, notum fit vobis, sed propter nomen meum.

18. *Inclina Deus meus aurem tuã*, appropinquando nobis scilicet per exauditionem. *Psal.* 85. Inclina Domine aurem tuã, & exaudi me. Et hoc est. *Et audi*, hoc est, exaudi. *Isa.* 38. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. *Aperi oculos tuos*, quos propter peccata clausisti, *& vide*, per compassionem, *desolationem nostram. Exod.* 3. Vidi afflictionem populi mei. *Et ciuitatem*, supple, vide, *super quã inuocatum est nomen tuum. Ierem.* 14. Tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos. *Psal.* 24. Respice in me, & miserere mei. Et subiungit de humilitate quæ meretur exauditionem. *Neque enim in iustificationibus nostris*, in quibus scilicet confidimus, *vel præsumimus, prosternimus preces*, hoc est, prosternimus nos preces, *sed in miserationibus tuis multis*, sicut fecit Publicanus. *Luc.* 21. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, & ideo non fuit exauditus. Ad *Tit.* 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et hoc est quod sequitur. *Sed in miserationibus tuis multis. Iudith.* 9. Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

Et subdit quatro paragrapho, de velocitate audiendi, & hoc est.

Exaudi Domine. Psal. 6. Exaudiuit Dominus deprecationem. *Placare Domine*, ne scilicet malum induces amplius. *Exod.* 32. Placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. *Attende. Psal.* 34. Intende iudicio meo, Deus meus in causam meam, vt scilicet eor apponas. *Et fac*, opere perficiendo. *Psal.* 85. Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt, & confundantur. *Ne moreris propter semetipsum Deus meus. Psal.* 69. Domine ne moreris. *Psal.* 39. Deus meus ne tardaueris. *In exaudiendo* scilicet. *Quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem*, Ierusalem scilicet, *& super populum tuum. Ioel.* 2. Et *Rom.* 10. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, hic saluus erit. *Ierem* 29. Inuocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem vestram.

19.

Cum adhuc loquor. Tangitur hic Prophetæ illuminatio, & populi Dei consolatio, & habet partes duas. In prima tangitur summa temporis, vsque ad consolationem perfectam. In secunda distinctio illius summæ tangitur per partes, & ostenditur quid in qualibet factum sit, ibi, *Scito ergo, & animaduerte.* In prima tres sunt paragraphi: primo enim dicit, quomodo reuelationem obtinuit, quis oratione, secundò à quo reuelatore, tertiò qualiter: & hoc est. *Cum adhuc loquerer*, Deo scilicet in oratione: & hoc est quod sequitur. *Et*, id est, *orauit. Ioan.* 4. Veri adoratores adorauerunt patrem in spiritu, & veritate. *Et confiterer peccata mea. Glossa:* Quia est quædam confessio laudis, & quædam confessio peccati, propter hoc determinat *peccata mea.* De confessione laudis dicitur in *Psal.* 95. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. De confessione peccati. *Gen.* 41. Confiteor peccatum meum. Et non dicit propter hoc, *peccata mea*, quia ipse fecerit ea, sed quia cum populo, in pœnâ portauit ea. *Glossa:* Etsi non peccauit, populo se adiungit, vt veniam consequatur. Et hoc est. *Et peccata populi mei Israël.* Populum suum dicit sanguine, & affectu. Simile *Rom.* 9. Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Et ibidem: Voluntas quidem cordis mei est pro illis in salutem. *Et proiciebam preces meas*, hoc est, prostratus preces offerebam. *Exod.* 4. Proni adorauerunt. *In conspectu Dei mei*, hoc est, in abscondito, vbi solus Deus videt, non tamen hominibus sicut hypocritæ. *Matth.* 6. Amant in angulis platearum orare. *Psal.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. *Pro monte sancto Dei mei.* Mons est mansionis de monte tendis cundo, quem dedicauit plangit lemnis *Turca olim.* Pro monte mundi Sion, quia disperiit, & vilipensus est in oculis eius. Et subdit de mansione.

20.

Adhuc ille loquens in oratione, scilicet interpretans [illegible] eum videbam totum. *Glossa:* [illegible] *Adhuc* [illegible] *Ecce vir Gabriel* [illegible] *Et hoc est quod dicit vir*, non [illegible] sed virtutem significat

21.

significat in honorabiliori sexu. Vnde *Socrates* cum moreretur, amicis dixit: Ibimus ad Deos, ad illos optimos viros. Et hoc est scriptum in libro qui dicitur Phædon. *Quem* scilicet Gabrielem, *vidueram in visione à principio*, hoc eadem scilicet hora quando confortauit eum, *cito volans*: propter velocitatem aduentus, dicit eum volare. Simile. *Isa.* 6. Volauit ad me vnus de Seraphim. *Tetigit me*, tactu scilicet virtutis, & luminis. *Cantic.* 4. Venter meus intremuit ad tactum eius, id est, infirmitas carnis meæ in becillis fuit. *In tempore sacrificij vespertini. Glossa. Hieron.* Quia à sacrificio matutino vsque ad vespertinum oratio duraui, & ideò Dominum ad misericordiam flexit. Vnde. *Luc.* 5. Multum valet deprecatio iusti assidua. *Luc.* 18. Oportet semper orare, & non deficere.

Socratis dictum.

22. *Et docuit me*, interius scilicet illuminando. *Sap.* 7. Omnium artifex docuit me sapientia. *Et locutus est mihi*, exterius scilicet in oraculo: vnde etiam Seraphim *Isa.* 6. clamantia dicuntur, Sanctus, sanctus, sanctus. *Dixitque* articulatim scilicet exprimendo. *Hieron.* Tam obscura est visio, vt etiam Propheta doceri egeat. Et subdit, qualiter facta est illuminatio: & hoc est. *Daniel, ô Daniel, nunc egressus sum*, ab intimis scilicet contemplationis diuinæ, vbi accepi illuminationem, *vt docerem te*, ea scilicet quæ ibi accepi. *Isa.* 30. Egredere, & dices eis. *Hieron.* Ab inuisibilitate factus sum visibilis, & egressus à facie Dei, non vt ab eo recederem, quia vbique est. Et hoc est. *Et intelligere*, & docere referunt ad imagines vocum, intelligere autem ad acceptionem veritatis significatæ. *Psal.* 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te.

Angeli quomodo dicitur egredi.

Daniel orationem reuelationem obtinuit.

23. *Ab exordio precum tuarum. Ego te docebo*, & ibi est versus. Vnde *Glossa:* Ex quo rogare cœpisti, impetrasti. *Psal.* 10. Desiderium sanctorum exauditit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. *Egressus est sermo.* Ecce instructio, & debet legi sub vno versu, ac si dicat: Scias, quòd iam egressus est sermo à Deo, completus omne quod petis. *Isa.* 45. In memetipso iurauj, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omnis genu, & iurabit omnis lingua. *Isa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. Iste autem sermo egressus est, quando *Esdra* 1. Cyrus dedit licentiam ædificandi templum, ad hoc tamen tertio non comparuit, sed quinto Artaxerxes vigesimo regni sui anno Nehemiæ suo pincernæ licentiam dedit ædificandi muros ciuitatis, & ciuitatem custodiendi. Tunc enim sermo egressus est in ore regis Artaxerxis sicut legitur *Nehem.* 2. Ab illo enim vigesimo Artaxerxis regis tamen debet incipere computatio. *Ego autem venio.* Ac si dicat: Intuendum sermo egressus est, vt pecunia mea fiat: sed quia hoc occultum est tibi, *ego venio. Iosue* 19. Ego cognoui cogitationes pacis, & non afflictionis. *Ps.* 118. *Desideratum tuum*, quæ ignorat scilicet. *Cant.* 2. Iuda in mihi quem diligit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie. *Exod.* 33. Ego ostendam tuum omne bonum. Et quid Deus requirat a te, quæ sit desideratum, hæc ibi Deo desideratus, & amatus. *Glossa:* Indicat illud quod habetur. 2. *Reg.* 13. Vnum autem mihi, amabilis Dominus, eò quod diligeret eum Dominus. *Tu ergo*, qui scilicet à Deo amatus, & illuminatione dignus, *animaduerte sermonem*, hoc est, sæpe ad animum vente, vt singulariter per partes intelligas, & à sermone intus totus capiatis. *Psal.* 1. In lege eius meditabitur die & nocte: meditatio enim est frequens reditus mentis super idem. *Et intelligere visionem*, hoc est, 2. visionis significatum. *Isa.* 50. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui sui, hoc est, intelligens. *Prouerb.* 1. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Et subdit de summa temporis, vsque ad consummationem desolationis: hoc enim quæsiuit sanctus, qui alteri sancto loquebatur, supra præcedenti capite, quando dixit, Vsquequo visio, & iugge sacrificium, & peccatum desolationis? Dicit ergo quasi respondens.

Septuaginta hebdomadas abbreuiatæ sunt. 70. hebdomades sunt septuagesies 7. & intelligitur de hebdomadibus annorum: vnde 70. hebdomades sunt septuagesies septem anni. Dicuntur autem abbreuiatæ, non numero, quod pauciores sunt, sed quantitate, quia non vt quidam dicunt, computandi sunt secundum annos solares, sed computandi sunt secundum annos lunares, quibus Hebræi vtuntur: cum enim annus solaris vndecim diebus vincat annum lunarem, & annus lunaris habeat 354. dies, necesse est vt annus solaris habeat 365. & secundum hoc computum 70. hebdomades annorum lunarium faciunt 490. annos lunares, qui si reducuntur ad annos solares, non faciunt nisi 473. & ideò lunares anni dicuntur abbreuiati, solares verò prolongati sunt. *Super populum tuum*, consolandum, supple, perfecta consolatione. Ex his autem annis lunaribus, ab anno vigesimo Artaxerxis regis, Persæ tenuerunt regnum annis 118. Macedones annis 300. Romani vsque ad annum decimum octauum Tyberij Cæsaris, quando passus est Dominus, tenuerunt regnum annis 62, qui simul iuncti faciunt annos 490. In passione autem Domini, omnia ista completa sunt, non quod omnia ista post annos illos completa sint, sed quia in ipsis pro temporum congruitate implebantur. Et dicit, populum tuum, non meum, quia tunc populus Dominum proiecerat, & Dominus populum, quamuis per affectum Propheta populum suum reputaret. *Osee* 1. Vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. *Et sanctum sanctorum*, non meum scilicet, vnum vocat [illegible] quia in eo [illegible] in gloria Dei. *Isa.* 15. Vnde fontes [illegible] Sion, Saluator. *Vt consumetur prævaricatio*, consummatione consumptionis, & mutationis, & peccati [illegible] vocat transgressionem primi mandati, quod fuit Adæ. *Ego*, dilatatis gratiis per gratiam spiritus, & per redemptionem quæ est in Christo Iesu. *Et finem accipiat peccatum*, scilicet, in peccatis, vt vita scilicet non possit dominari. *Rom.* 6. Peccatum vobis non dominabitur. Et *Cant.* 1. Dilexi iustitiam, & odio habui iniquitatem. *Ezech.* 1. Qui dixit a vobis, & [illegible] peccatis nostris, in [illegible] hoc, id est, *deleat iniquitatem. Isa.* 43. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. *Psal.* 50. Omnes iniquitates meas dele. *Et adducat iustitiam sempiternam. Glossa:*

24.

Septuaginta hebdomades dicuntur abbreuiatæ.

Tempus gratiæ, & Euangelij, cui alia non succedet, quæ etiam iustitiam legis vincat, vt dicit *Beda. Isa.* 45. Meæ sunt iustitiæ, & imperium. *Isa.* 53. In scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum portabit. *Et impleatur visio*, ista scilicet. *Luc.* 22. Oportet impleri quæ scripta sunt in me, *Ioan.* 19. Cum accepisset acetum, dixit, Consummatum est. Et præmittitur ibidem: Sciens IESVS, quia omnia consummata sunt. *Et prophetia*, vt scilicet deinceps vel de noua gratia vlteriori prophetetur. *Matth.* 11. Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. *Glossa:* Hæc omnia ante aduentum Christi magis spe quam re tenebantur. 1. ad *Corinth.* 13. Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. *Et vngatur sanctus sanctorum.* Constructio est in demonstratione essentiæ, & in habitudine causæ simul. Quia & antonomasticè sanctus est, & alios sanctificat. 1. ad *Corinth.* 1. Factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. *Leuit.* 19. Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus qui sanctificabo vos. Vnctus est autem tripliciter, in incarnatione per vnionem diuinitatis, in Baptismo per visionem & apparentiam Trinitatis, in passione per effusionem sanguinis. De prima dicitur in *Psal.* 44. & *Hebr.* 1. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. De secunda *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me Dominus, ad annuntiandum mansuetis misit me. De tertia *Eccli.* 38. Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. Hæc omnia completa sunt à 62. hebdomadibus, vsque ad septuagesimam completam: in 30. enim annis qui habent quatuor hebdomades, & partem de quinta, infantia Saluatoris vsque ad baptismum completa est, & tribus annis & dimidio completa est prædicatio eius, & post hoc passus est Dominus, resurrexit, & ascendit, & Spiritum sanctum misit, & prædicatio Apostolorum diffusa est, & sic in 70. hebdomadibus omnia completa sunt.

Christus tripliciter vnctus.

25. *Scito ergo.* Hic per partes exequitur, quod in summâ dixerat, ostendens quo tempore Christus venturus sit, quo passus, quo etiam prædicaturus: & hoc est. *Scito ergo.* Et quia multi confusè sciunt quod sciunt, ideò addit. *Et animaduerte.* Simile *Gen.* 15. Scito prænoscens. *Ab exitu sermonis*, non mei scilicet, sed Artaxercis, Regis scilicet Medorum, qui sermonem reædificandæ ciuitatis ad Nehemiam protulit: & hoc est quod sequitur. *Vt iterum ædificetur Ierusalem:* hoc enim instigante Deo concessit Artaxerces, *Nehem.* 2. *Psal.* 50. Benignè fac in bonâ voluntate tuâ Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. *Vsque ad Christum ducem. Mich.* 5. Ex te egredietur dux qui regat populum meum Israël. Et numerat tempus vsque ad id tempus, quo Christus se ducem exhibuit, hoc est, vsque ad baptismum, hoc est, vsque ad decimumquintum annum Tiberij Cæsaris, sicut dicitur *Luc.* 3. *Hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt*, quæ simul iunctæ sunt 69. hebdomades, sed septem diuidit, quia in illis, & Angelus ad Zachariam, & Angelus ad Mariam missus est: & ea quæ de infantiâ Christi, & de iuuentute eius erant, expleta sunt: & fortè desiderium patrum & suspirium fuit ad Dominum, sicut Simeonis, & Annæ *Luc.* 2. De his 30. annos Saluator vixit, & miracula fecit, in aliis autem 19. quæ restant, desideria patrum & suspiria manifestata sunt, & posteà sub alio versu subiungit instruens Propheram. *Et rursum ædificabitur platea*, non quidem post septem & sexagintaduas hebdomades, sed longè ante, scilicet sub Nehemia, & Esdræ, & Zorobabel, & IESV magno sacerdote tempore Artaxercis regis. Plateam autem vocat Ierusalem: quia in Græco platon est latum, quia ille totam latitudinem ciuitatis iussit reædificari; cum Cyrus ante eum non dederit licentiam, nisi reædificandi templum, sicut legitur Esdræ 1. Vnde exponendo subdit: *Et muri, in angustiâ temporum:* cogebantur enim vnâ manu ædificare, aliâ manu tenere gladios ad defendendum, sicut legitur. 2. *Esdr.* 4. & 5. Factâ enim instructione ædificandæ ciuitatis, redit ad ea quæ facta sunt, post sexagintaduas hebdomades: & hoc est.

Artaxerces facultatem fecit instaurandæ vrbis Ierusalem.

Christum dux.

Ierusalem cur dicatur platea.

Et post hebdomades sexaginta duas, non statim, supple, sed expletis septem de quibus dictum est, & inceptâ septuagesima hebdomadâ, quando iam fluxit, decimusoctauus annus imperij Tiberij Cæsaris, *occidetur Christus*, in cruce scilicet Deo oblatus. *Isa.* 53. Sicut ouis ad occisionem ducetur. Et ibidem: Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. *Et non erit populus eius, qui eum negaturus est*, populus scilicet synagogæ. Negauit autem quando dixit *Ioan.* 19. Non habemus regem nisi Cæsarem. *Osee* 1. Ipsi non populus meus, & ego non Deus eorum. Et postea subiungit sub alio versu: *Et*, supple, priusquam occideretur Christus, *ciuitatem & sanctuarium*, hoc est, templum iam, supple, reædificatum, *dissipabit*, hoc est, destruet, *populus*, scilicet Romanus, *cum duce venturo*, post scilicet occisionem Christi, hoc est, cum Vespasiano, & Tito, anno quadragesimo post passionem Christi. *Isa.* 24. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra. *Et finis eius*, terræ scilicet, *vastitas*, per Titum & Vespasianum. *Isa.* 21. Qui depopulator est, vastat. *Ierem.* 4. Pone terram tuam in desolationem, & ciuitates tuæ vastabuntur. *Et post finem belli*, Romani scilicet, *statuta*, à Deo, supple, confirmata in æternum, *desolatio*, supple, erit: & tunc impletum est quod dictum est *Isa.* 1. Derelinquetur filia Sion sicut vmbraculum in vineâ, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur. Et postea subiungit de hebdomadâ vnâ remanente post septem & sexagintaduas, & hæc est quæ est vltima inter septuaginta: & hoc est.

Iudæi Christum negauerunt.

27. *Confirmabit autem pactum*, Christus scilicet, & vocat pactum positionem legis nouæ. *Ierem.* 31. & *Hebr.* 8. Consummabo super domum Iuda, & super domum Israël Testamentum Nouum, non secundum testamentum quod dedi patribus eorum. *Matth.* Quia non omnes receperunt. *Ioan.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Hebdomada vna*, in quâ vnâ, & vltimâ tenaunt, in quâ & passus est:

Vltima hebdomada confirmabitur multis Nouum Testamentum.

est: in illa enim prædicauit, & miracula fecit, & discipulos vocauit: *& dimidia*, hoc est, in dimidio, *hebdomadis*, eiusdem, supple, hebdomas enim habet septem annos, & in quarto anno passus est Christus. Quartum autem medium est in septem. *Deficiet hostia, & sacrificium*, hoc est, virtus hostiarum, & sacrificiorum: hæc enim omnia in passione Christi mortua sunt. *Isa.* 1. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenius sum. *Et erit in templo*, hoc est, in sacrificiis, & ritibus templi, *abominatio desolationis*: ex passione enim Christi, facta sunt mortua, & fide publicatâ per Apostolos facta sunt mortifera, & ideò abominata & desolata. *Isa.* 1. Incensum abominatio est mihi, neomeniam, & sabbathum, & festiuitates alias non feram. *Et vsque ad consummationem*, supple, mundi, *& finem*, extremi scilicet iudicij, *perseuerabit desolatio*: &, supple, durabit lex Christi. *Isa.* 25. Posuisti domum alienorum, vt non sit ciuitas, & in æternum non ædificetur.

Abominatio desolationis quid.

CAPVT X.

1. *Anno tertio regni Cyri regis Persarum.* In isto cap. agitur de impedimenti remotione orationis, & reuelatione: & diuiditur in partes duas, in quarum prima dicit dispositionem eius, qui accipit reuelationem, & reuelatoris. In secunda impedimentorum ponit reuelationem, ibi, *Et ait ad me, Noli metuere.* In prima parte tria dicit, scilicet dispositionem Prophetæ, reuelationem accipientis, & dispositionem reuelatoris, ibi, *Et ecce vir vnus.* Tertiò magnitudinem exprimit visionis, ibi, *Ego autem relictus solus vidi visionem.* In primo sunt tres paragraphi. In primo ponit Prophetæ afflictionem, per quam meruit visionem: ponit etiam visionis magnitudinem & tempus: & tertiò qualiter & vbi vidit: & hoc est.

Anno tertio regni Cyri, de quo scilicet *Isa.* 45. Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam illi gentes. *Regis Persarum*, quod cum regno Medorum in quo Darius regnabat, vnum erat: quia simul regnabant Cyrus & Darius. Cyrus autem, quia benignissimus fuit in sanctos, meruit, vt sub eo fieret ista reuelatio: meruit autem de congruo, quamuis non de condigno: hoc enim modo existentes in mortali peccato aliquid mereri possunt. *Verbum reuelatum est Danieli*, hoc est, res de quâ verbum est. Reuelare autem est velamen auferre, quo aliquid tegitur. 2. ad *Corinth.* 3. Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: cum autem conuersus fuerit quis ad Deum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Et dicit Danieli, qui iudicium Dei interpretatur: quia ipsum iudicio Dei discussit, vt dignus esset. 1. ad *Cor.* 11. Si nos ipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. *Cognomen Baltassar*, qui interpretatur absorbens diuitias: diuitias autem absorbuit, quando eleemosynas dedit. *Philip.* 3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem. *Psal.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor appodere. *Et verbum verum*, veritate scilicet diuinâ firmatum. *Prouerb.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. *Et fortitudo magna*, in virtute scilicet verborum. *Psal.* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. *Intellexitque sermonem*, quid scilicet significaret. *Iob* 33. Intellexi singula. Et subiungit causam. *Intelligentia enim*, hoc est, illuminatione intelligentiæ, *opus est in visione*, sensibili scilicet & imaginaria, si debet esse prophetalis. *Psal.* 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te. Et subiungit de afflictione videntis.

Cyrus quomodo meruit vt sub ipso fieret Danieli revelatio.

Non dicitur propriè Propheta qui virum imaginem tantùm videt & non intelligit.

2. *In diebus illis.* Tacet de noctibus: quia in lumine diei nihil tenebrarum est. *Prouerb.* 4. Semita iusti quasi lux splendens, & crescens vsque ad perfectam diem. *Ego Daniel. Hieronym.* Multò magis nobis lugendum est. *Luc.* 23. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? *Lugebam*, præ captiuitate scilicet populi. *Matth.* 5. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. *Trium hebdomadarum diebus. Glossa:* Pro mysterio Trinitatis: & quia contra tria peccauerat populus, scilicet contra gratiam, contra rationem, & contra naturam. *Psal.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo. *Iob.* 33. Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.

3. *Panem desiderabilem non comedi.* Panis desiderabilis est delicata refectio. *Hieronym.* Abstinuit à cibis delicatis, quod nobis multò magis faciendum est tempore ieiunij: qui enim illicitis vsi sunt, abstinere debent à licitis. 3. *Reg. vlt.* Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ. *Et caro*, quæ inter cibos cordi humano similior est, & ideò delectabilior. *Isa.* 22. Vocauit Dominus ad fletum, & planctum, & cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere, & bibere. *Et vinum* luxuriæ, supple, ad libidinem mouens. *Ephes.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Non intrauerunt in os meum:* vnde de Ioanne dicitur *Luc.* 1. Vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur ex vtero matris suæ. *Hieronym.* Qui enim illicitis in concupiscentiis vtuntur, tempore pœnitentiæ debent abstinere à licitis. *Sed neque vnguentis vsus sum. Glossa:* More Medorum, & Persarum, qui vsque hodiè pro balneis vtuntur vnguentis. Contrarium videtur. *Matth.* 6. Tu autem faciem tuam laua, & vnge caput tuum, ne videaris hominibus ieiunans. Sic sunt vnguenta exhilarationis, quibus homo bonâ hilaritate hilarem se exhibet in operibus pœnitentiæ, & ea placent Domino, & de his dicitur. *Eccli.* 9. Oleum de capite tuo non deficiat. Et sunt vnguenta luscitiam monentia: & hæc detestatur Daniel. 2. *Paralip.* 16. Posuerunt Asa super lectum suum plenum aromatibus, & vnguentis medicinalibus, quæ erant pigmentariorum arte confecta. *Donec completa sunt trium hebdomadarum dies*, vt hebdomada ad totum tempus vitæ præsentis referatur, ternarius autem ad fidem Trinitatis. *Psal.* 145. Psallam Deo meo, quandiu fuero.

Qui illicitis vsi sunt, abstinere debent à licitis.

Ab licitis vti vnguentis.

Die nona, scilicet *mensis primi*, hoc est, primi, cum scilicet non fuit alter mensis, & primo mense, & decimo quinto die mensis legis el-

lei

set deductus, & quatuor Euãgelia essent impleta. *Eram iuxta fluuium magnum qui est Tigris.* Tigris velocissimum animal est, & propter rapiditatem fluxus, Tigris vocatur ab animalis similitudine: significat autem fluenta gratiarum. *Psal.* 45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.

Tigris fluuius à celeritate dictus.

5. *Et leuaui oculos meos. Glossa:* Eleuatione oculorum opus est, vt mystica videamus. *Isa.* 60. Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Et hoc est, quod sequitur. *Et vidi,* leuatis oculis, supple, *Apocal.* 3. Collyrio inunge oculos tuos vt videas. Et sic dixit, vbi, quando, & qualiter vidit, & describit reuelationem: & hoc est. *Et ecce vir vnus.* Vnum dicit: quia totus virtute virere videbatur. *Iob.* 1. Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. *Vnus,* hoc est, vnicus, vnicæ scilicet dignitatis & singularis. *Eccle.* 4. Vnus est, & secundum non habet. *Vestitus lineis*, ad naturæ munditiam demonstrandam: linum enim album est, & æterni luminis imago. *Apoc.* 3. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. *Proueb. vlt.* Byssus & purpura indumentum eius. *Et renes eius accincti auro obryzo.* Aurum sapientiam significat, obryzum autem est obrude quod in ipsa puritate consistit, & significat munditiam sapientiæ diuinæ. Renes autem loca delectationum sunt, & significant eos qui omnes suas delectationes ad sapientiam Dei referunt. *Psal.* 76. Memor fui Dei, & delectatus sum.

Auro obryzum quid.

6. *Et corpus eius quasi chrysolithus. Hieronym.* Alij transtulerunt Tharsis, quia ille lapis marini coloris est: Tharsis enim mare est. *Ezech.* 1. Aspectus eorum, & opus quasi visio maris. Populi vero captiuati significabant amaritudinem. *Et facies eius velut species fulguris*, vt scilicet iram significaret præcedere inimicos. *Matth.* 28. Erat autem aspectus eius sicut fulgur. *Ezech.* 1. Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis. *Et oculi eius vt lampas ardens,* vt scilicet scintillantibus oculi zeli, & amoris manifestaret ardorem. *Apoc.* 1. Oculi eius, velut flamma ignis. *Et brachia eius*, in quibus adiutorium designatur, *& quæ deorsum sunt vsque ad pedes*, in quibus designatur, quod fulsit nos Deus, & proficere in suos nos fecit, *quasi species æris candentis*, vt in ære noterur sonoritas laudis, vt scilicet fortis & citò veniat in adiutorium nostrum. *Isa.* 52. consurge, Consurge, induere fortitudinem brachium Domini. *Ezech.* 1. Pedes eorum pedes recti. Et post pauca: Scintillæ quasi aspectus æris candentis. *Et vox sermonum eius; vt vox multitudinis.* Multi enim cum Angelo venerant ad consolationem Prophetæ, & verum pro multis loquebatur. *Ezech.* 1. Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. *Apoc.* 1. Audiebam post me vocem magnam tanquam tubæ. *Iob* 3. Quasi inundantes aquæ, sic regitus meus. Aquæ enim multæ populi multi sunt. Et subdit de magnitudine visionis in tribus, scilicet quòd solus vidit, quòd videndo destitutus fuit, quòd confortatione indiguit: & hoc est.

Chrysolithus quid.

7. *Vidi autem ego Daniel solus visionem. Genes.* 6. Te vidi solum iustum in generatione hac. *Bernimbus cit. nard.* Delicata est diuina consolatio, nec datur admittendis alienum. *Porro viri, qui erant mecum*, non conformitate gratiæ, sed in operibus regis vel mundi, *non viderunt. Glossa* inducit illud 1. ad *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. *Sed terror nimius irruit super eos:* humana enim infirmitas diuina sustinet. *Glossa* inducit illud. *Exod.* 19. secundum literam 70. Bestia si tetigerit montem, lapidabitur: vocans bestiam, bestialem hominem, & montem diuinæ maiestatis, & luminis. *Et fugerunt in absconditum*, latebras scilicet quærentes. *Ion.* 3. A facie Dei cœli ego fugio. *Glossa* inducit illud. *Ioan.* 3. Qui malè agit, odit lucem. Et illud *Genes.* 3. Domine vocem tuam audiui, & abscondi me.

Ego autem relictus solus, ab omnibus scilicet mundanis. *Psal.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. *Vidi visionem grandem hanc*, hoc est, grandia significantem, & in grandi lumine demonstratam. *Eccli.* 48. Spiritu magno vidit vltima. *Ierem.* 33. Clama ad me, & ego exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia, & firma quæ nescis. *Et non remansit in me fortitudo. Glossa:* Visã Dei fortitudine. 1. ad *Corinth.* 1. Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. *Sed & species mea immutata est in me*, hoc est, color, & figura præ terrore. *Esther* 15. Regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillam reclinauit caput. *Et emarcui*, destitutus, supple, intellectu enim festinante in contemplationem, derelinquitur, & marcessit corpus. *Dan.* 8. Cum venisset Angelus, corrui in faciem meam. *Nec habui quicquam virium. Psal.* 37. Dereliquit me virtus mea. *Et audiui vocem sermonum eius*, consolatoriam scilicet. *Cant.* 2. Sonet vox tuã in auribus meis: vox enim tua dulcis. *Et audiens iacebam*, territus, supple. *Abac.* 3. Domine audiui orationem tuam, & timui. *Consternatus super faciem meam*, vt scilicet adorarem. 1. ad *Corinth.* 14. Cadens in faciem suam adorabit. *Et vultus meus herebat terræ*, per humilitatem scilicet. *Exod.* 4. Proni adorauerunt in terra. Et subdit de confortatione.

Intellectu festinante ad contemplationem, derelinquitur & marcescit corpus.

Et ecce manus tetigit me. Hieron. Manum humanam mittit ad Prophetam, vt generis sui corpus respiciens, non pauear. *Iob* 14 Operi manuum tuarum porriges dexteram. *Et erexit me super genua mea.* In genibus virtus gressiua est, sicut in pedibus fultiua. *Hebr.* 12. Soluta genua erigite, gressus rectos facite pedibus vestris. *Et super articulos manuum mearum*, vt scilicet starem quasi quadrupes, articulis manuum & genibus sustentatus. In articulis autem manuum, diligentia operum significatur. *Cantic.* 5. Manus eius tornatiles aureæ, distinctæ hyacinthis.

9.

Et dixit ad me, subdens, supple, de reuelatione: *Daniel vir desideriorum*, à Deo scilicet & ab Angelis desideratus. 1. *Pet.* 1. In quem desiderant Angeli prospicere. *Intelligere verba quæ ego loquor ad te.* 2. ad *Timoth.* 2. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. *Et sta in gradu tuo*, in pedibus scilicet locum tuum, quem apud Deum obtinet, non dimittens. *Eccli.* 10. Locum tuum ne dimittas. *Nunc enim missus sum ad te. Hebr.* 1. Nonne omnes administratorij sunt spiritus, in ministerium missi. *Cumque dixisset mihi sermonem istum*, consolatorium scilicet. *Cantic.* 2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. *Steti tremens*, steti in rectitudine,

10. *Daniel vir desideriorum.*

tudine, tremens pauore reuerentiæ. *Isa.* 8. Ipse pauor vester, & ipse tremor, & erit vobis in sanctificationem.

12. *Et ait ad me.* Confortans me scilicet: *Noli timere Daniel*, de precibus tuis scilicet. 2. *Paral.* 20. O Iuda, & Ierusalem, nolite timere. *Quia ex die primo*: statim enim Deus adest obsecrationibus sanctorum. *Deuter.* 4. Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Quo posuisti*, hoc est, firmasti, *cor tuum ad intelligendum*, diuina scilicet, *vt te affligeres in conspectu Dei tui*, non in conspectu hominum. *Hebr.* 11. Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. *Exaudita sunt verba tua*, pro liberatione scilicet populi. *Psal.* 27. Exaudiit de templo sancto suo vocem meam. Simile *Luc.* 1. Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua. *Et ego veni propter sermones tuos.* Argumentum, quòd deuotio orationis Angelos inuitat. *Psal.* 67. Præuenerunt principes, coniuncti psallentibus. *Princeps autem.* Ponit hic ablationem impedimentorum, tria dicens, scilicet impedimenta exaudiendæ orationis, tristitiam Prophetæ pro dilatione liberationis, ibi, *Cum loqueretur mihi.* Et tertio ablationem impedimenti ad spem consolationis: & hoc est.

Deus statim adest obsecrationibus sanctorum.

13. *Princeps autem regni Persarum.* Posset dicere Daniel: ex quo prima die exaudita est oratio tua, quare prima die non annuntiasti mihi; ne affligerem me tribus septimanis? Et respondet Angelus: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti vno diebus.* 21. dies sunt 3. septimanæ. Ad hoc autem vt hoc intelligatur, notanda sunt verba. *Hieronym. & Origen.* qui dicunt, quòd Deus singulis prouinciis Angelum principem posuit, qui bona illius prouinciæ spiritualia, & corporalia procurat quantum potest, & procurata refert ad Deum, & sic princeps Persarum cotam Deo retulit, quòd gens Iudæorum plura in Persas peccauit, quam fuerat per captiuitatem: & ideò differenda esset Iudæorum liberatio: & hæc fuit resistentia quã restitit Gabrieli, qui ad Danielem missus fuerat, & orationi Danielis. Hoc modo loquitur scriptura 3. *Reg. vlt.* Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli, assistentem ei à dextris, & à sinistris. *Psal.* 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Et ecce Michael.* Secundus paragraphus, in quo aliquid interponit de consolatione, scilicet quod Michael iuuat preces Prophetæ: & hoc est. *Et ecce Michael vnus*, hoc est, dignitate vnicus, *de principibus primis*, hoc est, præcipuus præpositus, quia populo Dei, siue in synagoga, siue in Ecclesia, principum est, principatum diuinos, vt secundum leges iustitiæ populum regant, & iura decernant. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt. *Veni in adiutorium meum*, quando scilicet preces tuas obtuli, & princeps Persarum, quando restitit mihi. *Tob.* 12. Quando orabas cum lacrymis, ego orationem tuam obtuli Domino. *Et ego remansi*, supple, *ibi*, 21. diebus, *vnacum regibus Persarum*, hoc est, Angelum præpositum regno Persarum, quasi detentus hic, ne illi preces tuæ impedirent. Nec hoc dicunt, quasi Deus huiusmodi allegationibus indigeat, sed ideò quia quod Deus fecit per aliquem, dicunturur

Deus singulis prouinciis Angelos præfecit, qui dicuntur principes illarum.

vulit luminibus intelligentiæ ad cognitionem Angelorum: sicut & b. *August.* dicit, quòd in creatione mundi factum est, qui primò factus est in diuina sapientia, postea in Angelorum notitia, & tertiò in propria natura. Sic ergo Michael allegat pro populo liberando, cum Gabriele. Hoc significatum est. *Genes.* 32. Vbi cum Angeli cum armis apparuissent Iacob, venientes in adiutorium eius, dixit, Castra Dei sunt hæc.

Lib. 4. super Genesim. cap. 26. Mundus primò factus in diuina sapientia, postea in Angelorum notitia, & tertiò in propria natura.

Veni autem. Tertius paragraphus, in quo aliquid triste insinuat: & hoc est. *Veni autem vt docerem te*, scilicet de effectu precum tuarum. *Isa.* 48. Ego Dominus doceus te vtilia, gubernans te in viã quã nescis. Et hoc est quod sequitur. *Quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus*, partim scilicet in fine captiuitatis, & partim in fine mundi. *Numer.* 24. Heu quis victurus est, quando hæc faciet Omnipotens. Et quare dixerit, in nouissimis diebus, subdit. *Quoniam adhuc visio in dies*, protelatur ante scilicet, quam impleatur visio, tempus longum. *Isa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo. *Isa.* 24. Post multos dies visitabuntur. Et sequitur pars de destitutione Prophetæ: audiens enim, quòd visio protrahatur, & populi impediatur liberatio, pro zelo quem habuit ad populum, destituitur. *Psal.* 118. Tabescere me fecit zelus meus. Et hoc est.

14.

Cum loqueretur mihi huiusmodi verbis. 2. ad *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *Deiecit vultum meum ad terram*, confusus scilicet de peccato populi. *Luc.* 18. Nolebat oculos ad cœlum leuare. *Psal.* 130. Neque elati sunt oculi mei. *Et tacui. Iob.* 9. Neque enim possum mutuens respondere. *Psal.* 16. Obmutui, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est.

15.

Et ecce quasi similitudo filij hominis, vt scilicet familiarius consolaretur, *tetigit labia mea*, tactu scilicet virginis. Labia autem tangit, vt per labia de mysteriis Dei loqui possit. *Isa.* 6. Ecce tetigit hæc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. *Et aperiens os meum locutus sum. Psal.* 50 Domine labia mea aperies, &c. *Et dixi ad eum*, scilicet Angelum Gabrielem, *qui stabat coram me.* Angeli enim assistunt orantibus. Hoc significatum est. *Gen.* 28. vbi Iacob vidit in scalã Angelos ascendentes & descendentes: descendentes vt consilium Dei sanctis reuelent: ascendentes, vt vota sanctorum Deo offerant. *Ioan.* 1. Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes, super filium hominis. *Domine mi.* Hoc dicit, quia Angelus in personã Dei apparuit, vt dicit. *Hieronym. In visione tuã*, præ magnitudine scilicet tuæ claritatis, *dissolutæ sunt compagines meæ.* Alia translatio: Conuersæ sunt interiora mea in me. *Psal.* 6. Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde. *Et nihil in me remansit virium*: hæc enim infirmitas humana est, quæ excellentem lucem diuinitatis sustinere non potest. *Psal.* 83. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Act.* 9. Subito circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram, audiuit vocem. Et hoc est quod sequitur.

Angeli assistunt orantibus.

16.

Et quomodo potest seruus Domini mei, homo scilicet terrenus, *Arilius.* Multipliciter humana natura

17.

Arist in.1. Metaphys. Multiplicitèr humana natura ancilla est.

natura ancilla est. *Loqui cum Domino ego? Genes.* 18. Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. *Nihil enim in me remansit virium. Psal.* 72. Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Iob* 33. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, quibus homo confortatur. *Sed & halitus meus interclusitur.* Ita enim in Dominum festinat spiritus, quod ferè relinquit corpus, & vix spirat. *Psal.*76. Memor fui Dei, & delectatus sum, & defecit spiritus meus. *Glossa* quædam mystica supra id, quod supra habitum est, Caro & vinum non introierunt in os meum, dicit quòd caro corpus Christi est, & vinum sanguis, quibus homo destitutus deficit, & videtur inuuere, quod tempore luctus ab his abstinendum sit. Tempus autem luctus tempus pœnitentiæ est. Et ita videtur *August.* velle, qui dicit, quòd corpus Domini sumere non debet, nisi confortatus bonâ conscientiâ. De nouo autem pœnitens non est confortatus bonâ conscientiâ. De nouo autem pœnitentem vocamus contritum, & non confessum & qui non satisfecit. Et hoc videtur velle *Magister Hugo de S. Victore*, qui dixit: Audacter dico, quòd etsi contritus sit, & non confessus, corpus Christi sumere non debet. Contra hoc videtur esse, quòd quando contritus est, culpa tota remissa est. *Ezech.* 18. Quacumque horâ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Contritus ergo dignus est vitâ æternâ. Ergo & communione dignus est. Ad hoc dicendum, quòd contritus, & non confessus dignus est communione, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas impedimenti alicuius rationabilis sit causa dilatæ confessionis. Et quod dicit *August.* quòd debet esse confortatus bonâ conscientiâ, dicendum quòd causam confortationis habet, & bonam conscientiam, qui conscientiam mortalis peccati non habet. Et quod dicit *Magister Hugo*, de eo intelligitur, qui in proposito non habet confiteri.

An contritus & non conf. sit dignus sit cõmunione.

18. *Rursum ergo tetigit me*, tactu virtutis scilicet. *Psal.*143. Tange montes, & fumigabunt. *Quasi visio hominis*, hoc est, Angelus in visu, & specie hominis. *Et confortauit me. Psal.* 28. Dominus virtutem populo suo dabit.

19. *Et dixit, Noli timere, vir desideriorum.* Simile *Luc.*1. Ne timeas Zacharia. Boni enim Angeli est propellere timorem ab his quibus apparet, vt dicit Antonius. *Pax tibi*, & ex pace, supple, confortatio. *Philip.*4. Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias vestras. *Confortare*, corde, *& esto robustus*, opere. *Iosue* 1. Confortare, & esto robustius: ego enim tecum sum. *Cùmque loqueretur mecum*, Angelus scilicet, *conualui*, hoc est, ad valorem redij. *Osee.*12. Inualuit ad Angelum, confortatus est. *Et dixi*, iam scilicet confortatus. *Loquere Domine mi.* 1. *Reg.* 3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus. *Quia confortasti me*, vt scilicet stare & loqui possim. *Isa.*40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.

20. *Et ait*, Angelus scilicet ad me. *Numquid scis, quare venerim ad te?* Quasi dicat, Mirum est si nescis, quia iam dixi tibi. *Glossa*: Ideò veni, vt docerem te exauditas esse preces tuas. *Et nunc*, hoc, supple, perfecto, *reuertar* ad intima contemplationis, *vt prælior aduersùs principem Persarum*, qui scilicet tuis precibus, & meæ legationi contradicit. Prælium autem hoc nihil est, quam in lumine intellectuali iustitiæ diuinæ demonstratio: & sedatio prælij, voluntatis diuinæ ostensio est, vt dicit *Gregor. Iudic.* 5. Stellæ manentes in ordine, & cursu suo, aduersùs Syzaram pugnauerunt. Et subiungit aliquid consolationis. *Cum enim egrederer*, vt scilicet ad te venirem, *apparuit princeps Græcorum veniens*, allegans scilicet quod Medorum regnum iustè destruendum sit, & Græcis subdendum: & si hoc in lumine Dei terminabitur, tui liberabuntur. Propter hoc dicitur *Iudic.* 5. Noua bella elegit Dominus. *Iob* 25. Qui facit concordiam in sublimibus suis. Sublimia dicuntur Angeli pro diuersis diuersa allegantes. Concordia autem est, vt diximus, diuinæ diffinitionis ostensio: & hoc est quod sequitur.

Verumtamen, supple, sedens ad te, *annuntiabo tibi*, iteratâ reuelatione, *quod expressum est in scriptura veritatis*, hoc est, in præordinatione diuinâ: per hanc enim totum istud bellum ad concordiam reuocatur. *Ierem.* 33. Annuntiabo tibi grandia, & firma quæ nescis. Dicitur autem scriptura veritatis, quia nec fallit, nec fallitur. In apocrypho *Esdr.* 3. Veritas vincit & inualescit super omnia. *Et nemo est adiutor meus in omnibus his*, præliis scilicet, *nisi Michael princeps vester*: ille enim pro proprietate decertat. 4. *Reg.* 6. dixit Eliseus in Angelorum adiutorio confidens: Noli timere, plures nobiscum sunt, quam cum illis. Multos enim in acie suâ ducit vexillifer Michaël, qui omnes decertant pro nobis. Hoc significatum est *Apocal.* 12. Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone. *Psal.*23. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

21.

CAPVT XI.

1. *Ego autem ab anno primo.* Tangitur hîc decursus temporis per bella gentium & regum, vsque ad tempus vltimum perpetuæ liberationis, & in typum huius sumitur bellum regis Ægypti, & regis Syriæ, secundum quod etiam Dominus dicit *Luc.*21. Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Habet autem duas partes capit. istud, in quarum primâ bella regis Ægypti & Syriæ describuntur. In secunda describitur malum, quod Antiochus in figurâ Antichristi fecit, contra populum sanctum, ibi. *Et cor eius aduersùs testamentum sanctum.* In prima septem sunt paragraphi, in quorum primo reuelatio visionis ostenditur, & bellum quod rex Persidis mouit Græcis. Secundo describitur regnum Alexandri regis, & successorum eius, contra regem Persidis, ibi. *Surget verò rex fortis.* In tertio describitur bellum regis Ægypti, contra regem Syriæ, ibi. *Confortabitur rex Austri.* Quarto falla consideratio describitur inter vtrumque, ibi. *Et post finem annorum.* In quinto describitur bellum filiorum Antiochi, contra filios regis Ægypti, ibi. *Filij autem eius provocabuntur.* In sexto iterùm describitur

tur bellum regis Syriæ, contra regem Ægypti, & describitur indignitas successorum Syriæ, ibi. *Conuertetur rex aquilonis.* In septimo describitur proditio, quam ad se inuicem habebant duo reges, ibi. *Et conculcabitur fortitudo eius.* In primo ergo paragrapho duo dicuntur, reuelatio scilicet & bellum regis Persarum contra Græcos: & hoc est.

Ego autem, scilicet Daniel, *ab anno primo Dary Medi*, qui scilicet interfecit Balthasar, *stabam*, supple, in oratione. *Coloss.*4. Orationi instare, vigilantes in ea. *Vt confortaretur*, in personâ scilicet, *& roboraretur*, in regno, supple. Et est hic obiectio literalis: quia facta præcedentia capit. facta sunt tertio anno Cyri regis Persarum: & sic videtur malè ordinare: quia ista sunt facta ante illa. Ad hoc dicit *Hieronym.* quòd alius est ordo quem tenet historiographus, & alius quem Propheta: historiographus enim sequitur ordinem temporis, Propheta autem ordinem materiæ: & ideò quod pertinet ad temporis determinationem, ad liberationem populi Dei simul posuit: & ita ea quæ pertinent ad persecutionem sanctorum, coniungit, & ideò componit hæc omnia, quæ ad persecutionem pertinent: & est figura quæ dicitur hysteron proteron, & à Theologis vocatur anticipatio. Subiungit autem de reuelatione: & hoc est.

2. *Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Hieron.* Tacitâ personâ, Dominus inducit loquentem, vel Angelum in personâ Domini. Et est, ac si dicat, tu oras pro rege Persarum, eò quod amicus tuus est, & te de lacu leonum liberauit: ex quo vis scire de regibus Persidis, ego annuntiabo tibi. In hoc Daniel fecit sicut Ieremias præcepit 29. Orate pro Nabuchodonosor rege, & pro pace ciuitatis ad quam transmigrare vos fecit: quia in pace illius pax vobis erit. Scies ergo quid regibus Persidis futurum sit. *Ecce*, supple, præter alios reges 3. *Adhuc tres reges stabunt in Perside*, aliis scilicet excellentiores. Tres autem illi fuerunt, vt dicit *Hieronym.* primus Cambyses filius Cyri, secundus Esmenides magnus, qui Pathapten filiam Cambysis, duxit vxorem: quo occiso, septem aliis tertius Darius successit, cui eadem Pathaptis nupsit, & ex eo Xercem filium genuit, qui potentissimus, & ditissimus Græciam impugnauit: & hoc est quod sequitur. *Et quartus ditabitur opibus nimis super omnes*, antecessores suos scilicet: *& cum inualuerit diuitiis suis*, Xerces scilicet, *concitabit omnes*, amicos, & adiutores, *adversus regnum Græciæ.* Hoc significat, quòd tres reges, scilicet concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; & quartus, qui est ambitio honoris, vel potestatis, si per auaritiam diuitiis, sapientiam impugnant, quam Græci quærunt. *Psal.* 2. Assiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum. Secundus paragraphus.

3. *Surget verò rex fortis*, Alexander scilicet, *& dominabitur*, supple, super Ægyptum, & alias prouincias, *potestate multa*: in Asiam enim transiuit, & Sardis vrbem Darii cepit, fugatis ducibus eius, & Darium interfecit: & hoc est quod sequitur. *Et facet quod placuerit ei. Iudic.* 1. De regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.

4. *Et cum fuerit*, in summâ potestate scilicet eretus, *conteretur regnum eius. Hieronym.* Cum 32. ætatis haberet annos, & duodecimum imperij annum, in Babylone veneno interiit. *Isa* 2. Oculi sublimis hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum. *Et diuiditur*, supple, regnum sic contritum, *in quatuor ventos cœli*, hoc est, in quatuor plagas mundi: in Ægypto enim qui est ad Meridiem, primò regnauit Ptolemæus Lagi filius: in Macedoniâ, Philippus Arideus frater Alexandri, quæ est ad Occidentem: in Syria & Babyloniâ, quæ sunt ad Orientem, Seleucus cognomento Nychanor: in Assyriâ autem & Ponto, quæ sunt ad Aquilonem, regnauit Antigonus. Venros autem plagas mundi vocat: quia res huius mundi, quasi vento, huc illucque iactantur *Dan.*7. Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. *Psal.* 34. Fiant tanquam puluis ante faciem venti. *Sed non in posteros eius*, supple, diuidetur regnum: quia Alexander liberos non habuit. *Isa.*14. Non vocabitur in æternum semen pessimorum. *Neque secundum potentiam illius, quâ dominatus est*, supple, aliquis regum sequentium eum dominabitur. *Isa.* 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Et subiungit causam. *Lacerabitur enim regnum eius. Matth.* 12. & *Luc.*12. Omne regnum in se ipsum diuisum, desolabitur. *Etiam in externos*, hoc est, obscuriores, & minores, *exceptis iis*, supple, quatuor qui dicti sunt. *Hieronym.* Nam Cappadocia, & Armenia, Bythinia, & aliæ prouinciæ quas tenebat Alexander, mortuo Alexandro, fecerunt sibi reges & à dominio Macedonum recesserunt. Tertius paragraphus de confortatione regis Ægypti, & hoc est.

Alexander veneno interiit.

5. *Et confortabitur rex Austri*, hoc est, Ægypti, qui ad Austrum est: hic autem rex dicitur fuisse Ptolemæus Lagi filius, qui primus regnauit in Ægypto. *Et de principibus eius*, hoc est, de filiis succedentibus in principatu *prævalebit super eum*, vnus scilicet: & hic dicitur fuisse Ptolemæus Philadelphus secundus rex Ægypti, qui potentiâ, & gloriâ, & diuitiis patrem vicit: & hoc est. *Et dominabitur super eum*, patrem scilicet, *ditione*, eò quod ditionem Ægypti ampliauit: Cyprum enim & Phœnicem obtinuit. *Psal.* 72. Dominabitur à mari vsque ad mare.

Multa enim dominatio eius, supple, plurimum patris. *Luc.*22. Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent inter eos, benefici vocantur. Sic enim erit inter eos. Quartus paragraphus, in quo dicitur, quòd nuptias fœderabuntur, sed non valebit ad amicitiam.

6. *Et post finem annorum*, multorum scilicet, quibus compugnauerant rex Ægypti, & rex Syriæ, *fœderabuntur*, fallo scilicet fœdere. *Isa.*28. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. *Filiaque Regis Austri*, hoc est, Ægypti, Beronice vocata, *venit*, supple, nuptura, *ad regem Aquilonis*, Antiochum scilicet regem Syriæ, *facere amicitiam*, inter patrem, & maritum. *& non obtinebit fortitudinem brachij*, hoc est, Beronice vxor Antiochi fortitudinem militum in Syriâ non habebit, quia non assistent ei, milites enim dicuntur brachium, quia quasi brachium pugnant pro rege. *Ierem.* 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem

brachium suum. *Nec stabit semen eius*, in regno scilicet Syriæ, hoc est, filius, quem ex Antiocho suscepit, regnum non obtinebit. *Isa.* 14. Præparate filios eius occisioni, in iniquitate patrum eorum non consurgent. Et hoc est quod sequitur. *Et tradetur ipsa*, cum filio suo, *& qui adduxerunt eam adolescentes eius*. supple, tradentur cum eâ occidenti, principibus scilicet Antiochi. *Psal.* 62. Tradentur in manus gladij; partes vulpium erunt. *Et*, ita, supple, tradetur, *qui confortabat eam in temporibus*, hoc est, ad quoddam tempus, hoc est, Antiochus maritus: quia Laodices prima vxor eius, ante Beronicen, propter hoc quod ei Beronicen præposuerat, veneno interfecit.

7. *Et stabit de germine radicum eius plantatio*; hoc est, filius Ptolemæi Philadelphi, qui vocabatur Ptolemæus, & Euergetes, *& ingredietur prouinciam regis Aquilonis*, hoc est, Regis Syriæ, *& abutetur eis*, tyrannicâ scilicet potestate, & ferinâ crudelitate: hoc enim abusus est, hoc est, vltra meras humanæ rationis vsus: vnde abuterur, tantum valet, quantum crudeliter subuertet, iam matrem, quam filium. *Ierem.* 18. In tempore tribulationis abutere eis.

8. *Et obtinebit insuper*. Tantam enim habebit victoriam, quod super captiuitatem terræ dominetur. *Deos eorum, & sculptilia*, captiuauit, supple, & cepit vnde *Hier.* Tulit de regno Seleuci quadringẽta millia talenti, & simulachra, & vasa pretiosa duo millia, & quadringẽta, in quibus illa quæ Cãbyses ex Ægypto in Persas portauerat, reportauit in Ægyptum: & hoc est quod sequitur. *Vasa quoque pretiosa auri, & argenti*, quæ scilicet in Perside fuerat, *captiua ducet in Ægyptum*. hoc est, reducet: iustum est enim, vt qui prædatus est, prædetur. *Isa.* 33. Væ qui prædaris, nonne & prædaberis? Et adhuc subiungit de eodem. *Ipse*, scilicet Euergetes Ptolemæus, *prualebit aduersus regem Aquilonis*, Galliricum scilicet.

9. *Et intrabit in regnum*, Syriæ scilicet, *rex austri*, hoc est, Ægypti, vt victor, *& reuertetur ad terram suam*, non raptâ scilicet Syriâ, licet victor fuerit in prælio. Cogitatum enim hominis sæpè Dominus impedit. *Iob.* 5. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Quintus paragraphus, in quo dicitur de bello, quod mouit rex Syriæ, contra regem Ægypti & hoc est.

10. *Filij autem eius*, Galliritci scilicet Seleuci filij, Ceranus, & Antiochus magnus, *provocabuntur*, ad prælium scilicet, ex morte iniquâ patris, *& congregabunt multitudinem exercituum plurimorum*, in vltionem scilicet patris: regna enim Orientis aduersus Ptolemæum Philopatorem concitauit. *Psal.* 67. Dissipa gentes, quæ bella volunt. *Et veniet*, supple, Antiochus magnus Seleuci filius, *festinans*, ex iâ occisorum patris. *Isa.* 8. Velociter spolia detrahe, citò prædare. *Et inundans*, latitudine exercituum. *Isa.* 8. Ibit per Iudam inundans, & transiens, vsque ad collum veniet. *Et reuertetur*, in terram suam, supple, victor. *Ezech.* 1. Ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. *Et*, exaltatus, supple, superbit, *conuitiabitur*, iteratò, supple, ita vt vltimò indicet Ægyptiis bellum: & hoc est quod sequitur. *Et congredietur cum robore eius*, hoc est, cum exercitibus eius congredietur cum rege Ægypti. *Psal.* 23. Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. *Hieron.* Antiochus cum aduersus ducem Ptolemæi regis Ægypti obtinuisset victoriam, Syriam, quæ per successionem iam à regibus Ægypti tenebatur, recuperauit.

11. *Et prouocatus rex austri*, hoc est, Ægypti, contra regem Syriæ, *egredietur*, supple, de Ægypto, *& pugnabit aduersus regem Aquilonis*, hoc est, aduersus regem Syriæ. Impij enim quiescere non possunt. *Isa.* 57. Non est pax impiis, dicit Dominus. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. *Prouerb.* 13. Inter superbos semper iurgia sunt. *Et præparabit multitudinem nimiam. Eccle.* 1. Stultorum infinitus est numerus. *Prouerb.* 17. Semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mitetur contra eum. Et subiungit de exitu belli. *Et dabitur multitudo*, scilicet Antiochi, *in manus eius*, hoc est, regnum Ægypti. *Psal.* 67. Dissipa gentes, quæ bella volunt.

12. *Et capiet multitudinem*, regis scilicet Syriæ. *Genes.* 49. Manus eius in ceruicibus inimicorum suorum. *Et exaltabitur cornu eius*, hoc est, potestas eius. Contra quod dicitur in *Psal.* 74. Nolite extollere in altum cornu vestrum. *Et deiiciet multa millia*, exercitus scilicet Antiochi. *Psal.* 90. cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. *Sed non prualebit*, supple, capere aduersarium, & regnum eius. Tandem enim, vt dicit *Hieron.* Pugna finita est, quibusdam conditionibus amicitiæ factis, & sic ab inuicem recesserunt: malus enim homo sæpe impeditur à Deo, nè malitiam perficere possit. *Iob.* 5. Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Sextus paragraphus, in quo quatuor dicuntur, scilicet fortitudo regis Syriæ, præuaricatio quorumdam ex Iudæis, ibi, *Filij quoque*. Victoria regis Syriæ contra Ægyptum & alias terras; fallax fœderatio, & vilissima successio: & hoc est.

13. *Conuertetur rex Aquilonis*, Antiochus, & conuerterur ad bellum, *& præparabit multitudinem, multò maiorem quam prius. Hieron.* Antiochus magnus audita morte Philopatoris regis Ægypti, cum Philippo Macedone, communi manu regnum regis Ægypti congreditur, & fœdâ pace cum Agatode & Ptolemæo Epiphane, cum quibus antea dimicabat, hac conditione vt proximas ciuitates de regno Ptolemæi, quilibet regno suo iungeret, multos adiutes regem Ægypti propè cauit: propter quod multitudinem maximam ad se traxit. *Et in fine temporum*, ad hoc, supple, dissimilitudinis, *annorum multorum*, quando scilicet vlsici valuit Dominus? *Amos* 3. In medio annorum notum facies. *Venit festinans*: festinatus enim semper præcepit est. *Isa.* 1. Ecce festinus velocitet veniet. *Cum exercitu maximo. Psal.* 3. Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me. *Et opibus nimis*. Ad expensas belli. *Iudith* 2. Aurum & argentum de domo regis abundanter multum nimis, & prouentus eius, & omnis exercitus eius.

14. *In temporibus illis*, tribulationis scilicet Ægypti, *multi consurgent adversus regem austri*, hoc est, Ægypti. Quod prophetatur. *Isa.* 19. Tradam

dam Ægyptum in manus crudelium: & rex fortis dominabitur eorum. Et subdit de præuaricatione Iudæorum in tempore illo existentium: & hoc est. *Filij quoque preuaricatorum populi sui*. Præuaricatores dicuntur, quia legem diuiserunt. *Isa.* 48. Scio quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. *Extollentur*, in superbiam scilicet iactantiæ. *Iob* 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus? *vt impleant visionem*, hoc est, iactent se implere visionem Haiæ, qui dicit *Isa.* 19. In die illa erit altare terræ Ægypti, & titulus iuxta terminum eius. Oniis enim facet dos summus, plurimis sibi adiunctis Iudæis, cunc temporis attrauit in Ægyptum, & occidere volebant Haiæ ædificauit ibi templum & altare in templo Iherosolymorum, & dixit similitudinem quod fuit contra conditionem Domini. *Isa.* 30. Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordinaretis tentum, & non per spiritum meum. Et deinceps sequitur. *Et corruet.* Quod enim super Dominum non ædificatur, ruet. *Matth.* 7. Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit: fundata enim erat super arenam.

15. *Et*, id est, qui venit *rex Aquilonis*, Syriæ scilicet in Ægyptum, *& constituet* scilicet magnus, *& comprehendet ciuitates*, id impleuit scilicet totum mundum, *& munitissimas*, *& Ægypti* scilicet. *Abac.* 1. Super omnem munitionem ridebit, & conportabit ceterem & capiet eam. *Et brachia austri resistere non poterunt*, scilicet Antiochus regem Syriæ. *Nah.* 3. Nihil prodesset adiutorium eius, & filius eius, non potuerunt resistere. *Et robur eius*, & filius eius, non potuerunt resistere, vt fauilla flagra.

16. *Et faciet*, rex Syriæ, supple, *venens super eum*, regem scilicet Ægypti, *iuxta placitum suum*, hoc est, iuxta iniquam voluntatem suam. *Amos.* 8. Pauper in gratiam iumentum eius. *Et non erit qui stet contra eum*, scilicet regem Syriæ. *Isa.* 41. Nihil ex omnibus quæ comminatus es, qui subsistere, vt mutilem eiuerent. Et subdit de vrbanitate, quam habebat contra Iudæos, & hoc est. *Et stabit in terra fortitudinis*, id est, in superbiam iactantiæ, *& in manu sua consumetur*, id est, impletur, *& perficietur*, quod intendit, propter regem, & propter quod desiderat, & propter quod desiderat, & propter quod desiderat. Nihil enim remanebit desiderio eius. Dicit enim in corde suo, hoc est, in cogitatione sua: Multa enim mala intendebat contra Antiochum, sub fœdâ Machabæo. *Ioa.* 12. Iudicium huiusmodi iniquum egisse, non videbitur Deo.

17. *Et ponet faciem suam*, id est, propositum cordis sui. *Isa.* 50. Ad consumendum ea cor suum; & ad interficiendum gentes non pauerunt. *Et ponet*, cum exercitu, supple, *ad possidendum hoc est*, occupandum, *universum regnum eius*, regni Ægypti scilicet. *Iudith* 2. Dixit hanc cogitationem in eo dicit, vt omnem terram suo subiugaret imperio. *Et recta facies cum eo*, quia scilicet iam ante rex Ægypti iure belli suas ciuitates occupauerat. *Ierem. vltim.* Locutus est ad eum iudicia: *Luc.* 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. *Et filiam feminarum dabit ei. Hieron.* dicit, quod septimo anno regni sui adolescenti Ptolemæo Antiochus filiam desponsit Cleopatram nomine, & decimotertio anno tradidit, & quod data est in dotis nomine, Syria vel Iudæa. Filia feminarum autem dicitur, & est figura pleonasmos dicta, hoc est, abundans vel superflua locutio. Vt illud, Sic ore locuta est, vocemque hominis habuit. Intentionem autem fraudulentæ subdit. *Et corrupet*, hoc est, decipiet, *illam*, hoc est, Ptolemæum, *& non stabit*, fraudem eius, supple, *nec illius erit*, terræ Ægypti, supple, per hoc. *Hieronym.* Quia Ptolemæus & dux eius tenuerunt dolum, Cauium egerunt, & Cleopatra vxor Ptolemæi, & filia Antiochi, magis viri, quam parentis partes fouit. *Psal.* 51. Sicut nouacula acuta fecisti dolum. *Iob* 5. Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus illorum quod cœperant.

18. *Et conuertet faciem suam*, Antiochus scilicet, *ad insulas*, scilicet Asiæ, mouit bellum, & transit vt dicit *Hieron.* Cepit Rodum, Samum, Colophonem, & alias multas: & hoc est quod sequitur. *Et capiet multas*, insulas scilicet, *& faciet finem principis opprobrij sui*, hoc est, Ptolemæus per quendam Romanorum, à se fecit cessare principem Antiochum, qui fecit opprobria. Romani enim legatos miserant duos Iuniores, quorum vnus vocabatur Scipio, Africanus vocabatur vnus Scipio, alter autem Scipio Nasica. Alter autem vocabatur ille qui Hannibalem vicerat, & ab illo victus est Antiochus, & cessare de cetero in ciuitatem in regno suo, nunquam reuertit, dolore mortuus est: & hoc est quod dicit. *Et opprobrium eius auertet sibi. Psal.* 7. Conuertetur dolor eius in capite eius: & in vertice ipsius iniquitas eius descendet. Sic Aman suspendit se in ligno, quod parauerat Mardocheo. *Esth.* 5. Sic Achitophel dolos suos fecit, quorum ipse suspendit. *Reg.* 17. Sic Iudas reatum suum locum, suspendit se laqueo. *Matth.* 27. & *Act.* 1.

19. *Et conuertet faciem suam*, fugiens scilicet Antiochus, *ad munitiones terræ suæ*, hoc est, imperij sui, ab insulis Romanorum repellitur: propter dolum enim nullus confidit de ipso. *Psal.* 5. Secundum multitudinem iniquitatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. *Et impinget*. Impingere est ponere pedes ad casum: quia per reatum [illegible] cecidit. *Isa.* 28. Vadant, & cadant retrorsum, vt conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Et hoc est. *Et corruet. Matth.* 7. Facta est ruina eius magna. *Et non inuenietur*, locus eius, supple, amplius, quia nullus successorum eius ad locum eius deuenit. *Apoc.* 12. Neque locus eorum inuentus est amplius in cœlo. *Psal.* 75. Et non cognoscet amplius locum suum. Item *Psal.* 36. Transiui, & ecce non erat quærebat, & non inuentus locus eius. Et subdit de successore.

20. *Et stabit in loco eius vilissimus*: moribus scilicet, *& indignus dare regis. Hieronym.* Seleucus Philopator magni Antiochi filius, qui in Syria vltra digna gessit vnum imperio, & sine vllo prælio inglorius perit. Et hoc est quod

sequitur. *Et in paucis diebus conteretur. Psal.* 51. Emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terrâ viuentium. *Non in furore*, scilicet hostium, *neque in prelio*, alicuius scilicet impugnantis, sed in propriâ iniquitate tabescens. *Psal.* 111. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Item *Psal.* 38. Tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Et subdit de successore nepote pessimo, & nequissimo: & hoc est.

21. *Et stabit in loco eius despectus*, Antiochus scilicet Epiphanes frater eius primus, omnibus vilis, & despectus, sed tunc quasi mansuetus, & lenis, fraudulenter regno potitus est, fratre suo Seleuco iam mortuo. Vnde *Dan.* 4. Humillimum, vel vilissimum hominem ponet super regnum. *Iob.* 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Et non tribuetur ei honor regius*, ab his scilicet qui in Syriâ Ptolemæo adhæserunt. *Luc.* 19. Nolumus hunc regnare super nos. Significat autem hypocritas, qui simulando prælationes obtinent. *Matth.* 7. Attendite à falsis prophetis. *Et veniet vt Elam*, sicut fur scilicet clementiam simulans. *Iacob.* 10. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. *Et obtinebit regnum*, Ægypti scilicet, *in fraudulentia*: simulauit enim se esse ducem fœderis, & patronum Ptolemæi, annuncuti sui, & sub illâ fraudulentiâ occupauit regnum *Isa.* 31. Fraudulenti vasa pessima sunt.

22. *Et brachia pugnabunt*, Ptolemæi scilicet duces, & milites, sententes sibi adiutoriam, *expugnabuntur à facie eius*, hoc est, à facie Antiochi, *& conterentur*, Ptolemæus scilicet dolis Antiochi. Sic fraudulenter regnum Ecclesiæ obtinebit Antichristus, & expugnabit adiutoria sanctorum. *Osea* 12. Fur ingressus est spolium, latrunculus foris. Et de proditione ampliori subdit adhuc. *Insuper & dux fœderis*, fraudulenter, scilicet, erit, sub specie consanguinitatis fœdus fecit. *Mich.* 7. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce.

23. *Et post amicitias cum eo*, simulatas, scilicet, *faciet dolum*, Antiochus scilicet & Antichristus, *Iorem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. Qualiter autem faciet dolum, subdit. *Et ascendet*, scilicet, Antiochus, in ciuitates Ægypti, vel Antichristus in ciuitates Ecclesiæ, *& superabit*: populum scilicet vnum post aliam, *in modico populo*, hoc est, in parvo exercitu: fraudibus enim potius vincunt, quam viribus. *Isa.* 32. Cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, &, loquatur ad Dominum fraudulenter.

24. *Et abundantes & vberes vrbes ingredietur*, abundantes auro scilicet & argento & nobilibus, & vberes possessionibus: *& faciet quod non fecerunt patres eius*: non enim contentus erit terris patrum suorum. Et est simile quod dixit Roboam. 3. *Reg.* 12. Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. *Et patres patrum eius*, scilicet, interfecerunt. Simile *Ezech.* 16. Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Ibidem: Vicisti sorores tuas, scelerumis agens ab eis. *Rapinas*, quæ propriè sunt in possessionibus raptis, *& prædam*, quæ est propriè in manubiis, quæ manu capi possunt, *& diuitias eorum*, quæ sunt in auro, & argento, *dissipabit*, diuidendo inter suos. Sic faciet Antichristus in Ecclesiâ. *Exod.* 15. Dixit inimicus, Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Et subdit de astutiâ Antiochi, & Antichristi. *Et firmissimas cogitationes*, consiliariorum scilicet pueri Ptolemæi, vel etiam Doctorum Ecclesiæ, *inibit consilium*, callidius scilicet inueniens malum, quam aliquis possit inuenire, qualiter euadat eum. *Iorem.* 4. Sapientes sunt vt faciant mala: bene autem facere nesciunt. *Et hoc vsque ad tempus*, quandiu permansérit Dominus. *Iob* 14. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

25. *Et conteretur*. Tangit hic bellum, quod post pecens mortui regis Ægypti: & hoc est. *Et concitabitur fortitudo eius*, Antiochi scilicet vel Antichristi, *adversus regem austri*, hoc est, Ægypti, Ptolemæum scilicet socrum suum, vel Antichristi contra Ecclesiam, *in certamine magno. Isa.* 10. Ad conterendum eos cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. *Et rex austri*, hoc est, Ægypti, *commiscebitur ad bellum*, contra annuncuum scilicet, *in certamine magno*, hoc est, iustorum, *& fortissimo nimis*. Et verificatur quod dicitur *Iorem.* 46. Fortis impegit in fortem, & ambo corciderunt. *Et non stabunt*, quia Antiochus fraudulenter simulauit pacem, & sub illâ simulatâ pace, Ptolemæus dum inter exercitum. *Iorem.* 9. Vnusquisque in proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.

26. *Et conterentur potentes eius*, *& conterentur illum*, Ptolemæum scilicet Philometorem, prodetur enim à suis. *Psal.* 54. Qui edebant panem meum, dulcem capiebant cibum. Et sequitur post paucas: Venient mors super illos, quia nequitiæ, etiam, *Exercitus eius*, Ptolemæi scilicet, vel Ecclesiæ, *superabitur*, fraudibus scilicet, *multi cadent. Sapi.* 2. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veteranum reuereamur canos multi annorum. *Et cadent interfecti plurimi*, regis scilicet Ægypti, vel Ecclesiæ. *Ezech.* 28. Corruent in medio eius gladio, triginta duo deiecti sunt in alienum.

27. *Duorum quoque regum*, Ægypti scilicet & Syriæ, vel Ecclesiæ & Antichristi, *cor vnum*, hoc est, torquebit, *vt mali facient*, hoc est, cum eo, scilicet, filij furoris scilicet, & perditionis. *Psal.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, adstitit omni via non bona, malitiam autem non odiuit. *Et ad mensam vnam*, scilicet, *fallacia mendacium loquentur. Iorem.* 9. Nec est dubium, quin post pacem simulatam duo reges communia fecerint, & pacem, & bona, quæ sibi mutuo dederint, ad invicem locuti fuerint. *Iorem.* 9. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. Et post paucas: Dimittunt linguam loqui mendacium: vt inique agerent, laborauerunt. *Et non prosperabitur*, scilicet Antiochus, & exercitus eius, vel Antichristus fraudulenter non proficiet. *Iob.* 5. Apprehendit sapientes in astutiâ eorum, & consilium prauorum dissipat. *Quia adhuc finis in tempore statuto*, à Deo scilicet reservatus est. *Psal.* 103. Terminum posuisti, quem non transgredientur.

Et

28. *Et reuertetur in terram suam*, Antiochus scilicet, *cum opibus multis*, abstractis ab Ægypto scilicet. *Baruch.* 3. Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines: & non est finis acquisitionis eius. *Iob* 3. Qui possident aurum, & replent domos suas argento. *Et cor eius aduersum testamentum sanctum*. Tangit hic quod Antiochus sub typo Antichristi fecit contra Deum, & habet partes tres. Primò enim dicit, quid fecit contra sanctos. Secundò quid blasphemando fecit contra Deum, ibi, *Et elevabitur, & magnificabitur*. Tertiò quæ regna subiecit, & quæ subiicere non potuit, ibi, *Et in tempore prefinito preliabitur*. In prima parte sunt quatuor paragraphi, in quorum primo dicit, quomodo cor malum suum contra sanctos stans, à Romanis prohibitum est. In secundo quomodo malum intendens sanctis, peccatores dilexit, ibi, *Et indignabitur contra testamentum*. In tertio qualiter duces eius destruent sanctuarium, ibi, *Et brachia ex eo stabunt*. In quarto qualiter afflicti ab eo subleuabunt, ibi, *Cumque corruerint*. Dicit ergo: *Et cor eius*, scilicet Antiochi, vel Antichristi, erit, supple, *aduersum*, testamentum sanctum, hoc est, vt collat ordinationem sanctificationis. *Psal.* 82. Inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput. *Et faciet*, hoc est, quod cogitauit, opere perficiet. *Psal.* 7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Sed quia locum sanctum obtinere non potuit, ideò sequitur.

29. *Et reuertetur in terram suam statuto tempore. Isa.* 37. Ponam circulum in naribus tuis, & reducam te in viam, per quam venisti. *Et reuertetur*, supple, iterum collecto exercitu, *& veniet ad Austrum*, vel in Ægyptum, vel in Ecclesiam, sicde Antichristo exponitur, *& non erit priori*, tribulationi, supple, vel malo, *simile nouissimum*. In secundo enim fortior venit. *Matth.* 12. Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

30. *Et venient super eum Trieres*, *& Romani*, hoc est, Italici, Romani quippe sunt caput Italicorum. *Et percutietur*, non quidem gladio, sed humiliatione: legati enim Romanorum præceperunt, vt ab Ægyptiis amicis eorum recederet, & recedere oportebat. *Numer.* 24. Venient in Trieribus de Italiâ, superabunt Assyrios. *Et reuertetur*, supple, propter hoc in terram suam. *Luc.* 11. Reuertar in domum meam vnde exiui. Secundus paragraphus. *Et indignabitur*, volens scilicet iniuriam sibi factam in Iudæos retorquere, siue in Ecclesiam: dicit enim *Hieron.* quòd etiam Antichristus sentiet arma Romanorum. *Contra testamentum sanctum*, vel Ecclesiæ, vel synagogæ. *Et faciet*, multa scilicet in opere. *Isa.* 16. Superbia eius, & indignatio eius, plus quam fortitudo eius. *Et reuertetur*, repulsus scilicet vel à Iuda Machabæo, vel ab Ecclesiâ. 1. *Machab.* 3. Persecutus est Iudæos iniquos, persecutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis, & repulsi sunt inimici eius præ timore eius. *Et cogitabit aduersus eos, qui deriliquerunt testamentum sanctum*, qualiter scilicet, remuneret eos, vt scilicet alij exemplo eorum libentius relinquant. *Sapient.* 2. Hæc cogitauerunt, & erraverunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Tertius paragraphus.

31. *Et brachia ex eo stabunt*, Antichristi scilicet vel Antiochi adiutores, *& polluent sanctuarium fortitudinis*, peruertendo scilicet fideles ad infidelitatem, & ad malos mores. *Psal.* 78. Polluerunt templum sanctum tuum. 1. *Mach.* 2. Sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est. Et coinquinauerunt eam gentes. *Et auferent iugiter sacrificium*, Thryphon scilicet & Timotheus, & Lysias, & alij scilicet ab Antiocho missi, qui interfectis sacerdotibus, & polluto templo, ritum sacrificij impediuerunt, quod Dominus præcepit offerri *Leuit.* 25. *Dan.* 3. Non est in tempore hoc holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te. *Et dabunt abominationem in desolationem*. Locus est per causam, hoc est, abominandum idolum, quod erit causa desolationis. 1. *Machab.* 1. Ædificauit rex Antiochus abominandum idolum super altare Dei. *Brachia pro adiutoribus.*

32. *Et impij testamentum simulabunt fraudulenter*. Intendit de quibusdam qui recedentes à lege Dei, simulauerunt se tamen fideles, vt amplius nocerent. 1. *Machab.* 2. Fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & venundati sunt, vt facerent malum. Et subdit de constantiâ sanctorum. *Sanctorum constantia.* *Populus autem sciens Deum suum*, affectiuâ scilicet deuotionis scientiâ, quæ per experimentum est, *obtinebit*, supple, legem, *& facies*, multa, supple, contra infideles: vnde dicunt. 1. *Mach.* 3. Accingimini, & estote filij potentes, & estote parati in manè, vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt disperdere nos, & sancta nostra.

33. *Et docti in populo*, in Veteri quidem Testamento Mathathias, & sui filij, in Nouo verò *Doctorum officium.* *Augustin. Hieron. Ambros.* & sui, *docebunt plurimas*, vt scilicet teneant legem, & non recedant ab eâ. 1. *Machab.* 2. Nunc ergo filij æmulatores estote legis, & date animas vestras, pro testamento patrum. *Et ruent in gladio*, interfecti scilicet pro fide, *& in flamma*, flammis scilicet incensi. *Hebr.* 11. In occisione gladij mortui sunt. *Sapient.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit illos. *Et in captiuitate*, carcerali scilicet custodiâ. *Act.* 5. Posuerunt eos in custodiâ publicâ. *Et in rapinâ dierum*, persecutionis scilicet: per eorum enim tempus persecutionis spoliati sunt sancti, & publicata bona eorum, de quibus dicit Apostolus. *Hebr.* 20. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Et subdit de quarto paragrapho.

34. *Cumque corruerint*, non per culpam, sed per pœnam, supple, *subleuabuntur auxilio parvulo*. Auxilium hoc est duplex: sub Antiocho enim paruum auxilium fuit, quod præstitit Mathathias, & filij sui, qui repente contriti sunt: sub Antichristo autem auxilium paruum, consolatio Doctorum, quæ parvula dicitur, quia tyrannidem Antichristi non auertet: propter quod gemens Ecclesia dicit. *Osea* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis. *Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter*, falsi scilicet fratres explorantes sanctorum libertates, quas habent in Christo vt prodant eos Antichristo. *Galat.* 2. Propter subintroductos falsos fratres, qui introierunt explorare libertatem nostram, quam

 habemus

habemus in CHRISTO IESV. *Iob.*30.Frater fui draconum, & socius struthionum. *Ezech.* 2. Subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.

35. *Et de eruditis ruent*, spiritualitrr, & corporaliter: spiritualiter, quia quidam adhærebunt Antichristo, timentes persecutionem: quidam etiam occidentur. *Ioan.* 16. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Quare autem hoc Deus permittit, subdit. *Vt conflentur*, igne scilicet tentationis, & tribulationis. *Eccl.* 2. In igne probatur argentum: homines verò receptibiles in camino desolationis. *Et eligantur*, probati, supple. *Sapient.*3. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. *Iacob.* 1. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. *Et dealbentur*, vt scilicet apti sint æterno lumini. *Apocal.* 7. Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. *Vsque ad tempus præfinitum.* Ac si dicat: Quia non semper durabit, quia nimis acerba esset, sed ad tempus modicum, quod præfiniuit Deus. 1. ad *Cor.*10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. *Quia adhuc aliud tempus erit. Glossa*: Perfectæ victoriæ, in aduentu Christi. *Ioan.* 16. Confidite, ego vici mundum. *Abac.*3.Super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.

36. *Et faciet rex*, Antiochus scilicet, vel Antichristus, *iuxta voluntatem suam*, de sanctis scilicet, & cultu Dei. 2. *Mach.*7. Potestatem inter hominem habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis. *Et eleuabitur.* Tangit hic de superbia contra Deum, & habet tres paragraphos, in quorum primo dicit veri Dei abiectionem, in secundo falsi Dei venerationem, in tertio consentientum sibi remunerationem.Dicit ergo: *Et eleuabitur*, in superbiam, supple, corde. *Iob.*15. Quid te eleuat cor tuum? *Et magnificabitur*, potestate, & diuitiis. *Isa.* 10. Visitabo super fructum magnifici cordis, regis Assur. *Aduersus omnem Deum*: hoc enim in parte fecit Antiochus, sed perfectè faciet Antichristus. 2. ad *Tessal.* 2. Qui aduersatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. *Et aduersus Deum deorum loquetur magnifica*, blasphemias scilicet. Deus deorum verus Deus est, qui participatiuè deos facit. *Psal.*81. Ego dixi, Dij estis. Item *Psal.*49. Deus deorum Dominus locutus est. Contra illum loquetur magnas blasphemias. *Iob.* 15. Tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? *Psal.* 11. Dixerunt, Linguam nostram magnificabimus. *Et dirigetur*, hoc est, prosperabitur in malis suis. *Proverb.*1. Prosperitas stultorum perdet eos. *Donec completur iracundia*, Dei scilicet. *Isa.* 26. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, donec pertranseat indignatio. Tunc enim verum erit quod dicitur: bene qui latuit, bene vixit. Et subiungit rationem. *Perpetrata quippe est definitio*, apud scilicet præscientiam Dei. *Galat.*4. Sub tutoribus, & actoribus, vsque ad præfinitum tempus à Patre. *Eccle.* 3. Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa. Et subiungit, quod non curabit cultum paternum: & hoc est.

37. *Et Deum patrum suorum non reputabit*, scilicet vel Antiochus, vel Antichristus. *Glossa*: Abraham, Isaac, & Iacob, de quorum progenie nascetur in Babylone Antichristus, sicut aiunt, de tribu Dan. *Deuteron.* 32. Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. *Et erit in concupiscentiis fœminarum. Hieron.* In Hæbræo ambiguè positum est. Vnde *Aquila*, verbum ex verbo exprimens, sic transtulit: Super Deum Patrum suorum non intelliget & super concupiscentias fœminarum. Et sic locutio dubia est, & hoc quod dicitur, non intelliget, referri potest ad vtrumque, vel ad alterum: & si ad vtrumque referatur, sensus est, quòd non curabit concupiscentias fœminarum,: & hoc competit Antichristo qui castitatem simulabit, vt plures decipiat: quamuis *August.* dicat, quòd primo simulabit castitatem, & adepta potestate luxuriosus erit. Antiocho tamen plus competit, de quo dicit *Hier.* quòd etiam mimis, & scortis videntes populo miscebatur. *Eccli.*47. Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, & prophanasti semen tuum. *Antiochus luxuriosissimus.*

Nec quemquam deorum curabit. Deus enim solus vult apparere, & omnia in cultum suum redigi. *Isa.* 10. Abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et hoc est quod sequitur. *Quia aduersum vniuersa consurget. Glossa*: Contra Deum, & homines. *Luc.* 18. Deum non timeo, & homines non reuereor. *Genes.* 1. Manus eius contra omnes. Secundus paragraphus, vbi agitur de cultura extranei Dei, quem inducet: & hoc est.

38. *Deum autem Maozim.* Quantum æstimare possum, non proprium nomen alicuius Dei est Maozim, sed compositum Hebræum nomen est, & interpretatur, præsidij sui: & est sensus, Deum in quo putat habere præsidium: & puto, quòd intellexit iouem, statua enim iouis in altari Domini posita fuit: & de hoc dicit. *In loco suo venerabitur*, hoc est, in locis suis faciet venerari, sicut & fecit Antiochus. *Psal.* 80. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. *Et Deum quem ignorauerunt patres eius. Deuteron.*32. Noui, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. *Colet*, Deum scilicet, *auro, & argento, & lapide pretiosis*, vt ex pretiosa materia, ab imperitis sibi creditur inesse diuinitas. *Psal.* 113. Simulachra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum. *Rebusque pretiosis*, supple, colet eum, hoc est, solemnitate templorum, & ministrorum. *Osee* 2. Dedi eis argentum, & aurum, quod fecerunt Baal. *Isa.* 2. Repleta est terra argento, & auro: & non est finis thesaurorum eius, & repleta est terra eius idolis. *Maozim quid.*

39. *Et faciet*, Antiochus scilicet & Antichristus, *vt muniat Maozim*; hoc est, præsidia sua, *cum Deo alieno*, hoc est, cum venerationes Dei alieni, *quem cognouit*, hoc est, approbauit. Vnde translatio *Theodotionis* sic habet: Et geret hic vt muniat præsidia sua cum Deo alieno. *Deuteron.*32.

Ipsi

Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus. Et subdit in tertio paragrapho de remuneratione idolatrarum: & hoc est. *Et multiplicabit gloriam*, scilicet in diuitiis, & honoribus. Contra quod dicitur *Ioan.* 8. Ego non quæro gloriam meam. *Et dabit eis potestatem in multis*, etiam superbonos, supple. *Apoc.*17. Tradidit potestatem seudoprophetæ. *Et terram diuidet gratuito*, satellitibus suis scilicet, electis sanctis. *Iob.* 24. Agum non suum demetunt. *Abac.* 2. Væ qui multiplicat non sua.

40. *Et in tempore præfinito.* Hic tangit terras, quas sibi subiecerat: & hoc est, *in tempore præfinito*, à Deo scilicet, *prælibitur aduersus eum*, scilicet Antichrum, & Antichristum, *rex austri*, hoc est, Ægypti: illum enim primo subiiciet Antichristus, sicut in præhabitis de decem cornibus dictum est. *Et quasi tempestas*, furibundus scilicet, & velut insanus, *veniet contra illum rex Aquilonis. Ezech.* 38. Ascendens autem quasi tempestas veniens, & quasi nubes, vt operias terram, tu & agmina tua, & populi multi tecum. Dicitur autem Antichristus rex Aquilonis quia rex malorum est, *Ierem.*1. Ab Aquilone pandetur omne malum. *In curribus, & in equitibus. Psal.*19. Hi in curribus, & hi in equis. *Et in classe magna*, hoc est, in nauibus bellicis, quæ vulgariter galeræ, Latinè autem liburneæ vocantur: nauali enim & equestri bello impugnabit sanctos, sicut & Antiochus fecit. *Et ingredietur terras*, pluritas, supple, vt victor, *& conteret*, terræ scilicet habitatores, *& pertransibit*, hoc est, pertransibit, vastando scilicet singulas. *Ioel.* 1. Gens ascendit super terram meam fortis & inuulnerabilis: dentes eius, vt dentes leonis.

41. *Et introibit in terram gloriosam*, sicut Antiochus in Iudæam, ita Antichristus in Ecclesiam. *Psal.* 87. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. *Thren.* 1. Vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Et multæ*, scilicet vrbes, *corruent. Isa.*3. Ruit Ierusalem, & Iudas concidit.Multas enim Ecclesias subiugabit sibi. Et subdit de salutis. *Hæ autem solæ euadent de manu eius.* Sic Dominus pepercit ciuitati ad quam fugit Loth, quandiu erat in eà. *Genes.*19. *Edom, & Moab, & principes filiorum Ammon*, supple, saluabuntur, non ex operibus iustitiæ, quæ fecerunt habitatores, sed quia ibi deserta latissima sunt; & cauernæ montium, ad quæ sancti fugientes abscondentur à persecutione Antichristi. *Hebr.*11.In solitudinibus errantes, in montibus, & in cauernis terræ. Antiochus etiam contra Ptolemæum festinans, Idumæos, & Ammonitas, & Moabitas, qui ex latere Iudææ erant, non tetigit, ne occupatus alio prælio, aduersarium redderet fortiorem.

42. *Et mittet manum suam*, hoc est, potestatem suam, *in terras*, vt scilicet opprimat eas, & subiiciat. *Isa.* 10. Glorians dicit: Sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui. *Et terra Ægypti non effugiet*: illam enim primo subiiciet. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum. *Manus pro potentia.*

43. *Et dominabitur thesauroum auri, & argenti*, vt scilicet diuitiis ornat, quos verbo & potestate subiicere non poterit. *Baruch.* 3. Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines: & non est finis acquisitionis eorum. *Et in omnibus pretiosis Ægypti*, supple, dominabitur. *Iob.* 28. Omne pretiosum vidit oculus eius. *Per Libyam quoque*, quam Africa dicunt, *& Æthiopiam transibit*, subiiciens vtramque: Ægyptus enim, & Lybia, & Æthiopia per tria cornua significantur, de quibus supra septimo capite dictum est. Ecce cornu aliud paruum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis, euulsa sunt à facie eius. A transitu autem isto quid eum retrahat, subiungit.

44. *Et fama*, supple, bellorum, *turbabit eum*, hoc est, retrahet ne transitum per terras continuare possit, *ab Oriente, & ab Aquilone.* Multi enim insurgent contra eum. *Psal.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? *Et veniet*, contra illos scilicet, *in multitudine magnâ*, Antichristus scilicet. *Psal.* 3. Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? *Vt conterai*, in bonis, *& interficiat*, in corpore, *plurimos*: hoc enim permittit Dominus. *Abac.* 1. Semper interficere gentes non cessat. Et subiungit processum eius.

45. *Et figet tabernaculum suum Apedno.* Puto, quòd Apedno non est proprium nomen, sed nomen Hebræum compositum, & interpretatur solij sui: & est sensus, Tabernaculum regale, in quo vt rex in solio sedebit, hic figet. *Inter maria*, mare scilicet mortuum ab Oriente, & mare magnum ab Occidente, vt scilicet vbi Christus prædicauit, ipse rex sedeat: & hoc est quod dicit. *Super montem inclytum & sanctum*: vt enim dicit *Hieron.* Montana Iudææ à mari mortuo incipiunt, & in illis montibus sicut in terrâ suæ prouinciæ, primo sicut rex sedebit, vt impleatur quod dicitur *Eccle.* 10. Positum stultum in dignitate sublimi. *Et veniet vsque ad summitatem eius*, hoc est, vsque ad montem Olineti, vbi Saluator ascendit ad cœlum. Vadè glorians dicit. *Isa.* 37. In multitudine quadrigarum mearum, ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani. Hic enim est mons sanctus & inclytus, quem Dominus suâ ascensione sanctificauit: vnde audaciam admirans *Psal.* 23. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Vadè subdit. *Et nemo auxiliabitur ei.* Tunc enim irascetur ei Dominus, & in eodem loco peribit. 2. ad *Thessal.* 2. Quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui. *Isa.*11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium. *Apedno quid.*

CAPVT XII.

1. IN *tempore autem illo.* Hic tangit finem omnium præhabitorũ, in iudicio & gloriâ resurgentium. Diuiditur autem in duas partes, prima parte tangit liberationem & tationem, in secunda parte mensuram temporis vltimæ persecutionis, ibi, *Et vidi ego Daniel.* Adhuc in prima duo sunt, tenelatio scilicet resurrectionis, & præceptum de clausura visionis, ibi, *Tu autem Daniel.* In prima harum quatuor sunt paragraphi: in primo enim describitur Angelicum adiutorium, in secundo tribulatio sanctorum, in

tertio resurrectiô mortuorum, in quarto dispar claritas sanctorum. Dicit ergo.

In tempore illo, vltimæ scilicet propitiationis, *consurget*, paratus scilicet ad adiutorium, *Michaël princeps*, scilicet propitiationis, *magnus. Isa.* 32. Princeps ea quæ sunt digna principe, cogitabit, & iple super duces stabit. Et ideò magnus dicitur. *Qui stat pro filiis populi tui*, vt saluentur scilicet. *Dan.* 10. Nemo est adiutor meus nisi Michaël princeps vester. Et subdit de tribulatione. *Et veniet tempus quale non fuit*, tribulationis scilicet, *ex quo gentes esse cœperunt*, hoc est, à principio mundi, *vsque ad tempus illud*, cuius causa dicitur esse, quod tres persecutiones passa est Ecclesia, primo à tyrannis, qui occiderunt corpus, secundò ab hæreticis, qui peruertunt fidem, tertiò à falsis fratribus, qui mores subuertunt: illa autem vltima conflabitur ab omnibus his. *Matth.* 24. Erit enim tũc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet. *Et in tempore illo*, hoc est, post tempus illud, *saluabitur populus tuus*, Iudæorum scilicet. *Isa.* 10. Si fuerit numerus filiorum Israël, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Tunc enim videntes se esse deceptos in Antichristo, omnes conuertentur ad fidem: & hoc est quod sequitur. *Omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro*, Dei scilicet: scripti autem sunt in libro, de quibus præordinauit Deus, vt daret gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. *Act.* 13. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam. *Psal.* 138. In libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur. Et subdit tertium paragraphum de resurrectione: & hoc est.

Tres persecutiones passa est Ecclesia.

2. *Et multi*, non omnes scilicet, *de his qui dormiunt in terræ puluere.* Mortui dicuntur dormire, quia vitâ occultâ viuunt sicut dormiens, quidem in pœnis, quidam autem in gloriâ. *Isa.* 26. Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere. Et hoc est. *Euigilabunt*, scilicet ad manifestam vitam in corpore, & animam demonstrandam. *Iob* 14. Donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec consurget de somno suo. Quando ergo atteretur cœlum, euigilabit. Et diuidit inter mortuos, subdens. *Alij in vitam æternam*, boni scilicet & electi, *& alij in opprobrium* confusionis æternæ, *vt videant semper*, in pœnis scilicet & videndo patiantur, quia vt dicit *Gregor.* Hoc est eis in igne ardere, quod est ignem videre. *Matth.* 25. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Et subdit de disparitate sanctorum.

Quare mortui dicuntur dormire.

Mat. 4. dialog. c. 29. Ignis ex ipso patitur damnatus, quod videt.

3. *Qui autem docti fuerint*, intus scilicet à Deo, per deuotionem, sicut simplices sancti, de quibus dicitur *Ioan.* 6. Erunt omnes docibiles Dei. *Fulgebunt quasi splendor firmamenti*, qui splendor tenuis est, & non condensati luminis, de quibus dicitur. *Philip.* 3. Nostra conuersatio in cœlis est. *Psal.* 18. Cœli enarrant gloriam Dei. *Et qui ad iustitiam erudiunt multos. Hieron.* Magistri scilicet aliorum, non tantummodo prædicando, sed & scriptis confirmando. *Quasi stellæ in perpetuas æternitates*, supple, fulgebunt: illi enim sunt quasi vasa luminis, vndique perfundentia lumen. *Baruch.* 3. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Quod autem dicit, *perpetuas æternitates*, sciendum quòd perpetuum est ex parte mensurati, æternitas autem ex parte durationis mensurantis: & quia multa sunt ad æternitatem pertinentia, ideò ponuntur in numero plurali.

Dedicarum Mercet.

Tu autem Daniel. Tangit hîc de significatione visionum, ne proferantur in publicum, sicut prima, secunda, tertia, quarta, in publico expositæ sunt: & hoc est. *Claude sermones, & signa librum*: sermones, ne exponas: librum autem, vt fideliter scribas. *Isa.* 29. Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati. Quare autem signari faciat librum, subdit. *Vsque ad tempus statutum*, à Deo scilicet in fine mundi, *plurimi pertransibunt*, legendo scilicet, & studendo. *Abac.* 2. Scribe visum, & explana super tabulas, vt percurrat qui legerit. *Et multiplex erit scientia.* Multiplex enim est spiritus, qui edidit eam. *Sapient.* 7. Multiplices, & multarum proprietatum sunt visiones, quibus reuelantur. *Syrac in prologo Eccles.* Non solum ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed & extraneos discentes, & scribentes doctissimos fieri. 4.

Et vidi ego Daniel. Tangit hîc de reuelatione visionis, & habet duas partes, in quarum prima describit quædam, quæ pertinent ad intellectum visionis: secunda parte tangit quæ pertinent ad dispositionem videntis, hoc est, Danielis ibi. *Tu autem Daniel vade.* In prima parte tres sunt paragraphi, in quorum primo dicit quantitatem temporis persecutionis. In secundo claudenda dicit esse quæcumque alia sunt istius visionis, ibi, *Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc?* In tertio reuelat quantitatem temporis, quod dabitur ad pœnitentiam conuersis, ibi, *Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium.* In primo duo dicuntur, scilicet descriptio reuelatorum, & descriptio reuelationis: & hoc est. *Et vidi ego Daniel*, qui scilicet mundum habui cor ad videndum. *Matth.* 5. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. *Et ecce*, in visione scilicet sensibili, *quasi duo alij stabant*, Angeli scilicet, quorum vnum dicit *Hieronym.* fuisse principem Persarum, alterum autem principem Macedonum, siue Græcorum: duo enim sunt mutuò se iuuantes. *Eccl.* 4. Si fuerint duo, fouebuntur mutuò. *Vnus hinc super ripam fluminis*, quod est Tygris, stabat, supple, & ille erat princeps Persarum, qui versus Persidem stabat in ripâ, *& alius inde ex aliâ ripâ fluminis*, princeps scilicet Græciæ, qui stabat in ripâ, quæ est contra Græciam: ripa enim significat stabilimentum immortalitatis, in quo stant Angeli, fluxus in medio descensum nostræ mortalitatis. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram. 5.

Et dixi viro, qui indutus erat lineis, qui textus erat, & creditur, quod fuerit Gabriel, qui missus ad Prophetæ instructionem fuit. *Eccle.* 4. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Descriptis reuelatoribus, tangit reuelationis inquisitionem. *Qui stabat super aquas fluminis*, tanquam subiiciens huius vitæ mortalitatem: ab immortalibus enim scientia eorum requirenda est. Hoc significatum est. *Ioan.* 21. vbi Dominus resurgens stabit in litore. *Vsquequo finis horum mirabilium?* hoc est, vsque ad quantum tempus finietur 6.

finientur hæc mirabilia, de Antichristi persecutione. *Psal.* 12. Quamdiù ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem.

7. *Et audiui virum*, excellentiorem aliis scilicet. *Iob* 1. Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. *Qui erat indutus lineis.* Linum candidum est, & lumini simile. *Psal.* 105. Indutus lumine sicut vestimento. *Qui stabat super aquas fluminis*, altior scilicet mortalitate vitæ huius: propter quod *Dan.* 4. Vigiles dicuntur, qui fumis huius mundi non deprimuntur. *Cum eleuasset dexteram*, quæ dispositionem æternorum significat, *& sinistram suam*, sinistra significat dispositionem temporalium, *in cœlum*, quæ in cœlum eleuatur, quoniam tempora secundum cœlestia disponuntur. *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cœli, & rationem eius pones in terra? *Et iurasse per viuentem in æternum*, hoc est, immobili veritate confirmasset. *Psal.* 116. In æternum Domine permanet veritas tua. *Quia in tempus*, vnius scilicet anni, *& tempora*, duorum annorum scilicet: Hebraicè enim hæc habent numerum dualem, qui duos annos significat: *& dimidium temporis*, hoc est, dimidium annum, ita vt pars pro toto ponatur. Hoc significatum est *Apoc.* 12. vbi mulier quæ significat Ecclesiam, à facie draconis fugit in desertum, vt alatur ibi per tempus, & tempora, & dimidium temporis, tamdiù scilicet durabit Antichristi persecutio. *Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti*, hoc est, fortitudinis sanctorum per Antichristum, qui omnem fortitudinem sanctorum disperdet, exagitando illos scilicet in desertum, sicut prædixit Dominus. *Matth.* 10. Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. *Complebuntur vniuersa hæc*, hoc est, vsque ad id tempus erunt completa omnia. *Tob. vlt.* Non excidit verbum Domini. *Matth.* 5. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. *Et ego audiui*, bella scilicet & persecutionem futurum, *& non intellexi*, per singulas scilicet circumstantias prouinciarum, locorum, temporum, & negotiorum. *Isa.* 6. Audite audientes, & nolite intelligere: videte visionem, & nolite cognoscere.

Angeli cur dicuntur vigiles.

8. *Et dixi.* Secundus paragraphus, in quo fit inquisitio de tempore post persecutionem. *Domine mi, quid erit post hæc?* Diligenter inquirit, vt formam det discendi. *Ezech.* 6. Si videris lupum, euigila ad eum, & gladio occidens illum eructat pestuus.

9. *Et ait*, Angelus scilicet, *vade Daniel*, vbi voluerit carnis, vt dicit *Gloss.*, & hoc est, ire ad partes, tritura enim est vita nostra: propter quod 1. ad *Corinth.* 9. dicitur cursus. Omnes quidem currunt, sed vnus accipit bravium. *Quia clausi sunt*, ad depente vtam scilicet ad futurum, *signatique sermones*, per obscuritatem allegoriarum. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per speculum, in ænigmate. *Iob* 3. Vire, cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris. *Vsque ad præfinitum tempus*, supple, quo in effectu complebuntur: sicut enim dicitur *Eccle.* 3. Omnia tempus habent. Et tangit profectum sanctorum ex tribulatione.

10. *Eligentur*, à Deo, *& dealbabuntur*, vt scilicet maculas peccati non habeant. *Apoc.* 14. Sine macula sunt ante thronum Dei. *Et quasi igne probabuntur multi*, hoc est, quasi per ignem tribulationis scilicet. 1. ad *Corinth.* 3. Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. *Et impiè agent impij*, obstinati scilicet. *Apoc.* 22. Qui in sordibus est, sordescat adhuc. 1. *Reg.* 24. Ab impiis egredietur impietas. *Neque intelligent omnes impij. Sap.* 2. Extruerunt, excæcauit enim eos malitia eorum. *Psal.* 35. Noluit intelligere, vt bene ageret. *Porrò docti*, à Deo, supple, *intelligent.* 3. *Reg.* 3. Dabo seruo tuo cor docile. *Luc.* 24. Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Et subiungit de tribulatione temporis persecutionis, & de diebus qui durabunt post mortem Antichristi in pœnitentia: & hoc est.

11. *Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium*, ab Ecclesia scilicet in diuinis laudibus, & cultu, de quo dicitur. *Hebr. vlt.* Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo. *Psal.* 118. Septies in die laudem dixi tibi. *Et posita fuerit abominatio in desolationem*, hoc est, abominandum idolum Antichristi, qui causa desolationis est. *Matth.* 24. Cum videritis abominationem stantem in loco sancto, qui legit intelligat. *Dies mille ducenti nonaginta*, supple, erunt, hoc est, tres anni, & dimidius, sicut dictum ante dictum est, tamen non durabit Antichristi persecutio, sicut durauit Christi prædicatio, in omnibus enim volet se conformare Christo, vnde *Isa.* 14. dicit, Similis ero Altissimo. Et subdit de tempore pœnitentiæ addito ad illud.

12. *Beatus qui expectat. Tunc*, 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. *Psal.* 26. Expecta Dominum, viriliter age. *Et perueniet ad dies mille trecentos tricinta quinque*, qui ad superiùs dictos, 1290. 45. habent additos, qui tendunt ad abolitionem Antichristi dabuntur in pœnitentiam, eo quod Deus nullum perire vult. 1. ad *Tim.* 2. Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui venire. Et subdit de dispositione Prophetæ.

13. *Tu autem Daniel vade*, transeundo scilicet ab hac vita. *Hebr.* 13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futurum inquirimus. *Et requiescas*, ipso scilicet cum patribus. *Apoc.* 14. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. *Et stabis in sorte tua*, hoc est, in sorte beatitudinis, quæ vobis debetur loco præmij. *Psal.* 15. Funes cecciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. *Psal.* 121. Propter fratres meos, & proximos meos. *In fine dierum*, hoc est, in temporibus nouissimis, quando consummabitur mundus. *Gen.* 6. Finis vniuersæ carnis venit coram me.

CAPVT XIII.

1. *Erat vir habitans in Babylone.* Post Danielem, subiungitur hic historia Susannæ, & historia Belis, quas *Hieron.* dicit, non à Daniele Propheta, sed ab alio Daniele sacerdote quodam esse descriptas. Dicit enim, quòd 70. ac habent. Homo quidam erat sacerdos, cui nomen Daniel, filius Aldai, conuiua regis. Et postea sequitur, quod hîc habetur. Et erat vir in Babylone, &c. quod Theodotion transtulit in Græcum, & de

Græco posteà translatum est in Latinum. Ista autem historia de Susanna diuiditur in tres partes. In prima ponuntur ea quæ ad Susannæ condemnationem pertinent: secundo quæ ad liberationem, ibi, *Cum duceretur ad mortem.* Tertiò quæ faciunt ad pessimorum vindicationem, ibi, *Et consurrexerunt aduersus duos presbyteros.* In prima sex dicuntur; scilicet accusatæ descriptio, accusantium malitiosa conuentio, ibi, *Et constituti sunt.* Accusationis confictio, ibi, *Factum est, cum obseruarent diem aptum.* Accusandæ ad crimen inductio, ibi, *Cum autem essent egressi puellæ.* Innocentis ad crimen diffensio, ibi, ingemuit Susanna. Et accusationis in iudicio propositio, ibi, *Et facta est dies crastina.* In prima parte describitur accusanda ab habitatione, & viri honestate, à nomine, & parentis dignitate, & à pulchritudine, & à veritate: & hoc est. *Erat vir.* Benè vir, nec prosperis eleuatus, nec aduersis depressus. *Gregor.* Vir est, qui contra biformes fortunæ insultus vniformi constantiâ mentis militis præmunitus est. Hic est vir magnùs, de quo *Iob.* 1. Erat vir ille magnus inter Orientales. *Bernard. ad Eugenium*: Magnus est qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientia. Nec mirror, cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Et subdit de habitatione. *In Babylone*, vt habitando inter peruersos, virtus illius probaretur. 2. *Pet.* 2. Aspectu, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. *Et nomen eius Ioachim*, qui interpretatur præparatus Domino, vel resurrectio Domini: quia semper obsequiis Domini erat paratus, dicens cum *Psal.* 118. Paratus sum, & non sum turbatus. Et iterum 107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. *Matth.* 25. Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.

Lib. 3. de consideratione cap. 12.

Magnus est qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientia.

2. *Et accepit vxorem*, vxorio scilicet affectu coniunctam, de quâ dicitur *Eccl.* 26. Mulieris bonæ beatus vir, numerus annorum illorum duplex. *Nomine Susannam*, quæ obtegens lilij interpretatur, eò quod constanter obtinuit castitatem etiam inter corruptores. *Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Eccli.* 26. Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata: omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. *Filiam Helciæ*, qui pars Domini, vel vendicatus Domino interpretatur, eò quod nihil in cœlo, vel in terrâ obtinere voluit nisi Deum. *Thren.* 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea. *Num.* 18. Ego Dominus ero pars eorum. *Pulchram nimis*, corpore quidem, sed tamen pulchrior erat moribus. *Iudith.* 10. Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat. *Psal.* 44. Specie tuâ, & pulchritudine tua intende prosperè, procede, & regna. *Et timentem Deum.* Commendat hîc ad gratiam in interioribus primo, & posteà in exterioribus: in interioribus dupliciter, scilicet secundum recessum à malo, & secundum ordinem ad bonum: & hoc est. *Timentem Deum.* Timor enim Domini facit fugere omne malum, vt dicit *August. Eccli* 2. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. *Prouerb. vlt.* Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Et subiungit de ordine ad bonum.

Susanna id est quod obtentum lilij.

Parentes enim illius, qui scilicet affectu, & debito naturæ tenebantur ei. *Eccli.* 44. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros. *Cum essent iusti*, generali scilicet & omni iustitiâ. *Luc.* 1. Erant autem iusti ambo, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querelâ. *Erudierunt filiam suam.* Eruditio morum disciplina est. *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos. *Deuter.* 32. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi. *Secundum legem Moysi*, in omni ordine ad bonum. *Eccli.* 24. Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum. *Psal.* 118. Lex Domini immaculata conuertens animas. Et subiungit de gratiâ in exterioribus, scilicet in diuitiis, in amœnitate habitationis, in sapientiæ consiliis, & honore virtutis: & hoc est. 3.

Erat autem Ioachim diues valde: quia in bonis diuitiæ sunt instrumenta virtutis. *Eccli.* 44. Homines diuites, in virtute pulchritudinis studium habentes, sicut dicitur de Abraham. *Genes.* 13. Erat quippè substantia eorum multa. 1. ad *Corinth.* 1. In omnibus diuites facti estis in illo. *Et erat ei pomarium vicinum domui sue*, propter amœnitatem scilicet: vnde Philosophus in 4. Ethic. dicit, quòd magnificum decet habitatio pulcherrima. Exteriori enim pulchritudine arborum, recordatio fit spiritualium arborum, in exemplis sanctorum. *Genes.* 2. Plantauit Dominus Deus paradisum voluptatis à principio. *Et ad ipsum confluebant Iudæi*, gratiâ consilij scilicet: quia sapientiâ præditus prudenter consulit. *Eccli.* 6. Si videris sentatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Eò quòd esset honorabilior omnium.* Dicit Philosophus in 1. Ethic. quòd honor est præmium virtutis. Est enim honor exhibitio reuerentiæ, in testimonium virtutis. *Eccli.* 24. Flores mei, fructus honoris & honestatis. *Et constituti sunt.* Describit hîc accusantium malitiosam, ab habitu inueteratæ consuetudinis, ab vsu auctoritatis, ab opportunitate sæpè obiecti concupiscibilis, ab obstinatione peruersitatis, ab obseruatione insidiosâ mulieris, à mutuo consensu facinoris: & hoc est.

Cap. 2. Magnificum decet habitatio pulcherrima.

Et constituti sunt, in irâ Domini permittentis, *duo senes iudices in anno illo. Iob.* 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Senes autem dicuntur, non à canitie mentis, sed à corruptelâ antiquæ vetustatis. *Isa.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit. Iudices autem dicuntur à calumnia violenti iudicij, non à rectitudine. *Isa.* 1. Principes tui, socij furum. *Isa.* 5. Væ qui iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo. *In anno illo*, dicit, quia consuetudo erat eis annuos iudices ponere, ne confirmari in potestate superbirent. Simile. *Iosue.* 11. Cum esset pontifex anni illius. *Sap.* 6. Cum esseris ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ. *De quibus locutus est Dominus. Neemia* 9. Manus magistratum [illegible] in transgressione hac prima, [illegible] multitudinem lætificauit Regem, & in [illegible] principes: & hoc est. *Quia egressa est iniquitas*, per malum scilicet exemplum, *à Babylone*, hoc est, ab iis, qui in Babylone habitant, *à senioribus iudicibus*, ætate, & non moribus, *qui videbantur regere populum.* Quamuis

uis in veritate peruerterint, & non rexerint: idola enim fuerunt iudicum, & non iudices. *Zach.* 11. O pastor, & idolum derelinquens gregem. *Hieromy.* Dicebat Hebræus quidam hos fuisse Achab, & Sedechiam, de quibus dicitur *Ierem.* 29. Ponat te Dominus sicut Sedechiam, & sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, pro eo, quod fecerint stultitiam in Israël, & mœchati sunt in vxores amicorum suorum. Et subdit de abusu auctoritatis.

6. *Isti frequentabant domum Ioachim*: eò quod in domo eius fiebant iudicia, propter abundantiam consilij, & propter loci amœnitatem. Istos tamen traxit, & concupiscentia, & auaritia: imitatores fuerunt meretricis, de quâ dicitur *Prou.* 7. Garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. *Et veniebant ad eos*, supple, sicut ad iudices. *Omnes qui habebant iudicia*, hoc est, causas diiudicandas. *Deuteron.* 25. Si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quod iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt, quem impium condemnabunt. Et subdit de facti opportunitate.

Cum autem populus reuertisset per Meridiem.

7. *Vsque ad Meridiem apud Iudæos causa discepta bantur.*

Vsque ad Meridiem est tempus iudiciorum, lobriis sensibus existentibus: vnde ad Meridiem peracto iudicio, populus ad propria reuertebatur: & tunc solitarium remansit pomarium, & erat opportunitas Susannæ deambulandi in eo. Deambulatio excitat calorem, & euentat corpusculum, vt dicit *Hieronym.* & hoc est. Ingrediebatur Susanna, non egrediebatur ad plateas, sed intra clausuras viri. *Et deambulabat in pomario viri sui*, non sicut Dina discurrens per regionem. *Genes.* 34. & ideò corrupta est, & multorum homicidiorum extitit causa. Et exempli Dei imitatrix fuit. *Genes.* 3. Cum deambularet Dominus ad auram, post Meridiem.

8. *Et videbant eam senores*: non enim fecerunt consilium Dauid: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Et quod dicit *Iob* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine. *Quotidie ingredientem*: multiplicatus enim visus signum est magnæ concupiscentiæ. *Augustin.* Oculus vester etsi iaciatur in aliquam fœminarum, in nullam figatur. *Et deambulantem*: ipsa enim decentia morus, & status magis incitabat ad libidinem. *Hieronym.* Non licet intueri, quod non licet concupiscere. *Et exarserunt in concupiscentiam eius*: concupiscentia enim fornicationis ignis est. *Iob* 31. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia genimina.

9. *Et euerterunt sensum suum.* Tangitur hîc de pertinaciâ peruersitatis. Euersio est à recto ordine peruersio, & est à recto ordine. *Baruch* 3. Auersi fuerunt sensus vestri vt recederetis à Deo. *Et declinauerunt oculos suos*, qui in cœlum eleuati esse debuerant. *Thren.* 5. Leuemus corda nostra cum manibus in cœlum. *Psal.* 16. Statuerunt oculos suos declinare in terram, hoc est, ad terrena concupiscenda. *Et non viderent cœlum*, hoc est, cœlestia. Contra quod dicitur *Genes.* 15. Suspice cœlum, & numera stellas si potes. *Ouidius* 1. Metamorphoseos.

Oculos declinare ad terrâ quid.

Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Neque recordarentur iudiciorum iustorum, quamuis scilicet essent iudices. *Hieron.* Iudiciorum iustorum, siue Dei, siue honestatis, siue naturæ, quæ omnibus ad bonum insita sunt. *Psal.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Homo enim lumine diuino iudicium rationis habet, à quo recta iudicat.

Erant ergo ambo vulnerati amore eius. *Amphylus*: 10.

Vulneror, & clausum porto sub pectore telum.

Nec indicauerunt sibi inuicem dolorem suum: nolebant enim confiteri quod pessimum est. *Iob* 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Et subungit causam.

Erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam. Concupiscentia enim carnalis erubescibilis est. *Ierem.* 31. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Volentes concumbere cum eâ. Matth.* 5. Qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. 11.

Et obseruabant quotidiè, concupiscentiâ scilicet instigante, *sollicitiùs videre eam*: visus enim nutrit concupiscentiam. *Thren.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam, ab cunctis filiabus vrbis meæ. 12.

Dixiqueque alter ad alterum. Gennadius: Oculum esse ad alterum de concupiscentiâ aperitus fornicationis indicium est. *Eamus domum, quia hora prandij est.* Non dicunt, quia concupiscibile se subducit, sed aliam fingentes occasionem concupiscentiam abscondunt. *Eccli.* 47. Inclinasti femora tua mulieribus, dedisti maculam in gloriâ tuâ. *Et egressi*, supple, de horto *recesserunt à se.* Bene dicit recesserunt: quia mali semper dissident. *Matth.* 12. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. 13.

Mali semper dissident.

Cumque reuertissent, concupiscentiâ, supple, cogente. 2. *Pet.* 3. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. *Venerunt in vnum*, hoc est, mali consilium. *Psal.* 2. Conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Et sciscitantes abinuicem causam*, supple, conuentus in vnum, *confessi sunt concupiscentiam suam*, supple, fuisse causam. *Genes.* 49. Effusus es sicut aqua, non crescas. Fornicator enim omnibus effundit concupiscentiam suam. *Et tunc in commune statuerunt tempus*, vt scilicet non tantum adulteram, sed etiam communem facerent, more Nicolaitarum, qui communes dicebant esse mulieres. *Apocal.* 2. Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. *Quando eam possent inuenire solam*, vt scilicet non iam precibus vincerent, sed vi opprimerent. *Gen.* 34 Vi opprimens virginem, tristemque deliniuit blanditiis. Quod tamen peccatum Dominus dicit esse plectendum morte. *Exod.* 22. *Factum est autem.* Tangitur hîc insidiosa obseruatio, & opportunitas quâ deprehendi posset: & dicuntur tria, obseruatio, aggressio, & ad peccatum inductio: & hoc est. 14.

Nicolaitarum hæresis.

Factum est autem, supple, per negotij opportunitatem, *cum obseruarent diem aptum*, ad scelus scilicet perpetrandum. *Psal.* 29. Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca suâ. *Ingressa est*, supple, Susanna, *aliquando*, hoc est, hora 15.

apta,

apta, *sicut heri*, *& nudiusterciu*, hoc est, sicut consuetum erat ei, licitum enim erat opus, & necessarium sæpè, *cum duabus solis puellis*, iuuantibus scilicet ad necessitates corporis, sicut *Esther* 14. duabus vtebatur puellis, & cum vna deesset negotiis opportunis, altera ministraret. *Prouerb.*18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Puellas autem sui sexus accepit, coram quibus denudata non verecundaretur: lauanda enim corpora denudanda necesse est: & hoc est. *Voluitque lauari in pomario. August.* Balneum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Et subiungit necessitatem. *Æstus quippè erat*, quando scilicet laxantur corpora in sudores, à quibus necesse est emundari per ablutionem. *Aug. super* 1. ad *Cor.* 10. Placet sanctis Angelis munditia corporalis.

Placet sanctis munditia corporalis.

16. *Et non erat ibi quisquam.* Hoc dicit propter opportunitatem. *Præter duos senes absconditos*, qui scilicet ad peccatum insidiabantur. *Eccli.*23. Dicit peccator, quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes operiunt me; & nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. *Et contemplantes eam. August.* Nec decatis vos habere animos pudicos, cum habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.

17. *Smigma quid.*

Dixit ergo puellis, Susanna scilicet, *afferte mihi oleum, & smigmata*: oleum, quo exhilaretur pellis, illuminatiuum enim est, *& smigmata*, hoc est, vnguenta, quibus restringantur sudores: nec ista vituperabilia sunt, quoniam interiori fragrantiæ attestantur. *Cant.*1. Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis, hoc est, vbera tua lota vino meliora sunt, quia per vinum sordes vberum mundantur, & vnguentis sudores restringentibus suauitatem odoris recipiunt. *Et ostia pomarij claudite*, propter verecundiam muliebris sexus. *Cant.*4. Hortus conclusus, fons signatus. *Vt lauer*, ad corporis munditiam. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

18. *Et fecerunt sicut præceperat*, ancillæ scilicet. *Psal.*122. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. *Gen.*16. Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius. *Clauserunque ostia pomarij*, ne visibus pateret stultorũ: clausas enim esse decet fœminas. *Prou.*5. Habeto eam solus, & non sint alieni participes tui. *Et egressæ sunt per posticũ*, puellæ scilicet. Posticus vocatur paruus transitus, vbi non nisi familiares transeunt, vt afferret quod iusserat, quæ necessaria erant ad corporis emundationem: horum enim matronã non decet obliuisci. *Ier.*2. Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, & sponsa fasciæ pectoralis suæ? *Nesciebantque senes*, Susanna scilicet, *intus esse absconditos.* Simile in *Psal.*72. Ad nihilum redactus sum, & nesciui.

19. *In vrna Iesu.*

Cum autem essent egressæ puellæ, à quibus scilicet contra senes defendi poterat. *Eccli.vlt.* Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. *Surrexerunt duo senes*, de latibulis scilicet. *Ier.*3. In viis sedebas, expectans eos quasi latro. *Et accurrerunt ad eam*, impetu scilicet concupiscentiæ, quæ præceps est, & ad insaniam conuertit: vnde *Homerus*, & inducitur ab *Arist. in* 7. *Ethic.* Doli complicatrix venus, furata est mentem valdè sapientum. *Ierem.*5. Equi amatores in fœminas, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. *Et dixerunt*, quasi leones scilicet inuitantes:

Ecce ostia pomarij clausa sunt, vt scilicet subitò nullus aduenire possit, *& nemo nos videt.* Et ideò non accusabimur. *Iob* 24. Oculus adulteri obseruat caliginem dicens, Non me videbit oculus. *Ioan.* 5. Qui malè agit, odit lucem. *Et in concupiscentiæ tuã sumus.* Bene dicunt, in concupiscentia, vt toti scilicet capti sint libidine. *Aug.* Etiamsi lateat, & à nullo hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? *Quamobrem assentire nobis.* Antiqua Grammatica: apud antiquos enim, assentior, & consentior, verba erant deponentis generis. *Et commiscere nobiscum.* Consensum quærunt: quia coitus in non consentiente, sed oppressa minus delectabilis est. *Prou.*1. Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Subiungit etiam aculeum timoris, vt efficacius persuadeant: & hoc est.

20.

21. *Quod si nolueris*, sicut Anna. *Tob.*3. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. *Dicemus contra te testimonium*, supple, falsum. Contra quod dicitur *Exod.*20. Non loqueris contra proximum tuum, falsum testimonium. *Quod fuerit scilicet iuuenis*, in concubitu scilicet, & sic eris accusanda vt adultera, quæ secundum legem lapidabatur, sicut præcipitur *Leuit.*20. *Et ob hanc causam emisisti puellas à te*, vt scilicet sola cum illo iuuene concumberes. *Sap.*10. Mendaces ostendit, qui maculauerunt eam. *Isa.*32. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites. Et subiungitur de gemitu innocentis.

22. *Ingemuit Susanna*, hoc est, intus ex profundo gemuit, horrore quidem mortis gemuit, quod naturale est, sed horrore etiam opprobrij, quod illi minabantur, intus gemuit. *Psal.* 6. Laboraui in gemitu meo. *Et ait: Angustia mihi sunt vndique*, in corpore scilicet & anima, & honori hactenus conseruato, & famæ. *Baruch.*3. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te Domine. 2. *Reg. vlt.* Coarctor nimis. Et subiungit causam angustiæ. *Si enim hoc egero*, scilicet quod vultis facimus, *mors mihi est. Hieron.* Quoties peccamus, morimur: quoties benefacimus, viuimus. *Rom.* 6. Stipendia peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna. *Si autem non egero*, vobis scilicet, non consentiens, *non effugiam manus vestras*, hoc est, iniquam potestatem. *Thren.* 1. Dedit me in manu de qua non potero surgere. *Prouerb.*1. Pedes illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant innoxium sanguinem.

Quoties peccamus morimur.

23. *Sed melius est mihi. Hieron.* In Græco non habetur melius, sed bonum, elegantèr, ne comparatione peccantium videretur dicere bonum. *Absque opere*, hoc est, peccato, *incidere in manus hominum*, puniendam scilicet, *quam peccare in conspectu Dei. Glossa:* Qui omnia nuda sunt. *Hebr.*4. Omnia nuda sunt, & aperta oculis eius, ad quem vobis sermo.

24. *Et exclamauit voce magnâ Susanna*, hoc est, clamore alto, & longè audito, & voce magnæ virtutis clamauit. Vnde. *Hieron.* Non in ærisperculsione, sed in pudicitiæ magnitudine. *Psal.* 17. Clamor meus in conspectu eius, introuit in aures eius. Hic dicit *Hieron.* quòd vix inuenitur, quòd vox peccatoris in scripturis magna legatur. *Exclamauerunt autem & senes aduersus eam.* Aduersus eam dicit, quia in eius infamiam clamauerunt. Contentiosorum enim mos est, clamore velle vincere. Dicit enim *Ambros. super epist. ad Rom.* 1. Contentio est impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris.

Contentio est impugnatio veritatis cũ confidentia clamoris.

25. *Et cucurrit vnus*, supple, de senioribus, *& aperuit ostium pomarij*, tanquam per id euasisset iuuenis, quem deprehendissent cum illâ. *Psal.*51. Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum. Et sequitur de accursu familiæ ad clamorẽ, & infamiã: & hoc est.

26. *Cum ergo audissent clamorem familiæ domus in pomario* humanum enim est oppresso ferre adiutorium, *irruerunt per posticum*, posticus enim fuit versus domum, per quem introirum habebant familiares, *vt viderent quidnam esset*: & in hoc notatur familiæ discretio, quia prius videre voluerunt, antequam aliquid facerent. *Philo.* Bonum est bonam habere familiam, *Rom.*12. Rationabile obsequium vestrum. Et sequitur de infamia, quam respersérunt.

27. *Postquam autem senes locuti sunt*, infamiam scilicet. *Prou.* 26, Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. *Erubuerunt serui vehementer.* Et hoc ipsum boni signum est, erubescere de infamiã. *Ier.*31. Confusus sum, & erubui, sustinui opprobriũ adolescentiæ meæ. *Quia nunquam dictus fuerat. Glossa:* Necdum factus, *sermo huiusmodi de Susanna.* Quin potius fama erat honoris, & honestatis. *Prou. vlt.* Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. *Et facta est dies crastina.* Hic tangitur de accusatione in iudicio. Et tanguntur quinque, scilicet populi ad iudicium conuocatio, accusationis testificatio, innocentis condemnatio, accusandæ vocatio, condemnatæ ad Deum oratio: & hoc est. *Et factu est dies crastina*, per quam obseruant tempus vespertinum, quo nequitiam peragerent in tenebris. *Prou.*7. Considero vecordem iuuenem, qui transit per plateas, iuxta angulum, & propè viam domus mulieris graditur, in obscuro aduesperascente die, in noctis tenebris & caligine.

28. *Cumque. Glossa:* De more. *Venisset populus ad virum eius*, hoc est, Susannæ, *Ioachim*: iudicium enim publicum, coram multitudine fieri debet, & nemo debet condemnari in angulo. 1. ad *Timot.* 5. Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. *Venerunt, & duo presbyteri*, hoc est, senes: in Græco enim presbyter idem est quod senior Latinè, plus enim erant malitia senes, quam ætate. *Baruch.* 3. Inueterasti in terrã alienã. *Pleni iniquã cogitationem aduersus Susannam*, adeò pleni, vt nihil virtutis, vel veritatis in eis esse posset. *Act.*8. In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse. *Vt interficerent eam*, odio scilicet pudicitiæ. *Prou.*1. Festinant, vt effundant innoxium sanguinem.

29. *Et dixerunt coram populo*, tanquam cutam habentes de multitudine, cum tamen nihil pietatis haberent in corde. *Mittite ad Susannam*, vt determinatè vocetur: describit eam genere, & nisito, & hoc est, *filiam Helciæ vxorem Ioachim*, plures enim fortè erant aliæ Susannæ. *& filiam misterunt*, compulsi per præceptum Domini, *Exo.* 22. Maleficos non patiatis viuere.

30. *Et venit cum parentibus, & filiis*, vt claritatem generis extingueret infamiam, *& amicis*, qui familiariter nouerunt conuersationem eius, *& vniuersis cognatis suis*, cum quibus à teneris vnguibus fuit enutrita. *Prou. vlt.* Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius, & laudauit eam.

Porrò Susanna erat delicata nimis, hoc est, delicati corporis. *Cant.*7. Quam pulchra es charissima in deliciis. *Et pulchra specie. Hieronym.* Pulchrior moribus. *Psal.*44. Specie tuã & pulchritudine tuã.

31.

32. *At iniqui illi*, adhuc iniquitate, & concupiscentiã pleni. *Psal.*35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ. *Iusserunt vt discooperiretur.* Antiquus enim mos erat, vt rei omnibus exponerentur, propter maiorem exprobrationem. *Erat enim cooperta*, propter verecundiam scilicet ignominiæ. *Psal.* 68. Operuit confusio faciem meam. *Vt vel*, hoc est, saltem *sic satiarentur decore eius*, visu scilicet luxuriates, etsi non corpore: vnde *Hier.* adducit illud poëticũ, Extrema linea amoris est videre quod amatur, & hoc nihil est. Extremã lineã sunt pannicuili lineã camisiæ, vel pepla mulierũ corpora tangentia, cũ quibus libidinosi visu & tactu solũt immũditias exercere. *Eccli.*9. Virginem ne conspicias ne fortè scandalizeris in decore eius. Et post pauca ibidem: Propter speciem mulieris, multi perierunt. Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

33. *Flebant igitur sui*, propinqui scilicet, *& omnes qui nouerant eam*, ex famã scilicet. *Iob.*30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. *Consurgentes autem.* Tangitur hic falsi testimonij prolatio, & tangitur primo testificantium descriptio, condemnatæ contristatio, & tertio testimonij prolatio: & hoc est.

34. *Consurgentes autem*, hoc est, simul surgentes consensu malitiæ, *duo presbyteri*, vt scilicet senectute ætatis protegeretur malitia cordis, *in medio populi*, vt publicum testimonium esse probaretur, *posuerunt manus suas super caput eius*, vt scilicet pœna capitis Susannæ in eos læuiret, si mentirentur. Sic condemnatus est Naboth 3 *Reg.*21. falso testimonio prolato in eum. Sic lapidatus est Stephanus *Act.* 7. Sic condemnatus est Christus *Matth.*26. *Marc.*15. *Luc.*22. *Ioan.*18.

35. *Quæ flens suspexit ad cælum.* In cœlo enim iudex veri est. *Iob* 16. Ad Deũ stillat oculus meus. Et paulo ante: Ecce enim in cœlo est testis meus, & conscius meus in excelsis. *Fiducia enim cordis est fiduciam habens in Domino. Tullius.* Fiducia est virtus spe vincendi, omnia tolerans pericula. *Et omnia tolerem.* 37. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.

Fiducia est virtus spe vincendi omnia tolerans pericula.

36. *Et dixerunt presbyteri*, hoc est, senes. *Hebr.* 8. Quod antiquatur & senescit, propè interitum est. *Cum deambularemus in pomario soli. Glossa:* Alius ne testis requiratur, *ingressa est hæc.* Cum contempnu legendum est, hoc est, vilis, & de quã non credebatur. *Cum duabus puellis*, fortè secretorum suorum conscijs, in talibus enim aliquos oportet esse conscios facinoris. *Et clausit ostia pomarij. Glossa:* Coniecturas innectunt. *Et dimisit à se puellas*, ne scilicet testes essent facinoris: dicit enim *August.* quòd in opere carnali, parentes etiam eos quos genuerunt, nolunt testes habere.

37. *Venique ad eam adolescens*, qui ex ætate acu-

leos ſenſit libidinis : adoleſcentes enim cupidi eſſe conſueuerunt : vnde *Ouid.* A iuuene cupido credatur reddita virgo. *Qui erat abſconditus*: hoc enim peccatum perpetratur in abſcondito, & latebras quærit, vt dicit *Auguſt. & concubuit cum ea.* Et hoc eſt facinus quod infamauerunt in eâ, trãſgreſſio ſcilicet thori. *Eccl.*23. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur tranſgrediens vſque ad finem. Et concinnant mendacium.

38. *Porro nos cum eſſemus in angulo pomarij*, quaſi ad occulta conſiliorum tractanda, ſicut ſæpè conueniunt ſapientes, *videntes iniquitatem cucurrimus ad eos*, hoc eſt, vno affectu cucurrimus ad impediendũ fa inus. *Pſal.*100. Adhæſit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoſcebam. *Et vidimus eos pariter commiſceri.* Quaſi dicant, quod vidimus, de hoc teſtimonium perhibemus. *Io.in.*3. Quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur.

39. *Et illum quidem non quiuimus comprehendere.* Et ſubiungit rationem : *quæ fortior nobis erat.* Mendacium enim debile eſt, & ideò per antiphraſim dictum eſt. *Iſa.* 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, mendacio protecti ſumus. *Et aperto oſtio exiluit* : cum tamen vnus eorum oſtium aperuerit ſicut ſuprà dictum eſt. In innocentem ſæpè tranſponitur culpa nocentis : & hoc vocatur impoſtura, quando vnus refert in alium crimen proprium. *Pſal.*49. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.

40. *Hæc autem cum apprehendiſſemus*, quæ fugere non potuit, ſupple, *interrogauimus quiſnam eſſet adoleſcens*, vt ſcilicet amore veritatis, confiteretur veritatem, vt cum eâ condemnaretur. *Eccli.*4. Pro animâ tuâ, ne confundaris dicere verũ. *Et noluit indicare nobis.* Hoc dicunt, vt ex odio veritatis odioſam eam faciant. *Huius rei teſtes ſumus. Prouerb.*19. Teſtis falſus non erit impunitus. Sequitur de condemnatione innocentis: & hoc eſt.

41. *Credidit eis multitudo*, quæ ſemper, vt dicit *Chryſoſt.* ſtulto conſilio fertur : vnde & turba, quia ſemper turbata eſt, dicitur. *Quaſi ſenioribus*, ætate ſupple, *& iudicibus*, ex officio ſcilicet, *populo*, talibus enim credendum videtur eſſe: *& condemnauerunt eam ad mortem*, innocenter, ſupple, quod maximum facinus eſt : non enim aliquid poteſt inferri homini maius quam mors. 1. *Pet.* 2. Peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. *Iſa.*5. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. Et ſubiungitur de clamore condemnatæ : & hoc eſt.

42. *Exclamauit autem voce magna Suſanna. Gloſſa Hieronymi*, cordis affectu, confeſſione purâ, & conſcientiâ purâ. Hæc eſt vox magna hominibus occulta, ſed à Deo audita. 1.*Reg.*4. Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? *Et dixit*, orando ſcilicet ad Dominum : *Domine*, propter poteſtatem, *Deus*, propter omnium ſcientiam & viſionem, *æterne*, propter immutabilitatem, *qui abſconditorum es cognitor. Eccli.* 23. Oculi Domini lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum. *Qui noſti omnia antequam fiant* : per ſeipſum enim nouit, qui omnia præcedit. *Eccli.*23. Domino Deo antequam crearentur omnia ſunt agnita, ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.

Deo nihil abſconditũ.

Tu ſcis. Iob vlt. Nulla te latet cogitatio. *Quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me. Gloſſa* : Innocentem, quod mendacium perniciosum eſt, in vitam hominis vergens. *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. *Et ecce morior*, per ſententiam condemnata. *Iob* 9. Terra data eſt in manus impij, vultum iudicum eius operit. *Cum nihil horum fecerim.* Oſtendit in hoc, quod nullius particeps fuit. *Tob.* 3. Nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentiâ. *Quæ iſti malitiosè compoſuerunt*, hoc eſt, confinxerunt, *aduerſum me.* 2. ad *Timoth.*3. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. 43.

*Exauditus autem Dominus vocem eius. Ierem.*33. Clama ad me, & exaudiam te. *Gloſſa* : Cuius aures in preces iuſtorum. 44.

Cumque duceretur ad mortem. Tanguntur hîc quæ pertinent ad liberationem, & ſunt tria, iudicij ſcilicet reuocatio, teſtium diſcuſſio, ibi, *Et dixit ad eos Daniel.* Iniquitatis inuentio, ibi, *Exclamauit itaque omnis cœtus.* In primo tria dicuntur, ſcilicet inſtinctus ſancti Spiritus, & Prophetæ ad iudicium diſſenſus, & iudicium reuocandi debitus modus : & hoc eſt. *Cumque duceretur ad mortem*, Suſanna ſcilicet ad mortis ſupplicium, *ſuſcitauit Dominus Deus ſpiritum pueri iunioris. Hieronym.* Non dedit, quia iam in eo erat, ſed propter ætatis infirmitatem quieſcebat, nec opera ſua manifeſtabat : ſed occaſio data ſuſcitauit eum pro ſanctâ fœminâ. *Roman.* 8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram : nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Cui nomen Daniel.* Et ſubdit de diſſenſu ad iudicium: & hoc eſt. 45.

Et clamauit voce magnâ, vt intenſio clamoris, intenſionem ſignificet deteſtationis : *Mundus ego ſum à ſanguine huius*, hoc eſt, à reatu ſanguinis huius. *Gloſſa* : Quia diſſentio. *Prouerb.*1. Fili mi, ne ambules cum eis. 46.

Et conuerſus omnis populus dixit eum. Videtur, quòd populus tam famoſam fœminam non ex propoſito condemnauit, & ideò facilè ad iunioris vocem ſubſtitit. *Prouerb.*42. Erue eos, qui ducuntur ad mortem : & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. *Quis eſt iſte ſermo, quem tu locutus es?* hoc eſt, quid ſibi vult? 47.

Qui cum ſtaret in medio eorum, Daniel ſcilicet, *ait. Eccli.*24. In medio populi ſui gloriabitur. In medio autem ſtetit, vt ab omnibus audiri poſſet. *Sic fatui filij Iſrael*, ſupple, eſtis, hoc eſt, indiſcreti, *non iudicantes*, hoc eſt, ordinem iudicij non ſeruantes. *Deuter.*16. Iuſtè quod iuſtũm eſt, proſequeris. *Neque quod verum eſt*, ſupple, in depoſitione teſtium, *cognoſcentes*, examinando ſcilicet teſtes, & dicta eorum, *condemnaſtis*, ſupple, iuſtè, *filiam Iſrael. Sapient.6.* Nõ rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Filia autem dicitur Iſraël, eò quod tanti patris fuerit imitatrix. Et ſubdit de reuocatione ad iudicium. 48.

Cur Suſanna dicitur filia Iſraël.

Reuertimini, ergo, ſupple, *ad iudicium* : error enim reuocandus eſt. Et ſubdit cauſam. *Quia falſum teſtimonium locuti ſunt*, preſbyteri ſcilicet, *aduerſus eam*, hoc eſt, aduerſus Suſannam. *Deuteron.* 19. Cum diligentiſſimè perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fatri ſuo facere cogitauit. 49.

Reuerſus

Reuerſus eſt ergo populus cum feſtinatione. Ex hoc iterum videtur, quòd non ex voluntate condemnauerant eam. *Sap.*1. Deus non fecit mortem, nec delectatur in perditione viuorum. *Et dixerunt ei ſenes*, iudices ſcilicet populi, *Veni*, per conſenſum, *& ſede*, per auctoritatem, *in medio noſtrum*, vt æqualem à te habeamus reſpectum. Sic Dominus ſtetit in medio diſcipulorum. *Ioan.* 20. Sic ſtetit in medio Doctorum *Luc.*2. *Et indica nobis*, ordinem ſcilicet iudicij. *Mich.6.* Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium. *Quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. Gloſſa* : etſi non ætatem. *Sap.* 4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.

51. *Et dixit ad eos Daniel.* Tangit teſtium diſcuſſionem, & examinationem. *Separate illos ab inuicem procul. Gloſſa* : Ne mendacium confingant ſimul, hoc eſt, nè alter ſubornetur ab altero. *Et diiudicabo eos*, hoc eſt, iudicabo ſcilicet in teſtes excipiendo, & dicta eorum diſcutiendo. *Prouerb.* 19. Teſtis falſus non erit impunitus : & qui mendacia loquitur, non effugiet.

52. *Cum ergo diuiſi eſſent alter ab altero*, vt nec nutu, nec verbo ſibi inuicem communicare poſſent, *vocauit vnũm ex eis*, ſolum ſcilicet: reditur tamen, quòd non eum vocauerit ad ſe ſolum, ſed coram duobus vel tribus iudicibus populi à quibus conuinceretur, ſi negaret. *Deuter.* 19. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbũm. *Et dixit ad eum*, primò ſcilicet obiiciendo, & excipiendo in teſtem de præteritâ vitâ, quare non poſſit eſſe teſtis idoneus: & hoc eſt. *Inueterate dierum malorum*, hoc eſt, qui à iuuentute, vſque ad veruſtam ſenectutem dies tuos in malis expendiſti. *Iſa.*65. Peccator centum annorum maledictus erit. *Iob* 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbia. *Sap.*5. In malitiâ noſtrâ conſumpti ſumus. *Nunc venerunt peccata tua.* Peccata diuntur venire, quando accumulantur ad pœnam. *Thren.*1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo. *Pſal.*37. Sicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me. *Quæ operabaris prius.* Non dicit, operatus es, quia mala voluntas operandi extenditur in præſens. *Matth.*7. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

Inueteratus dierum malorũ quis ſit.

53. *Iudicans iudicia iniuſta.* Quod non tantum peccatum eſt, ſed etiam iniuria in proximum. *Iſa.*5. Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferitis ab eo. *Innocentes opprimens.* Quod contra ſententiam Domini eſt. *Deut.* 19. vbi conſtituit Dominus ciuitates refugij, in quibus ſaluetur qui non eſt reus mortis. *Dimittens noxios.* Quod iterum contra Dominum eſt. *Deut.*19. Morietur, nec miſereberis eius, & auferes noxium ſanguinem de Iſraël. *Dicente Domino*, per Abraham ſcilicet. *Gen.*18. Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram, abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius. Et hoc eſt. *Innocentem, & iuſtum non interficies.*

54. *Nunc ergo ſi vidiſti eam.* Poſtquam excepit in teſtem, dictum teſtis examinat, & quia peccatum locale eſt, de loco facit inquiſitionem. *Dic ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi.* Vrbane dicit de coniunctione corporis : ac ſi dicat, in aliquo loco peccatum factum eſt, qui locus arbore notabili deſignabilis eſt. Deſigna ergo locum. *Qui ait*, presbyter ſcilicet, *Sub ſchino.* Arborem quam Græci ſchinon vocant, Latinè dicimus lentiſcum : & puto, quòd fuit arbor notabilis & deſiderabilis vmbræ : dicit enim *Ambr.* quòd arbor humilis eſt extenſorum ramorum in latum, & ſpiſſorum foliorum : propter quod latebras facit ſub ſe quieſcentibus.

55. *Dixit autem Daniel*, condemnans mendacium; *Rectè mentitus es in caput tuum*, hoc eſt, in pœnam capitis tui. *Pſal.*5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et quod hoc cognouerit per ſpiritum Dei, ſubdit : *Ecce enim Angelus Dei*, à Deo ſcilicet miſſus, & mihi reuelatus, *accepta ſententia ab eo*, quam ſcilicet in te protulit, *ſcindet te medium*, à nomine ſchinon, formans nomen ſupplicij mortis, quod eſt medium ſcindere. *Sap.*18. Omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cœlo, à regalibus ſedibus durus bellator in mediam exterminij terram poſiluit. *Senũ ab Angelo diſſecãdum mediũ.*

56. *Et amoto eo, iuſſit venire alium*, vt dicta ſigillatim diſcuterentur, *& dixit ei*, ſicut priori, primò contra eum excipiens in vita : ſecundò diſcutiens teſtimonium. *Semen Chanaan.* Chananæus in terra Iſraël habitauit primò, & propter peccata exterminatus eſt. *Ezech.*16. Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan. *Et non Iuda* : hoc enim benedictum ſemen eſt. *Eccli.*44. Cum ſemine eorum permanet bona hæreditas. *Species decepit te*, hoc eſt, pulchritudo mulieris *Prou.vlt.* Alia litera : Fallax imago, & vana eſt pulchritudo. *Iob* 31. Si deceptum eſt cor meum ſuper mulierem, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum. *Et concupiſcentia ſubuertit cor tuum*, hoc eſt, concupiſcentia luxuriæ, & venereorum, quæ cor ſubuertit, & inſaniam inducit. Sic patet in amore, qui heros dicitur apud medicos. *Tob.* 5. Sunt qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt deum à ſe & à ſua mente excutiant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus : & dæmonium habet poteſtatem ſuper eos. *Libido cor ſuerſit.*

57. *Sic faciebatis filiabus Iſraël*, in pretium libidinis ſcilicet conquerentes iudicium. *Thren. vlt.* Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. *Et ille timentes loquebantur vobis*, hoc eſt, commiſcebantur, ne ſcilicet morte condemnaretur à vobis. *Oſee 6.* In domo Iſraël vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim. *Sed non filia Iuda*, tanti patris imitatrix, *ſuſtinuit iniquitatem veſtram*, conſentiendo vobis ſcilicet. 1. ad *Corinth.*5. Ne commiſceamini fornicariis. *Quo artificio duo ſenes fœminas deceperint.*

58. *Nunc ergo dic mihi*, in iudicio ſcilicet vbi dictum præiudicat, *ſub quâ arbore comprehenderis eos loquentes ſibi?* Locale enim peccatum, proprio loco deſignabile eſt. *Qui ait, ſub Prino. Hier.* Prinon Græcè, Latinè eſt lex. Eſt autem arbor ſpiſſæ, & deſiderabilis vmbræ, iis qui latebras quærunt concupiſcentiæ congruens. Prinon etiam Græcè ferè ſonat ſectionem, & ab illo ſumit verbũm per ſimilitudinem, vt dicat, ſecet te medium : & hoc eſt.

59. *Dixit ei Daniel*, repellens teſtimonium. *Rectè mentitus es tu in caput tuum*, hoc eſt, in condemnationem capitis. *Ioan.*8. Cum loquetur mendacium, ex propriis loquitur, qua mendax eſt, & pater eius. *Manet enim Angelus Domini*, ſupple, expectans ad interficiendum, *gladium habens*, ſententiam ſcilicet mortis, *vt ſecet te medium. Matth.*24. Diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. *Et interficiat vos*, ambos ſcilicet. *Sap.*18. Gladius acutus in ſimulatum impium tuum, portans, ſtans repleuit omnia morte.

60. *Exclamauit itaque omnis populus*, præ gaudio ſcilicet *voce magnâ*, ſupple, in gratiarum actione. 1. *Reg.*4. Vociferatus eſt omnis Iſraël clamore grandi,

& personuit terra. *Et benedixerunt Deum.2. Mach.* 1.Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. *Qui saluas sperantes in se. Psal.*43.Saluasti enim nos ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, confudisti.

61. *Et consurrexerunt.* Tangitur hîc vindicta in impios: & dicit. *Consurrexerunt aduersus duos presbyteros:* quia simul toto corde surrexerunt. *Psal.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? *Conuicerat enim eos Daniel ex ore suo. Matth.*25. Ex ore tuo te iudico serue nequam. *Matth.*12.Ex verbis tuis condemnaberis. *Falsum dixisse testimonium. Sap.*1. Sermo obscurus in vacuum non ibit. *Fecerunteque eis*, senibus scilicet, *sicut malè egerant aduersus proximum. Isa.* 3. Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei. *Matth.* 21. Malos malè perdet.

62. *Vt facerent secundum legem Moysi.Deut.*19. Redderetur falso testi, sicut fratri suo facere cogitauit. *Et interfecerunt eos. Psal.* 100. In matutino interficiebam omnes omnes peccatores terræ. *Et saluatus est sanguis innoxius in die illa. Prou.* 11. Iustus de angustiâ liberatus est, & tradetur impius pro eo. Sequitur de gratiarum actione.

63. *Helcias autem & vxor eius*, parentes scilicet Susannæ, *laudauerunt Deum pro filia sua Susanna. Iudith.* 13. Benedicta es filia tu à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.*Cum Ioachim marito eius*,qui Deum laudauit: eò quod thorus eius non esset maculatus. *Hebr.* 13. Honorabile sit connubium,& thorus immaculatus. *Et cognatis omnibus*, quorum ipsa decus fuit. *Luc.* 15. Congratulamini mihi. *Quia non est inuenta in ea res turpis. Hieronym.*Non quia liberata est,hoc enim parum est, nec à perfectis laudabile, sed quia turpitudo peccati non est inuenta. *Eccli. vlt.* Liberasti me de altitudine ventris inferi, à linguâ coinquinatâ, & à verbo mendacij. Sequitur de congruo merito Prophetæ.

64. *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi.* Quia cognouerunt spiritum Dei esse cum ipso. 1.*Reg.*3.Cognouerunt omnes à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini. *A die illâ deinceps*, ex quo scilicet experimentaliter sciuerunt spiritum Dei esse cum ipso. *Genes.* 30. Experimento didici, quod benedixerit mihi Deus proterpte. Et subdit de continuatione.

Daniel magnum apud populum cõsequitur opinionem & nomen.

65. *Et rex Astyages*, qui Assuerus fuisse dicitur, *appositus est ad patres suos*, per mortem scilicet, *& suscepit Cyrus Perses*, scilicet auunculis Assueri, *regnum eius*, de quo dicitur. *Isa.* 45. Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam illi gentes.

66. *Erat autem Daniel*, propter spiritum Dei quem habebat, *comitiua regis. Psal.* 54. Tu verò ô homo vnanimis,dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*Et honoratus super omnes amicos eius. Esther* 6. Sic honorabitur, quemcumque rex voluerit honorare.

CAPVT XIV.

1. *ERat quoque idolum.* Tangitur hîc destructio idololatriæ,& habet duas partes, scilicet idololatriæ destructionem, & Prophetæ idololatriam destruentis in constantiâ persecutionis commendationem, ibi, *Quod cum audissent Babylonij.* Prima pars habet duas partes. Primo enim ostenditur destructio idololatriæ cœlestis, secundò destructio idololatriæ terrestris, ibi, *Et erat draco in illo loco.* Prima pars diuiditur in tres. In prima argumenta diuinitatis idoli ostenduntur, secundo falsitas accusatur: ibi,*Et ait Daniel arridens, ne erres rex.* Tertiò falsitas accusata deprehenditur,& condemnatur,ibi,*Factum est igitur,postquam egressi sunt illi.*In prima tria sunt, scilicet idoli descriptio, Prophetæ ad idololatriam inuitatio, & idololatriæ à Prophetâ refutatio, & hoc est.

Erat quoque idolum:ab εἶδος Græco,quod Latinè forma, vel figura sonat, sic dicitur, quia in imaginibus dæmon colebatur. *Psal.*95.Secundum aliam translationem, Omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. 1.ad *Corinth.* 8. Scimus quia nihil est idolum in mundo:sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. *Apud Babylonios*: à Babyloniis enim & Ægyptiis primo orta est idololatria.*Sap.*14.In idolis nationum non erit respectus. *Sap.*13.Infelices autem sunt,& inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum.*Nomine Bel*,quod vetustus interpretatur, fuit enim idolum Saturni, qui pater deorum dicitur:vndè & cætera idola, ab ipso denominantur,sicut Baal,Baalim,Beelphegor,Beelzebuth. Saturnus autem, quia altior erat, princeps deorũ dicebatur & pater,& ideò colebatur à gente, quæ aliis gentibus dominabatur: vnde Iudæi ad Dominum dicunt.*Matth.*12.*& Luc.*11.In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicis dæmonia.Sed & vsque hodie manet liber Chaldaicus,de fundendo capite Saturni, quod necromantici dicunt responsa dare petentibus. Et subiugit de signis vitæ,& diuinitatis eius:& hoc est.*Et impendebantur in eo*, idolo scilicet, *per dies singulos*, vt redeunte scilicet comestione frequenter ostenderetur diuinitas,*similæ*,hoc est,similaginis panis,*arrabæ duodecim.* Arraba mensura est proportionata ad panis quantitatem, qui fortè 12.erant, propter.12.horas diei,vt scilicet singulis horis refectionem videretur accipere.*Exo.*32. Sedit populus manducare,& bibere,& surrexerunt ludere.*Glossa*:Idololatrare. *Et oues* 40. hoc est, carnes ouium:significant enim gulosos,quorum Deus venter est.*Phili.*3.Quorum Deus venter est,& gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Isa.* 22. Occidere vitulos,& iugulare arietes: comedamus & bibamus,cras enim moriemur. *Vinique amphoræ sex.* Amphoræ vasa sunt liquidorum,& fuerunt magna vasa, ita vt sufficerent multis. *Sap.* 2. Vino pretioso,& vnguentis nos impleamus. *Eccla.* 2. Quis ita deuorabit vt ego? Et subdit de auctoritate.

Liber Chaldaicus de fundendo capite Saturni.

Sumptus qui in Belis cibum impendebantur.

Rex quoque colebat eum. Ac si dicat: Tantæ venerationis erat, vt etiam rex veneraterur eum. Quod nescio quare fuerit, nisi nè noceret: quia in libris Chaldæorum scriptum est, quòd Saturnus nulli vmquam profuit,multis nocuit:est enim distans altitudine,piger motione, frigiditate mortificatus, & siccitate discontinuatus. *Et ibat per singulos dies*, rex scilicet, *adorare eum*, quasi singulis diebus supplicationes & vota faceret, sicut videmus, quòd gulosi ventri continuum impendunt cultum.*Rom.*16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt,sed suo ventri; & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. *Porrò Daniel*, in abstinentia,& ieiuniis scilicet, *adorabat Deum suum.Tob.* 12.Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.*Psal.* Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea

2.

Saturnus, vt volunt Chaldæi, nulli vmquam profuit, multis nocuit.

mea in sinu meo conuertetur. Et subiungit de imitatione ad idololatriam: & hoc est. *Dixitque ei rex:* quia verbum regis maioris effectus est. *Osee* 7. In malitia suâ lætificauerunt regem. Et loquitur de lætitiâ idololatriæ. *Quare non adoras Bel?* Non cogit amicum, sed ratione nititur inducere: & est, ac si diceret, Cum euidens signum sit vitæ, & diuinitatis. *Ioan.*4. Vos adoratis quod nescitis.

3. *Qui respondens ait illi*, regi scilicet: *quia non colo idola manufacta.* Per hoc quod manufacta sunt, ostenditur quòd non sunt colenda.*Sapient.*13.Non erubescit loqui cum illo, qui sine animâ est, & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vitâ rogat mortuum & in adiutorium inutilem inuocat. *Sed viuentem Deum*, qui non participatinè, sed seipso vita est, & vitæ fons. *Ioan.*1. In ipso vita erat. *Qui creauit cœlum, & terram.* Per extrema intelligit etiam media in cœlo, & in terrâ contenta.*Esth.*13. Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœlorum ambitu continetur. *Et habes potestatem omnis carnis*, hoc est, viuentis in carne. *Matth.*28. Data est mihi potestas in cœlo,& in terrâ. *Ioan.*17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: & omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

4. *Et dixit ad eum rex*,experimẽto volens conuincere:*Nonne tibi videtur esse Bel, Deus viuens?* qui scilicet signa vitæ exhibet. Et subdit rationem. *An non vides quanta comedat, & bibat quotidiè?* Signa enim vitæ, & diuinitatis non ostendit, nisi comedendo, & bibendo, sicut gulosi.*Amos* 6.Comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, & bibentes vinum in phialis.

5. *Et ait Daniel arridens*, vt benignitate regem faceret attentum,& risu contemneret idolum.*Sapien.* 14. Opera superuacua,& risu digna. *Ne erres rex.* Errat, qui huc illucque vagatur, & nescit quò se dirigat.*Isa.*19.Dominus miscuit in eo spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo. *Iste est enim intrinsecus luteus*, super formam enim luteam,idolum fusum erat,*& forinsecus æreus.* Videtur tunc idolum factum fuisse, sicut hodie fit, in necromantiâ enim ita docetur fundi caput saturni. *Isa.*44. Pars eius cinis est, cor insipiens adorabit illud. *In epist.Ierem.* Corda eorum dicuntur elingere serpentes. Serpens autem terram comedit, & lutum. *Neque comedit aliquando*: eò quod in eo nullum vitæ est principium. *Ierem. in epist.* Non sunt dij, sed opera manuum hominum. Et nullum opus Dei est in illis. Et subdit de accusati criminis inuestigatione.

Daniel manifestat regi, quod lutum idolum exhiberet.

Bar.6.

Bar.6.

6. *Et iratus rex*, commotus scilicet de deceptione, quia credidit Danieli. *Prouerb.*16. Ira regis nuntius mortis. *Vocauit sacerdotes eius*,hoc est,Belis: illi enim non poterant doli non esse conscij. *Et ait eis*, rex scilicet, *Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has*,ad altare scilicet & mensam Belis impositas, *moriemini*, vt scilicet timore mortis manifestarent. *Isa.*26. Morientes non viuant. *Roman.*1. Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui faciunt ea, sed & qui consentiunt facientibus.

7. *Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc*, ad vitæ & diuinitatis argumentum, *morietur Daniel*: ad legem enim talionis testis falsus obligabatur.*Deuteron.*19.*Quia blasphemauit in Bel.*Non blasphemauit,quia veritatem dixit. *Et dixit Daniel regi*, ex zelo scilicet contra Bel, *Fiat iuxta verbum tuum*, sicut Elias ex zelo interfecit sacerdotes & Prophetas Baal.

Danielis zelus.

8. *Erant autem sacerdotes Bel.* Tangit hîc multitudinem ministrantium in templo Belis, vt ostendat magnitudinem impensarum:& hoc est. *Septuaginta*, templum enim conuentuale fuit, *exceptis vxoribus*, libidini scilicet sacerdotum vacantibus, *& paruulis*, nondum in templo ministrantibus, *& filiis*, qui scilicet ministrare cœperunt. *Ierem. in epist.* Bar.6. Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & vestiunt vxores,& filios.*Et venit rex cum Daniele in templum Belis*, vt in ipso loco doli melius inuestigaret veritatem.*Gen.*18.Descendam,& videbo vtrum clamorem,qui venit ad me, opere compleuerint.

Et dixerunt sacerdotes Belis, ad regem scilicet, *Ecce nos egrediemur foras*, extra templum scilicet, ne aliqua suspicio possit oriri de nobis: *& tu rex pone escas*, panum scilicet & carnium,*& vinum misce.*De terrâ enim calidâ vinum nocet,si bibatur non mixtum. 1.ad *Cor.*6. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet. *Et claude ostium*, scilicet templi,ne aliquis suspicetur ingredi,*& signa*, hoc est, sigilla *anulo tuo*,ne adulterinâ claue credamur ingredi. *Dan.* 6. Quem obsignauit rex anulo suo, & anulo optimatum suorum. 9.

Et cum ingressus fueris mane,supple, in templum, *nisi inueneris omnia comesta à Bel*, hoc est, ab idolo, *morte moriemur*, hoc est, eligimus mori, *vel Daniel*, supple,morietur, *qui mentitus est aduersum nos. Prouerb.*19.Qui loquitur mendacium,non effugiet. 10.

Contemnebant autem,hoc est,despiciebant dictum securi de dolis suis: *quia fecerant sub mensâ*,hoc est, sub altari Belis, *absconditum introitum*, ad modum scilicet cuniculorum. *Et per illum*,introitum, *ingrediebantur semper. Psal.* 62. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij. *Et deuorabant ea.* Auiditatem galæ significant: gulosi enim plus intus vorant, hoc est, in voraginem glutiunt, quam comedant. *Genes*41. Quæ deuoratis, & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium. 11.

DVODECIM Prophetarum ossa pullulant de loco suo: nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide virtutis suæ. Ecclesiastici 49. *In hoc verbo notantur quinque: forma Prophetarum, numerus, fortitudo, virtus, & harum causa per duplex opus: in se scilicet, & in alio. Firmitas notatur in hoc quod dicit.* Ossa. *Hæc enim præstant corpori firmitatem. Significat autem ossa, scripturæ soliditatem, in qua sicut dulcedo medullæ latet spiritualis sensus.* Psal. 62. Holocausta medullata offeriam tibi. *De his ossibus dicitur* Thren. 1. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Ecclesia autem conqueritur hu ossibus se esse destructam a diabolo* Ibid. 18. *Quassata sunt contrita omnia ossa mea.* Psal. 101. *Ossa mea sicut in frigore conflata sunt.* Ossa *ita dicuntur* duodecim Prophetarum: *quia Prophetæ in hoc libro contenti, duodecim sunt. Duplex enim est destructio Ecclesiæ, scilicet, in destructione mali, & in constitutione boni. Malum autem* [illegible] *est duplex, idolatria scilicet, & malorum morum. Et contra malitiam* [illegible] *primi quinque, tres primi ad penitentiam* [illegible] *sequentes admonitione pœnitentiæ per prophetiam admonent. Peccatum enim idolatriæ tripliciter considerantur, scilicet, in culpa, & pœna, in culpa duplicitur, scilicet in theorica culpa, & in practica. Et contra theoricam culpam idololatriæ, prophetat Osee. Contra practicam* [illegible] *Amos. De malis autem pœnæ quæ debentur idololatriæ, sunt per penitentiam* [illegible] *prophetat Ioel, & pœnitentiam inter duos; Oseam & Amos, ut dictum* [illegible] *tur, exterior scilicet, & interior. Et* [illegible] *scilicet, ab hostibus in mundia impedimenti, & ab* [illegible] *metaphora Edom, secundum autem Ionam per duplex pœnitentia. Vnum* [illegible] *quæ*

D. Alb. Mag. Prolog. in 12. Proph. Minor.

Quatuor qui sequuntur prophetant contra malos mores, maxime contra rapinas & homicidia Principum, semper sub innitatione ad pœnitentiam. Hoc enim malum considerantur quatuor modis, in culpa scilicet, & in pœna. Secundum quod in culpa, maxime in authoribus culpæ, prophetat contra ipsum Michæas, *qui sextus est. Secundum quod consideratur in pœna, tripliciter considerátur, secundum tria quæ facium pœnam inferri, acerbitas scilicet, exemplum quæ alij punientur, & generalitas, ex quod omnes involuit, & nulli parcit peccanti. Quantum ad exemplum punitionis aliorum, est prophetia* Nahum, *qui septimus est. Quantum ad acerbitatem, est prophetia* Habacuc, *qui est octauus. Quantum ad generalitatem involutionis, quod scilicet omnes involuit peccantes, est prophetia* Sophoniæ, *qui nonus est. Ad readificationem autem templi & Ecclesiæ spiritualem, tria exiguntur: necessitas ædificij cum expensis, ædificantium ordinatio ad ædificium, & custodia religionis templi ædificati. Necessitatem autem cum expensis prophetat* Aggæus, *qui decimus est. Ordinem ædificantium prophetat* Zacharias, *qui est vndecimus. Custodiam religionis prophetat* Malachias, *qui est duodecimus & vltimus. Isti sunt duodecim boues flantes sub mari vitreo* 3 Regum 7. *exarantes agrum Ecclesiæ vomere prædicationis. Isti etiam sunt duodecim fontes inuenti in Elim à filijs Israël* Exod. 15. *fundentes aquas salutaris doctrinæ. Dicit autem,* Ossa *pluraliter, quia in singulis istorum, quatuor sunt sensus. Historicus scilicet, soliditatem habens ex rerum veritate. Tropologicus siue moralis, soliditatem habens ex virtute. Allegoricus, soliditatem habens ex fidei certitudine. Anagogicus, soliditatem habens ex æternorum promissorum immobilitate.* Prou. 30. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus.*

Tertium tria timeti facium.

Hæc sunt ossa non quærilibet, sed Prophetarum, *vt notetur Scripturæ authoritas & sanctitas. Authoritas in inspiratione. Inspiratio (vt dicit* Cassiodorus *) [illegible] lis veritatis est. Sanctitas autem inspirantis à Spiritu sanctificante.* Sap. [illegible] *nes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit.* Ioel. 3. [illegible] *dam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ.*

Per hoc autem quod dicitur: Pullulant de loco suo, *tangitur vtilitas. Pullulat enim quod à principio sibi intrinseco germen emittit. A sensibus enim ex verbis Prophetarum pullulantibus, tota germinat Ecclesia.* Isa. 27. *Qui egredientur impetu à Iacob, florebit, & germinabit Israël, & implebunt faciem orbis fructu.* Oseæ 14. *Ero quasi ros, & Israël germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius vt Libani, ibunt rami eius & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Et virtutem pullulationis dicit, cum addit,* De loco suo, *in quod propositio, de, dicat causam & continuitatem fluxus. Locus autem Prophetarum, Spiritus sanctus est, ad quem monentur, accipiendo inspirationem, & à quo mittuntur missi ad denuntiationem, & intra quem continentur per solitudinis virtutem.* Iob. 38. *Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. Hic locus pulchrior facit quod planatur in ipso.* Exo. 3. *Locus in quo stas, terra sancta est.* Isa. 5. *Secundum literam Septuaginta: Vinea fuit dilecta in loco eius.*

Prophetæ vnus spiritus est.

Hæc autem omnia canitur in psalmis, & in hoc accipiuntur illius proprius Prophetarum & sunt. Et est duplex, vna alia scilicet, & in singulis, in alia Propheta propriam est, [illegible] vna [illegible] interpretatur. Ephe. 4. *Non est nobis, sapientia [illegible] & principes & potestates, & principes mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Sic intrauit est locus eius, sicut Genesis 22. Et accepit mercedem feminæ, & [illegible] quæ [illegible] concupiscentiam carnis, & accepit benedictionem contra dia-*

bolum, & confortationem contra mundum & homines. Sic Iudas Machabeus corroborauit suos 2 Macha. vlt. *Singulos autem illorum armauit, non clypei & hastæ munitione: sed sermonibus optimis & exhortationibus. Finis autem & scopus in seipsis est, quod subditur:* Et redemerunt se in fide virtutis suæ. Ezech 3. *Dicitur, quòd Propheta speculator est, nec de periculo mali speculatoris se redimit, nisi per virtutem fidelissimæ speculationis, vt scilicet omne quod viderit, denuntiet, sicut dicitur* Isa. 21. *Pone speculatorem: & omne quod viderit, enuntiet. Fideliter ergo annuntiantes omne consilium Dei, seipsos redemerunt à periculo negligentis speculatoris, quod dicitur.* Ezech 3. *Si nuc dicente ad impium, Morte morieris, non annuntiaueris ei, ille quidem in peccato suo morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Contra.* Paulus Act. 20. *dicit: Innocens ego sum à sanguine omnium vestrum, non enim effugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.*

Arg. S. Heron. in 12. Proph. Minor. Explan.

ARGVMENTI SANCTI HIERONYMI in duodecim Prophetas minores explanatio.

VT libro *Hieremiæ* premittit argumentum, in quo mentes [illegible] fruit legentium de quatuor, scilicet, de libri [illegible], de ordine [illegible], de libri [illegible]tate, de Prophetarum & per[illegible], & hoc est [illegible] idem est ordo [illegible] hoc est, libri in quo duo[illegible] [apud Hebræos] vbi Gloss. prima vetitas est, & [illegible] prophetæ [qui & apud nos] secundum scilicet [illegible] [illegible] [illegible]

dam [Spiritu sancto] non spiritu hominis scilicet. 1.Pet 1. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines. Et hoc est [repletus est] Repletio sonat plenitudinem prementem pectus ad vomitum, qui vomitus signat de intimis eructatum verbum. *Prov.* 30. Verba Congregantis filij Vomentis. *Psal.* 14. Eructauit cor meum verbum bonum. Eructatio enim intimorum habet odorem & saporem. Et subdit quare prophetiam recepit.

De memorato itaque numero Regum, Achas Rex Iuda, & Ieroboam Rex Israel hoc est, decem tribuum [Deum deseruinquentes] quantum ad cultum, supple [vt historiæ Regum] hoc est. Liber Regum [& Paralipomenon indicant] in præfigmatis locis, supple [etiam Israel] hoc est, populum decem tribuum [idololatriæ crimen] hoc est, criminosum peccatum [imperio] hoc est, præcepto [ac potestate sua] coactiua, supple [adunitas cogerunt] sicut *Osee* 7. declaratur [Propter quod] destruendum scilicet peccatum idololatriæ [Deus ad *Oseam* hæc loquutus est, dicens] *Iere.* 7. Misi ad vos omnes Prophetas meos, de nocte consurgens mitensque. Et subdit quid propheret, & dicit tria, scilicet, quid propheret, & qualiter intelligendum, & quid intelligatur per filios.

Accipe vxorem fornicariam, suae fornicationum] hoc est. quæ non fidem thori, nec iustitiam debiti, vel bonum prolis attendit: sed tantum libidinem corporis, propter quod *Philosophus* dicit, quod fornicatrix inhonestior est, quam meretrix. Meretrix enim aliquid boni attendit, quin mercedem: fornicatrix autem nihil nisi libidinem [& fac filios fornicationum] qui scilicet, nihil iuris habeant nec in matre, nec in hereditate patris, & abdicari possint, quandoquidem voluerit maritus. Et exponit, quod dixit [fornicariam itaque, non elocari corporis meretricium] meretrix enim locat corpus pro mercede [sed genitrix] populum, supple [Deum] verum animæ vinum [ignorantem] & ideo relinquentem, supple [appellat] *Philosophus*. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Et explanat quod dixit [quæ] scilicet meretrix [Dei creatoris sui amore contempto] *Deut.* 2. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui [simulachrorum se subiecit desideriis] per calum scilicet idolorum. *Iere.* 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, continete non valentes aquas. Et subdit de successione.

Sed cum Dei præcepto Propheta in hac re parauisse [[illegible]] filios, dicto [[illegible]] [creatoris [illegible] praeceptum [[illegible]] [[illegible]] Osee 2. [[illegible] in domo Iehu] hoc est, in [[illegible] 4. Reg. 9. 10. [[illegible] hoc est, [[illegible] [[illegible] Iehu [[illegible] Regum [[illegible] 4. Reg. 9. [[illegible] hoc est, [[illegible] [[illegible] Iezrahel [[illegible]

scilicet, effusum [quæ] scilicet Iezrahel [tunc temporis metropolis erat Samariæ [quem Iezabel] quæ fluxus sterquilinij interpretatur [Achab Regis] Israel [vzor] qui pessimus erat [interemerat] hoc est, interimi præceperat. *Deut.* 13. Innocentem & iustum ne interficias [sicut Regum historia exponit] 3. *Reg.* 21.

Is] scilicet Iehu [cum grauiter] hoc est, grauiori pœna [iussa Domini præceptum] sicut legitur 4. *Reg.* 9. [vindicandi sanguinis causa] innocentis scilicet Naboth [in omnem memorati] hoc est, Achab [domum] hoc est, generationem [deseruisset] hoc est, seruiendo vindicasset 5. ita scilicet quod septuaginta filios Achab & nepotes eius quadraginta interfecisset, sicut legitur 4. *Reg.* 10. [hoc peccato] zelo scilicet [Domini sui dereliquisset] inuenitur adhærens scilicet idolis 4. *Reg.* 11. [cuius] scilicet, Iehu [pronepote Ieroboam] de quo legitur 4. *Reg.* 14. Filius enim Iehu erat Ioas, nepos Ioathaz, pronepos Ieroboam [qui lectione comprehensus est] hoc est, qui in lectione *Osee* in textu comprehensus est & nominatus [originis suæ facta] hoc est, peccata parentum punitante] sicut genimina viperarum *Luca* 3. [ac contra Dei præcepta] qui idololatriam detestatur [& religionem] cultus diuini scilicet [cum populo Israel] supple, consentiente [agente] scilicet, idololatriam [sanguis Naboth] viri scilicet Iezrahelitæ [qui in loco certè Iezrahel] hoc est, ciuitatis quæ sic nominabatur [fuerat profusus] hoc est, abundanter effusus. *Psal.* 77. [[illegible] sanguinem Sanctorum suorum, qui effusus est [in domo Iehu] hoc est, [[illegible] [[illegible] [[illegible]

nicariæ, arguens decem tribus. Secundò similitudinem adulteræ, arguens duas, *Infra.* Scilicet. *Tertio*, *ibi* [Et dixit Dominus ad me, adhuc vade] Prior adhuc in duas diuiditur. Primò enim ponit res, in quibus accipit similitudinem: secundò, ex similitudinibus arguens per recti iudicij conuincit rationem. *Infra.* 2. *ibi* [Dicite fratribus vestis populus meus] Prior harum adhuc in duas diuiditur, in quarum prima exprobando idololatriam, comminatur pœnam: in secunda verò, ne desperent, promittit liberationis gratiam *ibi* [Et erit numerus filiorum Israël] Adhuc prior in duo diuiditur. Ponit enim primò similitudinẽ à fornicaria, secundò à naris eius *ibi* [Et concepit & peperit ei filium] In primo duo dicuntur: præceptum Domini, & obedientia Prophetæ. Et hoc est ergo quod dixit [Et dixit Dominus ad Oseam] præcipiendo scilicet. *Amos* 3. Non faciet Dominus Verbũ, nisi reuelet secretum suũ ad seruos suos Prophetas [Vade, sume tibi vxorem fornicationum] Sic resoluenda est constructio secundum *Hieronymum* in originali, Vade à me scilicet missus, vxorem fornicationum; hoc est, quæ tota fornicationibus dedita est, ita quòd constructio sit inter genitiuum & accusatiuum ad demonstrationem excellentiæ. Sume tibi, hoc est, ad formam tui, non illius, vt ipsa scilicet deposita immunditia ex te sanctificetur, & tu non inquineris ex illa. 1. *Corinth.* 7. Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Vnde *Hieronymus.* Non enim qui bonus permanet, polluitur, si societur malo; sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Sic (vt dicit *Hieronymus* vir eruditissimus) Xenocrates laudatur, qui Polemonem luxuriosissimum inuenem, & inter psaltrias, atque tibicines impudicas mulieres ebrium, & hedera coronatum sumpsit sibi, & fecit obedire sapientiæ, & adolescentem turpissimum mutauit in sapientissimum Philosophorum. Sic Socrates ad cælum leuatur laudibus, qui Phædonem (ex cuius nomine Platonis liber est de animæ immortalitate) de lupanari ob crudelitatem & auaritiam Domini multorum libidini seruientem, in Academiam transtulit, & honestissimum fecit. Et ideò dicit. Sume tibi, & non simpliciter. Sume, nec dicit, coniunge te illi. *Apocalyp.* 17. Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas. Fornicatrix tamen inhonestior est, quàm meretrix. Fornicatrix enim mente & corpore corrupta non quærit nisi libidinem. Meretrix autem à merendo dicta, requirit mercedem [Et fac tibi filios fornicationis] Sic ordinanda est constructio, filios fornicationis, hoc est, de fornicatione natos, fac tibi, hoc est, fac vt tui sint per adoptionem Non ergo vult dicere, quòd fornicariè generet, sed quòd natos ex fornicatione sibi faciat, & informet, & reducat ad fidei castitatem: & sic similitudo respondet significationi. Vult enim dicere, quòd Synagogam primò fornicantem in Chaldæa, & postea in Ægypto cum filios sibi fecerit, & à sordibus purgauerit, quod ostenditur *Ezech.* 16. per totum, vbi dicit, quòd conculcatam in sanguine sordidam assumpsit, & amictum suum super eam expandit, & subiungit rationem [quia fornicans fornicabitur terra à Domino] Fornicans scilicet in idolis, fornicabitur in mundi delectationibus, terra per metonymiam dicitur, hoc est, habitantes in terra, à Domino, supple, recedens. *Iere.* 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. *Psal.* 72. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Et abijt] Tangitur obedientia Prophetæ [& accepit Gomer] quæ consummata, vel perfecta interpretatur. Pro eo autem, quòd non tantùm perfecta, sed etiam expleta erat in fornicationibus [filiam Dedelaim] quæ interpretatur massa caricarum, siue ficuum, eo quòd in se multas dulcedines fornicationum commassauerat, vt sit fornicaria filia fornicariæ. *Ezech.* 16. Filia matris tuæ es tu. Poeta.

Mater venalis facit, vt sit filia talis.

Hæc similitudo congruit, quia immundam & contaminatam sibi accepit Deus Synagogam, & mundauit eam lege, sacramentis, & prophetia.

Et concepit] Tangit hic generationem, in qua similitudo populi accipitur, quæ duplex est, in culpa scilicet, & in pœna. Similitudo in culpa repræsentatur per filium *ibi* [Et concepit adhuc] in similitudine in culpa tria notanda sunt. Primò, quòd per locum, in quo culpa perpetrata est, significatur culpa ab euentu scilicet quia ita euenit, quòd in tali loco culpa facta est: secundum quod sub eodem nomine culpa ad alios transit, qui simile peccatum commiserunt: tertium quòd similis pœna debetur simili culpæ. Dicit ergo [Et concepit] secundum *Hieronymum*, non concepit ex Propheta, sed ex fornicatione. *Psal.* 7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem [& peperit ei filium] non ei sicut carnali patri, sed ei sicut adoptanti & assumenti sibi filium. Sic enim Iudæos filios Synagogæ in fornicatione idolorum natos assumpsit Dominus, & adoptauit, & hoc modo dicitur pater. *Deut.* 32. Nũquid non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, & creauit te? [Et dixit Dominus ad eum] hoc est, ad Prophetam [voca nomen eius Iezrael] 3. *Reg.* 21. Iezrael ciuitas est in qua innocenter interfectus est Naboth, & à loco peccatum accipit nomen. Vnde tantum valet ac si diceret: Voca nomen eius interfectorem innocentis. 4. *Reg.* 24. Repleuit Ierusalem cruore innocentium vsque ad os. Et rationem huius nominis subiungit [quonjam adhuc modicum] supple, tempus erit. *Heb.* 10. Adhuc modicum aliquantulum & qui venturus est, venier [& visitabo] per vindictam, scilicet [sanguinem Iezrael] *Glossa* habet, occisionem populi mei innocentis [super domum Iehu] hoc est, super generationem Iehu, & hoc peccatum in simili nomine transit ad inuitantem. Sicut enim legitur 4. *Reg.* 9 & 10. Iehu solicitè vindicauit sanguinem innocentem Naboth in domũ Achab interfectis septuaginta filijs eius, & præcipitata Iezabel vxore sua, interfecto etiam Rege Iuda genero Achab, interfectis etiam quadraginta viris de cognatis suis, & postea à simili peccato non cauit: & ideò simili modo in eum vindicauit, & post modicum, quia Ieroboam pronepote Iehu, sub quo Osea prophetauit, mortuo, Zacharias filius eius sibi successit, quem sexto mense regni sui occidit Sellum, qui de alia stirpe fuit & vindicauit in eum, quod ipse in Achab vindicauerat, sicut legitur 4. *Reg.* 15. *Psal.* 58. Intende ad visitandas omnes gentes: non misereatis omnibus, qui operantur iniquitatem. *Isa.* 17. Visitabit Dominus in gladio suo duro, grandi, & forti super Leuiatan serpentem

tem vectem. *Psal.* 100. In mattutino interficiebam omnes peccatores terræ [Et requiescere faciam] hoc est, cessare regnum domus Israel, decem scilicet, tribuum. Interfecto enim Zacharia sub nepote Iehu, statim Reges Assyriorum ceperunt terram Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, quæ erat trans Iordanem. Deinde transeuntes Iordanem, ceperunt Nepthalim & omnes alias tribus. Sicut legitur 4. Reg. 17. Et transtulit eos in Mdeos & Persas sub Osee Rege decem tribuũ, ita quòd ab interfectione Zachariæ vsque ad captiuitatem non fluxerunt, nisi 49. anni. *Eccl.* 10. Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos [& in illa die] talis scilicet vindictæ [conteram arcum Israël] hoc est, arma decem tribuum, vt per partem totum significetur per Synecdochen [in valle Iezrael] hoc est, in valle pertinente ad Iezrael ciuitatem. Sunt enim ibi latissimi campi, & extensæ valles, in quibus pugna fuit, cùm Rex Assyriorum caperet decem tribus & Samariam. *Psalm.* 45. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni [Et concepit adhuc] tangit statum populi captiuati. Vnde *Hiero.* Postquam confractus est Israël, & regnum eius destructum, ex tunc non Iezrael, i. semen Dei, nec masculus, sed fœmina imbecillis nascitur, quæ vitiorum pater iniuriis, & habet fœmineum animum [& peperit filiam] hoc est, populum fœmininum animum habentem, quod contra dicitur 2. *Machab.* 7. Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna. Et post pauca, quæ fœmineæ cogitationi masculinum animum ingessit [& dixit ei] scilicet Prophetæ [voca nomen eius absque misericordia] quia misericordiam liberationis à captiuitate non consequetur. *Iacob.* 2. Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. Et rationem huius nominis subiungit [quia non addam vltra misereri domui Israël] Sæpe enim liberauit eos: sed cum videret eos in malitia obstinatos, vltra liberare noluit, sicut expressè legitur 4. *Reg.* 17. Quod propter obstinationem eorum in malis, noluit misereri Dominus. *Iob* 30. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. *Ezech.* 9. Meus non parcet oculus, nec miserebor; viam eorum super caput eorum reddam. Et hoc est, quod sequitur [Sed obliuione obliuiscar eorum] *Psalm.* 87. Quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt. Vnde *Ezech.* 5. dicitur, quòd in captiuitate positis, non est misertus, sed nudauit gladium post eos. Contrarium tamen videtur per Psalmistam 76. Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas. Hoc soluit *Chrysost.* dicens, quòd duplex est misericordia, liberans & relaxans. Misericordiam relaxantem nunquam dimittit Deus, citra condignum enim punit. Sed misericordiam liberantem aliquando intermittit, quia non semper liberat. Ita etiam soluitur hoc quod obiicitur *Isa.* 49. Si potest obliuisci mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: & si oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. *Prou.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. Ab hac autem obliuione misericordiæ, distinguit duas tribus, & hoc est quod subdit [Et domui Iudæ miserebor] hoc est, duabus tribubus: ita scilicet quod tunc non permittam eos à Rege Assyriorum captiuari. *Tobiæ.* 3. Misericordia Domini, quod non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius [& saluabo eos] à Rege scil. Assyriorum [in Domino Deo suo] hoc est, in virtute Domini Dei sui, & non in virtute humana. *Isa.* 46. Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam, & hoc est quod sequitur [Et non saluabo eos in arcu] qui longè ferit [& gladio] qui propinquè vulnerat [& in bello] exercituum scil. [& in equis] bellicis, scil. dextrariis [& equitibus] militibus scil. pedites in arte pugnandi. Et hoc factum est 4. *Reg.* 18. & 19. vbi mittito Ezechiæ misit Dominus Angelum suum, & percussit in castris Assyriorum 185. millia. De primis duobus dicitur in *Psalm.* 43. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. De tertio *Iudic.* 5. Noua bella elegit Dominus. De quarto & quinto, item in *Psalm.* 32. Fallax equus ad salutem, & gigas non saluabitur *Amos* 2. Tenens arcum non stabit, & velox pedibus non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam. Quòd autem decem tribubus consolationem subtraxit, per similitudinem exprimit, subdens [Et ablactauit] ipse scil. Propheta, non mulier fornicationum, hoc est ab omni dulcedine legis, & prophetiæ, & consolationis abstraxit. *Isa* 27. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Per pœnas scil. ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Et hoc est [eam, quæ erat absque misericordia] id est, decem tribus, quæ vsque hodie dulcedinem liberationis à Deo non receperunt. *Thren.* 1. Repleuit & inebriauit me amaritudine.

Et concepit] Tangit hic similitudinem ad duas tribus, & hoc est quod dicit [& peperit filium] mutans sexum. *Psalm.* 17. Filij alieni mentiti sunt mihi [& dixit] supple, Dominus ad Prophetam [Voca nomen eius, non populus meus] Cuius ratio tangitur 4. *Reg.* 23. & 24. Quia captiuatis decem tribubus, nec duæ tribus in cultu Dei permanserunt, sed idola coluerunt, & se non vt populus Dei gesserunt. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo; Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus Et hoc est quod sequitur [quia vos non populus meus] hoc est, ideò quia vos non geritis pro populo meo. *Apoc.* 2. Dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ [&] ideò, supple [Ego non ero Deus vester] Transferam enim illos ad terram illorum Deorum, quos coluerũt. *Ierem.* 16. Sicut seruistis diis alienis in terra vestra, ita seruietis dijs alienis in terra no vestra.

Et erit numerus] post desolationem commiationis, promissionem tangit summæ consolationis ne desperent. Et tangit quatuor: dispersorum multiplicationem, multiplicatorum conuersionem, conuersorum congregationem, congregatorum sub vno capite adunationem. Et hoc est [Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris] Multi enim sunt qui ad informem fidem venient temporibus nouissimis. *Psalm.* 138. Dinumerabo eos, quasi dicat, non, & super arenam multiplicabuntur. *Eccli.* 1. Arenam maris quis dinumerare poterit? quæ sine mensura est] latitudinis scil. & longitudinis, quia in toto orbe dispersi sunt. *Isa.* 27. Replebunt faciem orbis semine. *Psalm.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum [& non numerabitur] *Glossa*, præ multitudine. Vnde dictum est Abrahæ *Genes.* 15. Suspice cælum, & numera stellas,

Assyrij diripiunt decem tribus Israël.

Deus saluat suos sine armorum potentia.

Misericordia liberans & relaxans.

stellas, si potes: sic erit semen tuum. *Apoc.7.* Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Et subdit de conuersione multiplicatorum.

Et erit] versus, & dictum est hoc pro certitudine prophetali. 1. *Reg.9.* Omne quod loquitur, absque dubio, euenit [in loco] hoc est, in Chaldæa, vel allegoricè in Ecclesia [vbi dicetur eis] quando ducentur in captiuitatem [non populus meus vos] hoc est, isti sunt non populus Dei, quia si esset Deus eorum, protegeret eos. Vnde *Thren.4.* Recedite polluti, clamauerunt eis, recedite, abite. Et post pauca: Dixerunt inter gentes, non adiiciet vltrà, vt habitet in eis [Dicetur eis] propter conuersionem & pœnitentiam [filij Dei viuentis] quando Deus sicut filios consolabitur eos. *Isa.66.* Quomodo si mater blandiatur filio, sic ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. *Ioan.1.* Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Hanc auctoritatem inducit *Apostolus Rom.11.* & exponit eam de conuersis ad Christum in tempore nouissimo. Et subdit de conuersorum congregatione,

Et congregabuntur filij Iuda] hoc est, duarum tribuum [& filij Israël] hoc est, decem tribuum, pariter in vnam terram & cor; quod non potest intelligi de decem tribubus, quia illæ non redierunt, sed intelligitur de quibusdam de decem tribubus, qui immixti fuerunt duabus. In fine autem mundi omnes congregabuntur ad Christum, & hoc expressè dicitur *Ezech.39.* Scient, quia ego Dominus Deus eorum, eò quod transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terram suam, & non dereliquerim quenquam ex eis ibi, & non abscondam vltra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israël. *Act.4.* Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Et subdit de adunatione sub caput vnum.

Christo omnes accedent hominis in fine mundi.

Et ponent sibimet caput vnum] quod Iudæi dicunt Dauid suscitatum in aurea Ierusalem, mendacium & fabula est, & ideò exponendum est de Christo. *Ezech.37.* Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur vltrà in duo regna. Et paulo post: Ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus omnium eorum. *Ioan.10.* Fiet vnum ouile & vnus pastor [& ascendent de terra] captiuitatis, vel de terrenis ad cælestia. *Psalm.83.* Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum *Philip.4.* Nostra conuersatio in cælis est [quia magnus dies Iezrahel] hoc est, magna & clara iustitia apparebit in pœna iniquorum, qui seminis Dei fuderunt innocentem sanguinem. *Psalm.* 117. Hæc est dies quam fecit Dominus. *Esther* 8. Iudæis noua lux oriri visa est, *Cant.3.* Videte Regem Salomonem, hoc est, pacificum, in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis illius.

Tunc enim in lætitia cordis iteratò, Deus sibi desponsauit populum, sicut statim dicet Propheta in capitulo sequenti.

***

CAPVT II.

Dicite fratribus vestris.

Hic secundum inductam diuisionem iudicio filiorum condemnanda ostenditur mater, & habet duas partes. In prima, propter peccatum idololatriæ & ingratitudinis condemnabilis esse conuincitur: in secunda, ne desperet, more prophetali consolatio promittitur pœnitenti *ibi* [Propter hoc ego lactabo eam.] In prima parte duo sunt, scilicet, iudicium condemnationis pro idololatria, & iudicium condemnationis pro ingratitudine *ibi.* [Et hæc nesciuit] In prima adhuc duo sunt. Primò enim prouocantur nati ad iudicium matris: secundò profertur forma iudicij, *ibi.* [Auferat fornicationes] Dicit ergo [Dicite fratribus vestris, populus meus] secundum Hieronymum nunc loquitur ad duas tribus & est sensus: O vos duæ tribus dicite fratribus vestris, hoc est, de nomine quod per adoptionem acceperunt, monere decem tribus, & hoc nomen est populus meus & contestemini eos per nomen illud quòd matrem iudicent [& sorori vestræ] eisdem decem tribubus captiuatis dicite, supple [misericordiam consequuta] hoc enim nomen oblitioni tradendum non est, & per hoc nomen soror contestata est, quòd filia contra matrem pro Domino tenetur iudicare. *Matth.10.* Pater contra filium & filius contra patrem, filia contra matrem & mater contra filiam. Et *ibid.* Insurgent filij contra parentes eorum. In tali enim iudicio correptionis fraternæ nulli parcendum est. Vnde *Exod.32.* Ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum suum. Occiditur enim quantum ad vitam peccati, quando corripitur & ad bonum conuertitur. Adhuc, Quia fratres & sorores sunt, ex ordine charitatis tenentur eis, vt iudicium condemnationis iudicent, & sic per timorem à peccatis conuertantur. *Rom.9.* Tristitia est mihi magna & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Adhuc, Qui factus est populus & misericordiam consequutus, ex beneficio recepto tenetur alios corripere, & ad similem gratiam reuocare. 1. ad *Timoth.1.* Ideò misericordiam consequutus sum, vt in me primum ostenderet Deus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt ei per me. *Apoc.vlt.* Sponsus & sponsa dicunt, veni, & qui audit, dicat, veni. Et postquam rationes dixit quare iudicare debent matrem, subdit, prouocans ad iudicium.

Correctio fraterna omnibus est imperandum.

Iudicate matrem vestram, iudicate] matrem vestram dicit, & non vxorem meam, quia (sicut dictum est) filij in fornicatione idolorum nati sunt, in qua generatione coniunctionem cum Deo non habuit. Item cum assumpta esset, & sanctificata, & filij adoptati, vt ad nouam prolem gratiæ à Deo fecundaretur, in fide thori non remansit, & ita matrem filiorum se exhibuit, non vxorem mariti. Iudicate autem dicit & iudicate, quia & de idololatria & ingratitudine conuincenda fuit. Est enim istud iudicium discussionis & correptionis, in quo ostendit homini propter quod condemnandus sit nisi pœniteat. 1. *Corinth.11.* Quòd si nosmetipsos iudicare

iudicaremus, non vtique iudicaremur. *Ioan.7.* Quod iustum est, iudicate. *Isa.3.* Dominus ad iudicium venet, cum senioribus populi sui. Et *ibidem post pauca.* Nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Et bene dico, iudicate [quia ipsa non est vxor mea] In Chaldæa enim & in Ægypto non mihi, sed idolis coniuncta fuit, & in illa fornicatione vos genuit. *Isa.54.* Vt mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vt vxorem ab adolescentia abiectam [Et ego non vir eius] quia non ex semine meo mihi genuit filios, sed idolis. *Ezech.16.* Facta es quasi mulier adultera, quæ super virum suum adducit alienum. *Eccl.23.* Omnis homo, qui transgreditur lectum suum contemnens in animam suam. Et post pauca. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, peccabit & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit. Secundò, virum suum dereliquit. Tertiò, in adulterio fornicata est. Quartò, quia ex alio viro hæredes sibi statuit. Hæc sub eisdem auctoritatibus de illis dicuntur qui post Baptismum Dominum derelinquunt, & delectabilia mundi sequuntur. Et subdit de iudicij forma, & duo dicit: accusationem, scil. & coniunctionem *ibi* [Quia dixit: Vadam post amatores meos] accusationem proponit dupliciter, in detestatione, scil. culpæ, & in comminatione pœnæ *ibi* [Ne fortè expoliem] Dicit ergo.

Adulterium grãde est crimen.

Auferat fornicationes suas] quibus scil. cum idolis fornicatur, de idolo scil. in idolũ, vel delectabili in delectabile [à facie sua] vt scil. non inspiciat eas vt rem dilectam, sed auertat faciem sicut à re detestabili. *Osea 4.* Fornicati sunt, & non cessauerunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo [& adulteria sua] supple, auferat [de medio vberum suorum] quia etiam postquam mihi coniuncta est, cum idolis & delectabilibus adulterata est. De medio vberum dicit, quia inter vbera cor est, & in vberibus titillatio concupiscentiæ sentitur. Vnde *Prou.7.* meretrix dicit: Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. *Isa.1.* Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. In quibus autem viget concupiscentia, pacem non habent. 4. *Reg.9.* dixit Ioram Rex ad Iehu: Numquid pax est Iehu? At ille respondit: Quæ pax? Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ & veneficia eius multa vigent. Et subdit de pœna, in se scilicet, & in filiis. In se dupliciter, scilicet, in pœna damni, & damni quantitate, & hoc est.

Ne fortè] fortè, dicit propter mobilitatem liberi arbitrij, quod ad bonum & ad malum inclinabile est. *Eccli.31.* Potuit transgredi, & non est transgressus [expoliem eam nudam] hoc est, expoliem ita, quòd nuda appareat, interiori scilicet, & exteriori habitu ablato. Exterior habitus fuit, cultus templi, diuitiæ, gloria, & huiusmodi. Interior habitus gratiæ, & virtutum. *Ezech.16.* Nudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & relinquent te nudam, plenámque ignominia, Propter hoc dicitur *Apoc.16.* Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & ne videant turpitudinem eius [secundum diem nativitatis suæ] hoc est, sicut nuda fuit, quando in me primò fuit renata, in Ægypto scilicet, vel in Chaldæa, quando nullo decore vestita fuit. Sine Deo enim, & sine lege, & sine promissionibus fuit. *Ephes.2.* Eratis in illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Et subdit de quantitate damni.

Et ponam eam quasi solitudinem] supple, si conuerti noluerit. Solitudinem dicit, quia eis ductis in captiuitatem, terra vacuatur. *Isai.6.* Desolatæ sunt ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra derelinquetur deserta, & longè facier Dominus homines. Et hoc est quod sequitur [Et statuam eam quasi terram inuiam] hoc est, ita longè faciam duci in captiuitatem, quòd viam redeundi non inuenient. *Prou.7.* Non est vir in domo sua, abiit via longissima. *Isa.23.* Ducent eam longè pedes sui ad peregrinandum. Hoc dicitur eis, qui per peccata recedunt à Domino, & ad pœnitentiam redire non cogitant. *Luc.15.* Abiit in regionem longinquam, & ibi dissipauit bona sua, viuendo luxuriosè cùm meretricibus [& interficiam eam in siti] Hieronymus, Vt cadat in terram alienam patiens sitim omnium bonorum, & nihil eorum quæ desiderat, obtineat. Hoc significatum est *Gen.21.* vbi Agar cum filio recedens à domo Patriarchæ, sitim intolerabilem passa est vsque ad desperationem. Iustum enim est, quòd sitis insatiabilis peccati, omnium bonorum defectu & siti condemnetur. Vnde diues *Luc.16.* Guttam aquæ impetrare non valuit. Propter hoc dicitur *Iere.2.* Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti. Et subdit de pœna filiorum.

Peccatu elongant à Deo.

Et filiorum illius] non meorum, supple [non miserebor] vt scil. liberem eos. Et subdit causam [quoniam filij fornicationum sunt] imitatores scilicet ignominiosæ matris. *Osea 4.* Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor [quia fornicata est mater eorum] cum idolis scilicet, vel delectabilibus. *Psalm.72.* Perdidisti omnes, qui fornicantur, abs te [confusa est quæ concepit eos] non confusione verecundiæ, sed confusione ignominiæ, quia scil. in peccato deprehensa est. *Iere.2.* Quomodo confunditur fur, cùm deprehenditur; sic confusa est domus Israël. *Eccli. 4.* Est confusio adducens gloriam, & est confusio adducens peccatum. Et subdit de obstinatione in peccato.

Quia dixit] Hic autem tria dicit, peccandi obstinatam voluntatem, pœnam ad reditum cogentem, & reditum ad virum misericorditer suscipientem, & hoc est [vadam post amatores meos] *Glossa:* Fide & dilectione sequar Deos, & imitabor gentes quarum Deos colo. *Iere.2.* Dixisti, desperaui, nequáquam faciam; adamaui quippe alienos, & post eos ambulo. Hoc opere dicunt, qui delectabilia mundi obstinata sequuntur voluntate. 1. *Corinth.12.* Ad simulachra muta prout ducebamini euntes, supple, eratis. Et subdit causam [qui dant panes mihi] hoc est, refectionem [& aquas meas] supple, dant mihi, hoc est, esculentum & poculentum [& oleum meum] condimentum scil. & [lanam meam] ex qua fit vestis [& linum meum] quo suauiter foueatur mollities carnis [& potum meum] quo scilicet, vtar in deliciis, sicut est vinum, & vinum conditum, & huiusmodi. Hæc enim omnia dicebat se habere ab idolis, cùm dona Dei essent. *Ezech. 36.* Sumpsisti vestimenta multicoloria, & vestita es eis, & oleum meum, & thymiama meum posuisti in conspectu idolorum & panem meum, quem dedi tibi: similam & oleum & mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis. Hoc dicitur eis,

eis, qui dona Dei suis viribus, vel suis meritis attribuunt. Et subdit de pœna coarctante.

Propter hoc] peccatum scilicet, ecce ego sepiam viam tuam spinis, hoc est, punctionibus dolorum in paupertate & miseria. *Gen.* 3. Cùm operatus fueris terram, non dabit fructum suum, sed spinas & tribulos germinabit tibi [& sepiam eam maceria] Maceria macer murus est, congregatione lapidum sine cæmento factus, & (vt *Hieronymus* dicit) signat dura obstacula, quibus quis à proposito mali impeditur. *Thren.* 1. Circumædificauit aduersum me lapidibus quadris, vt non egrediar. Vnde *Isa.* 9. dicitur: Lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus, hoc est, obstacula parua non reputant; sed magna ponemus. *Iob.* 5. Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant [& semitas suas non inuenient] me scilicet, impediente. *Numer.* 22. Peruersa est via tua, mihique contraria [sequitur amatores suos] Assyrios scilicet, vel Ægyptios, vel peccatores [& non apprehendet eos] nullum enim ferent auxilium. *Isa.* 31. Corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium, simulque consumentur [& quæret eos] desiderio scilicet, & non inuenient, ad aliquod solatium, supple. *Isa.* 30. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non poterit, nec fuit in auxilium, nec in aliquam vtilitatem, sed in confusionem & in opprobrium. Et subdit de coacta reuersione.

Et dicet] tunc, supple, coacta pœnis [Vadam] cordis conuersione [& reuertar] operis satisfactione [ad virum meum priorem] qui scilicet dignitate omnes præcellit, & me primò post fornicationes assumpsit. *Luca* 15. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Peccaui in cælum & coram te: fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. *Cant.* 3. Circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quærens quem diligit anima mea. Tunc enim alios experta, dicet. *Psal.* 85. Non est similis tui in Dijs Domine, & non est secundum opera tua [quia bene mihi erat tunc] scilicet quando verum animæ colui virum [magis quàm nunc] in cultura scilicet Deorum alienorum. *Psal.* 15. secundum *Hieronymi* translationem: Serua me, Domine, quoniam speraui in te: dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam mihi bene non est sine te. Item *Psal.* 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem. *Tobia* 8. Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis,

Et hæc nesciuit improper at hic ingratitudinem, & tangit duo: culpæ scilicet exprobationem, & pœnæ comminationem *ibi* [Idcircò conuertar] Dicit ergo: Et hæc nesciuit, hoc est, scire noluit. *Psal.* 35. Noluit intelligere, vt bene ageret. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus [quia ego dedi ei frumentum] scilicet literale & spirituale in verbo Dei. *Psal.* 147. Adipe frumenti satiat te [vinum] literaliter scilicet, & spiritualiter in gaudio spirituali. *Prou.* 3. Vt impleantur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt [& oleum] in cibi dulcoramentum, & spirituale in lucis ministerium, quod est sacræ doctrinæ scientia. *Deut.* 33. Tantummodò oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. *Psal.* 4. A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt [& argentum] literaliter scilicet, & spiritualiter in eloquentia tinnitum [ucti eloquij. *Psal.* 6. Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. *Aggæi* 2. Meum est aurum, & meum est argentum: magna erit gloria domus huius nouissimæ plusquàm primæ [multiplicaui eis aurum] & literaliter & spiritualiter in sapientia [quæ fecerunt Baal] hoc est, idolum vel Sydoniorum, vel Babyloniorum. Conuerterunt enim argentum & aurum in simulachra fusilia. *Isa.* 2. Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius, & repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius, & repleta est terra eius idolis. *Iudic.* 17. Consecraui & voui argentum hoc Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile atque conflatile. Propter hoc conqueritur *Isa.* 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Et subdit de pœna, & dicit duo. Primò enim exaggerat pœnam. Secundò repetit culpam, vt iustior appareat condemnatio *ibi*

Et visitabo super eam] Tripliciter autem exaggerat pœnã in damno, confusione & desolatione. Dicit ergo [Idcirco conuertar] ad eam scilicet puniendã & condẽnandã. *Isa.* 1. Conuertar ad te, & excoquã ad purum scoriam tuã [& sumam] hoc est, auferam à te [frumentum meum] hoc est, eiculentum meũ, quo pani te, literaliter & spiritualiter. *Deu.* 28. Fructus terræ tuæ & omnes labores tuos comedet populus, quẽ ignoras, vt sis semper calumniã sustinens [in tempore suo] hoc est, tempore messis. *Glossa.* Quia tunc maior erit dolor, cum iam in horreum ducenda, & quodammodo tuta rapientur è manibus. *Thren.* 1. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter [& vinum meum] literaliter & spiritualiter in gaudio spirituali. *Deutero.* 28. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quia vermibus vastabitur [in tempore suo] hoc est, tempore vindemiæ, quando iam de prælo ad cellarium ducendum erat. *Isa.* 16. In vineis non exultabit, nec iubilabit: vinum in torculari non calcabit qui calcare consueuerat, vocem calcantium abstuli [& liberabo lanam meã] *Hieronymus.* Cùm ipsi sint serui diaboli, sub illa seruitute tenent lanam & linum quasi violenter subijciendo; sed liberat ea, ne ab iniquis Dominis possideantur. Et dicit ideò in originali, quòd creaturæ non ex voluntate exhibent se ad vsum peccatorum, sed violenter ab eis vsurpantur, & inducit hoc, quod est *Rom.* 8. Quoniam ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Sap.* 19. Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custoditentur illæsi. Lana autem signat exempla Sanctorum, quæ valent calefacere peccatores. *Iob* 31. Si non benedixerunt mihi latera pauperis, & non de velleribus ouium mearum calefactus est [& linum meum] quod signat candorem innocentiæ & castitatis. *Prouerb.* 31. Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manum suarum [quæ operiebant ignominiam eius] ne scilicet apparetur concupiscentiæ peccatum, quod ignominiosum est. *Ezech.* 16. Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Et subdit de exaggeratione confusionis [Et nunc reuelabo stultitiam eius] hoc est, quòd stulta est, manifestabo per pœnam, scilicet, in instanti captiuitate. *Ezech.* 16. Nudabo ignominiam tuam

Creatura seruit peccatori inuita.

tuam coram amatoribus tuis, & videbunt omnes turpitudinem tuam. Stultus dicitur à stoliditate, quàm stultus enim fit homo in culpa, reuelatur in pœna, quia sicut dicit *Greg.* Oculos quos culpa claudit, pœna aperit *Iob.* 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. Et hoc est quod sequitur [in oculis amatorum eius] vt scilicet eosdem habeat torores in pœna quos incentores habuit in culpa. *Isa.* 20. Minauit Rex Assyriorum captiuitatem Ægypti & transmigrationem Æthiopiæ iuuenem & senem, nudam & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti [& vir non eruet eam de manu mea] *Deuter.* 32. Non est qui de manu tua possit eruere [& cessare faciam omne gaudium eius] hoc est, causas gaudij in Babylonica seruitute. *Thren.* 5. Versa est in luctum cithara nostra, decidit corona capitis nostri. 1. *Machab.* 1. Omnis maritus sumpsit lamentum, & qui sedebant in thoro maritali, lugebant: & commota est terra super habitantes in ea, & vniuersa domus Iacob induit confusionem [solennitatem eius] supple, cessare faciam, Paschæ scilicet & Pentecostes, & Scenophegiæ, quæ festa abiecit Deus: vt iam non tantùm euacuata sint, sed etiam nociua & mortifera celebrantibus ea. *Amos.* 5. Odi & proieci solennitates vestras, & non capiam odorem cœtuũ vestrorum [neomeniam eius festum scilicet nouæ lunæ & Calendarum. *Isa.* 1. Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta] sabbatum eius] cessare scilicet faciam. *Thren.* 1. Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius. *Glossa.* In quo epulis & otio vacabant, & non Domino. Et generaliter subdit [& omnia festa] sicut scilicet Encæniorum & aliorum gaudiorum, quæ celebrabant. *Tobia* 2. Dies festi vestri conuertentur in luctum & lamentationem [& tempora eius] supple, cessare faciam, tempora vocat ex tempore festa emergentia, sicut interfectionis Sysaræ à Iahel *Iudic.* 5. & interfectionis Holophernis *Iudith. vlti.* & dies sortium de liberatione ab Aman *Esther. vlti.* Omnes istas lætitias in lamentum deduxit, & vt vile stercus abijci fecit. *Isai.* 29. Solennitates euolutæ sunt, & circumuallabo Ariel, & eris tristis & mœrens. Et exaggerat adhuc desolationem.

Et corrumpam vineam eius] hoc est, plantationes, quæ materiam gaudij ministrant. *Amos* 5. Vineas amantissimas plantabitis, & non biberis vinum earum [& ficum eius] dulcedines scilicet consolationum. *Ioel.* 1. Ficum meam decorticauit, nudam spoliauit eam & proiecit [de quibus dixit] hoc est, quia illa idolis attribuit [mercedes hæ meæ sunt] quibus scilicet, ad idololatriam conducta sum [quas dederunt mihi amatores mei] sicut & ipse diabolus dicit. *Matth.* 4. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Ita multi dona Dei ad mundana referunt, quasi à mundanis habeant, quæ non nisi dono Dei perceperunt. Contra quod dicitur 1. *Paral.* 29. Quæ de manu tua accepimus, hæc obtulimus tibi [Et ponam eam in saltum] hoc est, in syuestreitatem, vbi scilicet pilosi habitant. *Isa.* 7. Erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris [& comedet eam bestia agri] hoc est, agrestes tyranni. *Hieronymus* inducit illud *Psal.* 79. Diripiunt eam omnes transeuntes viam, & singularis ferus depastus est eam. Et repetit culpam vt iustior sit pœna [&] id est, quia [visitabo super eam] hoc est, opprimens eam. *Hieron.* cùm visitare frequentius in bono soleat accipi, hic in malo ponitur pro afflictione. *Psal.* 58. Intende ad visitandas omnes gentes, & non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem [dies Baalim] hoc est, festa Baalim. *Hieronimus.* Baalim plurali numero idolum Baal in multis locis positum signat, cui idolo festa magna celebrabãt. Vnde *Osea* 7. Dies Regis nostri cœperunt Principes furere à vino. Sicut & mundani dies gaudiorum suorum celebrant. *Psalmista.* Celebrauerunt nomina sua in terris suis. Alia translatio [quibus accendebant incensa] in signum scilicet deuotionis, de quo dicitur. *Isa.* 1. Incensum abominatio est mihi [& tenebatur inaure sua] in signum scilicet obedientiæ ad idola. *Cant.* 1. Murenulas aureas faciemus tibi [& monili suo] *Isidorus.* Monile quasi munile; quia munit sinum, ne adulter inserat manum. Illæ autem munierunt sinum, vt solum in corde retinerent idolum. *Cant.* 7. Iunctura feminum tuorum sicut monilia [& ibat post amatores suos] profectò scilicet idololatriæ. *Iere.* 2. Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt [& mei obliuiscebatur dicit Dominus] *Ierem.* 2. Populus meus oblitus est mei diebus innumeris. *Isa.* 57. Mentita es, & mei non es recordata, quia nec per beneficia Deum cognoscere voluit.

Monile.

Propter hoc] Tangitur hic consolatio & habet partes duas, consolationem scilicet in exitu de captiuitate, & consolationem in bonorum Dei optimã dispositione *ibi* [Et erit in die illa] In exitu quinque dicit, blandimentum scilicet educentis, viam egressionis, eruditionem cordis, spei confirmationem, optimam in Principibus populi dispositionem, & lætitiæ cordis per cantum deuotationem [Propter hoc] hoc quod dicit, propter hoc, non continuatur ad præcedens, cùm præcedens immediatè potiùs sit causa oppositi. Sed ita continuandum est, quia scilicet omnino nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. *Ezech.* 18. & verbetibus non corrigitur [Propter hoc, Ecce ego lactabo eam] consolationibus scilicet, vt vel sic reuertatur, & hoc est propter hoc, & similis tropus est in *Psal.* 80. Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula: & cibauit eos ex adipe frumenti. Ac si dicat, inimici puniti redire noluerunt: & ideò cibani eos, vt redirent [Ecce ego lactabo eam] vbere scilicet consolationis & vbere exhortationis, vt scilicet consolatione dulcedinem lactis, exhortatione candorem veritatis experiatur. *Isa. vltimo.* Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. *Isai.* 60. Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis. Et subdit de amœnitate viæ.

Deus iustè diuitijs allicit, quos seueritate flectere nõ potest.

Et adducam eam in solitudinem] sicut, supple, feci de Ægypto egredientem, quod vocat solitudinem, quia nemo alienus particeps est gaudiorum illorum. *Exod* 3. Ibimus viam dierum in solitudinem ad sacrificandum Deo nostro. *Thre.* 3. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuabit se supra se. Et subdit de eruditione [& loquar ad cor eius] ideò ad cor loquitur; qui cordi tristato, ex annuntiato gaudio satisfacit. *Isai.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem, & adhocate eam. *Sapi.* 8. Immortalis est in cogitatione Sapientia, & in amicitia illius delectatio bona. Et subdit de optima populi dispositione.

Et dabo ei vinitores eius.] Hoc est, qui colligant vinum eius literaliter & spiritualiter in spiritualibus gandiis[ex eodem loco] id est, vt alieni labores eius de cætero non diripiant, siue spiritualiter, siue corporaliter; sed ipsi qui colunt, fructum laboris accipiant. *Amos* 9. Plantabunt vineas, & bibent vinum earum: plantabunt hortos, & comedent fructus eorum. Hic inducunt Sancti per hoc probare intendentes, quòd de Ecclesiæ gremio Prælatus eligendus sit: tum quia vinitores eius dicuntur, & non simpliciter vinitores: tum quia ex eodem loco esse dicuntur. *Osea vltimo.* Germinabunt quasi vinea, memoriale eius sicut vinum Libani. Melius ad hoc facit, quod dicitur *Heb.*5. Omnis Pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. Caput enim monstruosum est, quod de eodem corpore, cuius caput est, non creuit. Et tangit de corroboratione spei, subdens.

Prælatus de Ecclesia gremio est eligendus.

Et vallem Achor] hoc est, vbi lapidatus est Achor *Iosue* 7. Quo interfecto, debilitas populi versa est in fortitudinem, paupertas in abundantiam, tristitia in gaudium: quæ omnia in valle pœnitentiæ promittit se daturum, & hoc est quod sequitur[ad aperiendam spem] sicut dicit *Glossa*, vt ex perceptione præsentium munerum, firma sit expectatio futurorum. *Heb.*6. Firmissimum habeamus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem. *Zacher.*1. Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona consolatoria. Et subdit de cantico lætitiæ, quod cantabunt in egressione de captiuitate spirituali vel literali, dicens.

Et canet ibi]hoc est, in egressione [iuxta dies iuuentutis suæ]hoc est, sicut cecinit, quando in iuuentute prima coniungebatur mihi scil. in egressu de Ægypto, & de mari rubro, quando scilicet, Maria sumpsit tympanum, & mulieres egressæ sunt post eam & cantauerunt. Cantemus Domino: gloriosè enim honorificatus est *Exod.*15. [Et] id est [iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti] Hoc spiritualiter impletur, quando de vitiis ascendimus ad virtutes. *Ephes* 5. Impleamini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis. in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. *Psalm.*137.*d.* Cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Et erit] Tangit hic consolationem in bonorum Domini optima dispositione, & describit eam in vi scil. in verbi deuotione, fœderis confirmatione, pacis securitate, noua ad Deum desponsatione, omni bonorum prosperitate, & in cultus pietate. Et hæc per ordinem planè continentur in litera. Dicit ergo [Et erit]vsus, & dicitur pro certitudine prophetali. 1. *Reg.*9. Omne, quod loquitur, absque dubio eueniet [in die illa, ait Dominus] claritatis scil. & consolationis. *Psalm.* 117. Hæc est dies, quam fecit Dominus [vocabit me populus scil. decem tribuum ad me conuersus[vir meus] verus animæ vir, Deus est fœcundans animam ad fœtus spirituales. Vnde *Isai.*4. Voca virum tuum [& non vocabit me vltra Baalim]Baalim interpretatur habens me, quod secundum significationem idem est, quod vir meus. Mulieres enim non dicunt de viro, habens me, nisi de viro suo: *Glossa*, licet rectè possit dici de Deo, habens me, tamen propter similitudinem nominis idoli debet vitari, ne dum virum nominat, idolum cogitet, quod potest propter ambiguitatem verbi contingere. Et hic habemus ex solis vocibus inordinatè prolatis hæresim posse incurri. *Ephe.*5. Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos. Et hoc est quod sequitur[&]id est[auferam nomina Baalim de ore eius] quod scilicet, nec nominare dignetur. *Isa.*30. Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. [& non recordabitur vltra nominis eorum]idolorum scil. *Isa.*26. Vetus error abiit. *Isa.*65. Non erunt in memoria priora, nec ascendunt super cor. Et subdit de fœderis confirmatione, & hoc est.

Hæresis incurritur ex verbis inordinatè prolatis.

Et percutiam cum eis fœdus] hoc est pactum confirmatum [in die illo] claræ scilicet consolationis. *Iere.*32. Feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum. Et post pauca: Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam. Et subdit de securitate pacis[cum bestiis agri]hoc est, cum eo qui modo est bestia, sed in mansuetudinem mutabitur. *Iob* 5. Bestiæ terræ erunt tibi pacificæ [& cum volucre cæli]hoc est, cum instabilibus & rectam viam non cuntibus versis ad stabilitatem, & per contemplationem ad cælum volantibus, & dicentibus illud *Philip.*3. Nostra conuersatio in cælis est[& cum reptili terræ] hoc est, cum dolosis & astutis ad simplicitatem conuersis. *Isa.* 11. Super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet, non nocebunt & non occident in monte sancto meo. Et hoc inducit *Glossa*[& arcum] quod est instrumentum longè feriens [& gladium] quod est instrumentum prope feriens[& bellum]quod in ipsa impugnatione sentitur[conteram de terra] Arcus autem signat insidiosos. *Iere.*9. Sagitta vulnerans, lingua eorum dolum loquuta est. Gladius, minaces & iracundos. *Prou.*30. Generatio quæ prodentibus habet gladios & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra. Bellum, tumultuosos & schismaticos. *Isa.*2. & *Mich.*3. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. *Psalm.* 87. Dissipa gentes, quæ bella volunt[& dormire eos faciam] hoc est, requiescere in bonis meis spiritualibus & temporalibus fiducialiter, supple, timore malorum sublato. *Psal.*4. In pace in idipsum dormiam & requiescam. *Iob* 5. Scies quia pacem habeat tabernaculum suum. *Iere.* 23. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Et subdit de desponsatione charitatis [Et sponsabo te mihi in sempiternum] charitatis scil. coniunctione, quam violari non licet. 2. *Corinth.* 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Quæ desponsatio in quinque fit, quæ per ordinem subiungit, & hoc est. [Et sponsabo te mihi in iustitia] quæ scilicet, ad hanc vitam pertinet, & est obseruatio omnis virtutis cùm implerione legis, vt scilicet nil quam maculata sit in vita. *Ephe.* 5. Vt exhiberet sibi sanctam ecclesiam non habentem maculam, neque rugam[& iudicio] hæc est, boni & mali discretione. *Mich.*6. Iudicabo tibi, o homo, quid sit bonum & quid Deus requirat a te, vtique facere iudicium. *Psalm.* 16. De vultu eno iudicium meum prodeat

Desponsatio Dei cum anima consistit in quinque.

[& in misericordia] ad miserorum scil. miseriam compassione. *Osee* 6. & *Matth.*9. Misericordiam volo & non sacrificium [& in miserationibus] hoc est, effectibus misericordiæ per opus. 1. *Ioan.*3. Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, & habuerit substantiam huius mundi, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo est charitas Patris in illo [Et sponsabo te mihi in fide] ad meipsum scilicet. *Augustinus.* Fides componitur à fio, & dico: vt scilicet, dicta fiant, scilicet quæcunque dixit Deus præcipiendo, & quæ nos vouendo & promittendo. *Eccli.*45. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum. *Apoc.*3. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ [& scies] in his, supple beneficiis meis [quia ego Dominus] *Exod.* 20. Ego Dominus non erunt tibi dij alij præter me. Et subiungit de bonorum omnium prosperitate.

Et erit] nota certitudinis prophetalis est. *Gen.* 41. Firmitatis indicium, quod fiat sermo Domini & velocius impletur [In die illa] dicit Dominus, claritatis meæ scilicet, quando demonstrabo me populo [exaudiam cælos] literaliter & spiritualiter; a viribus enim cæli terra fœcundatur & literaliter & spiritualiter. *Deut.* 33. Cæli caligabunt rore[& illi] scil. cæli [exaudient terram] infundendo ei scil. germinandi virtutem & gratiam. *Isa.* 45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Isa.*55. Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & dat semen serenti, & panem manducanti: sic erit verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud [& terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum] vt scil. abundanter proferantur de terra & spiritualiter & temporaliter, frumentum in refectione verbi, vinum in gaudio spirituali, oleum in pinguedine deuotionis. *Ioel.*2. Ecce mitto vobis frumentum, vinum, & oleum, & replebemini in eis. *Deut.*33. Tantummodo oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. *Psalm.* 4. A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt [Et hæc exaudient Iezrahel]Iezrahel metropolis Samariæ, Samariam signat, Samaria per metonymiam, decem tribus, per interpretationem nominis, omnes conuersos ad Dominum signat. Iezrahel enim semen Dei interpretatur. *Isa.*4. Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. *Psalm.* 84. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum[& seminabo eam mihi in terram] vbertate scil. perpetua. *Iere.*31. Seminabo terram Iuda semine hominum, & semine iumentorum. *Matth.*13. Semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum, aliud centesimum, & aliud sexagesimum, aliud verò trigesimum. Et subdit de cultu [& miserebor eius, quæ fuit absque misericordia] quæ populum captiuum signabat, vel in peccatis, vel in Babylone. *Isa.*54. In indignatione mea abscondi faciem meam paululum a te, & in miserationibus multis assumam te [& dicam non populo meo, populus meus es tu] *Psalm.* 17. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi [& ipse dicet] corde & ore, & opere [Deus meus es tu] *Psalm.* 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. *Apoc.*22. Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cùm eis, erit eorum Deus.

CAPVT III.

Et dixit Dominus ad me.

Similitudo tangitur hic adulteræ ad duas tribus, Diuiditur autem in partes duas. In prima tangit culpæ exprobrationem. In secunda, populi pœnitentis ad Deum reuertionem *ibi* [Post hæc reuertentur] In prima duo sunt, scilicet, similitudinis positio, & eiusdem similitudinis explanatio *ibi* [Quia dies multos sedebunt filij Israël.] In secunda duo sunt, scilicet, præceptum Domini, & obedientia serui *ibi* [Et fodi eam mihi] Dicit ergo [Et dixit Dominus ad me] in illuminatione, scilicet prophetali. *Amos* 3. Dominus loquutus est, quis non prophetabit? [Adhuc vade] Adhuc dicit, quia similitudo prima ad totam malitiam repræsentandam perfecta non fuit. *Iob* 36. Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. Vade dicit, vt de intimis contemplationis, ad exteriora denuntiationis suæ prædicationis ad populum exeat. *Isa.*22. Egredere, & dic eis. *Amos* 7. Tulit me Dominus cum sequerer gregem, & dixit mihi: Vade & propheta ad populum istum [dilige mulierem] bene mulierem quæ ad multos emollita est. *Iere.*3. Tu fornicata es cum amatoribus multis. Dilige dicit: non cognosce vel coniungere. Ex cognitione enim & coniunctione malæ mulieris fœdidatur vir, & mulier similiter. 1. *Corinth.*6. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Et *ibidem*: Tollens ergo membrum Christi, faciam membrum meretricis? Absit. Ex dilectione enim sancti viri, fœdida mulier attrahitur & sanctificatur. *Iere.*31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Eccli.*24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei [dilectam amico] hoc est, ab Amasio, soluto concubitu abutente ea. Vnde *Septuaginta*. Diligentem mala, & hæc est similitudo ad Synagogam ante primam Domini assumptionem. Tunc eam luxuriabatur per idola, quibus nulla lege coniungebatur. Hoc significatum est *Ezech.*8. vbi mulieres domus Israel sedentes in templo, planxerant Adonidem pulchertimum Veneris amasium [& adulteram] hoc dicitur, quantum ad similitudinem duarum tribuum, quæ retento templo tanquam thoro maritali, & retentis Sacerdotibus tanquam paranymphis, & retentis Prophetis tanquam nuntijs sponsi, & retenta lege tanquam pacto matrimonij, idola assumpserunt in templum: quæ omnia decem tribus proiecerunt antequam idola assumerent, sicut legitur 3. *Reg.* 14. & ideo decem tribus fornicariæ, duæ verò adulteræ nuncupantur. *Ezech.*16. Nec facta es quasi meretrix, fabulo adangens pretium, sed facta es quasi mulier adultera, quæ sup virum suum inducit alienum. *Ps.* 17. Iuxta me adcoopertisti, & suscepisti adulteram [sicut] hoc est, in similitudine, qua [diligit Dominus filios Israel,] amore scilicet cultu & sanctificante. *Deut.* 33. Dilexit populos, omnes Sancti in manu eius sunt. Hypallage, hoc est, omnes qui sunt in manu eius, sunt Sancti [&] id est, quamuis [ipsi] sicut ingrati

grati tanto beneficio, respiciunt per intentionem scilicet cordis & cultus [ad deos alienos] hoc est, ad idola aliena à diuinitate, cõtra hoc quod dicitur *Exo.* 20. Non erunt tibi dij alij præter me. Deus enim incommunicabile nomen est eo quod Deus non potest habere alium, nec consortem, nec comparem, nisi contrarium. *Sap.* 14. Incommunicabile nomen lignis & lapidibus imposuerunt. Ad eos respiciunt, quia nuntius cordis est oculus. *Eccl.* 41. Oculus malus ad mala. *Matth.* 20. Oculus tuus nequam est. *Eccl.* 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum eius [& diligunt vinacia vuarum] vinacia sunt acini ab humore pietatis sicci, prauæ voluntate fœtidi, propter inutilitatem proiecti, propter irrationabilem furorem acuti, tamen aliquando dulcedine amoris fuerunt pleni. *Hieron.* Per vinacia intelliguntur dæmones, qui creati sunt in magna pinguedine sancti Spiritus, sed per superbiam arefacti de cælo proiecti sunt, sicut dicitur. *Apoca.* 12. Non valuerunt, nec locus eorum amplius inuentus est in cælo, proiectusque est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas. Hoc plangit *Ieremias Thren.* 4. Qui nutriebantur in croccis, amplexati sunt stercora. Hoc sub eisdem auctoritatibus congruè refertur ad animam per delectabilia luxuriantem, & à Deo recedentem. Et sequitur de obedientia serui sue Propheræ [& fodi eam mihi] Duo dicit, pactum scilicet & pœnam pacti violati *ibi.*

Vinacia.

Dæmones vinacijs comparantur.

Et dixi ad eam [Et quia de vinacijs & vuis dixit, ideo de metaphora adulteræ transit ad metaphoram vineæ [& fodi eam] vt vineam [mihi] hoc est, vt mihi fructus faceret. *Isa.* 5. Vinea fuit dilecto in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam. Palladius dicit in libro de agriculturâ, quod fossio fit vt dulcedo cælestis à superficie terræ in intima defluens, ad radices ponatur, & stirpes inebriet. Vnde. *Luc.* 13. Domine, dimitte illam scilicet ficum & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Vnde Poeta.

Fossa dabit tellus optato tempore fructus.

Quindecim argenteis] argentei tinnuli sunt & candidi, & significant plagas Ægypti tinnulas in fama, candidas in admiratione & splendore diuinæ maiestatis. Quindecim autem dicuntur propter numerum tẽporis, quia quintodecimo die mensis Nisan, hoc est, Martij vel Aprilis, quo Pascha celebratur, perfecta est plaga primogenitorũ, qua educti sunt de Ægypto, & in quatuordecim diebus præcedentibus multæ de alijs plagis perfectæ sũt, quibus plagis quasi fossa est Synagoga vt intimis suis cæleste beneficiũ reciperet & bonos fructus Deo offeret. Prophetæ loco Dei coniungerentur. Vnde *Septuaginta* habet: Conduxi eam mihi. De his autẽ quindecim diebus habetur *Exod.* 12. & 13. Et subdit de alia conductione & fossione [& coro hordei, & dimidio coro hordei] Hordeum significat, quod mereretur & adultera nõ sunt dignæ pane delicato. *Matth.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. Concupiscentia enim carnalis hominem ad iumentum transfert, vt dicit *Plato. Psal* 31. Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. *Dani.* 4. Cor eius ab humano mutetur, & cor feræ detur ei. Hordeum autem cibus est iumentorum, significat autem literalem intelligentiam & temporales promissiones quibus animales homines nutriuntur, 1. *ad Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Et talia Iudæis exhibita sunt. Corus autem, vt dicitur *Exod.* 46. triginta modios habet, dimidius autem quindecim, qui simul iuncti, faciunt quadraginta quinque, & significat, quod quadragesimoquinto die ab exitu de Ægypto ad montem Sina populus Israeliticus deuenit, istamque vocem præconis clamatum est quadragesimosexto die, vt sanctificarentur per tres dies ad acceptionem legis, & quinquagesimo die Moyses in montem ascendit & legem accepit, quæ populus sicut vero viro, Deo coniunctus est. In xlv. ergo diebus semper modium diuinæ gratiæ recepit, scilicet in columna ignis & nubis, in diuisionibus maris, in submersione Ægyptiorum, in dulcoratione aquæ, in administratione manitatis & cornucum, in victoria contra Amalech, & in alijs similibus quæ per singulos dies receperunt, & ideo xlv. modijs ad coniunctionem viri conducta est. Hordeo autem, quia meliori digna non fuit. 3. *Reg. vlt.* Cibate eum pane tribulationis & aqua angustiæ. *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum & aquam breuem [& dixi ad eam] enartando scilicet sæpe pœnam debitam [Diebus multis expectabis me] per totum scilicet tempus Babylonicæ & Romanæ captiuitatis. Dicit autem expectabis, *Septuaginta.* sedebis, quia (sicut ante dictum est) idolis per totum tempus non coniungentur, sed attendent ad misericordiam Dei reuocantis. *Thren.* 3. Pars mea, Domine, dixit anima mea, propterea præstolabor eum. *Habacuc* 2. Si moram fecerit, expecta eum. Et quia mulieri propter fornicationem à thoro viri separatæ, licentia fornicandi non datur, ideo sequitur [non fornicaberis] *Ephe.* 5. Omnis fornicator, aut immundus, aut auaras (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatẽ in regno Christi & Dei. Et quia per totum tempus captiuitatis, quod est quasi tempus pœnitentiæ, vero Deo per cultum legis & templi non coniungitur, ideo sequitur [& non eris viro] *Hieron.* Nec mihi, à quo conducta es, legitime coniungeris. *Isa.* 54. Vt mulierem derelicta & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam. Et quia iterum vir derelinquẽs vxorem non nubit alteri, sed expectat reconciliationem, vt dicit *Apostolus* 1. *Corin.* 7. quod oportet eam manere inuptam, vel viro reconciliari, ideo sequitur [sed & ego expectabo te] *Isa.* 30. Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur, parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus, beati omnes qui expectant eum. Hoc sub eisdem auctoritatibus refertur ad animã propter peccatum ab amplexibus viri separatam in tristitia pœnitentiæ sedentem, & viri reconciliationem præstolantem, vt iterato ad dulcissimos amplexus admittatur.

Quia dies multos] explanat hic quod dixit, non eris viro [quia dies multos] vtrinque scilicet captiuitatis Babylonicæ & Romanæ. *Hieron. in Epistola.* Ingressi in Babylonem, vixit ibi annis plurimis, & in tempus longum [sedebunt] *Glossa*, Quasi contracti & mœsti homines sicut pœnitentes sedere consueuerunt. *Mich.* 7. Cum sedeo in tenebris, Dominus lux mea est. *Thren.* 3. Sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se super se [filij Israël] ad Deum scilicet pertinentes. *Iere.* 2. Sanctus Israël Domino est primitiæ frugum eius [sine Rege] qui scilicet in iustitia regat [& sine principe] qui scilicet in partem solicitudinis sit vocatus. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit rex & principes in iudicio perent, & hoc quantum ad rempub. & quantum ad Deum subdit [& sine sacrificio] quo scilicet expiari possint peccata. *Da.* 3. Non est in tempore hoc princeps & dux aut Propheta, nec holocaustum, nec sacrificium, nec oblatio, nec incensum, nec locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam [& sine altari] Non enim habebant locum memorialis tituli in templo vel altari. *Thren.* 2. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ [& sine Ephod] *Hieron.* Ephod propriè superhumerale dicitur, sed hic pro omni vestimento sacerdotali accipitur. Vnde sensus est, sine omnibus præparamentis sacerdotalibus. 1. *Reg.* 2. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo, quod Ephod munditiam conuersationis & castitatis corporis signat, quo videmus Sacerdotes nostri temporis esse destitutos. 2. *Machab.* 4. Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti erant, sed contempto templo & sacrificiis neglectis, festinabant participes fieri palestræ & præbitionis eius iniustæ, hoc est, militaribus se dabant rebus [& sine Teraphin] Theraphin idem est quod figura, & signat omnes figuras ad ornatum templi pertinentes, sicut Cherubin & cælatura palmarum, & figura boum sub mari æneo, & malogranatorum, & retiaculorum, & aliorum quæ ad speciem anagliphi in templo facta sunt. Signant autem exempla Sanctorum quibus peccator destituitur, quia nullum Sanctorum imitatur, sicut *Ieremias* conqueritur *Thren.* 1. Egressus est à filia Sion omnis decor eius. Decor enim viri boni est, quod assimilatus sit exemplis Sanctorum.

Ephod.

Theraph.

Et post hæc] Tangit hic reuersionem populi per pœnitentiam, maximè temporibus nouissimis, quando videntes se deceptos in Antichristo, omnes reuertentur ad Christum [Et post hæc] scilicet tempora pœnitentiæ [reuertentur filij Israël] per pœnitentiam scilicet *Baruch* 4. Sicut auersi fuerunt sensus vestri vt prouocaretis Deum, decies tantum conuertentes requiretis eum. *Isa.* 35. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius [& quærent Dominum Deum suum] Dominum qui potestate continet, diuitiis remunerat, authoritate superpositionis legem ponit. *Psalm.* 49. Deus Deorum Dominus loquutus est, Deum autem qui omnibus prouidet qui bonitate sua fruuntur. Deus enim à theoro theoras, quod est video vides, dicitur. *Psalm.* 39. Dominus solicitus est mei. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum [& Dauid regem suum] supple, quærent, quod quia literaliter, nisi fabulosè, intelligi non potest, ad Christum referimus. *Rom.* 1. De filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. *Iere.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum & regnabit rex & sapiens erit [& panebunt] hoc est, stupebunt præ admiratione mirabilium Domini scil. & ideo addidit [ad Dominum] *Iere.* 5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra [& ad bonum vel ad bona eius] Bonum enim filium misit in carnem ad sanctificandum naturam, bonum etiam Spiritum sanctum in mentem ad sanctificandam animam, & bona præparauit ad remunerandum meritum. *Iere.* 32.

Deus.

Confinent vndique ad bona Domini. *Psalm.* 40. Credo videre bona Domini. *Isa.* 55. Audite audientes me, & comedite bonum. *Iere.* 31. Populus meus replebitur bonis [In nouissimo dierum] hoc est, vel in nouissimo temporum post Antichristum, vel quando lux huius seculi occumbit ab appetitu. *Isa.* 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini. Et post pauca: Et fluent ad eum omnes gentes.

CAPVT IV.

Audite verbum Domini filij Israël.

POst similitudines inductas inducit prophetiam iuxta similitudinem sumptam, & more Prophetali diuiditur in duas partes. In prima ponit terrorem peccantium: in secunda consolationem pœnitentiam *infra* 14. *ibi* [Conuertere Israël] Anterior pars in duas diuiditur, in quarum prima ostendit fornicationem in abundantia peccatorum: in secunda specialiter reprehendit authores alios inducentes in peccatum *infra* 5. *ibi* [Audite hoc Sacerdotes] Prima adhuc in duas. In prima exaggerat reprehensionem à multitudine peccatorum: in secunda coaptat hoc ad similitudinem fornicationum *ibi* [Fornicati sunt, & non cessauerunt] Prima adhuc in duas. In prima tangit peccatorum multitudinem: in secunda peccantium incorrigibilitatem *ibi* [Verumtamen vnusquisque non iudicet] In prima duo sunt, prouocatio scil. ad iudicium, & causa iudicij *ibi* [Non est enim veritas] Dicit ergo [Audite verbum Domini] Audite, inquam, intus ad perceptionem. *Matth.* 13. Qui habet aures audiendi, audiat. *Isa.* 55. Audite audientes me [verbum] quod fons sapientiæ est ad intellectus illuminationem. *Eccli.* 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis [Domini] quod authoritatem habet. Dominus enim audiendus est. *Isa.* 1. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est [filij Israël] vt scilicet tanti patris vos proberis esse imitatores. Israël enim & vidit & audiuit Dominum. *Gen.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Isa.* 44. Et nunc audi Iacob serue meus, & Israël quem elegi. Et subiungit causam quare audiendus sit [quia iudicium Domino] supple, est, & iudicium discussionis, & conuictionis. *Mich.* 6. Audite quia Dominus loquitur: Surge, contende iudicio aduersum montes, audiant colles vocem tuam [cum habitatoribus terræ] id est, contra habitatores terræ, & dicuntur terræ habitatores, terrenorum amatores. *Mich.* 6. Audiant montes iudicium Domini, & fortiora fundamenta terræ; quia iudicium Domini esse cum populo suo, & cum Israël iudicabitur. *Isa.* 24. Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et subdit causam quia iudicanda est. Primo in speciali peccato cordis, & oris, & operis. Et secundo in generali, deinde populo commisto interminatur pœnam. Peccatum cordis exaggerat tripliciter scil. in defectu veritatis rectificantis, & defectu misericordiæ ad proximum inclinantis, & defectu scientiæ ad Deum ordinantis.

Non est enim veritas] Veritas hic dicitur rectitudo rectificans omnia, quia ad vitam, & ad iudicium,

Veritas.

dicium, & ad doctrinam pertinent. Dicit enim *August.* quod veritas est rectitudo sola mente perceptibilis, qua scil. mens quæ à mensurando dicitur, omnia deducit ad rectum. *Isa.* 38. Osecro Domine, memento quod ambulauerim coram te in veritate. *Ioan.* 8. Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. *Ioan.* 5. Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quoniam in Deo sunt facta [& non est misericordia] inclinans scil. ad compassionem sui vel proximi. *Iere.* 6. Crudelis est & non miserebitur. *Thren.* 4. Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto, cuius naturæ dicitur esse, quod etiam propriis ouis non miseretur. *Iob* 39. Struthio dimittit in terra oua sua, obliuiscitur quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat [& non est scientia Domini in terra] Scientia dicitur habitus & virtus faciens scire quæ ad Deum iusta sunt, hæc non est in terra, hoc est, in terrenis cordibus. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Iere.* 9. Renuerunt me scire. Econtra dicit *Apostolus* 1. *Corinth.* 2. Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum [male dictum] tangit peccata verbi, maledictum scil. & mendacium. Maledictum scilicet quod maledictum, & est peruersus actus in verbo [& mendacium] quod est peruersus actus in verbo cum iniuria proximi *Eph.* 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed siquis bonus est ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Mendacium autem quia deceptio est, cum iniuria proximi est. *Ephe.* 4. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Et subdit de peccatis operis [& homicidium] quod est iniuria proximi in substantia indiuidui. *Exod.* 20. Non occides [& furtum] quod est iniuria proximi in eo quod sustentat substantiam indiuidui. *Exod.* 20. Non furtum facies [& adulterium] quod est iniuria proximi in eo quod est ordinatum ad propagationem speciei. *Exod.* 20. Non mœchaberis. Et subiungit generaliter [& sanguis sanguinem tetigit] Sanguis hic dicitur corruptio sanguinis. Vnde quia de corruptione sanguinis peccata oriuntur, idem est dicere, quod corruptela peccati peccatum attraxit. *Psalm.* 50. Libera me de sanguinibus Deus Deus meus. Et exaggerat in pœna hic quod dixit in culpa [Propter hoc lugebit terra] per metonymiam, hoc est, terrebit. Peccatum enim non nisi luctum afferre potest. *Num.* 6. Quem fructum habuistis nunc, in quibus nunc erubescitis. *Iere.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum, vt scilicet in pœnis lugeant, qui in deliciis, in malis gaudijs viuentes. *Matth.* 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur [& infirmabitur omnis qui habitat in ea] Duplicitet infirmabitur, vno quidem modo, quia cum hæc ad vsum hominis creata sint, deficiente habitatore & ipsa deficient, & hæc est sententia *Augustini. Glossa.* Naturale est, vt habitatore subiato, bestiæ quoque & volucres cæli & pisces deficiant, hæc enim propter hominem creata sunt, & homine deficiente deficiunt [in bestiis agri & in volucre cæli] bestiæ dicuntur quasi rastiæ, & signant tyrannos; volucres autem quasi volabiles dicitur, tenet signant & ambitiosos. *Psal.* 128. Bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ [sed & pisces maris congregabuntur] Tres sunt fines terrenorum, diuitiæ, deliciæ, & honores. Per auaros enim qui diuitias concupiscunt signantur bestiæ, quia omnia vastant: volucres ambitiosos signant, quia sublimia petunt. *Matth.* 13. Volucres cæli comederunt illud. Pisces autem signant voluptuosos qui deliciis intendunt. *Psal.* 8. Volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. In aquis enim voluptatum mitiuntur.

Struthio nec suis ouis parcit.

Mendacium.

Peccatum non nisi luctum paris.

Terrenorum hominum tres sunt species.

Veruntamen] Hic tangit de incorrigibilitate [Veruntamen vnusquisque non iudicet] sanctus, scilicet, impium, quoniam correptionem non suscipit, & ideo correctio desperata est, propter quod iudicium correptionis inutile est. *Eccli.* 11. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris [& non arguatur vir] vires scilicet habens in peccatis, quia redargutionem non suscipit. Contra quod dicitur *Eccli.* 20. Quàm bonum est arguere, quàm irasci. *Psal.* 140. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Et subiungit causam [Populus enim tuus, non meus, sicut hi qui contradicunt Sacerdoti] Sacerdos enim sanctitate & reuerentia audiendus erat, & contradicere sibi nefas erat. *Thren. vii.* Facies Sacerdotum non erubuerunt. *Isa.* 24. Fiat populus sicut Sacerdos. Ita enim facile contradicitur Sacerdoti sicut vni de populo, cuius ratio redditur in *Psal.* 13. Quia scilicet Sacerdotes declinant in consensum peccati populi [& cornes hodie] pœna est, & dicit hodie, quia in præsenti, durante scilicet præsentium vita. *Psal.* 33. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. *Isa.* 3. Rade populus, vir ad virum [& corruet etiam Propheta tecum] dupliciter, bonus & malus. Malus, quia confortauit populum ad malum. *Isa.* 9. Propheta doceat mendacium, ipse est causa. Vnde *Synagoga* in hoc loco sic habent, Vt nullus neque iudicetur neque arguatur quisquam; populus enim meus quasi Sacerdos cui contradicitur, & infirmabitur per diem, & infirmabitur etiam Propheta tecum. *Hieron.* Quod dicit, hodie, aut præsens tempus signat, aut non fraude & insidijs, sed clara luce in captiuitatem deducendos. Significat autem quòd nec in hac die de vita securi sumus. *Luc.* 19. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Vnde mortui introducuntur loquentes ad viuos. *Eccli.* 38. *Memor esto iudicij mei, quoniam sic erit & tuum, mihi heri, tibi hodie. Vnde iterum, quod non expedit differre conuersionem. Eccli.* 5. Ne tardes conuerti ad Dominum. Et Martialis coquus,

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Viuam.
Sera nimis vita est crastinus, ecce, hodie.

Propheta enim hoc peccato populi corruit propter compassionem, quia non recedunt ab eis, 2. *Reg.* 18. Quis mihi det vt ego moriar pro te Abisalon fili mi? Propheta autem multitudine peccati puniuntur. *Isa.* 9. Propheta doceat mendacium, ipse est causa.

Nocte tacere quia scilicet peccatum inundauit & correctio desperata est, non ab illo fecerunt ponere ad caliceum [illegible] 5. Et ideo subdit hic de pœna, & dicit [illegible] quod scribitur obmutescere [illegible] quod omnes [illegible] quod Sacerdotis à populo [illegible] & quod pœnæ ad peccatum [illegible] proportio, & hæc per ordinem fuit in [illegible]. Dicit igitur [illegible] tribulationis. Nox enim [illegible] dicitur, & ablatiuus

Sacerdotis sententia est necessaria.

ablatiuus, construitur in habitudine causæ efficientis, [tacere] hoc est, obmutescere, [feci matrem tuam,] synagogam scilicet. Dicitur autem nox angustia, quia nocet ad libere vacandum sensibilibus delectationibus. Mater autem dicitur Synagoga, & quilibet de populo dicitur filius. *Hieron.* Tam grave erit hoc malum, quod in hac nocte, hoc est, in tenebris & in angustia captiuitatis nom audebit quisquam proferre malum suum coram hostibus, sed populus comprehensus tabescet silentio. 2. *Reg.* 2. Impij in tenebris conticescent. *Sap.* 17. Vna catena tenebrarum omnes conclusi erant. Hoc plangit *Iremias Thren.* 3. Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. *Iob* 3. Nocten illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine. Et quia metaphoricè loquutus est, ideo exponendo subdit [conticuit populus meus] hoc est, Synagoga quæ mater vocabatur. *Psalm.* 62. Obstructum est os loquentium iniqua. *Thren.* 3. Sedebit solitarius, & tacebit. *Matth.* 22. At ille obmutuit: & exponit metaphoram noctis, eo quod non habuit scientiam] intus scilicet cor, tanquam dies illustrantem. *Sap.* 17. Solis illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, qui superueniuna erat illis, ipsi ergo sibi graniores erant tenebræ. Congruum enim fuit, vt de nocte interiori ad exteriorem noctem carceris discerentur. *Matth.* 22. Ligatis manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. *Psalm.* 81. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Lex enim & prophetia sapientia diuina lumen sunt. *Sap.* 18. Inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari. Et quia adhuc metaphoricè loquutus est, vlterius explanat [quia tu scientiam repulisti] Aliud est enim ignorare, & aliud scire nolle. *Ioan.* 3. Lux in mundum venit, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. *Psalm.* 35. Noluit intelligere vt bene ageret. 1. *Reg.* 2. Filij Heli, filij Belial nescientes Dominum & officium Sacerdotum ad populum. Et hoc est quod sequitur [Repellam te ne sacerdotio fungaris mihi] *August. super epistolam Iacobi.* In officio sacerdotis non potest non peccare qui non habet scientiam. Et literaliter loquitur de illis Sacerdotibus qui à Ieroboam è populo propter munera assumpti sunt ad idola, repulsis Sacerdotibus Domini, 3. *Reg.* 13. Hæc repulsio etiam illis Sacerdotibus dicitur, qui consentiunt in malis subditis suis. Hoc signatur *Isa.* 22. per repulsionem Sobnæ, qui fuit præpositus templi. Sobna enim diuertens vel diuerticulum interpretatur. Vnde *ibidem* dicitur: Repellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Hinc ortum habuit ius quod dicit, propter ignorantiam, eleguntur in Episcopum esse deponendum. Et explanat vlterius [&] quia oblita es legis Dei tui] quæ scilicet incorruptum lumen facit in corde. 2. *Cor.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris. *Psalm.* 1. In lege eius meditabitur die ac nocte: obliuiscar filiorum tuorum & ego] id est, à corde repellam quod non liberem. *Psal.* 87. Quorum non est memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Hæc sub eadem metaphora & sub eisdem auctoritatibus ad ignorantes & in infernum condemnandos referuntur. *Iob* 3. Dies illa versatur in tenebras, non requirat illam Deus desuper, & non sit in recordatione. Et subdit, quod omnes inuoluet, vt sicut similes sunt in culpa, sic similes fiant in pœna. Et hoc est [Secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi] *Hieron.* Quasi quot homines habuit Israel, tot atas extinxit dæmonibus. *Psalm.* 13. Omnes declinauerunt; simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. *Iere.* 5. Circumite vias Ierusalem & aspicite & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem, & propitius ero eis. Et propter hoc subdit generalem pœnam [gloriam eorum] hoc est, id in quo gloriantur, in ignominiam commutabo [captiuitatis scil. vel damnationis. 2. *Machab.* 1. Secundum gloriam eius, ita & ignominia eius. *Apoc.* 18. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et ne credatur Sacerdos distingui propter ordinem, subdit [peccata populi mei comedent] supple, Sacerdotes, hoc est, pro peccatis oblata aude devorabunt, & in deliciis conlument. Vnde de Sobna *Isa.* 22. dicitur: Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, iugulare arietes, comedamus & bibamus [& ad iniquitatem subleuabunt animas eorum] malo scilicet exemplo, & doctrinæ subuersione. Vnde *Malac.* 2. dicitur Sacerdotibus: Vos recessistis à via & scandalizastis plurimos in lege [&] ideo, supple [sicut populus] supple puniemur [sic & Sacerdos] & plus. *Sap.* 6. Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter torquebitur patientur. *Isa.* 24. Et erit sicut populus sic & Sacerdos. Et subdit de pœnæ proportione contra culpam [Et visitabo] Visitare est frequenter ad visum reducere, vt actus & circumstantiæ & fines circumspiciantur. Et hoc est quod hic dicitur [super eam hoc est, ad opprimendum eam] vias eius] opera scil. *Isa.* 24. Visitabit Dominus super militiam cæli in excelso. *Isa.* 13. Visitabo super orbis mala. *Psalm.* 58. Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Viæ autem sunt opera. *Prou.* 4. Viæ impiorum tenebrosæ nesciunt vbi corruant. Et ne credatur, quod tantum opera condemnet, subinferit [& cogitationes eius reddam ei] id est, cogitationes condemnabo. *Hieron.* Non solum enim opus, sed & cogitatio operis mali pœnas luit. *Hebr.* 4. Discretor cogitationum & intentionum cordis. Et subdit pœnam de tanta culpa [& comedent & non saturabuntur] in obsidione scilicet ciuitatis, non de tritico & vino, sed immundissimo cibo. *Deut.* 28. Tenera mulier & delicata qui super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem & tenerrimam nimiam, inuidebit viro suo qui cubat in sinu suo super filij & filiæ suæ carnibus & illuuie secundinarum, quæ egrediuntur de medio feminum suarum, & super infantibus qui eadem hora nati sunt. *Glossa* tamen dicit, quod iniquitas non saturat, sed iustitia. *Matth.* 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Prou.* 13. Iustus comedit & satiabit animam suam, venter autem impiorum insatiabilis. *Eccli.* 14. Insatiabilis oculus cupidi in partem iniquitatis non saturabitur.

Fornicati sunt] Tangit hic eorum quæ dicta sunt adaptationem ad similitudines præmissas, ostendens quomodo luxuriati in idolis & delectabilibus, fornicatio est. Et circa hoc dicit duo, scilicet fornicationem decem tribuum, & reuocationem

tionem à fornicatione duarum *ibi* [Si fornicaris tu Israël] Dicit autem quinque in prima, scilicet quod fornicati sunt, in quo, & vbi, & subiungit pœnam fornicationis & impunitatem eorum qui fornicantur corporaliter, in pœnam fornicationis spiritualis [fornicati sunt] per idola & delectabilia defluentes, hæc enim est fornicatio spiritualis [& non cessauerunt] quia libido inexplebilis est etiam viribus deficientibus, vt dicit *Hiergn, Iere.2.* Omnes qui quærunt eam non deficient, in menstruis suis inuenient eam [quoniam Dominum dereliquerunt] in non custodiendo, præcepta eius supple. *Isa.1.* Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Et subiungit rationem [Fornicatio] in amore scilicet, delectabilium vel idolorum [& vinum] opilans scilicet mentem in delectatione mundialium gaudiorum [& ebrietas] secularium vanitatum & deliciarum [auferunt cor] hoc est, regnum cordis. Vnde Poëta.

Libido inexplebilis est.

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Illa pudore caret, liber amórque metu.

Item Poëta alius:

Omnis amor cecus, non est iudex amor æquus.
Inde forma pecus congerit omne decus.

Et vinum] temporalis iucunditatis. *Ephes.5.* Nolite inebriari vino, in quo est luxuria [& ebrietas] vel extra briam vel extra briantem, accepta bria mensura. Brians autē est scyphus sufficiens naturæ hominis ad bibendum, & sicut dicit *Hieron.* est hic emphasis. Corporale enim refertur ad res spirituales, & auferre cor, est auferre regnum cordis. Quod enim fornicatio cor auferat, per hoc patet quod dicit *Homerus*: Idoli complicatrix Venus & cingulum Veneris, hoc est, concupiscentia furata est mentem valde sapientum. Quod vinum auferat. *Prou.20.* Luxuriosa res est vinum, tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur, non erit sapiens. Quod ebrietas auferat, per se patet, quia ebrij insani sunt. *Ephe.5.* Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. In quo autem ita luxuriati sunt, subdit [populus meus in ligno suo interrogauit] hoc est, in idolis ligneis quæ sine vita sunt [& baculus eius annuntiauit ei] *Hieronymus.* Genus erat diuinationis quod fiebat in ligno & baculo, quo futurorum captabantur auguria. Vnde & in Ezechiele legitur *cap.21.* Stetit rex Babylonis in biuio diuinationem quærens, commiscens sagittas. Et hoc est genus diuinationis, quod radomantia vocatur, vbi scilicet sagittæ vel hastulæ commiscentur, & diuersis euentibus & nominibus inscribuntur, & postea casu leuantur, & quæcunque occurrunt ad illius omen actus diriguntur. Et hoc est quod hic dicit. *Isa.8.* Si dixerint vobis, Interrogate à pythonibus & à diuinis qui strident in incantationibus suis; supple, respondere: Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem? pro viuis à mortuis? Et subiungit causam quare tam fatuas habebant interrogationes [Spiritus enim fornicationum decepit eos] vel Spiritus scilicet malignus, vel proprius delectabili fornicationis informatus, ille enim spiritus multos decipit. *Dan.13.* Spiritus decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Et ideo sequitur [& fornicati sunt à Deo suo] per luxum scilicet diuersorum delectabilium defluxerunt. *Isa.24.* Defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ Vbi autem subdit [super capita montium] vbi scilicet Ioui sacrificabatur. *Psalm.77.* Iniram prouocauerunt eum in collibus suis [sacrificabant] Ioui scilicet [& super colles] inferiores scilicet, vbi Diis inferioribus sacrificabant, Diis scilicet quos putabant inferiorum dignitatum habere potestatem. *Iere.3.* Abiit sibimet super omnem montem excelsum [accendebant thymiama] sicut dicitur *Exod.30.* De quatuor aromatibus componebatur, stacte scilicet, & onycha, galbano, & thure lucidissimo æqualis ponderis, quod non licebat offerre nisi soli Deo, quia deuotionem cordis & orationis non licet offerre nisi Deo [subtus quercum] quæ cibum fert porcorum, hoc est, concupiscentiæ carnalis fomentum [& populum] qui iuxta aquas insipidas stans, secularis famæ præstat odoramentum [& therebintum] quæ balsami odorem mentitur, & signat hypocrisim in simulando virtutes & dissimulando vitia. Vbi scilicet Veneri sacrificabatur, sicut dicit *Vitruuius*, & ibi scilicet idola ponebant. Propter hoc præcipitur, vt dicit *Glossa*, quod lucus circa templum non plantetur, *Deut.16.* Non plantabis lucum. Et subiungit rationem [quia bona est vmbra eius] id est, incitans ad delectationes Veneris. *Iere. 3.* Sub omni ligno frondoso tu prosternedris meretrix, sicut etiam seculares refrigerium delectationum secularium quærunt, sicut de diabolo mentium corruptore legitur *Iob* 40. Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Et propter hoc subdit instam pœnam [Ideo fornicabuntur filiæ vestræ] quod est, ab hostibus corrumpentur in oculis vestris. *Thren.vlt.* Mulieres in Sion humiliauerunt & virgines in ciuitatibus Iuda. Et hoc est quod sequitur [& sponsæ vestræ adulteræ erunt] Sic enim Prælatis commissæ animæ & in proposito virginitatis & in sanctitate matrimonij quotidie corrumpuntur propter negligentias eorum. *Iob* 31. Scorrum sit alterius vxor mea, & super illam incurrentur alieni. Et quod hoc impune faciant, subdit [non visitabo super filias vestras] per vindictam scilicet. Zelum enim aufert ab eis, cum fuerint fornicati, in domibus patrum suorum scilicet [& super sponsas vestras] hoc est, vxores [cum adulterauerint] quia coram iusto iudice fornicator fornicariæ & adulter adulteræ nihil potest obiicere, & ideo iudex non potest procedere. *Iean.8.* Siquis sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Cum enim conquerens & reus in simili peccato sunt, pari pœna feriendi sunt, & vnus ad accusationem alterius non debet condemnari. *Rom.2.* In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Et huius subiungit rationem [quoniam ipsi] scilicet patres filiarum & mariti sponsarum [cum meretricibus conuersabantur] Scenicæ meretricilæ nudæ currebant circa templum Veneris, & moniales Veneris funibus sedebant colligatæ omnium expositæ libidini, vt dicit *Hieronymus in epistola*; sicut & nostri temporis & virgines & mulieres faciunt. *Ezech.16.* Abominabilem fecisti decorem tuum, & diuisisti pedes omni transeunti [& cum effœminatis sacrificabant] effœminati dicuntur dupliciter, vel execti, vel qui se per sodomiam euphœbos ademptis nuptiis (vt dicit Eusebius) conlectauerunt. Vnde *Ioel*, 3. Posuerunt puerum in prostibulo. *Isai.* 3. Effœminati dominabuntur eis. Isti sunt (vt dicit *Glossa*) canonici Maacha matris regis Asa, quæ fecit templum & posuit simulachrum turpissimum Priapi scilicet ad adorandum. *2. Paralip.15.* Hoc est Phogor

Fornicatio cor aufert.

gor siue Beelphegor, quod fuit idolum Tentigionis. *Psalm.105.* Initiati sunt Beelphegor. Hoc idem continetur. *Numer.* 25. Quare autem ista omnia faciat, subdit [&] idest, quia [populus non intelligens] hoc est, intelligere nolens [vapulabit] dignis scilicet plagis. *Luc.12.* Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Et ab his reuocat Iudam, dicens.

Si fornicaris tu Israël] hoc est, decem tribus, hoc est, quamuis fornicaris [non delinquat saltem Iuda] id est, duæ tribus, quia illæ habebant Prophetas & Sacerdotes & templum, quæ omnia decem tribus abiecerant, & ideo irrationabilius est duas quam decem tribus post idola fornicari. Et hoc per simile dicitur Laico & Sacerdoti, inconuenientius est enim Sacerdotem peccare quam Laicum. *Iere.11.* Quid est quod dilectus meus in domo mea operatur scelera multa? In quod autem fornicari possit, dissuadendo subdit [&] id est [nolite ingredi in Galgala] quod reuelatio vel volutabrum interpretatur: reuelatio scilicet, quia putabant ibi idola responsa dare; volutabrum autem secundum veritatem, quia luto idololatriæ & fornicationis ibi polluebantur. *2. Pet.2.* Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro lutí [& ne ascenderitis in Bethauen] quæ prius Bethel, hoc est, domus Dei vocabatur, postquam Ieroboam posuit ibi idolum, Bethauen, hoc est, domus inutilis vocabatur, quia populum Deo dedirum inutilem fecit. Et intendit extirpationem idolorum, ne in eorum phana introeantur, sicut & Clericis & Religiosis suadetur, ne secularibus se misceant. *2. Corinth.6.* Quæ pars fidelis cum infideli, aut quæ communicatio templo Dei cum idolis? [neque iurauerítis, viuit Dominus] Per mortuos enim Deos, sicut per viuentem Deum iurari non potest: vanum enim esset, quia idolum non viuit. *Exod.20.* Non assumes nomen Dei tui in vanum. *Psal.* 49. Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Iuramentum enim per mortuum Deum non tenetur, quia scitur, quod mortuus Deus non vindicabit periurium. *Sap.14.* Dum confidunt in idolis quæ sunt sine anima, male iurantes noceri se non sperant. Et subdit causam [Quia sicut vacca lasciuiens declinauit Israël] vacca magis lasciuiens est quam bos, & signat eos qui propter lasciuiam declinant à iugo Domini. *Amos* 4. Audite hæc vaccæ pingues, qui estis in monte Samariæ. *Iere.2.* A seculo confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, Non seruiam. Et huius peccati sequitur pœna [nunc pascet eos Dominus] hoc est, spatiosa pascua exhibebit, vt per totum mundum per latitudinem captiui ducantur [quasi agnum in latitudine] *Isa.22.* Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam, ibi morieris. Agnus enim ibi ponitur, non pro simplicitate, sed pro fatuitate. Agnus enim sibi permissus ita in os lupi, sicut ad pastorem currit [particeps idolorum Ephraim] Pro parte enim quæ Deus est, idolum assumpsit. *Thren.3.* Pars mea Dominus, dixit anima mea. Hæc pars non sufficit ei, sed commutauit illam partem in idolum. *Num.* 18. Ego ero pars eorum. *Psal.15.* Dominus pars hæreditatis meæ. Et miserum est partem istam in dolum commutare. Ephraim autem vocat decem tribus propter Ieroboam, qui primus rex fuit earum qui fuit de Ephraim, & quia particeps idolorum est, ideo supple [dimitte eum] ô Iuda. *Matth.18.* Si Ecclesiam non audierit, sit tibi quasi Ethnicus & Publicanus. *1. Corinth.5.* Auferte malum ex vobismetipsis. *Matth.5.* Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te. Supple, quia [separatum est conuiuium eorum] à tuo scil. Et videtur tangere illud, quod tribus vicibus ascenderunt in templum, vbi conuiuiis & epulis gaudebant coram Domino, sed modo quia decem tribus ibant ad idolum, dicit conuiuium esse separatum. *Prou.23.* Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus & dantes symbola, consumentur. *In epistola Iude.* Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes, hoc est, maculosè, sine timore semetipsos pascentes. Hoc contra gulosos est. Hinc ortum habuit, quod excommunicatis in mensa non licet communicare. *2. Corinth.5.* Si is qui frater nominatur, est ebriosus aut auarus aut idolis seruiens aut fornicator, cum huiusmodi nec cibum sumere. In quo autem conuiuium sit separatum, subdit, supple, quia [fornicatione fornicati sunt] hoc est, fornicatione idolorum fornicati sunt, luxu delectabilium. *Isa.57.* Vos autem accedite huc filij augurátricis, semen adulteræ & fornicariæ. Quæ autem sit causa fornicationis, subinfert [Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius] hoc est, qui debebant esse Protectores, Reges, & Sacerdotes. Dilexerunt, hoc est, ex magna dilectione & delectatione afferre ignominiam, hoc est, ignominiosum idolum, quod nec nomine dignum est, & quod omnis mali causa est & initium & finis. *Psal.72.* Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transiuerunt in affectum cordis. Quæ autem sit causa tantæ dilectionis in malo, subdit, supple quia [liganit eum spiritus in alis suis] hoc est, Israëlis. Homo enim duas alas habet liberas, rationem scilicet, & voluntatem; quibus volare deberet ad verum, & ad bonum: sed ligatur ala voluntatis libidine, & ala rationis errore, & hoc à spiritu maligno qui idolorum spiritus est. Istæ sunt duæ alæ, de quibus *Apoc.12.* dicitur: Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum. Has optat Ecclesia in *Psalm.54.* Quis dabit mihi pennas, hoc est alas, sicut columbæ: & volabo & requiescam? De ligamine autem dicitur *2. Paral. vlt.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi. Et ideò, supple [confundentur à sacrificiis suis] hoc est, pro sacrificiis suis; non enim sacrificia sunt, quia non sacrum faciunt, sed prophanationes. *Psalm.24.* Confundantur omnes iniqua agentes supernacuè.

CAPVT V.

Audite hoc sacerdotes.

Hic incipit agere de peccatis principum, qui causa peccati populi fuerunt. Principes autem sunt seculares & spirituales, hoc est, Sacerdotes & Reges. Diuiditur autem pars ista in duas partes, in quarum prima exaggerationem ponit peccati: in secunda clamorem Prophetarum contra peccatum *infra octauo ibi* [In gutture tuo sic tuba] Prima in duas diuiditur. In prima agit de peccato

peccato principum in se:in secunda,qualiter principes ad suum peccatum inducunt populum *Infra 7.ibi*[Cum sanare vellem Israël] Adhuc prima diuiditur in duas, in quarum prima probat peccatum & peccati irremediabilitatem:in secunda ostendit, quod in conuersione non habebunt indulgentiam *infra 6.ibi*[In tribulatione sua] Prima adhuc diuiditur in duas,in quarum prima probat peccatum:in secunda probat,quod nec in Deo nec in homine inuenient remedium *ibi*[In gregibus suis] In prima quatuor paragraphi sunt , in quorum primo Sacerdotes & Reges & populum prouocat ad iudicium. In secundo , causam quæ discutienda est in iudicio *ibi*[Quoniam laqueus]In tertio ostendit,quòd nihil latebit in iudicio *ibi*[Et ego eruditor]In quarto,quod culpæ proportionabitur pœna *ibi*[Et respondit arrogantia Israël]Dicit ergo.

Audite hoc Sacerdotes] quod enim peccata inundauerunt,maximè culpa Sacerdotum est , qui corrigere potuerunt & debuerunt. *Isa.* 55. Audite audientes me & comedite bonum. *Hieren.* Sacerdotes qui non de tribu Leui, sed qui à populo ita vocabantur. *Malach.*1,Ad vos ô Sacerdotes , supple, dirigo sermones [& attendite domus Israël] hoc est,totus populus , qui de domo Israël exiuit. *Isa.*51.Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum. *Isa.*48. Audite hæc domus Iacob , qui vocamini in nomine Israël [& domus regis auscultate]principes scilicet seculares. *Sap.6.* Præbete aures vos qui continetis multitudinem,& placetis vobis in turbis nationum , quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo,qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur [quia iudicium vobiscum est] hoc est, contra vos. *Iaq.*22. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.Et subiungit causam in paragrapho secundo.

Quoniam laqueus facti estis speculationi]Speculationi materialiter debet legi, hoc est his,super quos speculatoris officium accepistis. *Ezech.*3.& 33. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël. Laqueus autem dicitur peccatum illaqueans animam. *Isa.*24.Formido & fouea & laqueus super te,qui habitator es terræ. *Ibidem.* Qui se explicuerit de fouea,tenebitur planta eius laqueo[& sicut rete expansum super Thabor] Ad literam Thabor mons est in Galilæa rotundus & sublimis , in quo solent aues laqueis capi , & vult dicere , quod per malum exemplum,vel malam doctrinam , vel doctrinæ subtractionem Prælati rete facti sunt.Vnde Thabor veniens lumen interpretatur,quia à monte prælationis lumen scientiæ & instructionis venire deberet. *Iob* 18.Immisit in rete pedes suos , & in maculis eius ambulat[&]ideo, supple [victimas declinastis in profundum] hoc est , victimas quæ Deo offerri deberent , in animabus quasi in profundum inferni declinastis. 1. *Reg* 3. Erat peccatum puerorum grande , quia retrahebant homines à sacrificio Dei.Et consequenter dicit , quod in illo iudicio nihil latebit.

Et ego,supple,sum [eruditor] Septuaginta, magister [omnium eorum] & ideo quia primus fuit fons omnium,nihil me latet. *Iob vltimo.* Scio,quia omnia potes & quia nulla te latet cogitatio. *Isa.* 48 Ego Dominus docens te vtilia.Et ideo , supple [Ego scio Ephraim]id est, cogitationes , intentiones,verba & opera eius. *Eccli.* 33. Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum[& Israel non est absconditus à me]populus scilicet, quia Ephraim signat Regem. *Hebr.*4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius ad quem nobis sermo. *Sap.*1. Qui loquitur iniqua, non potest latere , nec præteriet eum corripiens iudicium. Quid autem sciat de his , subdit [quia nunc fornicatus est Ephraim]Rex scilicet in cuius corde adhuc fornicationes sunt 4. *Reg.*9. Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ,& veneficia eius multa vigent.Et à peccato Prælatorum[contaminatus est Israel]hoc est,eodem peccato inuolutus, *Gregorius.*Dum pastor per abrupta graditur , fit vt per præcipitium grex sequatur. Et quia aliquis posset dicere,quod pœnitentibus peccatum dimittendum est,ideo obuiat dicens[non dabunt] per pœnitentiam,supple[cogitationes suas] in quibus amaritudo peccati tractanda est[vt reuertantur ad Deum suum] eo quod pœnitere noluit. *Ierem.*2. A seculo confregisti iugum, rupisti vincula : dixisti,Non seruiam.*Ibidem.* Nullus auertet eam:omnes qui quærunt eam , non deficient:in menstruis suis , hoc est , in defectibus suis inuenient eam. Contra quod dicitur *Baruch* 4. Sicut fuerunt sensus vestri,vt erraretis à Deo, decies tantum iterum reuertentes requiretis eum. Et subiungit causam [quia spiritus fornicationum in medio eorum] qui scilicet tenet eum ligatum, & redire non permittit.1.*Reg.*16.Spiritus Domini recessit à Saiil,& exagitauit eum spiritus nequam à Domino[& Dominum non cognouerunt] notitia scilicet approbationis.*Psal.*10. Non est Deus in conspectu eius. *Rom.*1. Sicut non probauerunt Deum habere in notitia , tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. Et tangit de proportione pœnæ contra culpam.

Et respondebit arrogantia Israel] hoc est , peccatum superbiæ arrogantis[in faciem eius]hoc est, coram & manifestè. 2. *Reg.*12. Tu fecisti rem in abscondito , ego vero faciam in conspectu totius Israel,& in conspectu solis huius. *Ierem* 48. Audiuimus superbiam Moab;superbus est valde, superbia eius , & arrogantia eius , & indignatio eius plusquam fortitudo eius. Arguam te & statuam contra faciem tuam. Et hoc est quod sequitur [& Israel]populus scilicet subditus [& Ephraim]Rex, vel Prælatus malus [ruent in iniquitatibus suis] id est , pro iniquitatibus suis , in pœnam scilicet temporalem & æternam. *Psalm.* 11. In conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram , hoc est,in terrenorum amorem[ruet & Iudas cum eis] vt scilicet imitator culpæ sit hæres pœnæ. *Isa.*3. Ruit Ierusalem,& Iudas concidit; quia linguæ eorum , & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius , agnitio vultus eorum respondebit eis.

In gregibus suis] Tangit hic inutilitatem placationis,qua quærunt veniam & auxilium, primo apud Dominum , secundo apud homines *ibi* [Et vidit Ephraim] In primo dicit duo, scilicet , culpam , & pœnam *ibi* [Nunc deuorabit eos]scilicet culpa. Apparuit conuersio est quæ veritatem non habet,vnde duo dicitur apparuisse scilicet, & non existentiam.Et hoc est [in gregibus suis] hoc est, in oblationes minutorum animalium scil. ouium & caprarum [& in armentis suis] in maioribus scilicet animalibus,sicut vaccis [vadent] exterius scilicet & non interius , hoc est , passu pedum & non

non virtutum [ad quærendum Dominum] tanquam exterioribus sacrificijs sine deuotione interiori possit placari Deus , cum dicat dominus *Iere.* 11. Numquid carnes sanctæ auferent à te malitiam tuam ? Glossa inducit illud *Psal.* 49. Numquid manducabo carnes taurorum , aut sanguinem hircorum potabo ? Et iterum. Non accipiam de domo tua vitulos , neque de gregibus tuis hircos. Significat autem eos qui corporalia multa faciunt, sed interiùs non conuertuntur. 1.*Timoth.*4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas ad omnia valet [& non inuenient] quia scilicet non vere quærunt , si enim vere quærerent, verificaretur verbum Domini *Matt.*7.Quærite & inuenietis. Contra non bene quærentibus dicitur *Cant.* 5. Quæsiui illum , & non inuenì [Ablatus est ab eis] *Glossa.* A recedentibus ipse recessit.*Heb.* 3. Videte ne forte sit in aliquo vestrum cor malum, incredulitatis , recedendi à Deo viuo. Et subiungit causam , quia , supple [in Domino] hoc est , contra Dominum præuaricati sunt , Deum scilicet , & legem abijciendo. *Isa.* 48. Scio quia præuaricans præuaricaberis , & transgressorem ex ventre vocaui te. Et huius subdit signum [quia filios alienos genuerunt]hoc est,alia forma quàm diuina formatos : initiauerunt enim eos in nomine idolorum,& non in nomine Dei, sicut & mali Prælati ad formam diaboli informant filios suos. *Psal.*105. Initiati sunt Beelphegor,& comederunt sacrificia mortuorum. Vnde *Gen.* 2. Hominem quem Deus ad imaginem suam fecerat, ipse postquàm peccauit ad imaginem peccati genuit. *Psal.* 17. Filij alieni mentiti sunt mihi.

Nunc deuorabit] Tangit hic pœnam , primo in Israël , secundo in Iuda. In Israël dupliciter, scilicet in pœna secundum se , & in planctu pœnæ. Et hoc est [nunc deuorabit eos mensis] hoc est,tributario singulis mensibus inducta , & est ac si dicat. Singulis mensibus nouas habebunt oppressiones se deuorantes [cum partibus suis]hoc est, sortibus possessionum suarum. Et hoc 4. *Reg.* 15.legitur,quod Phul eos vastauit,& multam imposuit,cui successit Teglatphalasar, & amplius illo & sæpius vastauit , cui succedens Salmanasar amplius desæuit. Idem fecit Rex Aegypti , & Rex Babylonis. *Iudit.* 2. Iratus Dominus contra Israel tradidit eos in manus diripientium , qui ceperant eos & vendiderunt hostibus suis qui habitabant per gyrum, nec poterant resistere aduersatiis suis, sed quocumque pergere voluissent manus Domini super eos erat. Vnde sicut de bonis dicitur literaliter *Isa.* vlt. Erit mensis ex mense, quasi fertilitas vnius mensis egressa sit ex alio ; ità per contrarium dicit de malis,quod singulis mensibus rediuinas habebunt cum suis possessionibus destructiones , & hoc sub alia metaphora dicit *Ioel.* 1. Residuum eruca comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Ista videmus fieri in peccatoribus, in quibus succedentibus peccatis continuo adimitur pars boni naturalis. Et subdit de planctu, qui quantitatem doloris indicat.

Clangite buccina in Gabaa] quæ fuit ciuitas, vbi natus est Saul , qui primus regni Israel fuit corruptor.Est autem buccina, vt dicit *Hieronymus*, cornu curuum perforatum, quo pastores clangere consueuerunt : & signat plebis conuocationem tanquam minorum & quasi pecudum [& tuba] quæ sicut dicit *Hieronymus* , de ære est, vel de argento , vel, auro, supple, clangite [in Rama] quæ etiam ciuitas est in sorte Beniamin , sicut & Gabaa, & excelsa interpretatur. Gabaa vero collis, & significat conuocationem maiorum,quæ tubis fiebat tempore prælij.*Num.* 10. Fac tibi duas tubas ductiles , quibus possis conuocare multitudinem in die , quando mouenda sunt castra, Hæc duo coniungit.*Psal.*97. In tubis ductilibus,& voce tubæ corneæ. Quid autem omnibus conuenientibus faciendum sit, subdit.

Vlulare in Bethauen] Bethaue vocat Bethel,qui cũ prius esset Bethel , quando Iacob ibi vidit visione *Gen.*28.Propter quam visionẽ semper in veneratione remansit locus. Postquam Ieroboam posuit ibi vitulum , dicta est Bethauen , hoc est, domus inutilis , vel domus idoli, Et est sensus. Quando omnes conueniris, vlulare super peccato Bethauen , hoc est , super idololatria, quæ originaliter in totum populum processit ex Bethauen. *Iere.* 9. Super montes assumam fletus ac lamentum,& super speciosa deserti planctum : quoniam incensa sunt,eo quod non sit vir pertransiens. Vbi autem Bethauen sita sit, subdit [Post tergum tuum Beniamin] hoc est , quæ Bethauen post tergum sortis Beniamin est. Hoc sub eodem sensu maiorbus & minoribus dicitur peccatoribus & Prælatis. Cum enim sit domus,vt dicit *Gregorius*, omne quod quis per mentem inhabitat , delectabile peccati in quo habitat peccator,Bethauen est, cuius inhabitatio plangenda est. *Iere.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Hæc post tergum Beniamin est, quia filij dexteræ talia à se proijciunt. *Isa.* 30. Proijcies ea & abominabitis ea tanquam immunditiam menstruatæ.Quid autem plangant , subdit [Ephraim in desolatione erit] hoc est, regnum decem tribuum.*Iere.* 3. Iniquitates nostræ declinauerunt hæc , & peccata nostra prohibuerunt bonum à nobis. Et subiungit de veritate sermonum [in die correctionis] hoc est , punitionis peccati, quam scilicet die adduxi [& in tribubus Israel] decem scilicet quas puniui [ostendi fidem]hoc est , verba mea esse fidelia & vera. *Isa.* 31. Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. *Deut.* 32. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.[Facti sunt] Tangit hic de destructione duarum tribuum,& dicit tria : peccatum scilicet, propter quod destruuntur, peccati inconuenientiam, & modum quo destruuntur. Sic autem continuandum est, Dictum est , quod in Gabaa & in Rama clangendum est , quæ ciuitates sunt de regno duarum tribuum : & ne credatur , quod hoc iniustum sit, duarum tribuum inducit peccatum [facti sunt principes Iuda] hoc est duarum tribuum [quasi assumentes terminum] hoc est , dilatantes suas possessiones super terminum decem tribuum , & ideo gaudentes decem tribuum captiuitate , quod magnum peccatum est. *Isa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis vsque ad terminũ loci. *Habac.* 2. Væ ei qui multiplicat nõ sua.*Iob* 31.Si gauisus sum ad ruinã eius qui me oderat ; & exultaui quod inuenisset eum malum. Hoc enim de auaris dicitur , qui de aliorum mortibus gaudent,vt ipsi possessiones eorum accipiant. Et hoc est quod sequitur [effundam super eos] consumendos scilicet [quasi aquam iram meam] Tripliciter effunduntur liquores,

Buccina.

Effunditur mel quod viscosum est, & vasi adhærebit, & substantia & odor & color: effunditur vinum, & vasi adhærebit odor: effunditur lac, & vasi adhærebit color: nullo istorum modorum effunditur aqua: effusa enim aqua nihil relinquit, nec substantiam, nec odorem, nec colorem. Effundere ergo iram quasi aquam, id est, de ira nihil retinere. *Eccli.* 36. Excita furorem & effunde iram. *Psal.* 78. Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt. Et subdit de peccati huius inconuenientia. Potius enim tunc compati debuerunt [calumniam patiens est Ephraim] Quamuis enim Deus iuste hoc fecerit, tamen Rex Assyriorum causam non habuit hoc faciendi, sed per calumniam populum oppressit, *Isa.* 52. Assur absque vlla causa calumniatus est eum, calumniam autem patiens est [fractus iudicio] Dei scilicet, qui hoc permisit propter peccata. *Isa.* 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Quare autem tali iudicio fractus sit, subditur [quoniam cœpit abire post sordes] idolorum scilicet, & peccatorum. *Thren.* 1. Sordes eius in pedibus eius. Et subiungit de modo destruendi [& ego tinea Ephraim] tineam se vocat Dominus: quia occulto & paulatino iudicio consumit peccatores, propter peccatum quod de ipsis nascitur. Et attēde quod tinea consumit vestimentum, aut quod vetus est, aut quia in vsu non est, aut quia in obscuris est & radijs solis non exponitur. Et sic est de vetustis in peccato qui non exercentur ad virtutes, & qui lumini intelligentiæ & gratiæ non exponuntur. *Iob* 4. Consumentur velut à tinea, de mane vsque ad vesperam succidentur: & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. *Isa.* 14 Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes [& quasi putredo domui Iuda] putredo: quia humorem interiorem corruptum ad exteriora reducit, & partes sic diffluere facit, & paulatim corrumpit. *Iob* 13. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea. *Prou.* 25. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; sic tristitia viri nocet cordi. Paulatim enim tristitia consumitur cor, sicut vestimentum tinea & lignum verme qui nascitur ex putredine ligni.

Tinea consumit vestimenta.

Et vidit Ephraim] Tangit hic inutilitatem auxilij humani, & dicit tria, scilicet, auxilij inutilitatem, iudicij diuini seueritatem, & auxilij diuini subtractionem [Et vidit Ephraim] hoc est, regnum decem tribuum [langorem suum] hoc est, cognouit se impotentem ad resistendum Regi Assyriorum [& Iudas vinculum suum] supple, vidit quod etiam scilicet Regi resistere non poterat, sed in proximo vinciendus erat. Et tunc, supple, in Domino non confidebant [& abijt Ephraim ad Assur] hoc est, ad regem Assyriorum. 4. *Reg.* 15. legitur de Manahem rege decem tribuum. Veniebat Phul Rex Assyriorum in Thersam, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt ei esset in auxilium, & firmaret regnum eius. Idem legitur de Achaz rege Iudæ. 4. *Reg.* 16. Cum collegisset Achaz argentum & aurum quod inueniri poterat in domo Domini & in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera vt defenderet eum à Phacee filio Romeliæ, & Rasin rege Syriæ. Et hoc est quod dicitur hic [& misit ad regem vltorem] qui scilicet defenderet eum. *Iere.* 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium eius. Et ideo sequitur. Et ipse non poterit saluare vos, ò decem tribus. *Psal.* 145. Nolite confidere in principibus, nec in filijs hominū in quibus non est salus [nec soluere poterit à vobis vinculum] ò duæ tribus, *Isa.* 30. Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium, & in ali quam vtilitatem, sed in confusionem, & in opprobrium. Et subdit de iudicij seueritate [quoniam ego quasi leæna Ephraim] supple, ero, conterens ossa eius, *Isai.* 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea [& quasi catulus leonis] supple, ero [domui Iuda] hoc est, duabus tribubus, vel Laicis & Clericis moraliter. Catulus leonis propter incrementum quo indiget, sæuior est ad cibum quàm leo. *Isa.* 31. Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, si occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: sic descendet Dominus exercituum vt prælietur, Et de victoria subdit [& ego capiam] hoc est, capi faciam. *Exod.* 15. Persequiar & comprehendam [& vadam] *Glossa.* Cum hostibus, vt in ipsa captiuitate me præsentem & vltorem sentiant [& tollam] hoc est, abstollam eos de terra sua [& non est qui eruat] de mana mea, supple. *Isa.* 5. Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat. *Deut.* 32. Et non est qui de manu mea possit eruere.

Vadens reuertar] Tangit hic qualiter istud efficiat, hoc enim facit totum per gratiæ subtractionem [vadens] hoc est, ab ipsis recedens [reuertar ad locum meum] exit Dominus cum se effundit in beneficijs: ad locum autem maiestatis suæ reuertitur, quando intra occultum sui iudicij continet beneficia. *Isa.* 18. Ego quiescam, & considerabo in loco meo sicut meridiana lux clara est [donec deficiatis] Qui enim sine Deo est, deficit. *Ioan.* 15. Siquis non manserit in me, mittetur foras sicut palmes, & arescet. Dicit autem, deficiatis, viribus scilicet, rebus, & auxilijs [& quæratis faciem meam] defectu scilicet compellente. *Matth.* 23. Non me videbitis amodo, donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Dani.* 3. Nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam, ne confundas nos. *Glossa* inducit illud *Psalmista.* Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.

CAPVT VI.

In tribulatione sua.

Tangit hic coactam & tardam ad Dominum conuersionem, & diuiditur in duo. Primo enim dicit, qualiter reuertitur populus ad Dominum. Secundo, qualiter respondet Dominus, *ibi* [Quid faciam tibi Ephraim] In prima tria sunt, scilicet coacta conuersio, vnius ab altero vocatio *ibi* [Venite & reuertamur] parata à Deo receptio scilicet quasi diluculum [In tribulatione sua] à qua scilicet liberari non possunt per alium nisi per me quæ sua dicitur, quia peccatis meruerunt [mane consurgent] hoc est, mane & velociter [ad me] Dixerat enim quod tribulatione deficientes fic quærerent faciem eius, & ideo nunc dicit qualiter tribulati veniunt per coactionem. *Isa.* 26. In angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Isa.* 28. Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. Quod autem tunc mane veniant, habetur. *Isa.* 26. Anima mea desideranit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. *Psal.* 62. Deus deus meus, ad te de luce vigilo. Ad me autem dicit, quia in alijs dijs auxilium non inueniunt. *Deuter.* 32. Et dicent, Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminū, surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant, videte quod ego sum solus. *Psal.* 10. Tibi derelictus est pauper. Et secundum aliam translationem: Tu solus laborem & dolorem consideras. Et subdit de adhortatione eorum ad inuicem, & est vox bonorum alios vocantium ad pœnitentiam.

Venite] deuotione scilicet cordis [& reuertamur] supple, per pœnitentiam ad Dominum, à quo scilicet per inobedientiam auersi sumus. *Isa.* 46. Redite preuaricatores ad cor. *Cantic.* 6. Reuertere, reuertere; reuertere à tentatione, reuertere à consensus voluntate, reuertere ab actione, reuertere tandem à peccati delectatione, ne ducat in consuetudinem. Hoc signatum est 4. *Reg.* 19. vbi Ezechias misit nuntios qui reuocarent populum ad Dominum Deum patrum suorum. Subiungit autem rationem quare reuertendum sit [quia ipse] scilicet Deus [cepit] hoc est, captiuari fecit per Nabuchodonosor [& sanabit nos] à captiuitate siue ab infirmitate captiuitatis. *Iob* 5. Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt [percutiet, & sanabit nos] Percutit enim pater, & curat: hostis percutit, & interficit. *Deuter.* 32 Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo. In signum huius nullum tetigit Dominus Iesus Christus, nisi sanaret eum. Vel melius exponitur allegorice [ipse cepit] hoc est, accepit nos per incarnationem. *Heb.* 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit [& sanabit nos] scilicet ab errore per veritatem doctrinæ: à peccato autem per infusionem gratiæ per sacramentum. Et attende quod dicit *Hieron.*, quòd cepit nos, sicut seruum fugitiuum, à luce ad tenebras fugientem. In signum huius dicit, cum Dominus staret in cruce, quod faciem habuit conuersam ad Occidentem, quasi respiceret post seruum fugientem. *Iob* 10. Propter superbiam quasi leænam capies me. De curatione dicitur in *Psal.* 106. Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum, [percutiet & curabit nos] miles percutitur, quando scutū percutitur; ita pater percussit nos quando filium percussit pro nobis. *Isa.* 53. Propter scelus populi mei percussi eum. Vnde vadens ad Passionem, dixit Discipulis illud *Zacha.* 13. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis [& curabit nos] vnguento scilicet sacramentorum suorum. *Septuaginta.* Curabit nos linteolis. *Hiero.* Linteola inseruntur vulneribus, vt putridas carnes comedant, & extrahant putulentias. Et intendit de his quæ medici tentas vocant, quæ de lino factæ vsque ad profundum vulnerum immittuntur, vt vulnus à fundo sanetur, *Eccli.* 38. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. Et ad hoc allegant amplius de spe beneficiorum Dei [Viuificabit nos post duos dies] quibus scilicet in sepulchro iacebit. Iacuit autem partem Parasceues cum nocte sequenti: pars autem diei, dies est. Iacuit sabbatum cum nocte sequenti, & in aurora tertij diei surrexit: & sic noctem Parasceues in lucem sabbati continuauit: noctem autem sabbati in lucem sequentis diei produxit. Vnde, *Matth.* 28. Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati. Tunc enim surrexit, & hoc signat, vt dicit Augustinus, quòd sua luminosa morte quæ per sabbatum signatur, duas mortes nostras obscuras ad lucem terminauit. Nox enim Parasceues terminata ad sabbatum, noctem peccati terminatam signat ad lucem gratiæ. *Psal.* 138. Nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in delicijs meis. *Eccl.* 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes sperantes in Domino [In die tertia suscitabit nos] per suam scilicet resurrectionem, quæ causa est nostræ resurrectionis. *Isa.* 58. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et *paulo post*: Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. *Fulgentius.* dicit tres dies esse tres ortus solis. Primus ortus est de cœlo, de sinu scilicet Patris, lux de luce, lumen de lumine, *Eccl.* 24. Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens. *Psal.* 109. In splendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Secundus ortus est in vtero virginali, *Psal.* 18. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquā sponsus procedens de thalamo suo. Tertius est de corde terræ siue de sepulchro. 2. *Macch.* 1. Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo. De omnibus istis ortibus simul *Mal.* 4. Vobis timētibus nomen meū, orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. *Hiero*, dicit, quod primus dies est humilis Saluatoris aduentus: secundus, cum ab omnibus in gloria videbitur in carne: tertius, quādo peracto iudicio ampliorem gloriā suæ claritatis electis mōstrabit. Dicit hoc significari *Gen.* 22. vbi Abrahā inmolaturus filium tertio die ad montē visionis deuenit. Iudæi dicunt, quod secundus dies est aduentus sui Messiæ: tertius autem lex iustitiæ qua liberandi sunt à captiuitate. Sed quia primum inuenire non possunt, etiam secundum & tertium perdiderunt; quia secundus & tertius respectu primi dicuntur. *Psal.* 118. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. [Et viuemus in conspectu eius] In lumine enim conspectus Dei vita est, extra conspectum Dei in tenebris mors est. *Ioan.* 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum [sciemus] per approbationem scilicet & per experimentum notitiam Dei habebimus, *Iere.* 13. Omnes scient me à maiore eorum vsque ad minorem [sequemurque] per operis scilicet imitationem. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui [vt cognoscamus] futura scilicet perfecta comprehensione [Dominum] 1. *Corinth.* 13. Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. *Glossa* inducit illud *Ioan.* 17. Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: hæc est enim vita æterna. Et subinferunt quàm pius est in recipiendo.

Quasi diluculum preparatus est egressus eius] egressus diluculi est à tenebris proficiendo ad plenam

plenam lucem. Et sic egreditur Deus in beneficijs, liberando hominem à tenebris, & in plenam lucem deducendo consolationis. Et dicit quod est præparatus, hoc est semper paratus, sicut pius pater. *Luc.* 15. Filium longe venientem suscepit. *Iere.* 3. Reuertere ad me, & ego suscipiam te. *Canti.* 6. Quæ est ista quæ processit quasi aurora consurgens? Et subiungunt de vtilitate aduentus eius [Et veniet quasi imber nobis temporaneus] *Deut.* 23. Quasi imber super herbam, quasi stillæ super gramina. Temporaneus autem dicit imber, qui in vere descendit ad seminum pullulationem & augmentationem [& serotinus terræ] Serotinus imber est autumnalis, qui grana intumescere facit, & ad quantitatem debitam deducit. Signant autem istæ duæ pluuiæ gratiam præuenientem, & gratiam subsequentem. Per præuenientem enim informat voluntatem vt bene velit. Per subsequentem coadiuuat voluntatem, ne frustra velit bene, sed exerceat se in operibus virtutum & meritorum. *Iere.* 5 Metuamus Dominum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam, & plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. *Psal.* 67. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.

Quid faciam tibi Ephraim] Tangit hic responsionem Domini, & dicit duo. Primo, quod non in ipso patre manet misericordiæ receptio. Secundo, quòd hoc est ex populo, qui peccatis impediuit Domini misericordiam *ibi* [Ipsi autem sicut Adam] In primo tria dicit, scilicet, se omnia fecisse quæ debuit, Prophetas misisse qui monerent, & veram conuersionem semper libenter acceptasse. [Quid faciam tibi Ephraim?] hoc est regnum decem tribuum, quod scilicet non feci. Quid restat de faciendis? & quid faciam tibi Iuda, hoc est, regnum duarum tribuum? In pœnis quidem fecit omne quod potuit ad correctionem. *Isa.* 1. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. In beneficijs fecit plusquàm debuit. *Mich* 6. Populus meus quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi? Responde mihi. Et ex quo nec pœnis es correctus, nec beneficijs attractus. Dicam *Isa.* 5. Quid est quòd vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Non est ergo ex me, supple, sed ex vobis [misericordia vestra] hoc est, quam à me petitis [quasi nubes matutina] supple, est. Nubes matutina modico calore auroræ eleuatur, & statim orto sole ardore solis consumitur; & signat refrigerij captiuitatis quod modica deuotione, & potius coacti quã ex charitate petierunt; quod statim ardore concupiscentiæ, & luce temporalis prosperitatis dissipatum est. *Iaco.* 4. Quæ est vita vestra? Vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur [& quasi ros mane pertransiens] Ros cum mane eleuatur, statim sole orto exiccatur, & sic per modicam tentationem deuotio ab instabili & ingrato corde aufertur. *Iaco.* 1. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. *Bernardus.* Ingratitudo est ventus vrens, exiccans fontem pietatis & rorem misericordiæ.

Propter hoc dolani in Prophetis [& ne dicatur quod non commonuerim eos. Propter hoc vt conuerterẽtur dolani eos in Prophetis, hoc est, in verbis Prophetarum, *Glossa.* Dolare, fabrorum est, cum materiarum planatur asperitas. In dolatione autem pars à parte præciditur, vt id quod ponendum est in ædificio, planetur. Propter quod dicitur 1. *Corinth.* 3. Dei ædificatio estis. *Ephe.* 2. In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in domino [occidi eos in verbis oris mei] hoc est, verba occisionis in eos protuli, vel falsos Prophetas occidi, sicut 3. *Reg.* 18. Elias occidit 400. Prophetas Baal, ne populo essent in scandalum. Et 4. *Reg.* 10. Iehu innumerabilem multitudinem occidit Prophetarum Baal. *Isa.* 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et ideo, supple [iudicia tua] quibus scilicet retribuit tibi secundum merità [quasi lux egredietur] nusquam scilicet obscurata; quia nec personam accipio, nec munera, nec iniquitatem dissimulo. *Prouerb.* 4. Semita iusti quasi lux splendens, & crescens vsque in perfectum diem. In quo autem sint sicut lux, ostendit.

Quia misericordiam volui] quam scilicet proximo faceres & tibi ipsi [& non sacrificium] supple, sine misericordia. Vos autem (sicut in præcedenti capitulo dictum est) venistis quærere me in gregibus & armentis ad quærendam faciem meam, deserta scilicet misericordia [& scientiam Dei] supple, volui ex intentione [plusquam holocausta] Scientiam colendi Deum & seruiendi sibi. Vnde. 1. ad *Timoth.* 4. Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ. *Psal.* 39. Holocaustum & pro peccato non postulasti. *Mich.* 6. Quærit populus, Quid dignum offerat domino? Nunquid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos? & post paucа respondit: Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. In me ergo non remanet misericordia, sed in populo.

Ipsi autem] Dicit hic duo, scilicet, punitionem Ephraim, & punitionem Iuda *ibi* [Sed & Iuda] In primo tria dicit, scilicet, transgressionem in quo transgressi sunt. *ibi* [Galaad ciuitas] & transgressionis generalitatem *ibi* [In domo Israel] Ipsi autem] cum ego intenderem corrigere eos [sicut Adam] supple, transgressus est in paradiso [transgressi sunt pactum] legis meæ, supple. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum [ibi] in parentibus scilicet in paradiso, & in transgressione [præuaricati sunt in me] hoc est, contra me. *Isa.* 43. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me. In quo autem peccato & vbi, subiungit, & tangit quatuor peccata in singulari, & in communi subiungit peccatores esse, & hoc est, supple, quia.

Galaad ciuitas operantium idolum] supple, est. Galaad ciuitas est in tribu Gad vltra Iordanem, quæ fuit ciuitas refugij vltra Iordanem, & ideo fuit de possessione Sacerdotum, sicut dicitur *Iosue* 14. erat etiam in latere montis, in quo Laban comprehẽdit Iacob & fecerunt acerum testimonij, propter quod etiam Galaad dicitur, quod aceruus testimonij interpretatur *Gene.* 31. Et quia in latere montis erat, propter hoc Ramoth Galaad dicitur, hoc est, excelsa Galaad. Ex Patriarcha ergo habuit religionem, ex refugio immunitatem, ex possessore summo Sacerdote authoritatem, & propter ista omnia posuerunt ibi idola, vt

vt ex loci veneratione facilius inclinarent populum ad idololatriam. *Sap.* 14. Per manus quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud. Hoc ergo est vnum peccatum. Secundum est [supplantata sanguine] hoc est, reatu sanguinis innocenter effusi. *Isa.* 1. Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Et subiungit tertium [& quasi fauces virorum latronum] hoc est, qui vi riliter latrocinia exercent. Erat enim ciuitas inter desertum & Iordanem posita, & erat receptaculum latronum spoliantium eos & interficientium, qui vel de deserto transmisso Iordane venerunt in Ierusalem, vel de Ierusalem transito Iordane voluerunt ire per desertum. *Glossa* tamẽ legit moraliter, quia incautos sicut latrones malo exemplo interfecerunt. *Iere.* 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus hæc, in qua inuocatum est nomen meum? *Matth.* 21. Vos fecistis domum meam spelunca latronum. *Psal.* 49. Si videbas furem currebas cum eo. Et subiungit de quarto peccato [particeps Sacerdotum] Attende quod Galaaditæ domi erant vespillones, vi vias & viatores spoliantes, & insuper erant participes & socij Sacerdotum cis Iordanem de Samaria, qui posuerunt in Sichem custodes, vt qui venirent de decem tribubus in Ierusalem per Sichem per quam erat transitus, spoliarentur ab eis & interficerentur, ne venirent ad templum Domini. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum [In via interficientium pergentes de Sichem] *Psal.* 141. In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. In communi autem subiungit [quia scelus operati sunt] hoc est, opere perfecerunt. *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Et subiungit de generalitate.

In domo Israël] hoc est, in familia tota Israël decem tribuum [vidi horrendum] facinus scilicet. Quod autem illud sit, subdit *ibi*. [fornicationes Ephraim] hoc est, fornicationes inuentæ à Rege Ieroboam, qui fuit de tribu Ephraim, diffusæ sunt in totam domum Israël. *Sap.* 14. Initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ, Supple, & ideo [contaminatus est Israel] contaminatione scilicet corruptionis idololatriæ. *Malach.* 2. Contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuerunt filiam Dei alieni. Dispersdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculo Iacob. Et subdit, quod pro simili peccato duæ tribus captiuabantur.

Sed & Iuda [qui etiam particeps es idolorum] pone [vel para] messem tibi] hoc est, para te, vt missione colligaris & abscindaris. *Apo.* 14. Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam arsit messis terræ [cum conuertero captiuitatem populi mei] ecliptica est oratio *Hieronimi* supplet eam sic: Quasi Chaldæi te metent, sed inde te reducam, quod erit sub Cyro, & Dario, & Artaxerxe, cum conuertero captiuitatem populi mei. De hac conuersione non fit promissio decem tribubus, quæ perpetua captiuitate tenentur. *Psal.* 125. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

CAPVT VII.

Cum sanare vellem Israël.

HIc secundum diuisionem superius inductam tangit qualiter populus inductus est in peccatum idololatriæ. Et diuiditur in partes duas, in quarum prima determinat inductionem iam dictam: in secunda pertinaciam in peccato inducto exaggerat *ibi* [Ephraim in populis] In prima quinque sunt paragraphi, in quorum primo ostendit Dominus bonam voluntatem ad sanandum peccatorem: in secundo, quod insidiose inductus est in peccatum *ibi* [Et fur ingressus] In tertio, vt melius intelligatur, ostendit hoc per simile *ibi* [Omnes adulterantes] In quarto, lætitiam exultantium in peccato. *ibi* [Dies Regis nostri] In quinto describit qualiter corrupti sunt & quã generaliter *ibi* [Omnes calefacti sunt] Dicit ergo [Cum sanare vellem] hoc est intenderem [Israël] hoc est, decem tribus, supple, ab idololatria vituli. Apim enim in figura vituli venerati sunt in Ægypto, & ideo vitulum fecerunt ante montem. *Exo.* 32. quod peccatum irridens *Psalmista* 105. Mutauerunt (inquit) gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Cum, inquam, peccatum vellem sanare, quod ostendi, educendo populum de Ægypto, & conterendo idolum, & interficiendo peccatores coram monte, & constituendo templum Ierosolymis, & constituendo Reges & Sacerdotes qui in veneratione mea continerent populum, tunc, inquam, obijciens se mihi ad illam voluntatem perficiendam [reuelata est] id est, apparuit [iniquitas Ephraim] hoc est, quam inuenit Ieroboam, qui fuit de tribu Ephraim, sicut dicitur 2. *Regu.* 14. Iniquitas enim dicitur positio vituli in Bethel [&] supple, reuelata est [malitia Samariæ] subiecti scilicet, populi consentientis in peccato: & bene dico, quod reuelata est [quia operati sunt] publice scilicet [mendacium] Si enim omne quod contrariatur veritati mendacium est, vt dicit *Hieronimus*, idololatria primo mendacium est, quia contrariatur primæ veritati; nihilominus tunc mentiti sunt clamantes coram idolo *Exo.* 32. Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de Ægypto. Hoc referur ad malos prælatos qui malo exemplo inducunt populum ad peccatum. *Greg.* in pastorali: Nemo quippe in Ecclesia magis nocet, quam qui male viuens culmen regiminis accipit. nunc quippe delinquentem arguere nemo præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus peccator honoratur, sicque vt cum pastor per abrupta graditur, per præcipitium grex sequatur. Hoc signatum est 2. *Macha.* 4. vbi dicitur, quod cum impiissimus Iason obtinuisset principatum, statim cepit conciuibales suos ad gentilem ritum transferre. Et tunc populus Samariæ qui custodiri debebat, operatur mendacium, hoc est, peccatum. De talibus *Osea.* 5. dicitur: Laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Peccatum autem mendacium est, sicut dicitur in *Psal.* 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. *Peccatum est mendacium.*

Promittit

Promittit enim delectationem quam non exhibet *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Hoc enim dicit malitiam, quia nõ ex ignorantia, nec ex infirmitate procedit, sed ex affectato malo. *Matt.* 12. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. *Matth.* 7. Non potest arbor mala fructus bonos facere.

Malus prælatus fur est & latro.

Et fur ingressus est] Secundus paragraphus, in quo ostendit qualiter astutia serpentina inductus est populus ad peccatum [Et fur ingressus est] hoc est, Ieroboã vt fur paulatim ingressus est in corda hominũ, attrahendo scilicet sibi assensum maiorũ primo, postea minorũ, prętendens quod ab oppressione Roboã vellet liberare populũ, & quod non intenderet populum à Deo separare, & sic in furno, id est, nigro, venit, hoc est, in occulto tenebrarum. Dicit enim *Labeo*, quod fur est qui in furno, id est, in tenebroso, hoc est, clàm accipit. Et *Aristo. in sexto Topicorum.* Fur est qui clàm vult furari. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum [spolians latrunculus foris] supple, egressus est, *Hieronimus.* Latro est, qui vi & aperte rapit, & ita fecit Ieroboam. Postquam enim occulte induxerat alios, violenter compulit: pergentes enim in Ierusalem interfici fecit. *Iere.* 3. In vijs sedebas quasi latro expectans eos. Ita diabolus primo venit vt fur per suggestionem, vt dicit *Grego.* Dum aut insidiando circumuolat, aut promittendo decipit, aut suadendo blandit ur: postea venit vt latro, dum aut minando terret, aut opprimendo rapit, aut desperando frangit. Propter hoc dicitur *Matth.* 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi fures non effodiunt nec furantur. Malus etiam Prælatus in ingressu fur est, sed in potestate constitutus, spoliat vt latro: quæ duo coniungit Dominus *Ioan.* 10. Fur non venit nisi vt furetur, ecce primum, & mactet & perdat, ecce secundum [Et ne forte dicant in cordibus suis] murmurantes contra iustitiam meam scilicet. *Psal.* 13. Dixit insipiens in corde suo, non est deus. *Ezech.* 18. Non est æqua via Domini [omnem malitiam eorum mè recordatum] esse, auitam & paternam. Dixerunt enim *Ezech.* 18. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, intendentes quod pro peccato antiquo paterno Deus puniret eos, ideo respondet [nunc] hoc est, in præsenti [circumdederunt eos] vndique scilicet concludendo [adinuentiones eorum] hoc est, noua peccata præteritis addita. *Rom.* 1. Inuentores malorum, parentibus non obedientes. In malitia enim excesserunt eos patres, & ne inficientur, subdit [coram facie mea factæ sunt. *Isa.* 3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum vt prouocarent oculos maiestatis eius. Et hoc ostendit per sequens, &, supple, quia [in malitia sua] hoc est, in consensu malitiæ [lætificauerunt Regem] vel malum Prælatum Malus enim Prelatus lætatur de peccato subditorum, vt semper habeat occasionem accipiendi, & ne sibi improperetur. *Prou.* 2. Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis [& in mendaciis suis principes] supple, lætificauerunt. Principes vocat inferiores ad consensum Regis inclinantes, & Prælatos inferiores qui gaudent de peccato populi. *Isa.* 19. Loquuti sumus de corde verba mendacii. Et *paulo ante* 1 Iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominum: & aduersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri.

Omnes adulterantes] Tertius paragraphus, in quo ostendit per simile qualiter inductus est populus in peccatum, & hoc est [Omnes adulterantes] spiritualiter vel corporaliter, supple, sunt per similitudinem [quasi clibanus succensus à coquente] ita quod cor sit vt clibanus, suggestio iniecta sit quasi ignis, coquens autem sicut Ieroboam vel diabolus. Fornax quidem signatur per fornacem Babylonis *Danie.* 3. Ignis est, de quo *Iob* 31. Ignis est vsque ad consumptionem perdens, & omnia eradicans genimina. Iste est ignis alienus quem filij Aaron obtulerunt in conspectu Domini, & eodem cosumpti & mortui sunt coram Domino. *Leui.* 8. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis. *Psal.* 20. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui. *Thren.* 4. Pellis nostra quasi clibanus exusta est. Quomodo autem hoc factum sit, subiungit sub alia metaphora, & debet suppleri, quia [quieuit paululum ciuitas] Samaria scilicet, quæ populum signat, quiescere autem vocat dissimulare [à commixtione fermenti] hoc est, persuasæ corruptionis, ne scilicet statim in principio reciperet eam ad publicam venerationem idolorum, donec fermentaretur totum, hoc est, donec omnes corrupti sunt, & vno consensu venerationem idoli susceperunt, Et sic etiam inducitur peccatum in populum. 1. *Cor.* 5. An nescitis quoniam modicum fermentum totam massam corrumpit? expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. *Matth.* 16. Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. Fermentum Pharisæorum est hypocrisis, Sadducæorũ heresis. *Matth.* 8. Videte & cauete à fermento Pharisæorum, & à fermento Herodis. Fermentum Herodis est superbia, quia Herodes interpretatur glorians in pellibus. *Exo.* 12. præcipitur, quod cum Pascha celebratur, nihil fermentati remaneat in domibus Pascha celebrantium.

Dies regis nostri] Quartus paragraphus, in quo ostendit in quanta lætitia postquam corrupti sunt, idololatriam susceperunt [Dies regis nostri] Hoc enim clamauerunt in honorem regis & idoli, & est sensus. Dies ista tam celebris & tam solennis est quam indixit nobis Rex noster sicut *Ouidius in fastis.*

Solue festa dies toto venerabilis æuo.

Psal. 73. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. Sicut etiam mali subditi acclamant malis prælatis & celebrant dies eorum. *Act.* 12. Populus acclamauit Herodi, Dei voces & non hominis. Qualiter autem hoc factum sit, subdit, & suppletur quia [cœperunt principes furere à vino] primo scilicet in consensu Regis, & vinum vocat delectationẽ idololatriæ, & deliciarum huius mundi. Vnde *Hieron.* inducit illud *Deut.* 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Et illud *Epho.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et illud *Prou.* 31. Noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare vinum. Et tunc, supple, Rex [extendit manum suam] hoc est, potestatem suam coactiuam, ad populum, supple [cum illusoribus] principibus scilicet, vt per Regem & principes etiam populus induceretur ad malum

malum *Isa.* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt. Virtute scilicet, & gratia, & fide. *Isa.* 28. Audite verbum hoc viri illusores, ne forte constringantur vincula vestra. *Prou.* 3. Illusores ipse deludet. Bene dico quod extendit [quia] subditi scilicet [applicuerunt cor suum quasi clibanum] ad consensum scilicet Regis & principum. Facile enim inducitur populus ad id quod tamen concupiscit. *Isa.* 44. Vah calefactus sum, vidi focum. Interiectio gaudentis est [cum] hoc est, quamuis secundum veritatem [insidiaretur eis] scilicet Rex, vt perduceret ad malum. *Psal.* 10. Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur vt rapiat pauperem. Quod autem insidiaretur, probat subdens [tota nocte dormiuit coquens eos] noctem vocat tenebrosum & occultum suggestionis, quoniam scilicet primo occulte suggessit idololatriam vel peccatum. Et tunc dormiuit, hoc est, violentiam dissimulauit, & pro illo tempore dicebatur fur. *Iob* 24. Per noctem erit quasi fur, &c. perfodit in tenebris domos sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem [mane] cùm scilicet malitia proditet in publicum [ipse] scilicet populus [succensus] supple, est [quasi ignis flammæ] ita scilicet, vt flammæ etiam lambebant alios ad simile peccatum. Hoc est mane, de quo dicitur *Iob* 24. Mane primo consurget homicida, & interficiet egenum & pauperem. Sic etiam est in peccatis. Primo enim homo succensus, postea per malum exemplum quasi flamma comburit alios. *Danie.* 3. Flamma diffundebatur super fornacem cubitis *xliv.* & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros Regis qui eam incendebant. *Psal.* 105. Flamma combussit peccatores.

Omnes calefacti sunt] Quintus paragraphus, in quo ostendit, quod omnes generaliter in peccatum idololatriæ declinauerunt, & est ac si dicat. Quid plura [Omnes calefacti sunt quasi clibanus] nullo excepto. *Thren.* 2. Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro [&] quod peius est [deuorauerunt iudices suos] hoc est, bonos viros qui se bene iudicauerunt, & de peccato corripuerunt. Vnde *Amos* corripientem in tempora clauo perforauerunt: sicut dicit *Hieron.* super *Amos* 6. Et 3. *Reg.* 12. Et 13. cum Ieroboam diem solennem constituisset, & vir sanctus de Iuda venisset vt corriperet eũ in sermone Domini, extendit manum vt percuteret eum, & clamauit vt teneretur, sicut adhuc mali indignantur de correptione bonorum. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominari sunt. Quòd autem ita sit, probat subdens, & suppletur quia [omnes Reges ceciderunt] Ieroboam enim, de quo legitur 3. *Reg.* 13. qui fuit Rex primus decem tribuum vsque ad Osee filium Hela, qui fuit rex vltimus. 4. *Reg.* 17. Nullus fuit qui idolis non seruiret. Et ideo dicitur *Eccli.* 49. quod omnes Reges peccauerunt, præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam. Sic & Prælati omnes in viam malam declinauerunt. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oues erraumus [& non est qui clamet in eis ad me] idola enim potius inuocant quã Deum. *Isa.* 64. Cecidimus quasi folium vniuersi, iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

Ephraim in populis] Hic pertinaciam in peccato inducto exaggerat, & diuiditur in duo. In primo enim exaggerat pertinaciam per causas pertinaciæ: in secundo per modos ingratitudinis pertinaciam consequentis *ibi* [Et ego redemi eos. In primo quinque sunt paragraphi. In primo ostendit pertinaciam. In secundo pertinaciæ pœnam *ibi* [Et humiliabit] In tertio per simile probat pertinaciæ causam *ibi* [Et factus est Ephraim quasi columba] In quarto, huius causæ ponit propriam pœnam *ibi* [Et cum profecti fuerint] In quinto, quasi ex conclusione vlteriori profert sententiam *ibi* [Væ eis] Et hoc est [Ephraim in populis] hoc est, in ritu populorum & nationum per idololatriam [ipse] hoc est, per seipsum [commiscebatur] vt scilicet esset sicut ipsi sine Deo, & sine lege in hoc mundo. *Psal.* 105. Commixti sunt inter Gentes, didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum. Clerici etiam habitu milites, quæstu laici, auaritia negotiatores, ignorantia plebeij, verbis scurræ, concupiscentia fornicatores, commixti sunt inter Gentes *Osee.* 4. & *Isa.* 24. Erit sicut populus sic & Sacerdos. Et subdit de pertinacia in his [Ephraim factus est subcineritius] supple, panis, qui scilicet ab aliis sit deuorandus, non enim se reficit, sed alios qui deuorant eum. *Psal.* 52. Deuorant plebem meam sicut escam panis. Et dicitur subcineritius, quia cinis ad minima per ignem deductus est, & ita populus per ignem tribulationis in minima redactus fuit, & quæcumque habuit, ab aliis deuorata sunt. *Iere.* 50. Primus deuorauit eum Rex Assur, iste nouissimus exossauit eum Rex Babylonis. *Iere.* 51. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea [qui non reuersatur] hoc est, ad aliud latus non conuertitur. Quantumcũque enim tribularetur, in latere idololatriæ semper iacuit, & ad Dominum non conuersus fuit, contra quod dicitur *Prou.* 12. Verte impium, & non erit, impius, supple. *Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; innoua dies nostros sicut à principio. Et prosequitur metaphoram panis, subdens, supple, quia [comederunt alieni robur eius] hoc est, diuitias, triticum, & vinum quibus roborari debebat, comederunt alieni, hoc est, Ægyptij, Assyrii, vel dæmones. *Iob* 18. Deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors. *Gene.* 41. Deuorantes omnem priorem pulchritudinem. Et *paulo* ante: Deuorauerunt eas, quarum mira species & habitudo corporũ erat, & nullum saturitatis dedere vestigium [& ipse nesciuit] hoc est, causam quare percutteretur scire noluit, quod maximæ fatuitatis est. *Ier.* 5. Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Ad hoc enim percutitur puer à patre, quod sciat quare percutitur & cauear, & propter hoc talis percussio disciplina vel eruditio vocatur. *Hebra.* 12. Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis, Sed quia aliquis posset dicere, quod pueri essent sensibus & ætate, quod talia scire non possent, ideo subdit [Sed & cani effusi sunt in eo] effusio notat abundantiam canorum, & est ac si dicat: Fatuitatem suam vsque ad vltimam caniciem perduxit. *Danie.* 13. Inueterate dierum malorum nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius. *Isa.* 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit [& ipse ignorauit] quia mirum erat supple, quod in tanta ætate ad sensum non redijt

Clerici commixti inter gentes qui sint.

Vnde

Vnde *Prou. 19.* dicitur, quod inter ea quæ odit Deus, est senex fatuus. *Psal. 35.* Noluit intelligere vt bene ageret. *1. Corinth. 4.* Ignorans ignorabitur.

Et humiliabitur] Secundus paragraphus, vbi ponit pœnam pertinaciæ inductæ [humiliabitur] hoc est, ad humum deposita dignitate prosternetur [superbia Israël] hoc est, decem tribuum. *Isai. 2.* Oculi sublimis hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum [in facie eius] vt, scilicet, magis torqueatur visa tribulatione. *Prou. 16.* Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur cor. Et ostendit quantitatem pertinaciæ, subdens [nec reuersi sunt] per pœnitentiam, supple, & deuotionem ad Dominum Deum suum. *Iere. 3.* Et dixi cum fecisset hæc omnia, ad me conuertere, & non est reuersa [& non quæsierunt eum] in operibus scilicet, bonis [in omnibus his] supple, tribulationibus, quod mirum erat. *Zacha. 7.* Verterunt ad me terga recedentes.

Et factus est] Tertius paragraphus, & probat hic per simile causam pertinaciæ [Et factus est Ephraim quasi columba seducta] columba dicitur propter incontinentiam, colens lumbos. *Isa. 59.* Quasi columbæ meditantes gememus, pro absentia scilicet delectabilium & concupiscentiarum seducta dicitur, hoc est, à veritate seorsum ducta per idololatriam. *2. Corinth. 11.* Timeo ne sicut serpens seduxit Euam, ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu [non habens cor hominis] scilicet, quod est ad intelligendum, quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum. *Iere. 5.* Audi popule stulte qui non habes cor. *Iob 39.* Priuauit illum Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. *Damis. 4.* Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei. In quo autem cor non habuerit, subdit [Ægyptum inuocabant] ad auxilium, supple, Deo contempto, & deos Ægyptiorum colendo; sicut & seculares remedia quærunt secularia Deo contempto. *Isa. 30.* Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignorantiam [ad Assyrios abierunt] supple, pro auxilio, sicut legitur *4. Reg. 15.* quod fecit Manahem rex decem tribuum, quod plangit *Ieremias Thren. 5.* Ægypto dedimus manum & Assyrio, vt saturaremur pane. Ad Ægyptum abeunt, qui solatia secularia requirunt in lucris: ad Assyrios autem, qui confidunt in ambitione dignitatum. Assyrij enim sustollentes vigilias interpretantur, quæ solatia & turbida & frigida & insipida sunt. *Iere. 2.* Et nunc quid tibi vis in via Ægypti vt bibas aquam turbidam, & quid tibi vis in via Assyriorum vt bibas aquam fluminis.

Et cum profecti fuerint] Quartus paragraphus, vbi pœnam describit huius recessus, & hoc est [Cum profecti fuerint] in Ægyptum, supple, pro auxilio & ad Assyrios. *Iere. 17.* Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum [expandam super eos rete meum] captiuitatis scilicet. *Thren. 1.* Expandit rete pedibus meis & conuertit me retrorsum. Sic omnes à se recedentes ad damnationem retrahit Dominus. *Iob 18.* Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, tenebitur planta eius laqueo [& quasi volucrem] quæ deuia est, & inuolutam & multiplicem habet viam [detraham eos] *Glossa.* Ab altitudine superbiæ suæ deponam eos. *Isa. 14.* Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Et sic, supple [cædam eos] hoc est, percutiam [secundum auditionem cœtus eorum] Cœtum dicit, quia tota congregatio mala fuit. *Isa. 1.* Iniqui sunt cœtus vestri. *Eccli. 21.* Stupa collecta synagoga peccantium. Dicit autem, secundum auditionem, quia peccatum eorum clamauit coram Domino, & excitauit ad iudicium. *Gene. 18.* Clamor Sodomorum & Gomorrhæ venit ad me. *Iac. 5.* Merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Secundum auditionem ergo cædere, idem est quod plagas secundum merita peccatorum mensurare. *Deut. 25.* Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.

Væ eis] Quintus paragraphus, in quo quasi ex vlteriori conclusione infert sententiam damnationis [Væ] scilicet æternæ damnationis [eis] supple, erit [quoniam recesserunt à me] bono, scilicet, incommutabili contempto, conuersi sunt ad bonum commutabile, vel etiam ad malum. *Thren. vlt.* Væ nobis quia peccauimus [vastabuntur] hostibus, scilicet, hominibus, & dæmonibus. *Psal. 88.* Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis [quia præuaricati sunt in me] legem, scilicet, transgrediendo. *Isa. 18.* Scio quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex ventre vocaui te. *Iere. 5.* Idcirco percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos.

Et ego redemi eos] Exaggerat hic ingratitudinem, quia sicut pœnis non correcti sunt, ita nec beneficiis. Dicit autem hic tria, scilicet, quod pro beneficiis ingrati fuerunt, quod Dominum suis armis impugnauerunt, & quod radicatam ab antiquo malitiam non deseruerunt [Ego redemi eos] de Ægyptiaca, scilicet, seruitute, vel sanguine meo à diabolo. *Psal. 129.* Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. [Et ipsi loquuti sunt contra me mendacia] clamantes, scilicet, de vitulo, Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. *Exod. 32.* Vel mendacia sunt vota & promissa quæ non solumtur, vel in baptismo, vel vel in pœnitentia, vel suscepto ordine, contra quod dicitur *Eccli. 29.* Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam. *Eccle. 9.* Inuentus est vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis [& non clamauerunt ad me] supple, qui solus liberare possum [in corde suo] hoc est, ex deuotione cordis, contra quod dicitur *Isa. 19.* Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatorem qui liberet eos [Sed vlulabant in cubilibus suis] cubilia vocat obscura templa & antra, in quibus obscœnum cultum diis exhibebant in scenicis meretriculis, in sacris Veneris, in obscœnitate religionis Priapi. In his autem vlulabant, vt dicit *Hieronymus*, quia lanceolis vulnerantes se sanguine perfuderunt: sicut *3. Reg. 18.* dicitur de Prophetis Baal; Et oratio & cantus eorum, vlulatus canum reputatur. *Isa. 65.* Clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. *Isa. 13.* Respondebunt ibi vlulæ in ædibus suis. Et subdit de beneficio corporali quotidie præstito [Super triticum, & vinum ruminabant] repletorum vsque ad nauseam propter casum appetitus & fastidium cibi, ruminare est &

non

non comedere, esuricentium autem comedere: & significat, quod ita pleni erant, quod nauseabant super tritico & vino, sicut & patres eorum nauseabant super mannate. *Numer. 21.* Et sicut videmus diuites huius mundi, clericos & laicos facere, nec tamen superflua pauperibus erogare. *Cant. 7. & 8.* Dabo tibi vinum conditum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus eius ad ruminandum [Et recesserunt à me] *Deut. 32.* Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo [Et ego erudiui] Tangit beneficium pertinens ad perfectionem intellectus. Erudiuit enim eos per Moysen & alios Prophetas. *Isa. 48.* Ego Dominus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas [& confortaui brachia eorum] in bellis scilicet per iudices, supple, & Dauid & alios propugnatores. *Psal. 143.* Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum [& in me] hoc est, contra me [cogitauerunt malitiam] peccati scilicet. *Iere. 9.* Omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum confortati sunt in terra; quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus [reuersi sunt ad ritum] scilicet gentilem, & hoc est quod sequitur [vt essent absque iugo] legis scilicet. *Iere 2.* A seculo confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti; Non seruiam [facti sunt quasi arcus dolosus] armis suis Deum impugnantes. Arcus enim dolosus reuertitur in eum pro quo pugnare debuit. *Iere. 9.* Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, & non veritatis. Econtra de bonis & gratis Deo dicitur *2. Reg. 1.* Sagitta Ionathæ nunquam abiit retrorsum [cadent in gladio] hostium scilicet & meæ vindictæ. *Iob 19.* Fugite à facie gladij, quoniã vltor iniquitatum gladius est [Principes eorum] vt capitibus, supple, percussis, corpus ad nihil redigatur. *Habacuc. 3.* Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum eius vsque ad collum [à furore] hoc est, pro furore [linguæ suæ] quia scilicet me furiose blasphemantes, idola vel peccata laudauerunt. *Isa. 59.* Labia vestra loquuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatẽ fatur. Et subdit de antiqua radicatione istius mali [Ista subsannatio eorum] hoc est, peccatum subsannatione dignum. *Hieron.* Subsannatio est despectio cum contractione naris [In terra Ægypti] ibi enim primo boues & vitulos adorare didicerunt. *Iob 34.* Bibit subsannationem quasi aquam qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambula cum viris impiis, *Iere. 13.* Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam; poteritis & vos benefacere, cum didiceritis malum.

CAPVT VIII.

In gutture tuo sit tuba.

Hucusque instructus est Propheta de peccato populi. Ab hoc loco præcipitur vt in enuntiatione prophetica populus redarguatur: primo de peccato, secundo de peccati multiplicatione *infra. 10. ibi* [Vitis frondosa Israël. Prima adhuc duo habet. Primo enim ponit detestationem, secundo ad pœnitentiam admonitionem, *infra. 11. ibi* [Noli lætari Israël] istud autem capitulum in duo diuiditur. Primo enim præcipit Prophetæ, vt peccatum populo annuntiet; secundo, quod in gemitum, nisi pœnituerint, & captiuitatem inducentur *ibi* [Nunc congregabo eos] In prima tres paragraphi sunt. Primo enim Prophetæ quod prædicet iniungitur. Secundo, causa denuntiationis ponitur *ibi* [ipsi regnauerunt] Tertio inutilitas idoli demonstratur *ibi* [quoniam in araneatum telas] In primo paragrapho tria sunt, scilicet, iniunctio prædicationis, & quid prædicet docetur, & excluditur quædam tacita obiectio. Dicit ergo [In gutture tuo] ô Propheta [sit tuba] hoc est, sonora prædicatio. *Isa. 58.* Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. *Isa 30.* Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Dicit autem, in gutture, quia guttur continuatio est oris ad intima, & notatur in gutture quod sermo ab infimis suspiriis & dolore procedat. *Cant. 7.* Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus eius ad ruminandum. Sermo enim qui ex intimis procedit, cor accendit & lætificat, vt vinum, & sæpe ad memoriam reuocatur & ruminatur. *Bern.* Talis mihi placet prædicator, qui mihi planctũ non sibi plausum exciter Et dicit, In gutture tuo, ne alterius gutture prædicet, sicut illi, de quibus dicitur *Ier. 7. & 23.* Qui furãtur sermones aliorũ. Quid autem prædicet, subiungit. Primo de pœna, secundo de culpa de pœna [quasi aquila super domum Domini] & supplebitur, quia veniet hostis. Vnde sensus est: Quia hostis, Rex scilicet Assyriorum vel Chaldæorum, vel diabolus, auidus scilicet ad prædam super domum Domini veniet. *Habac. 1.* Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites eius. Equites namque eius de longe venient, & volabunt quasi aquila ad comedendum. Hæc est aquila, sicut dicit *Hieronimus* de qua *Ezech. 17.* Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit inde medullam cedri. Inducit etiam hoc *Prou. 30.* Oculus qui subsannat patrem & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrente & comedant eum filii aquilæ. Et dicit, super domum Domini, templum & familiam pertinentem ad templum signans: illi sunt enim in quos primo vindicat. *Ezech. 9.* Percutientibus populum dixit: A sanctuario meo incipite. Culpam autem pro causa subiungit [pro eo quod transgressi sunt] filij mei [fœdus meum] quod scilicet in patribus pepigi, Abraham, Isaac, & Iacob [& legem meam præuaricati sunt] quam scilicet in corde & in tabula scripsi per Moysen *Exo. 20. Isa 24.* Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Et subiungit de exclusione falsæ responsionis. Possent enim dicere, quod non transgressi sunt fœdus, adhuc cum inuocent Dominum: & respondet, quod hoc faciunt ore & non corde [me inuocabunt, Deus meus] hoc est, dicendo Deus meus. *Isa. 29.* Appropinquat populus iste labijs suis, cor autem eorum longe est à me. *Math. 15.* Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me [cognouimus te Israël] hoc est, nos qui sumus Israël cognouimus te, vt

Contra mercenarios.

te, vt ex suppositio fiat appositum, & è conuerso. Israël enim interpretatur vir videns Deum, quia Iacob hoc nomen accipiens dixit *Gen.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem. Videns autem in facie, cognoscit eum quem videt, & sic iactabant notitiam Dei, quam tamen per approbationem & deuotionem non habebant. *Isa.* 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Hoc idem dicitur de falsis Christianis. *Rom.* 1. Sicut non probauerunt habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum. *Matth.* 7. Multi dicent mihi in illa die, Domine nomine, & ego iurabo eis, quia nunquam noui vos. Et ideo respondet per pœnam subdens, & suppletur quia [proiecit Israël bonum] bonum, inquam, quod est omnis boni bonum, quod est Deus, sicut ait *August. Matth.* 19. Nemo bonus, nisi solus Deus. Hoc maxime proiicit qui cultum Dei abiicit. Proiicit etiam qui peccatum mortale committit. Ezech. 21. Proiecerunt me post dorsum suum. Exech. 23. Proiecisti me post corpus tuum. Et ideo, supple [inimicus persequetur eum] scilicet diabolus vel Assyrius persequetur eum. Propter peccatum enim traditur inimicis suis homo. *Exo.* 15. Dixit inimicus, Persequar & comprehendam, diuidam spolia, &c. Ostendit autem consequenter causam ? primo in Prælatis, secundo in subditis. De Prælatis inducentibus in peccatum dicit, & suppletur, quia.

Ipsi regnauerunt & non ex me] non ex Deo regnant, quia secundum Deum non regnant super subditos: licet Dominus iratus voluerit regnum Salomonis diuidi, tamen populus secundum præceptum legis debuit interrogare Deum, quem vellet institui. Sic enim 1. *Reg.* 9. fecit Samuel, sicut & præcipit Dominus *Deut.* 18. Ex Deo enim regnare, secundum formam Dei regnare est; non ex Deo regnare, est forma Dei deposita tyranni formam assumere, sicut Prælati faciunt nostri tẽporis. *Sap.* 6. Cum essetis ministri regni eius, non recte iudicastis nec custodistis legem iustitiæ eius, neque secundum voluntatem Dei ambulastis [principes extiterunt] inferiores scilicet Prælati [& non cognoui] hoc est, non approbaui. Deus enim non approbat simoniacum, vel stultum, vel malum. *Isa.* 32. Non vocabitur vltra is qui insipiens est princeps, nec fraudulentus appellabitur maior. Stultus enim fatue loquetur, & cor eius perficiet iniquitatem. In quo autem hoc potissimum fuerit, subdit [argentum suum] quod pretiosum est [& aurum suum] quod pretiosissimum est [fecerunt sibi idolum] vt scilicet pretiositate materiæ facilius inducerent populum ad venerandum. Argentum autem quia tinnulum est, eloquium signat: aurum vero sapientiam, quia quasi solis rubei videtur habere fulgorem. Quæ idola videmus præponi ab his qui student eloquentiæ & sapientiæ mundanæ, sicut mali aduocati. *Osee.* 2. Argentum & aurum multiplicaui eis quæ fecerunt Baal. *Isa.* 2. Repleta est terra eius auro & argento, & non est finis thesaurorum eius, &c. repleta est terra eius idolis [vt interirent] Hæc coniunctio, vt, non notat causam finalem, sed consequutionem ad opus. Ex tali enim opere nihil sequebatur nisi interitus. Similis *Isa.* 28. Erit eis verbum Domini, manda remanda vt vadant, & cadant, retrorsum, & irretiantur, & capiantur.

Proiectus est vitulus tuus Samaria] Ex parte subditorum tangit peccatum. Vitulus tuus ô Samaria proiectus est. Samariam vocat per metonymiam populum habitantem in Samaria. Per vitulum in singulari intelligit omnes vitulos in diuersis locis Samariæ positos. Quod autem dicit, proiectus est, signat quod proiectioni addictus est per sententiam damni. Proiectus est autem vt vile quid & abominabile *Ier.* 15. Eiice illos à facie mea, & egrediantur. Qualiter autem proiiciendus sit, subdit & suppletur, quia [iratus est furor meus in eis] in vitulis scilicet vel Samaritis. Furor, vt dicit *Gregorius*, est feruens ira. Feruens autem ira procedit in pœnam. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo. Et subinfert admirationem, quod abs tam irrationabili peccato populus emundari non potuit [vsquequo non poterunt emundari] ac si dicat. Cum multoties percusserim eos, & multis beneficiis allexerim, vsquequo attentabo, vel per quid potero emundare populum ? Et est simile *supra* 6. Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda ? *Matth.* 17. & *Mar.* 9. Generatio incredula quamdiu ero vobiscum, quàmdiu patiar vos ? Et subiungit rationem, quare cito deberent emundari [quia ex Israel & ipse est] Israel enim inuenit eum, & ab aliis nationibus non accepit, sicut quædam alia idola accepit ab aliis nationibus, sicut Baal à Sidoniis, Chamos à Moabitis, vitulum autem Ieroboam & populus Israel inuenerunt. *Psal.* 105. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Et cum homo sit ex Deo, & non Deus ex homine, irrationabile fuit credere quod esset Deus. Et hoc confirmat addens, Artifex fecit illum. Irrationabile enim est vt credatur esse Deus quem artifex fecit. *Isa.* 44. Non recognoscunt, neque sentiunt, vt dicant: Medietatem eius combussi igni, & coxi super carbones eius panes, & coxi carnes, & comedi, & de reliquis eius idolum faciam, et ante truncum ligni procidam. Pars eius cinis est: cor insipiens adorabit illud. Et hoc est quod sequitur [& non est Deus] arte enim Deus fieri non potest, eo quod Deus incommunicabile nomen est. *Sap.* 14. Incommunicabile nomen lignis & lapidibus imposuerunt. Et subdit de inutilitate.

Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ] hoc est, sicut aranearum telæ vento dissipantur, ita leui motu iræ Dei dissipabitur vitulus. Venientibus enim Assyriis propter cupiditatem metalli conflatus est vitulus. *Isa.* 59. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis, opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Et attende quod aranea euiscerat se telas faciendo propter vilem prædam muscarum, & significat auaros, qui pro vili præda euiscerant seipsos. *Eccli.* 10. Auaro nihil est scelestius, quoniam in vita sua proiecit intima sua. *Psal.* 38. Tabescere fecisti sicut aranea animam eius. Et subiungit rationem similitudinis [quia vẽtum seminabunt] Semina sunt peccata sparsim facta. Ventus est impetus persecutionis quem producit peccatum. *Sap.* 4. Infirmiter posita à vento commouebuntur, & à vento eradicabuntur [& turbinem metent]. Turbo enim ventus inuolutus & inuoluens est, & significat pœnam captiuitatis populum inuoluentem. *Iob* 4. Seminant dolores, & metent eos. *Iob* 9. In turbine conteret

conteret me, &c. Et metaphoram huius seminis explanat, dicens [culmus stans non est eis] Culmus est calamus ex radice ortus, qui cum stat, grana pura germinat & plena: cum autem vento deiicitur ad terram, euanescit à germine granorum; & ita dicere vult, quod deiecti per captiuitatem euanescent. *Deut.* 28. Sementem multum iacies in terram, & modicum congregabis. *Aggæi* 1. Seminasti multum, & intulisti parum [germen] siquod fuerit [non facient farinam] farina pura est refectiua & candida, & signat puritatem virtutis quæ candet honestate & reficit dulcedine. Opera autem malorum hoc non habent, quia & si in cortice exterius aliquid appareat, nihil habent intus veritatis. 2. *Timoth.* 3. Habentes quidem speciem pietatis, &c. Vnde *Hieronymus*: Culmus qui non habet germen, est vita meritis carens. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsenti seculo proficit, & nihil veritatis intelligit, & nullum boni operis fructum reddit. *Sap.* 4. Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum. Et ad hoc subdit [quòd & si fecerit] farinam scilicet, aliquam quæ magis videtur quàm sit [alieni] siue hostes, siue dæmones [comedent illam] *Isa.* 1. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant. Et hoc signarum est *Matth.* 13. vbi dicitur, quod semen quod cecidit secus viam, volucres cæli comederunt; quæ volucres à Domino dæmones dicuntur. Et quòd dixit, metaphorice explanat [deuoratus est Israël] ab hostibus scilicet, consumptus. *Isa.* 9. Deuorabunt Israël toto ore. Et ideo, supple [nunc] in præsenti tempore eorum qui iam vinunt [factus est in nationibus] dispersus per captiuitatem [quasi vas immundum] ad immunda enim & vilia deputabantur obsequia, sicut vasa immunda vilibus deputantur obsequijs. Vnde in *Psal.* 80. dicitur, secundum aliam translationem. Manus eius in cophino seruierunt. Cophinus vt dicit *Hieron.* Vas quod stercora de platea portantur. Qualiter autem hoc sit, subdit [quia ipsi] scilicet Israelitici [ascenderunt] non sponte, sed inuiti & tracti per captiuitatem [ad Assur] hoc est, in terram Assyriorum, sicut & peccatores trahuntur à dæmonibus. *Thren.* 5. Cerucibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. Ne autem hoc irrationabile videretur, subdit culpam per similitudinem, & suppletur, quia [onager solitarius sibi Ephraim] Onager est asinus agrestis, à græco onos, quod est asinus, & ager; & est animal furiosæ concupiscentiæ propter melancholiam ignitã, & signat concupiscentiam eorum ad idola, vel promitatem ad peccatum. Et dicitur solitarius quasi singularis: agrestis autem, quia nulla domitus est honestate. Ephraim autem dicitur populus propter regnum, quod incepit ab Ephraim. *Ierem.* 2. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus auertet eam: omnes qui quærunt eam non deficient, in menstruis eius inuenient eam. Et huius signum subiungit, & suppletur, quia [Munera dederunt amatoribus suis] sicut enim in præcedentibus dictum est, Manahem rex decem tribuum, & Achas duarum tribuum muneta miserunt Assyriis pro auxilio, & deos eorum assumpserunt: propter quod *Ezech.* 16. dicitur: In hoc quod dedisti mercedes & mercedes non accepisti, factum est in te contra consuetudinem mulierum. Sed & cum mercede con-

Onager.

duxerunt nationes] alias, supple, ab Assyriis, Ægyptios vel Æthiopes, & alios vt essent eis in auxilium, sicut dicitur *Isa.* 57. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es vsque ad inferos.

[Nunc congregabo eos] Hic tangit qualiter in captiuitatem inducentur; & quia duplex est peccatum, videlicet in hominem commissum, & in Deum quod si non expurgetur, pœna dignum est, ideo quatuor, dicit scilicet peccatum in hominem, peccatum in Deum, & quod non expietur, & quod punietur [nunc congregabo eos] id est, faciam vt congregentur in pugnam scilicet, vt in pugna cadant & capiantur, qui dispersi simul capi non possent. *Isa.* 8. Congregamini populi & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ; confortamini & vincimini, accingite vos & vincimini. *Ierem.* 8. Congregabo eos, dicit Dominus. Et præmisit; Idcirco cadent corruentes, *Ier.* 12. Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis. Ita congregantur peccatores vt similes in culpa similes accipiant pœnas. *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis, & mittentur in carcerem. Qualiter autem hoc fiat, subdit [& quiescent] hoc est, cessabunt. [paulisper] hoc est, parvo tempore [ab onere Regis] hoc est, ab oneroso tributo Regis] Assyriorum [& principum] eiusdem Regis. Negabunt enim tributum, & sic Rex & principes eius commouebuntur contra eos, & in bello illo capientur: sicut fecit Sedechias 4. *Reg.* 24. Dicit enim sic: Qui hactenus amabant aduersariis dare munera, quos diligebant, nunc cessare faciam vt suis principibus nulla tributa soluant, donec captiuitati non tributa, sed seipsos ad omnes contumelias tolerandas præbeant. Contra hoc peccatum dicitur *Rom.* 13. Reddite omnibus debita; cui tributa, tributa. *Matth.* 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c. Et subiungit de peccato commisso in Deum.

Quia multiplicauit Ephraim altaria] idolorum scilicet [ad peccandum] peccatum scilicet idololatriæ. *Isa.* 57. Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus [factæ sũt ei aræ in delictum] hoc est, per delictum in ruinam. *Iere.* 2. Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas, & ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Et subdit de peccati inexpiatione, secundum quod duobus modis peccatum expiatur, obseruatione scilicet legis, & sacrificiis. Et hoc est.

Peccatum duobus modis expiatur.

Scribam eis multiplices leges meas] remissiuè legendum est & ironicè, hoc est, non scribam. Et dicit leges à ligando. Multiplices autem, quia [multiplices sunt actus hominum, qui legibus sunt regulandi. Quare autem non scribat, subdit [quæ] hoc est, quia illæ [velut alienæ] hoc est, ad eos non pertinentes [computatæ sunt. *Psalm.* 49. Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. *Iere.* 6. Verbum Domini factum est illis in opprobrium, & non suscipient illud. Et subdit de sacrificiis [hostias offerent] scilicet ad Deum placandum [& immolabunt carnes] in quibus pars erat Sacerdotis, & pars offerentis [Et comedent] potius enim intendebant oblata deuorare quam Deum placare. *Isa.* 22. Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, iugulare arietes; Comedamus & bibamus [& Dominus non suscipiet eas] *Malach.* 1. Non est mihi voluntas in vobis, &

munus non suscipiam de manu vestra. *Isa.* 1. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum, Et subiungit de pœna captiuitatis.

Nunc recordabitur [supple Dominus [iniquitatis eorum] contra quod dicitur in *Psalm.* 78. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum [Et visitabit] lumine scilicet discussionis, & punitionis iudicio [peccata eorum.] *Isa.* 24. Visitabit Dominus super malitiam cæli in excelsis, & super Reges terræ qui sunt super terram. Et vt iustior videatur visitatio, subdit reperendo culpam, & suppletur, quia [ipsi in Ægyptum reuertentur] corde scilicet & opere, & ad auxilium eorum petendum, & ad Deos eorum colendos, contra quod dicitur *Isa.* 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes. *Iere.* 42. Nec audiemus vocem Dei nostri dicentes: Nequaquam, sed ad terram Ægypti fugiemus, vbi non videbimus bellum [& oblitus est Israël factoris sui] *Deut.* 32. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui. *Isa.* 57. Mentita es, & non es mei recordata [& ædificauit delubra] idolis scilicet vilibus. Delubrum dicitur à diluendo, & est templum in quo erat fons, in quo vestes & corpora diluerunt, qui ad sacrificandum venerant ad templum, cum potius in hoc polluerentur quàm diluerentur. *Iob* 9. Si lotus fuero velut aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. *Iere.* 2. Quid niteris bonam ostendere viam tuam, quæ insuper & malitias docuisti vias tuas [& Iudas] hoc est, duæ tribus [multiplicauit vrbes munitas] in quibus putauit se posse resistere ne captiuetur, contra quod dicitur *Habac.* 1. Ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam [Et mittam ignem in ciuitates eius] munitas, supple [& deuorabit ædes eius] hoc est, ædificia illius. *Isa* 1. Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. *Thren.* 2. Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro. Hæc omnia sub eisdem authoritatibus facile est referre ad peccatores, qui per delectabilia seculi idola multiplicant, & falsa spe munitiones contra Dominum ædificant.

De lubra.

CAPVT IX.

Noli lætari Israël.

HIc secundum superius inductam diuisionem, inclinat populum ad dolendum de peccato commisso: & quia ad duo inclinat, propter hoc in duo diuiditur. Primò enim inclinat ad hoc, quod à lætitia peccati conuertatur in tristitiam pœnæ. Secundo, quod peccatum deserat à pulchritudine & honestate patrum *ibi* [Quasi vuas in deserto] In primo sunt tres paragraphi. Primo enim ostendit, quod lætitia conuertetur in tristitiam. Secundo, quam solenniter hoc fiet *ibi* [Quid facietis in die solenni] Tertio, quantæ stultitiæ sit sic lætari *ibi* [Scito te Israël stultum] In primo quatuor dicit. Primo enim prohibet in malis exultare: secundo ostendit, quod hæc lætitia conuertatur in tristitiam per pœnam damni: tertio, quod non expiabitur oblatione sacrificij: quarto, causam inducit quare per sacrificium non possit expiari. Dicit ergo [Noli lætari Israël] Lætabantur enim in festo idoli, sicut & peccatores lætantur in peccatis. Et est lætitia gaudium cordis, quasi latitia dicta, eo quod dilatat cor. *Prou.* 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Et attende, quod nolo, non vis, per totum condeclinium, voluntatem habet affirmatam, & negatio refertur ad volitum. Vnde sensus est, noli lætari, velis non lætari, hoc est tristari. Voluntaria enim tristitia pœnitentiæ, tristitia est, quæ sola secundum Deum est. 2. *Cor.* 7. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur [noli exultare sicut populi] exultatio ad corpus refertur, quando scilicet gaudium cordis in signis apparet corporis, sicut in risu, plausu manuum, tripudio, & huiusmodi: sicut in deserto fecerunt patres eorum ante idolum. *Exod.* 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Et ludus ille fuit in choreis & cantibus ante vitulum, quem ludum detestabatur Sara *Gen.* 21. vbi fecit ancillam eiici & filium eius, cum vidisset filium ancillæ Ægyptiæ ludentem cum Isaac. *Prou.* 14. Luctus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Quòd autem dicit, Sicut populi, intelligit populos nationum qui lætabantur in diis suis, vel sicut populares lætantur, qui lætantur in peccatis, cum eis quæ male desiderant, ad votum prouenient. *Iob* 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. De quo autem non lætetur, subdit [quia fornicatus es à Deo tuo] id est, de hoc non debes lætari, quod fornicatus es, assumens deos alienos in coniunctionem amoris tui, credens te per hoc liberatum esse ab obligatione legis, quod diu desiderasti. *Iere.* 2. A seculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti: Non seruiam. Bene dico, noli lætari, quia per hoc perdes omne quod dilexisti. Et hoc est, supple, quia.

Dilexisti mercedem super omnes areas tritici] hoc est, triticum super omnes areas crescens dilexisti pro mercede. Non enim habes oculum nisi ad temporalia. *Deut.* 33. Tantummodo oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. *Psalm.* 4. A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Et hoc totum perdes, supple, quia [area & torcular non pascet eos] deficiente pane & vino, quæ fames primo sub Elia & Achab facta est 3. *Reg.* 17. Secundo autem facta est sub Eliseo 4. *Reg.* 7. & 8. ita quod etiam matres comederunt filios. *Psalm.* 104. Vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit. Vnde etiam 4. *Reg.* 6. Mulier quædam clamauit dicens ad regem: Saua me Domine mi rex, qui ait: Non te saluet Dominus, vnde te saluare potero, de area vel de torculari [& vinum mentietur eis] quando cultus & labor & expensæ adhibita sunt, & fructum non reddit, tunc vinum mentitur. *Habac.* 3. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. *Isa.* 17. In die plantationis tuæ labrusca, & mane semen tuum florebit: ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit granuter. Hæc eadem referuntur ad mercenarios ecclesiasticos, qui non ministrant nisi pro fructu areæ & vineæ, & idcirco iudicio Dei dissipatur vtrunque. *Isa.* 16. Et auferetur lætitia & exultatio

Clericum mercenarium.

exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque iubilabit. Famem autem sequetur captiuitas. Et hoc est quod subiungit [non habitabunt in terra Domini] Terra enim decem tribuum terra Domini erat, quam illi, quantum in eis erat, Domino abstulerunt & idolis dederunt, & idcirco eiecti sunt & tracti ad terras idolorum quæ coluerunt. *Hieronym.* 2. Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructus eius & optima illius, & ingressi contaminastis terram meam & hæreditatem meam posuistis in abominationem. Ideo dicitur *Iere.* 5. Sicut seruistis diis alienis in terra vestra, ita seruietis diis alienis in terra non vestra. Hoc idem dicitur clericis, & laicis peccatoribus, quibus propter peccata, & fames spiritualis & corporalis inducitur, & de terra Domini, hoc est, ab Ecclesia in infernum proiiciuntur. *Psalm.* 103. Deficiant peccatores à terra, &c. Et subiungit causam, & suppletur, quia [reuersus est Ephraim] regnum scilicet decem tribuum, & Israël, hoc est, populus decem tribuum] in Ægyptum] hoc est, ad conuersationem & imitationem Ægyptiorum: vitulos scilicet colendo sicut illi boues [& in Assyriis polluntum comedit] hoc est, in imitatione Assyriorum, quorum idola etiam assumpserunt & conuersationem imitati sunt. *Iere.* 2. Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis: Sic reuertuntur in Ægyptum religiosi & clerici, qui peccata secularium in concupiscentia carnali quæ signatur per Ægyptum, & in fastu ambitionis quæ signatur per Assyrium, quæ interpretatur altus sensus, imitantur. Contra primum horum dicitur *Eccli.* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Contra secundum dicitur *Rom.* 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Quid autem dicitur pollutum comedisse idolothytum, intelligit, quod idolis Ægyptiorum vel Assyriorum fuerat immolatum. *Ezech.* 4. Comedent filij Israël panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eiiciam eos. Pollutum etiam comedit, qui indignè pabulum præbendæ sumit. *Tit.* 1. Immundis & incredulis nihil est mundum. Et subdit, quòd hoc peccatum non potest expiari sacrificiis.

Pollutum qui comedit.

Non libabunt Domino vinum] libare idem est quod gustare, quia ea quæ de liquidis offerebatur, primo gustabantur an digna essent ad offerendum. Causam subiungit [&] id est, supple, quia [non placebunt ei sacrificia eorum] manus enim quæ idolis eleuantur, sacrificare Deo non possunt, sicut & à peccatoribus oblatio non recipitur. *Gen.* 4. Ad Cain & ad munera eius Deus non respexit. *Eccli.* 34. Offerentis ex iniquo oblatio erit maculata. *Malac.* 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non recipiam de manu vestra. Attende quod vinum libatur in sanguine Christi, & sacrificium de area in corpore, quod in manibus malorum, & bonorum sacerdotum æquale est. Vnde quod dicitur, non libabunt, intelligitur quod non libant ad salutem, sed ad damnationem. 1. *Cor.* 11. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Et secundum literam vult dicere, quod quia indignè libauerunt idolis, faciet quod præ paupertate & captiuitate, nec Domino, nec idolis libare possint. *Dan.* 3. Non est in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam. Et subiungit causam, quare non sit acceptum sacrificium, & supletur, quia [quasi panis lugentium] mortuum, supple, est oblatio eorum. Panis lugentium dicitur cœna quæ præparatur lamentantibus mortuum, qui panis immundus reputatur secundum legem *Leuit.* 8. & hoc est quod sequitur [qui comedent eum, contaminabuntur] hoc est, immundi reputabuntur. Et huius etiam subiungit causam [quia panis eorum] hoc est, lugentium [animæ ipsorum] hoc est, mortuorum scilicet pollutus est, & idcirco contingentes cadaver mortui vel comedentes in domo, in qua est, polluuntur, & ab ingressu templi suspenduntur. Et hoc est quod sequitur [non intrabunt in domum Domini] Hoc etiam videmus spiritualiter impleri in Religiosis & Sacerdotibus, qui panem lugentium comedunt pro animabus mortuorum oblatum, & obsequium quod debent non soluunt, & per vitam malam indignos se exhibent. *Osee* 4. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitates sublenabunt animas eorum. *Heb.* 13. Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo, id est, corpori deseruiunt. Tales etiam ab Ecclesia expellendi essent. *Rom.* 16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per pulchros sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. De his dicitur *Ioan.* 6. Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis.

Oblatio peccatorum à Deo non recipitur.

Sacerdotes panem comedunt lugentium mortuum.

Quid facietis in die solemni] Tangit hic quam solenniter iudicium de eis fiet, & dicit tria, solenniratem scilicet iudicij, conuictionem rei, & damnationem conuicti [Quid facietis in die solemni] Dies dicitur propter clarritatem lucis iustitiæ. 1. *Cor.* 4. Veniet Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Solemnis dicitur, quia communis omnibus, solo enim Græcè Latinè sonat commune. *Psal.* 117. Constituite diem solemnem in condensis [in die festiuitatis Domini] quando scilicet iudex faciet festum vos idolis per gladium sacrificando. *Isa.* 34. Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Ferè idem *Isa.* 10. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis, ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam vestram? Et subdit, de conuictione rei, [ecce enim profecti sunt] in Ægyptum, supple [à vastitate] hoc est, timentes vastitatem Chaldæorum. Et tangit hoc quod habetur *Iere.* 42. & 43. Quod contra consilium Domini & Ieremiæ, fugerunt in Ægyptum interfecto Godolia. *Isa.* 30. Væ filij deserentes, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis vt ascendatis in Ægyptum. Et subdit damnationem. Et ideo [Ægyptus congregabit eos] vt scilicet omnes inueniantur ad gladium. *Iere.* 12. Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis [Memphis sepeliet eos] Memphis metropolis erat Ægypti, antequam Alexandria ædificaretur, & ad illam ciuitatem plurimi confugerunt, & idola illa venerati sunt propter auxilium. *Iere.* 2. Filij Memphetos & Taphneos constuprauerunt te vsque ad

Clerici ac religiosi Ægyptum repetentes.

verticem. Hoc idem dicitur eis qui propter vastitatem paupertatis clericatum assumunt, vel religionem, qui semper corde reuertuntur in Ægyptum, hoc est, ad seculi conuersationem, quod significatur *Num.* 11. vbi dicitur: Flagrauit populus desiderio carnium qui sedens & flens, ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis. Hi sunt qui omne obsequium conuertunt ad lucrum, & ad ventrem *Philip.* 3. Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, & nunc flens dico inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt; nostra autem conuersatio in cælis est [Desiderabile argentum eorum] Posset aliquis dicere, Quid fieret de possessionibus eorum eis captiuatis? & ad hoc respondet. Et vocatur argentum, quicquid argento mensuratur ad valorem. Vndo *Glossa.* Per argentum signantur omnia quæ argento emuntur [Desiderabile argentum eorum] hoc est, possessiones argento æstimatas [vrtica hæreditabit] hoc est, ita desolabitur, quod vrtica ibi crescet. Vrtica autem ab vrendo dicitur, & significat sensibilem dolorem & vstium, qui succedit de possessionibus auarorum. *Iac.* 5. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. *Prou.* 24. Per agrum pigri hominis transui & per vineam viri stulti, & ecce totum operuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ [lappa in tabernaculis eorum] Lappa lati folij est, sed acuti. Vnde & contra scabiem datur & significat vermem conscientiæ, qui semper remordet & acutus est. *Isa.* 66. Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Tabernacula autem dicuntur habitationes vel exteriores vel interiores. Quòd autem tempus sit in solennitate Domini, hæc faciendi, subdit [venerunt dies visitationis] in quibus scilicet peccatum manifestetur ad iudicium. *Isa.* 26. Visitabit Dominus iniquitatem habitatoris terræ contra eum [venerunt dies retributionis] *Isa.* 34. Dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion. *Isa.* 63. Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.

Scito te Israël stultum] Tangit hic priuationem rationis & profunditatem peccati ad puniendum, & ideo duo dicit: rationis priuationem, & peccati profunditatem *ibi* [Profunde peccauerunt] In primo describit rationis priuationem à tribus, scilicet, ex paruitate discretionis, ex multitudine iniquitatis, & ex negligentia officij. Dicit ergo [Scito te Israël stultum [Stultus dicitur à stoliditate, qui non sapiens tantum non est, sed etiam capax sapientiæ non est. *Eccl.* 1. Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. In quo autem stultus sit, subiungit [Prophetam insanum virum spiritualem] Meo iudicio conuertenda est propositio hoc modo. Scito illum esse virum spiritualem, hoc est, spiritu Dei plenum, quem iudicasti Prophetam esse insanum. Et tangit historiam, quæ habetur *Iere.* 42. & 43. quod scilicet *Ieremias* Propheta spiritu Dei plenus indicabatur ab eis insanus, & mendacium loquens, & contra consilium & præceptum eius fugerunt in Ægyptum. Et quod vir spiritualis fuerit *Ieremias*, habetur *Eccl.* 49. vbi dicitur: Male tractauerunt eum, qui ex vtero matris consecratus est Prophe-

Stultus.

Ieremias vir spiritualis.

ta. Quod autem eum dixerunt insanum, acceperunt 4. *Reg.* 9. vbi Eliseus misit discipulum suum Prophetam ad inungedum Iehu, & quæsiuerunt ab eo quid venit insanus iste ad te? Seculares enim spirituales homines reputant insanos. *Sap.* 5. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. *Hieronymus* tamẽ aliter legit, dicens: Scito te Prophetam insanum, qui Prophetas tibi impunitatem in peccatis, cum Deus peccantibus non parcat. *Heb.* 2. Omnis inobedientia iustam accepit mercedis retributionem [virum spiritualem] hoc est, qui putabas te esse virum spiritualem. Et signat hypocritas, qui se reputant spirituales cum carnales sint. *Matth.* 7. Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et explanat multitudinem amentiæ, subdens [propter multitudinem iniquitatis tuæ] hoc est, quia diligis iniquitatem, & hoc contra Deum & contra homines, & multitudo, supple, est [& multitudinem amentiæ tuæ] affectus enim ligat intellectum ne veritatem agnoscat. *Psal.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, &c. *Osee* 4. Fornicatio & ebrietas & vinum auferunt cor. Et subdit de negligentia officij [Speculator Ephraim cum Deo meo Propheta] Meo iudicio loquitur hic de Ahia, de quo legitur 3. *Reg.* 11. & 12. quod scidit pallium in duodecim partes, & decem partes dedit Ieroboam, duas relinquens Roboam, & dixit, Hæc dicit Dominus: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Non autem dixit: Scindam à templo & à cultu Dei. Et hic Propheta fuit cum Deo meo, quia imperio Dei fecit, & tamen per occasionem non per causam [laqueus ruinæ factus sit super omnes vias eius] quia scissio regni occasionauit scissionem à templo, & à cultu diuino. Simile est *Luc.* 2. Simeon dixit de Christo: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Christus enim in resurrectionem est per causam: sed in ruinam non potest esse, nisi per occasionem, scilicet, quia alij peccant in ipsum, non ipse in alios. *Hieronymus* tamẽ hic aliter legit, sic dicens: Deus constituit Reges & Sacerdotes & Prophetas, vt præsiderent populo. Vnde dicit ad *Ezechielem* 32. & 33. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël. Dicit ergo [Ephraim] hoc est, Ieroboam [cum Deo meo] hoc est, secundum voluntatem Dei mei constitutus est [speculator] est hoc vt ipse & insaniaces eius populo Dei vtilia prouiderent, & sicut Prophetæ ad bonum erigerent. Sed in omnibus vijs & actionibus factus est laqueus, quia suadendo & cogendo ad idololatriam inducebat. Et hoc dici potest de malis Prælatis, qui iuxta vias, hoc est, opera hominum ponunt scandala mali exempli. *Osee* 5. Laqueus facti estis speculationi. *Psal.* 139. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Et subdit explanans illud, & supplentur, quia [insania in domo Dei eius] Insania enim bene est propter idola peruertere vitam. *Sap.* 14. Aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, nec vitam nec nuptias mundas custodiunt. Et subdit de profunditate peccatorum dicens.

Profunde peccauerunt] qui adhuc spirat in profundo non est submersus, ita dum peccator spirat

Mundani spirituales insanos abijciunt.

spirat proposito pœnitendi submersus non est: quando vero desperat submersus est. *Prou.* 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit [sicut in diebus Gabaa] Legitur *Iudic.* 19. quòd vxore Leuitæ cum marito reuertente de Bethlehem in Gabaa, incredibili stimulo libidinis Gabaonitarum interfecta: Dominus, sicut dicit *Philo in libro centum trium quæstionum*, vindicauit, & in Israëlitas, & in Gabaonitas. In Israëlitas, quia bis ceciderunt. In Gabaonitas, quia ex libidine vxorem alterius & violauerunt & occiderunt. Causa vindicationis in Israëlitas hæc fuit vt dicitur, quia vxorem Leuitæ quæ propter adulterium à marito recesserat, & secundum legem lapidanda fuerat vindicauerunt, & idolum quod in domo Michæ inuenerunt *Iudic.* 18. secum asportauerunt, & in Micham non vindicauerunt, cum tamen adulterium minus scelus sit quàm idololatria. In Gabaonitas autem, quia contra honestatem humanam vxorem Sacerdotis stimulo libidinis interfecerunt, & ita isti fecerunt, quia sicut dicitur *Ephe.* 4. Desperantes semetipsos dederunt immunditiæ. Aliter exponitur à *Hieronymo*, quod Gabaa ciuitas fuit, in qua vnctus fuit Saul. 1. *Reg.* 10. Et sicut Saul contra Dominum regnauit, ita Ieroboam; & sicut peccatum Saulis profundum fuit & remedium non habuit, ita & peccatũ Ieroboã. *Exod.* 15. Descendetũt in profundũ quasi lapis, propter quod sequitur [recordabitur iniquitatis eorum] antiquæ scilicet ad vindictam quam ex patribus hæreditauerunt. *Exod.* 20. Visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartã generationem eorum qui oderunt me [& visitabit peccata eorum] quæ scilicet veteribus addiderunt *Psal.* 138. Tu cognouisti omnia nouissima & antiqua. Singuli enim pro omnibus peccatis digna recipient. *Psal.* 61. Tu reddes vnicuique iuxta opera sua.

Quasi vuas in deserto] Tangit hic quod casus à pulchritudine & honestate patrum debet ei esse causa doloris pœnitentiæ, & habet duas partes. Primo enim dicit casum: secundo autem causam casus *ibi* [Omnes nequitiæ eorum] Prima habet duo. In primo tangit casum à desiderabilitate patrum. Qui fuerunt viri desideriorum, & hic est casus à gratia & virtute. Secundo tangit casum à multitudine patrum & copia diuitiarum, & hic est casus à gloria *ibi* [Gloria eorum à parro] In primo tria sunt, scilicet, quàm suaues in gustu fuerunt patres, quàm abominabiles filij, quàm facile ad malum inducti. Dicit ergo [Quasi vuas in deserto inueni Israël] sensus est. Inueni perditum peccatis, & assumpsi ad gratiam meam Israël, populũ scilicet decem tribuũ in deserto, quando eduxi eos de Ægypto, & legem dedi quasi vuas gusta desiderabiles, cordis gaudium generantes, propter bonitatem patrum. *Deut.* 32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. De vuis autem *Cant.* 1. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Tunc enim vbera populi assimilata sunt botris, sicut dicitur *Cant.* 7. Vbera eius sicut doctrina, & exhortatio; vbera doctrinæ fuerunt lac veritatis ad fidem, vber exhortationis fundebat lac dulcissimæ consolationis ad virtutem & bonitatem; de quibus dicitur *Cant.* 1. Meliora sunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Et quod dicit in deserto, non tantum notat locum, sed etiam desertum tunc fuisse mundum à cultu diuino, vt scilicet omnibus alijs neglectis hunc populum solum elegerit. Vnde *Deut.* 7. Te elegit Dominus, vt sis ei populus peculiaris. Hoc sub eodem sensu refertur ad primitiuam Ecclesiam, & primitiuam religionem, & clerum. Et subiungit similitudinem à dulcedine virtutis [quasi prima poma ficulneæ] supple, inueni eos. Prima poma ficulneæ grossi sunt, qui propter raritatem plus desiderantur, & ita primi patres desiderabili dulcedine virtutis Deo adhæserunt, *Michea* 7. Præcoquas ficus desiderauit anima mea. De vrisque dicitur *Cant.* 2. Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt. Et innuit expositionem metaphoræ, subdens [in cacumine eius] hoc est, ficulneæ [vidi] hoc est, lumine meo illustrani & perfudi [patres eorum] qui lumine meo calefacti ad charitatem, & digesti ad virtutis dulcedinem, charissimi mihi fuerunt. Vmbra enim in refrigerio concupiscentiæ dulcis fuit, fructus autem in opere virtutis suauissimus. *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Et attende quod in cacumine arboris, quanto magis succus à radice (quæ virtutem terræ habet) subleuatur ad cacumen, tanto magis digeritur, subtiliatur, & liberius foli exponitur, & fructus affert dulciores. *Isa.* 17. In cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus. Eleuati enim à terra & exhibiti soli iustitiæ fructum dulcissimum ferunt. Hoc signatum est. *Iere.* 24. Vnus calathus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis. Hoc totum simul refertur ad statum primitiuæ, in clero, in populo, & in religiosis, sicut dicitur *Roma.* 11. Secundum electionem charissimi propter patres. Subiungit autem qualiter in filijs facti sunt abominabiles.

Ipsi autem] quàmuis à bonis geniti [intrauerunt ad Beelphegor] Beelphegor componitur à Bel & phegor, quod est idolum Tentiginis, quod sicut dicit *Hiero.* Imago fuit viri nudi, & habebat pellem mortui in ore, vt significaret, quod non esset remedium mortalitatis, ita quod natura fugiens teneri non posset, nisi per os in cibo & potu ministraretur materia libidini, ita quod per Priapum in coitu natura fugiens tenerentur, vnde extensum habebat veretrum. Quod autem populus huic morbo subiacuerit, dicitur *Numer.* 25. Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt & adorauerunt deos earum, iniunctique est Israël Beelphegor. *Psal.* 105. Iunxti sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. 2. *Paral.* 33. Laudatur Asa eo quod matrem suam Maacha ex Augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luto simulachrum Priapi quod omne contriuit in frusta comminuens. Maacha ventris percussio interpretatur, eo quod cibus concupiscentiæ in umbilico mundebatur, quæ deponenda est ne libidini seruiat, & ipsa libido per carnis afflictionem est comminuenda [& abalienati sunt] à Deo, vero scilicet, *Isa.* 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum [in confusionem] damnationis scilicet & mortis: quia etiam confusio magna est seruire turpitudini libidinis. *Psal.* 108. Induantur sicut diploide confusione sua. *Iere.* 31. Confusus sum, & erubui; quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ [& facti sunt abomina-

Gabaonitarum nefandum scelus.

Vbera duo Ecclesiæ, doctrina & exhortatio.

Beelphegor.

Concupiscentia carnis reprimenda.

biles] ſupple mihi, & omnibus bonis, ita ſcilicet vt nauſeam prouocent. *Apoca.* 3. Incipiam te euomere ex ore meo [ſicut ea que dilexerunt] ſupple, ſunt abominabilia, ſicut idola & concupiſcentiæ. *Sap.* 14. Aequaliter diſpliceſt deo impius & impietas eius. *Iob.* 15. Abominabilis & inutilis eſt homo qui bibit quaſi aquam iniquitatem Et ſubdit quam leuiter à Deo receſſit.

Ephraim quaſi auis auolauit] Auis componitur ab à quod eſt ſine, & via quaſi ſine via, quia nullam certam viam tenet, & cito recedit à loco in quo eſt: ſic populus de facili & cito deſeruit legem Dei. *Exod.* 32. Receſſerunt cito de via quam oſtendiſti eis. *Sap.* 5. Quaſi auis qui tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius. Hæc per omnem eundem modum, & ſub eiſdem auctoritatibus referuntur ad populum clerum & religioſos, qui formam primitiuorum patrum relinquunt & libidini ſeruiunt.

Gloria eorum à partu] Tangit hic caſum à gloria dupliciter. Ceciderunt enim à glorioſa multitudine ſucceſſorum, & à copia diuitiarum [Gloria eorum] hoc eſt, gloriatio eorum eſt [à partu] quem glorioſum ediderunt, quod ſignatum eſt *Gene.* 30. vbi dixit pariens Lya: Hoc pro beatitudine mea, ex hoc enim beatam me dicent omnes mulieres [& ab vtero] qui ſcilicet nobilis & fide thori & caſtitate matrimoniali erat. Vnde *Ioan.* 8. dicunt: Nos ex fornicatione non ſumus nati. *Can.* 7. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs, hoc eſt, vt triticum purus & deſiderabilis, & vt lilium omni flore, caſtitate mirabilis [& à conceptu] quem ſcilicet vſque ad debitum tempus partus retinuerunt, & abortum non patiebantur. *Iob* 11. Eos eorum concepit & non abortiuit, & vacca non eſt priuata fœtu ſuo. Quia autem ab his filij ceciderunt, propter hoc ſequitur [Quod etſi enutrierint filios ſuos] quos ſcilicet ad formam ſui peccati nutriunt [abſque liberis eos faciam in hominibus] 1. *Reg.* 15. Abſque liberis inter mulieres erit mater tua. Liberi dicuntur filij de vtero libero & ad liberos virtutis actus nati. Gala. 4. Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. Vnde non negar, quin ſeruos poſſit habere filios. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et hunc ſenſum innuit perſequens [ſed & væ eis] ſcilicet æternæ damnationis [cum receſſero ab eis] per gratiæ ſcilicet ſubtractionem. *Ier.* 18. Recedentes à te, in terra ſcribentur. Hoc ſignatum eſt 1. *Reg.* 16. vbi dicitur quod ſpiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus malus ſtatim. Hæc omnia referuntur ad clerum & religioſos qui gloriantur in multitudine partus, quod ſcilicet multos ad formam ſuam ducunt & generant, & ab vtero libidinis qua vterum Eccleſiæ corruperunt, & à contẽptu, quod ſcilicet in magnis Eccleſijs concepti ſunt cum tamen dicat *Pſal.* 57. Errauerunt ab vtero, loquuti ſunt falſa. Non enim ſunt de illis, de quibus dicitur *Iſa.* 26. A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Sed figurantur 1. *Reg.* 4. per vxorem Phinees, qui os mutum interpretatur, quæ moriens in partu vocauit filium Ichabod, hoc eſt, inglorium, dicens: Tranſlata eſt gloria Domini de Iſrael. Et ſubdit de caſu à copia diuitiarum, dicens.

Clericorum falſa gloriatio.

Ephraim vt vidi] hoc eſt, vt eum luce proſpeximus perlaſtraui [Tyrus erat] hoc eſt, ſimilis Tyro in copia diuitiarum, de qua multum legitur *Ezech.* 28. & inter cætera dicitur ibi: Signaculum ſimilitudinis, plenus ſcientia, & perfectus decore, de principe Tyri, & quod in delicijs paradiſi Dei fuit, & quod omnis lapis pertioſus operimentum eius fuit. Et hoc eſt quod ſequitur [fundata in pulchritudine] hoc eſt, potentatu, diuitijs, & ſplendore honoris. *Ezech.* 17. O Tyre, tu dixiſti: Perfectus decore ego ſum. Hoc idem nunc de Eccleſiis & clauſtris dici poteſt, & hæc omnia per peccatum auferentur. Et hoc eſt quod ſequitur [Et Ephraim educet] ſic continuandum eſt. In pulchritudine fundata fuit: ſed quia cor eleuatum eſt in pulchritudine eius. *Ezech.* 16. &. 18. Eleuatum eſt cor tuum in pulchritudine tua, ideo ad tantam inediam deducetur, quod Ephraim educet de ciuitate, ſupple, præ inedia famis [ad interfectorem filios ſuos] potius volens eos interfici quàm fame tabeſcere. Quod literaliter factum eſt 4. *Reg.* 6. vbi habetur, quod Benadab rege Syriæ obſidente Samariam, facta eſt fames tam valida, donec venundaretur caput aſini lxxx. argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. Stercore enim columbarum (vt dicit Ioſephus) Hebræi pro ſale vtebatur. Stercus enim columbarum propter caliditatem & ſiccitatem fortiter aquæ commixtum, & ad modum ſalinarum decoctum ſalem reddit. Vnde tunc Samaritani cogitauerant exire ad inimicos vt interficerentur. *Thren.* 4. Melius fuit occiſis gladio quàm interfectis fame, quoniam iſti contabuerunt. Hoc etiam refertur ad perſonas Eccleſiaſticas, quæ fundatæ erant in pulchritudine, modo ad tantam inopiam reuertuntur, vt ad interfectorem, hoc eſt, ſecularem conuerſationem filios educent. Secularibus enim negotijs ſunt intenti. *Thren.* 1. Foris interfecit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Et ideo ſubdit Propheta prophetiam ſub oratione [Da eis Domine] *Pſal.* 93. Redde retributionem ſuperbis [Quid dabis eis?] Ex deſiderio quærit; tanta eſt enim culpa eorum, quod neſcit quid pro retributione petat. Exigentia enim culpæ vincit omnem pœnam. Vnde *Iſa.* 1. Super quo percutiam vos vltra? Id tamen quòd magis congruit, ſubdit [Da eis vulnam ſine liberis] Vulua à volendo dicitur, quia ſemper concupiſcit. Vnde prouer. 30. Inter inſatiabilia computatur os vuluæ, & concupiſcentiam ſignat, quia vuarus non replebitur pecunia, *Eccl.* 5. Eſt autem ſine liberis, quia nihil liberum concipit [& vbera arentia] vber ab vbertate dicitur, quia vbertim fundit. Duo enim vbera, doctrinæ ſcilicet & exhortationis arent in eis. *Rath* 1. Non vltra habeo filios in vtero meo, vt viros ex me ſperare poſſitis. *Cant.* 8. Soror mea parvula eſt; & vbera non habet.

Columbarum ſtercus ad ſalis vtrum eſt decoquitur

Omnes nequitiæ eorum] Tangit cauſam caſus & à gratia & à gloria [Omnes nequitiæ eorum] hoc eſt, cauſa omnis nequitiæ [in Galgal] ſupple, initium habuit. Galgal ſiue Galgala locus eſt vbi Ioſue ſecundam circumciſionem fecit, ſicut dicitur *Ioſue* 5. Et propter hoc locus in veneratione fuit, propter quod idolum in loco illo poſuerunt, vt ex loci veneratione facilius populum ad idololatriam inclinarent. 1. *Reg.* 9. & 10. dicitur, quod Samuel in Galgalis Saul in regem vnxit, qui contra Dominum fuit, & ideo & quantum ad idololatriam & quantum ad tyrannidem regiam in Galgalis, peccatum incipit. Et hoc eſt quod ſequitur

quitur [quia ibi] hoc eſt, propter peccatum inibi factum [exoſos habui eos] *Iere.* 15. Non eſt anima mea ad populum iſtum. Moraliter autem, Galgal interpretatur reuelatio vel volutabrum: reuelant enim & prædicant peccata ſua in ſcandalum *Iſa.* 3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Et in volutabro concupiſcentiarum tota die voluuntur. 2. *Pet.* 2. Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti, quos exoſos habet Dominus. *Pſal.* 118. Iniquos odio habui [propter malitiam eorum] quia ſcilicet noua genera peccatorum inuenerunt. *Iſa.* 3. Lingua eorum & adinuentiones eorũ contra Dominum [de domo mea eiiciam eos] *Pſal.* 100. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam. *Gene.* 21. Eiice ancillam, & filium eius [Non addam vt diligam eos] *Gloſſa*, in errore manentes. Aliter contrarium eſſet ei, quod dicitur *Oſea* 14. Diligam eos ſponteæ, quoniam auerſus eſt furor meus ab eis. Et ſubdit cauſam, & ſuppletur, quia [omnes principes eorum recedentes] ſupple, ſunt, à primo enim Ieroboam (3. *Reg.* 13.) vſque ad vltimum Oſeæ (4. Regum 16.) nullus fuit regum Iſrael qui non faceret malum in conſpectu Domini. Sic etiam principes malorum recedunt à Deo. *Iſa.* 1. Principes tui infideles, ſocij furum. Et tangit de deſperatione redeundi ad bonum [Percuſſus eſt Ephraim] hoc eſt, abſciſſus. *Luc.* 3. Securis ad radicem arboris poſita eſt. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Luc.* 13. Ecce tres anni ſunt, ex quo veniens quæro fructum in ficulnea & non inuenio, ſuccide ergo eam, vt quid etiam terram occupat? Et ne aliquis dicat quod de radice aliquid oriri poſſet, reſpondet ſubdens [radix eorum exiccata eſt] nullo ſcilicet humore pietatis infuſa, & radix dicitur cor vel liberum arbitrium. *Iſa.* 40. Et quidem neque plantato neque ſato neque radicato in terra trunco eorum, repente flauit in eos & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos [fructum ne quaquam facient] boni operis ſcilicet & virtutis. *Iudas in epiſtola.* Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ [Quod & ſi genuerint] ſupple, per ſpuria vitulamina, ſiue per adulterinas plantationes. *Deut.* 36. Generatio prauа atque peruerſa [interficiam amantiſſima vteri eorum] Vterus enim fœdus eſt, & amantiſſima vteri fœditate ſunt informata. *Iſa.* 14. Non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum, præparate filios eius occiſioni. Cauſam autem ſubdit [Abiiciet eos Dominus Deus meus] ſicut contemptos ſcilicet. 1. *Reg.* 16. Quouſque tu luges Saul, cum ego abiecerim eum? *Pſal.* 5. Secundum multitudinem iniquitatum eorum expelle eos [quia non audierunt eum] hoc eſt, non exaudierunt vt obedirent. *Prou.* 1. Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam & non erat qui aſpiceret: Ego quoque in interitu veſtro ridebo [& erunt vagi in nationibus] hoc eſt, per diuerſos errores & delectabilia nationum errantes. *Gene.* 4. Eris vagus & profugus in terra omnibus diebus vitæ tuæ. *Prou.* 11. Impij faciunt opus inſtabile. *Thren.* 1. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Hæc expoſitio communis eſt ad literalem & moralem intellectum.

CAPVT X.

Vitis frondoſa Iſraël.

TAngit hic reprehenſionem de multitudine peccatorum, & diuiditur in duo, ſcilicet quàm multipliciter peccauerit, & quàm acriter peccatum punietur *infra* 13. *ibi* [Loquente Ephraim] In multiplicitate peccati tria ſunt, ſcilicet, multiplicitas breuitatis, & ingratitudinis vanitas, & hanc tangit *infra* 11. *ibi* [Sicut mane] & inutilitas, quam tangit *infra* 12. *ibi* [Ephraim paſcit ventum] In hoc ergo capitulo tangitur multiplicitas, quam exaggerat duabus ſimilitudinibus, ſcilicet, ſimilitudine vitis, & ſimilitudine multiplicis laſciuiæ vitulæ *ibi* [Ephraim vitula] In primo duo ſunt: peccati multiplicitas ſcilicet, & conſuetudinis antiquitas, *ibi* [Ex diebus Gabaa] In prima harum tria ſunt, ſcilicet, peccati multiplicitas, concupiſcentiæ luxus, & deformitas *ibi* [Vaccas Bethauen] & peccati reatus, & breuitas *ibi* [Tranſire fecit Samaria] Multiplicitas autem peccati exaggeratur hic quadrupliciter, ſcilicet in cauſa, in effectu, in pœna, & in ablatione falſæ conſolationis [Vitis frondoſa Iſraël] hoc eſt, Iſraël fuit ſimilis viti frondoſæ in Patriarchis ſcilicet & Prophetis. *Iſa.* 5. Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt: & viri Iuda germen delectabile. Frondoſitas autem virorum virtutis ſignat, & ſuauitatem ſermonis & eloquij, quæ fuit apud Prophetas & Doctores. *Ezech.* 47. Folia eius in medicinam, ſupple, proficiunt. *Ier.* 17. Erit folium eius viride [fructus adæquatus eſt eiſpro illo tempore, ſupple. Et fructus ſignat abundantiam bonorum operum, & ſpiritualium gaudiorum. *Eze.* 24. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. *Ioan.* 15. Qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum. Et ſubdit de multiplicitate peccatorum in filijs tantorum patrum [Secundum multitudinem fructus ſui] quem ſcilicet habuit in partibus [multiplicauit altaria] in filijs, ſupple. *Lux.* habent, Titulos, quia in vno templo multorum deorum vel dæmonum tituli fuerunt & memoriæ. *Ezech.* 8. Ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium, & abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in circuitu in pariete per totum. Altare autem dicitur, quaſi alta ara, ara vero ab arendo, quia igne arere facit quod imponitur, & ſic tangit hoc quod habetur 3. *Reg.* 12. quod Ieroboam conſtituit altare, & fecit ſolennitatem filijs Iſrael, & aſcendit ſuper altare, vt adoleret incenſum. De multiplicitate autem dicitur *Ezech.* 16. Fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ, & exceſſum tuum feciſti in omni platea. Et hoc eſt, quod ſequitur [Iuxta vbertatem terræ ſuæ] quæ ad multas ſtirpes vber fuit [exuberauit ſimulachris] virtutem ſcilicet germinandi tribuens Æſculapio, fruges Cereri, calorem ſeminum donantem Vulcano, vinum Baccho, naturam humorem Veneri, elementale humidum Lunæ, & ſic alijs. *Deut.* 32. Noui, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. *Septuaginta* habent,

Vitis

Vitis aquosa, & per aquosam intelligunt irriguam, ita quod ex humore concepto, multa possit producere folia & fructus. Hæc moraliter referuntur ad diuites huius seculi & Prælatos Ecclesiarum, qui in foliis verborum abundant & fructu temporalium, & ideo altaria delectabilium construunt, & simulachra spectaculorum multiplicant, quod figuratur *Dan.4.* in arbore pulcherrima, cuius erat fructus nimius, quæ statim succisa est. *Deut.32.* Incrassatus est dilectus meus & recalcitrauit, &c. [Diuisum est cor eorum] hoc multipliciter legitur. Quia enim multis simulachris exuberauit, & ab vno Deo recessit: cor in multa per cultum & venerationem diuisum est. *Psal.* 82. Dispersi sunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ. Endor interpretatur fons generationis, & signat conuersionem ad lasciuiam vitulorum & ad idolum Beelphegor, ex quo diffusi sunt vt vituli ad concupiscentias diuersas in gula & in venereis, quæ sunt circa fontem generationis, & fiunt vt stercus terræ per vilitatem peccati. *Iere.* 50. Diffusi estis vt vituli super herbam, mugistis vt tauri. Legitur etiam sic, quod diuisum est cor eorum in multa delectabilia, recedens ab vno Deo. 1. *Cor.7.* Solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori, & diuisus est. *Luc.10.* Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. *Hieronym.* narrat ex Hebræorum doctrinis, quod vltimus Rex decem tribuum fit Osee, qui malus fuit in conspectu Domini, sed non sicut antecessores eius, vt dicitur 4. *Reg.* 17. Licentiam enim dedit populo, vt qui vellent, ad templum Domini rediret in Ierusalem, & non cogerentur immolare vitulisi; & tunc populus noluit, & sic cor populi à corde principis diuisum est, & ex tunc coactionem allegare non potuerunt, & ideo sequuta est statim captiuitas, quod per Scripturam probari potest. *Luc.11.* Qui non colligit mecum, dispergit. *Psal.* 105. Dispersi sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum. 3. *Reg.3.* Nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur. *Ezech.16.* Diuisisti pedes omni transeunti, hoc est, affectus. Et ideo sequitur [nunc interibunt] hoc est, in proximo; causam enim interitus iam conceperunt. *Tob. vlt.* Prope erit interitus Niniue. Et post pauca: Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei. Interitus Niniue, signat interitum delectabilium peccati. Niniue enim interpretatur gratia pulchritudinis. Qualiter autem interire debeant, subdit [Ipse confringet simulachra eorum] ipse, inquam, cuius virtus sola demonstrabilis est, hoc est, Deus. *Psal.17.* Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Item *Psal.* Dextera manus tua confregit inimicum. *Isa.* 24. Confractione confringetur terra] depopulabitur aras eorum] in templis scilicet & ornatum auferens & aras subuertens. *Isa.* 24. Grauabit eam iniquitas sua & corruet, & non adiiciet vt resurgat. *Isa.21.* Qui depopulator est vastat. Depopulatio enim dicitur direptio quam facit populus, qui nihil relinquit nisi solitudinem, quia quod vnus non vult, alter accipit. Aræ autem signant calida corda per auaritiam & concupiscentiam, in quorum igne idolis immolatur. *Iob* 31. Ignis est vsque ad perditionem deuorans. *Prou.30.* Ignis nunquam dicit sufficit. Quod autem hoc futurum sit per ipsum Deum quem demonstrauit, probat, per signum subdens [quia tunc] hoc est, in proximo, instante captiuitate [dicent] cognoscentes fortitudinem Dei esse, quæ captiuantur. *Osee 6.* In tribulatione sua mane consurgent ad me. *Gregor.* Oculos quos culpa clausit, pœna aperit [Non est Rex nobis] qui scilicet nos defendat. Et videntur innuere illud quod tangitur 4. *Reg.19.* & *Isa.37.* vbi merito boni Regis Ezechiæ defensus est populus à Sennacherib, interfectis in castris Assyriorum clxxx. quinque millibus, & cum merito sui Regis defensionem non accipiant, dicunt: Non est Rex nobis. Et hoc est quod sequitur [non enim timemus Dominum] vt scilicet in timore Dei Regem constituissemus. *Luc.17.* Deum non timeo, nec hominem vereor. *Psalm.9.* Non est Deus in conspectu eius [& Rex quid faciet nobis] sic sine timore Dei constitutus, talis enim iræ Dei resistere non potest. *Ezech.13.* Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murum pro domo Israel. *Isa.64.* Non est qui inuocet nomen tuum, non est qui consurgat & teneat te. Hæc eadem sub eodem sensu ad malos Prælatos referuntur, qui sine Dei timore constituuntur.

Altaria diuitum & Prælatorum

Loquimini verba visionis inutilis] Tangit hic exclusionem falsæ consolationis de consolatione scilicet Pseudoprophetarum, qui impunitatem promittebant eis in peccatis: & hæc erat visio inutilis, quia mendax fuit. *Isa.5.* Populus meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Iere.23.* In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerterentur à malitia sua. Et hoc est quod sequitur [& ferietis fœdus cum mendacio] mendacium dicitur omne quod promittit, & non soluit, sicut Propheta mendax temporalia & delectabilia carnis, & huiusmodi. *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus [&] supple, ideo [germinabit quasi amaritudo iudicium] hoc est, damnatio quæ pullulat in cogitatione, turget in gemmis in proposito, floret in verbis vel in consensu, & fructificat in opere vel in pœna. *Ezech.7.* Egressa est contritio, floruit virga, germinauit superbia, iniquitas surrexit in virgam impietatis [super sulcos agri] hoc est, super cor sulcatum prædicatione Pseudoprophetarum. *Gen.3.* Spinas & tribulos germinabit tibi. *Heb.6.* Terra proferens spinas & tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem ignis.

Pseudo Propheta quæ carnis sunt docent.

Vaccas Bethauen] Tangit hic multiplicitatem concupiscentiæ quæ idololatriam sequitur. Et hoc est [Vaccas Bethauen] & tangit peccatum & peccati signum [coluerunt habitatores Sauariæ] Samaria custodia interpretatur, Bethauen autem domus inutilis. Vaccas enim dicit propter derisionem, quia non solum vitulos in masculino sexu, sed & vaccas instrumenta turpitudinis in propatulo exhibentes coluerunt, quod signat Prælatos in custodia positos, qui turpitudinis lasciuiam colunt. *Amos 4.* Audite verbum hoc, vaccæ pingues quæ estis in monte Samariæ. *Psal.67.* Congregatio taurorum in vaccis populorum. Et subdit signum per quod de peccato conuincuntur, dicens [quia luxit super eum populus eius] vitulo scilicet. Luctus autem in perditione signum fuit dilectionis in possessione, luctus enim est in ablatione delectabilis, qui luctus figuratur *Ezech.8.* vbi mulieres sedebant plangentes Adonidem, Amasium Veneris. Et *Num.11.* vbi sedebat populus flens & dicens: Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Ita luctus populi in vitulis ablatis, signum fuit venerationis & dilectionis quam habebant ad eos. Et subdit aliud signum [& æditui eius super eum] Æditui sunt custodes ædis; sicut Sacerdotes, & ministri Sacerdotum, & huiusmodi [exultauerunt in gloria eius] vituli scilicet, vt singulare pro plurali ponatur. Dum enim gloriosè celebraretur, Sacerdotes exultabant pro oblationibus & votis. *Psalm.48.* Celebrauerunt nomina sua in terris suis. Sicut adhuc videmus malos exultare in lasciuiis. *Sap.2.* Non sit pratum quod non pertransseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra [quia migrauit ab ea] *Hieron.* ponit, ab eo: ab ea, scilicet, gloria: vel ab eo, scilicet, populo; A gloria enim idoli migrauerunt per captiuitatem Sacerdotes. Idolum autem migrauit à populo. Et hoc est quod sequitur [siquidem & ipse] scilicet vitulus [in Assur delatus est] hoc est, ad Regem Assyriorum [munus Regi vltori] Et tangit quod tempore Manahen factum est 4. *Reg.14.* qui mille talenta argenti misit Regi Assyriorum, vt manus eius esset cum ipso: inter quæ etiam vitulos misit quos aureos esse putauit. Ex quo malo tria mala surrexerunt. Dicit enim *Hieron.* quod Ieroboam vitulos aureos posuit, quos ex auaritia Sacerdotes subtraxerunt, & vitulos æreos deauratos illis similimos suppofuerunt; & propter hoc populus videns vitulos perditos, luxit. Sacerdotes autem exultauerunt, putantes fraudem eorum de cæteto deprehendi non posse. Rex autem Assyriorum ad deteriora prouocatus est, videns se deceptum, quia æs pro auro receperat. *Prou.11.* In insidiis suis capientur iniqui. *Prou.12.* Dolus in corde cogitantium mala. *Osee 5.* Abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem vltorem. Et subdit pœnam [confusio capit Ephraim] confusio scilicet pœnæ pro confusione culpæ. *Psalm.108.* Induantur sicut diploide confusione sua, hoc est, confusione corporis & animæ, & cordis & vultus in pœnitentia. Et attende quod captus tenetur vi capientis, & vult dicere quod vi confusionis tenebuntur, ita quod recedere non possunt. *Iere.2.* Sicut confunditur fur quando deprehenditur, sic confusa est domus Israël. Causam autem confusionis subdit [&] id est, vel quia [confundetur Israël à voluntate] hoc est, pro voluntate [sua] mala, vt sciamus quod non tantum pro opere, sed etiam pro voluntate homo damnatur. Voluntas enim mala, radix mala est, de qua dicitur *Matth.7.* Non potest arbor mala fructus bonos facere. Quos autem confusio capiet consequenter ostendit, primo in rege, secundo in populo.

Sacerdotes vitulis aureis, æreos suppofuerunt.

Voluntas mala damnabilis, non tantum opus.

Transire fecit Samaria regem suum] hoc est, peccatum Samariæ, propter quod ruit Prælatus. *Eccli.10.* Sedes ducum superborum destruxit Deus. *Luc.2.* Deposuit potentes de sede [quasi spumam super faciem aquæ] Spuma ex bullis componitur ventosis, & signat ventosum superbiam, quæ cito dissipatur. *Sap.5.* Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur, & quasi spuma gracilis quæ à procella dirumpitur [& dispergentur] tunc supple [excelsa idoli] hoc est, excelsa in quibus erant idola in Dan & in Bethel, & signat ambitionem quæ idolum suum posuit in excelsis. *Isa.10.* Excelsi statura succidentur [peccatum Israël] in vitulis enim & in excelsis peccauerunt. Vnde *Exod.32.* Obsecro Domine, peccauit populus iste, &c. Et subiungit pœnam ex parte populi [Lappa & tribulus ascender super aras eorum] hoc est, corda in quibus dæmonibus sacrificant. Lappa propter tenacitatem adhærentem signat concupiscentiam: tribulus autem punitiuam pœnam. Quia & concupiscentia adhærebit damnatis, & pœna remonebit delectabile. *Gen.3.* Spinas & tribulos germinabit tibi. *Osee 8.* Vrtica & lappa in tabernaculis eorum. Quanta autem sit pœna, subiungit [Et dicent montibus, operite nos] vellent enim mori ne viderent mala quæ passuri sunt, & ideo vellent montibus cooperiri, & collibus contegi. *Apoc.6.* Dicent montibus & petris, cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum. Et hoc est quod sequitur [& collibus, cadite super nos] *Hieron.* moraliter hoc exponit dicens; quod montes signant Sanctos qui veram habent altitudinem, qui operiunt multos & sanctitate conuersationis & intercessione orationis. Colles autem signant eminentias seculares quæ cadunt quotidie & non veram habent altitudinem, & perunt in pœnitentia, vt illi colles coram eis non stent, sed cadant ne stent in eis elenati contra Deum. *Psalm.35.* Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. De montibus autem dicitur *Iere.* 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus.

Ex diebus Gabaa] Tangit hic antiquæ consuetudinis pertinaciam & pœnam, & dicit tria: peccatum, pertinaciam, & pœnam. Peccatum innuit, cum dicit [Ex diebus Gabaa peccauit Israel] & tangit peccatum quod factum est in Gabaa; quod duplex est, sicut in antehabitis dictum est: vnum quidem de idolo Michæ, in quo iniuriam Dei non vindicauerunt, fœminam adulteram indignam vindicta vindicauerunt, quin potius idolum Michæ asportantes semper secum retinuerunt. Secundum fuit, quod Saniel qui fuit de Gabaa, Regem postulauerant, ne sub regno Dei essent, & ne Dominus regnaret super eos. Primum est *Iudic.18.* Secundum 1. *Reg.9.* Et ita modo ad idola conuersi sunt, & à regno Dauid ad Ieroboam declinauerunt. Et hoc est quod dicit [Ex diebus Gabaa peccauit] hoc est, duplex peccatum in consuetudine retinuit [Israel] *Isai.* 48. Transgressorem ex ventre vocaui te. *Actor.7.* Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis [ibi steterunt] hoc est, pertinaci voluntate in illo peccato remanserant. *Psalm.1.* Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. *Iere.51.* Qui fugistis gladium, venite & nolite stare. *Bernardus.* Stare in via Dei, retrocedere est. *Matth.20.* Quid hic statis tota die otiosi? Et subdit pœnam, innuens quod etiam iudicio humano inferenda sit talibus [non] id est, nonne etiam, supple, iudicio humano [comprehendet] hoc est, comprehendere debet, vt nusquam effugere possint [eos] tantos scilicet peccatores [in Gabaa prælium] hoc est, prælium simile Gabaonitico; quod, aliquam, prælium fuit [super filiis iniquitatis] Gabaonitis conterendis & delendis, hoc est, vt deleantur sicut illi deleti sunt. Quasi dicat, sic debet. *Heb.2.* Si omnis prætaricatio iustam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tanta neglexerimus salute?

Pœna omnes est culpa.

Humiles

Similes enim in culpis similes esse debẽt in pœnis. *Rom.* 11. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte & tibi non parcat. 2. *Pet.* 2. Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos. Habito autem iudicio, quod etiam homo iudicat, infert, & suppletur rationalis coniunctio, ergo [iuxta desiderium meum] hoc est, voluntatem meam quam habeo in reddendo vnicuique pro meritis [corripiam eos] per obsidionem scilicet, & captiuitatem, vt emendentur. *Prou.* 4. & *Heb.* 12. Quis filius quem non corripit pater? *Iob* 5. Increpationem Domini ne abiicias; quia ipse vulnerat, & medetur. 2. *Mach.* 6. Corripiens in aduersis populum suum non derelinquit. Qualiter autem hoc fiat, subdit, & supplebitur, quia [congregabuntur super eos populi] Assyriorum scilicet exercitus congregabuntur consensu prælianti contra eos. *Isa.* 5. Eleuabit Dominus signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter venient. Sicut etiam dæmones congregantur ad damnationem peccatoris. *Isa.* 34. Ibi congregabuntur milui, alter ad alterum. Milui enim sunt ad rapiendum [cum corripientur propter duas iniquitates suas] duæ iniquitates sunt. Dei per idololatriam dimisso, & regni Dauid per assumptionem Ieroboam relictio. *Isa.* 8. Eo quòd abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, & elegit magis Rasin, & filium Romeliæ: Adducet dominus super eum aquas fluminis fortes & multas in Rege Assyriorum. Vel duæ iniquitates sunt, quòd vindicauerunt indignam vindicta, & peccatum idololatriæ non vindicauerunt, sed assumpserunt. *Iere.* 2. Duo mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas continere non valentes aquas. Vel duæ iniquitates sunt, recessus à Deo, & mala conuersio ad creaturam. *Iacobi* 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Hæc sub eodem sensu & literalia sunt & moralia.

Ephraim vitula docta] Ab hoc loco prosequitur secundam similitudinem de vitula in decem tribubus scilicet, & in duabus *ibi* [Arabit Iudas] In decem tribubus prosequitur proprietates vitulæ de petulantia. In duabus autem tribubus proprietates vitulæ de aratione. Et hoc est [Ephraim vitula docta diligere trituram] Tritura est in terris calidis, quando vel pedibus animalium circumeuntium super areas aristæ excutiuntur, vel circunductione rotarum lignearum, vel ferrearum paleæ in pabulum excutiuntur. Et hoc est, quod vult dicere [Ephraim] supple, est quasi vitula docta diligere trituram, vitula scilicet per lasciuiam, triturans per laboris circumitum [docta diligere trituram] id est, per hoc quòd circumiens accipit dulcedinis pabulum, oblita laboris, ex dulcedinis pabulo semper ad laborem reuertitur. *Isa.* 21. Tritura areæ meæ quæ audiui à Domino nuntiabo tibi. Ita populus ille laborem huius mundi dilexit & circuitum facit, propter hoc quòd in lucris inuenit. Vide *Gregorium*. Sunt quædã desides animæ quibus nihil laboriosius est quã in huius mundi laboribus non laborare. *Psal.* 11. In circuitu impii ambulant. Beatus autem *Gregorius* dicit has figuratè *Nume.* 11. vbi Hæbræis pastis pane Angelorum, in memoriam venerunt cepe, & allia, & pepones, quæ vel insipida sunt, vel sine lacrymis non comeduntur. *Psal.* 79. Cibauit eos pane lacrymarum. Item *Psal.* 126. Surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris. Et subiungit pœnam dicens] & ego transiui] conculcando scilicet, & comprimendo [super pulchritudinem colli eius] Pulchritudo colli in extensione colli est, & robore, & erectione *Isa.* 3. Pro eo quòd ambulabant filiæ Sion extento collo, & nutibus oculorum ibant, & composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & crimen earum nudabit. Et vult dicere, quòd ita transibit, quòd nudabit & ad nihilum rediget. *Iudi.* 5. Conculca animam meam robustos. Et hoc est quod sequitur [Ascendam super Ephraim] conculcans scilicet, & opprimens cerui tosiratem superbiæ. *Isa.* 63. Calcaui eos in ira mea, & in indignatione mea conculcaui eos. Et subiungit de aratione vitulæ in Iuda, hoc est, in duabus tribubus, & dicit triaratum scilicet, & modum, & pœnam. Actum dicit.

Peccator in circuitu ambulat.

Arabit Iudas] Tangit hic quod habitum est *Osee* 4. vbi dictum est, Facti sunt principes Iuda velut assumentes terminum. Ibi enim dictum est, quòd dilatauerunt terminos suos super terminos decem tribuum captiuatis eis. Et addit [confringet sibi sulcos Iacob] & Iacob vocat multos de decem tribubus, qui tempore captiuitatis ad duas tribus confugerunt, qui etiam ad terras suas excolendas redierunt. *Gene.* 34. Negotientur in terra, & exerceant eam quæ spatiosa indiget cultoribus. Sed vt opus permaneat, modum qualiter excolant terram, subiungit.

Seminate vobis in iustitia] vt scilicet, nulli iniuriam faciatis, & ius suũ vnicuique tribuatis. *Eccl.* 11. Mane semina semen tuum, & vespere nõ cesset manus tua. *Psal.* 125. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. *Matth.* 13. Exijt qui seminat seminare semen suum [& metite in ore misericordiæ] vt scilicet, de me messione vestra pauperibus erogetis, ita scilicet, quod etiam in ore verba compassionis proferatis *Eccl.* 18. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quàm datum. Qui sic seminat, centuplum metit. *Gene.* 26. Seminauit Isaac in terra, & inuenit in ipso anno centuplum. *Ioan.* 4. Qui metit, mercedem accipit, & congregat in horrea. Vndẽ qui seminat, pauperibus erogando, metit mercedem accipiendo. 2. *Corinth.* 9. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ [& innouate vobis nouale] in quo scilicet, frutices errorum & stirpes peccatorum non superseminatæ sunt, nouæ scilicet, corde conuersi ad Dominum. *Iere.* 4. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. *Boetius.* Prius extirpanda sunt vitia, vt inserantur virtutes. Et hoc quidem faciendum est in actione. Quid autem faciendum sit in contemplatione & cultu, subiungit [Tempus autem requirendi Dominum scilicet, dum inueniri potest. *Isa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est, hoc est, per pœnitentiam in hac præsenti vita. Et hoc est, quod sequitur [cum venerit] per gratiæ scilicet & beneficij manifestationem. 1. *Corinth.* 4. Venient Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium [qui docebit vos iustitiam] in qua scilicet & seminare

& metere debetis. *Isa.* 48. Ego Dominus docens te vtilia. *Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam & virtutem, quibus in vita nihil est vtilius hominibus. Quod autem ab hac doctrina auertunt se, subiungit [arastis impietatem] aratio laborem acquirendi signat, & impie arat, qui semper in proximo plus vult habere in lucro & minus in damno. Pietas enim est beneuolentia in parentale bonum, vt dicit *Tullius in fine prima Rhetorica*. Et impius est, qui proximum, in quo resultat summi parentis bonum, vel opprimit damno, vel spoliat bono sibi debito, & ille arat impietatem. Vnde *Sap.* 2 Dixerunt impij: Venite opprimamus pauperem iustum [iniquitatem messuistis] hoc est, ex iniquo vos ditastis. *Isa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci. *Hab.* 2. Væ qui multiplicat non sua [comedistis frugem mendacij] fruges mendacij sunt, quæ promittunt refectionem & non saziant. Lucrum enim temporale non satiat. *Prou.* 4. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. *Aggæi* 1. Comedistis, & non estis saziati. *Prou.* 13. Iustus comedit, & replet animam suam; venter aut impiorum insatiabilis. Et subiungit causam [quia confisus es in viis tuis] hoc est, in operibus idololatriæ scilicet, & peccatorum, quod maxima præsumptio est in malo confidere. *Eccl.* 37. O præsumptio nequissima vnde creata es? Homo enim non debet confidere in viis suis, quia ignorat eas & exitus earum. De primo dicitur *Iob* 3. Viro cuius abscondita est via, & circundedit eum Deus tenebris. De secundo dicitur *Prou.* 14. Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad interitum [& in multitudine fortium tuorum] supple, confisus es pugnatorum & munitionum. Contra quod dicitur *Ierem.* 17. Maledictus vir qui confidit in homine, & pônit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Et subiungit pœnam duplicem, scilicet confusionis populi in seipso per diuisionem, & vastationis ab inimicis. De primo dicit.

Lucrum temporale nõ satiat.

Consurget tumultus in populo] schismatum scilicet, & contradictionum. *Isa.* 3. Tumultuabitur populus contra senem & ignobilis contra nobilem. De secundo dicit [& omnes munitiones tuæ vastabuntur] non enim potest stare quod contra potentiam Dei se eleuat. 2 *Cor.* 10. Arma nostræ militiæ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Christi. Seculares etiam munitiones non stant contra Dominum. *Abdia* 1. Si exaltatus fueris vt aquila & inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Et huius vastationis ponit similitudinem, subdens [sicut vastatus est Salmana] *Iudic.* 8. Salmana princeps fuit Madianitarum quem Gedeon iudex Israël interfecit. Et hoc est quod sequitur [à domo] id est, à familia eius qui vindicauit Baal] hoc est, qui iniuriam Dei vindicauit in Baal. Et tangit historiam, quæ est *Iudic.* 6. & 7. vbi dicitur, quòd pater Gedeonis lucum plantauit, & aram Baal extruxit, & bouem superposuit, quem lucum Gedeon Angelo se confortante succidit, aram subtertit, & bouem delecit. Quod cum populus vindicare vellet, pater Gedeonis dixit: Nunquid vltores vos estis Baalis? Baal est Deus vindices seipsum. Et ab hoc euentu Gedeon dictus est Ieroboal, hoc est, vltor Baal [in die prælij] quando scilicet Gedeon præliatus est cum ipso & omnes interfecit. *Ps.* 82. Fac illis sicut Madian, & Sisarae: sicut Iabin in torrente Cisson. Item *Psalm.* 82. Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb & Zebee & Salmana. Sicut enim illi corruerunt pro peccato, ita & alij cadent peccatores [matre super filiis allisa] sicut enim Salmana in filiis Israël filios occidit ante oculos matrum, & postea matres peremit, vt bis morerentur & corde & corpore: ita è conuerso, Gedeon Salmana in conspectu matris suæ occidit, dicens: Sicut fecit gladius tuus matres sine filiis, sic infer mulieres sine liberis erit mater tua. Et occiso filio, allisit matrem ad lapidem & interfecit, ne fœda generatione amplius terram corrumperet. *Isa.* 14. Non vocabitur in æternum semen pessimorum, præparate filios eius occisioni. Causam autem huius vastationis subiungit [Sic fecit vobis Bethel] hoc est, idololatria in Bethel facta. Bethel autem interpretatur domus Dei, vbi immunditias exercuerunt. *Iere.* 11. Quid est, quod dilectus meus in domo mea operatur scelera multa? a facie malitiæ] hoc est, à præsentia malitiæ quæ in scandalum multis præsens est. *Maluch.* 2. Vos recessistis à via, & scandalizastis plurimos in lege [nequitiarum vestrarum] nequitia dicitur malitia, in qua malus facit quicquid potest, ita quod nequit amplius. *Luc.* 11. Generatio hæc, generatio nequam est. *Isa.* 16. Superbia eius & arrogantia eius plusquam fortitudo eius.

Potentia Dei nihil potest resistere.

CAPVT XI.

Sicut mane transit.

TAngit hic admonitionem populi per considerationem plagarum & beneficiorum Dei, & ideo tres partes sunt in capitulo isto. Primo tangit ingratitudinem ad beneficia eductionis de Ægypto. Secundo describit misericordiam Dei punientis pro peccato *ibi* [Quomodo dabo te Ephraim] Quia vero misericordis non est punire, idcirco tertio ostendit quid compulerit Deum ad puniendum *ibi* [Circundedit me in negatione] In primo horum tria sunt. Primo enim ostendit quod ablationis regni & Regis causa fuit abiectio regni Dei. Secundo, beneficia Dei quæ vt Rex & pater exhibuit, commemorat, & ingratitudinem populi *ibi* [Quia puer Israël] Tertio, qualiter populus sicut effrenis equus non reducitur, nisi frano pœnarum *ibi* [In funiculis Adam] Dicit ergo [Sicut mane transit] velociter scilicet & citò [pertransiit Rex Israël] hoc est, decem tribuum. Vnde *Osee* 13. Vbi est Rex tuus, maximè nunc saluet te. Hoc autem dicitur populo qui in protectione Dei constitutus fuit & regimine, & illo contempto hominem in Regem petiit. 1. *Reg.* 8. Audi vocem populi in omnibus quæ loquitur, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Et quia sic contra voluntatem Domini obtentus est, stare non potuit, sed transiit sicut mane, hoc est, subito & velociter, ita scilicet quod sol claritatis & prosperitatis eius ad summum non peruenit, antequam enim illucesceret per claritatem ablatus

fuit. *Iob* 3 Dies illa vertatur in tenebras, nec requirat eam Deus desuper, & non sit in recordatione, nec illustretur lumine. Sic dictum est de Nabuchodonosor. *Isa.*14. Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris? Sic potentia & claritas mundi cito transit. *Eccl.*10. Omnis potentatus vita brevis, *Isa.*38. Dum adhuc ordirer, succidit me. Et quale fuerit regnum Dei quod abiecerunt, subdit.

Prosperitas mundi non diuturna.

Quia puer Israël] supple, erat imbecillis sensu, quando legem non habuit, & infirmus virtute, quando violentia Pharaonis in Ægypto tenebatur oppressus. 1. ad *Cor.*13. Cum essem parvulus, loquebar vt parvulus, cogitabam vt parvulus [& dilexi eum] hoc est, signa dilectionis exhibui cum non meruisset. *Deuter.*33. Dilexit populos, omnes Sancti in manu illius sunt. *Deu.*10. En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra & omnia quæ in ea sunt: & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos [& ex Ægypto vocaui filium meum] hoc est, ex Ægypto vocani eum vt esset liber, vt filius meus seruitute aliena de cætero non oppressus, & in hæreditate mea positus. *Numer.*24. Deus de Ægypto eduxit eum. *Mich.*7. Memento quod eduxerim te de Ægypto. Hoc etiam refertur ad eos moraliter, quos Deus educit de seruitute peccati ad libertatem virtutis. *Psal.*39. Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Vnde *Exod.*4. dicit Pharaoni, qui signat diabolum: Primogenitus meus Israël, dimitte filium meum primogenitum. Qualiter autem eduxerit, subdit [vocauerunt eos] Moyses scilicet & Aaron, duces & nuntij mei, sicut dicitur *Exod.* 3. & 4. & vsque ad 12. *Prou.*9. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis [sic] supple, vocati à tantis & à talibus [abierunt à facie eorum] hoc est, à doctrina eorum recesserunt. *Exod.*32. Peccauit populus tuus, recesserunt cito de via quam ostendisti eis. *Iere.* 2. Elongauerunt se à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt [Baalim immolabant] primum & medium & vltimum peccatum coniungit. Primo enim à facie Moysi recesserunt per vitulum, postea in terra sancta existentes sub Achab Baalim adorauerunt 2. *Reg.*18. Postea in fine multiplicantes idololatriam simulachris sacrificauerunt, singularum gentium idola sumentes. *Iere.* 2. Secundum numerum ciuitatum tuarum fuerunt dij tui Iuda. Illud idem sub eisdem auctoritatibus refertur ad clerum & ad populum, qui ab institutis primorum patrum recessit per lasciuiam vituli, & postea abiecto iugo per malam libertatem seruiuit Baal, qui interpretatur absque iugo, deinde fingens delectabilia diuersis seducitur spectaculis. Et hoc est quod sequitur [& simulachris sacrificabant] & subiungit de beneficiis in deserto exhibitis.

Et ego [supple, eram [quasi nutritius Ephraim] hoc est, decem tribuum. Nutritius enim semper cibum parat infantulo, & sic parauit cibum, manna scilicet, & coturnices. *Psalm.*64 Parasti cibum illorum quoniam ita est præparatio eius. *Exod.*16. vbi pluit manna, vnde gloriantes dicunt *Ioan.*6. Patres nostri manducauerunt manna in deserto [portabam eos in brachiis meis] signis scilicet & portentis, & victoriis sustentando. *Deut.* 1. Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare parvulum filium suum in omni via, per quam ambulasti. *Isa.* 40. In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fætas ipse portabit. Sic etiam à peccatis reductos Dominus nutrit gratia, & sacramento Eucharistiæ, & collatione virtutis portat. *Luc.*15. Imponit eam in humeris suis, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem quam perdideram. Et subdit de ingratitudine [& nesciuerunt] hoc est, scire noluerunt per beneficia [quod curarem eos] hoc est, quod omnis mea intentio esset vt curarentur à peccato & idololatria. *Isa.*27. Iste omnis fructus vt auferatur peccatum eius, & hoc scire noluerunt. *Psal.* 35. Noluit intelligere vt bene ageret. *Abac.* 7. Æstimabat autem Moyses, supple, intelligere fratres, quoniam Deus per manum illius daret salutem illis, at illi non intellexerunt. *Eccli.*29. Ingratus sensu derelinquit liberantem se. Subiungit autem quod non retrahentur à malis, nisi per pœnas. [In funculis Adam traham eos] Funiculi Adam sunt pœnæ & maledictiones, quibus vinctus est Adam à Domino cum peccaret. *Prou.*5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringuntur. Quia verò pius pater punit ad correctionem, ideo subsequitur [in vinculis charitatis] Pœnam enim vincientem ex charitate inductam dicit, sicut flagella super filium. *Prou.*13. Qui diligit filium, assiduat ei flagella. *Hebr.*12. Quis filius quem non corripit pater? Hæc expositio literalis est. *Hieronymus* tamen aliter exponit, dicens, quod funiculi Adam sunt, quibus vinctus Christus Adam fecit sanctum, eisdem enim vinculis charitatis vinctus voluit eos curare & sanctificare, & ad se trahere, *Iere.*31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Iam.*12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Sic Pater trahit ad Filium. *Ioan.*6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Sic Filius ad fidem per illuminationem. Sic etiam trahit ad seipsum, sicut iam dictum est. Sic Spiritus vinculo charitatis ad sanctitatem. *Ephe.*4. Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et est iste funiculus triplex qui difficile rumpitur *Eccl.*4. Quia vero sic trahi non possunt, sicut propter duritiam oris equus effrænis, oportet quod chamo trahantur, & hoc est [Et ero eis] ex quo aliter esse non potest [quasi exaltans iugum super maxillas eorum] Et literaliter intelligitur de captiuitate Assyriorum, quod exaltatur in maxillis, quando constringuntur maxillæ blasphemæ per ipsum *Iacob.*3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus eorum circumferimus. *Psalm.*31. In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. *Glossa* hoc aliter legit. Dicit enim quod exaltatur iugum quando auferitur, quando autem ponitur fortiter ad collum, deprimitur. Et est sensus secundum *Glossam.* Iugum quod est super maxillas eorum, ero exaltans per ablationem, vbi scilicet iugum Gentium auferetur ab eis. *Isa.*9. Iugum oneris eius, & sceptrum exactoris eius superasti. *Gen.* 27. Erit quando excuties iugum eius de collo tuo. *Psalm.*2. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Quædam etiam *Glossa* legit de iugo legis Dei, quod superexaltatur, quando magnifice impletur. *Matth.*11. Tollite iugum meum super vos. *Tren.*3. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia. Super maxillas autem ponitur, quando die & nocte meditatur & quasi ruminatur. Et subiungit de beneficio præstito in deserto [Et declinaui ad eum] manna *Exod.* 16. [vt vesceretur] quod

Funiculi Adam.

signat declinationem corporis & sanguinis Domini ad Ecclesiam. *Isa.vlt.* Ecce ego declinabo in vos sicut fluuium pacis, & tanquam torrentem inundantem gloriam Gentium quam sugetis. *Psal.* 77. Portas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna vt ederent, panem Angelorum manducauit homo. *Apoc.*2. Vincenti dabo manna absconditum. *Sap.*16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum & omnem saporis suauitatem. Qualiter autem infrænet eos, ostendit, subdens.

Non reuertetur in terram Ægypti] populus scilicet, Concupiscentiæ enim Ægyptiæ semper erant in corde populi. Propter quod 4. *Reg.*15. Sub Manahen rege Israël à facie Assyriorum voluerunt redire in Ægyptum. Similiter post interfectionem Godoliæ, contra consilium Ieremiæ in Ægyptum redierunt. *Iere.* 42. Quod Domino non placuit, sicut patet *Isa.* 30. & 31. quod fuit contra præceptum Domini. *Deut.*17. vbi dicitur de rege, quod non reducet populum in Ægyptum. Et ideo dicit, quod sub Manahen non poterunt redire. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & ibit post amatores suos, & non comprehendet eos. Et hoc est quod sequitur [& Assur ipse rex eius] qui etiam in Ægypto comprehendet eos. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum. *Num.* 24. Si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cyn, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te. Signat autem captiuitatem peccatorum à diabolo, Assur enim altus sensus interpretatur, & signat diabolum, à quo postquam peccator capitur ad Ægyptiaca desideria redire non poterit. *Bernardus.* In æternum non obtinebit quod vult, & tamen quod non vult in perpetuum sustinebit. *Septuaginta* hic multum differunt ab Hebræo. Dicunt enim sic: Habitabit Ephraim in Ægypto, & Assur ipse rex eius. Causam autem huius subiungit [quoniam noluerunt conuerti] Si enim conuersi fuissent ad Dominum, non traditi fuissent captiuitati regis Assyriorum. *Iere.* 4. Si conuerteris Israël, ait Dominus, ad me conuertere, si abstuleris offendicula à facie mea non commoueberis. Qualiter autem traditi sint, subiungit.

Desideria peccatorum Vana.

Cepit gladius in ciuitatibus eius] Gladius dicitur capere, quando non inanem aerem verberat, sed stringitur in vulneribus. *Tren.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors similis est. Et dicit, in ciuitatibus, vt ciuitatibus expugnatis spes resistendi villis non remaneat. *Isa.* 33. Proiecit ciuitates non reputauit homines. *Isa.*6. Relinquuntur ciuitates absque habitatore & domus sine homine. Iste gladius signat peccatum, quo peccatores interficiuntur. *Psalm.*9. Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti [& consumet electos eius] gladius scilicet. Electi dicuntur bellatores, nobiles, & diuites, qui primo interfecti sunt. *Psalm.*77. Iuuenes eorum in gladio ceciderunt. *Deut.*32. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor iuuenem simul & virginem [& comedet capita eorum] hoc est, Principes, & Reges, & Sacerdotes. *Habac.*3. Maledixisti sceptris eius capiti bellatorum eius. *Et ibidem.* Percussisti caput de domo impij. Gladius dicitur comedere quando consumit. *Deut.*32. Gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis [& populus meus] tunc supplevidens non esse auxiliatorem nisi me [pendebit] desiderio & spe [ad reditum meum] hoc est, vt ad me reuertatur. *Osee* 2. Et dicit, Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. *Osee* 13. Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum. *Deut.*32. Videte quod ego sim solus & non sit alius Deus præter me. Quo autem cogente reuertantur & suspirent ad Dominum, subdit [Iugum autem imponetur eis] durissimæ scilicet seruitutis & captiuitatis, 3. *Reg.* 12. Pater meus imposuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Hoc iugum peccati iugum est, de quo dicitur *Thren.*1. Euigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo [simul] omnibus scilicet quod nullus effugiet [quod non auferetur] vi scilicet humana. Vsque hodie tenentur captiui in montibus Persarum. *Eccl.*40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam. Illo enim domare necesse fuit ceruicosam superbiam eorum.

Quo modo dabo te] compassionis affectum ostendit hic miserator & misericors Pater, dicens, quod victus misericordia condignam pœnam inferre non potest. Dicit autem duo, scilicet, compassionis affectum & effectum *ibi* [Post Dominum ambulabunt] Affectum exprimit per quæstionem modi & cordis conuersionem, & duritiæ, siue seueritatis abdicationem. Quæstionem facit quadruplicem. Prima est [Quo modo dabo te Ephraim?] *Septuaginta.* Quid faciam tibi Ephraim? Vnde sensus secundum *Hieronymum* est. Ex quo multis beneficiis & multis plagis conuerti noluisti, quo modo, hoc est, ad quem modum ponam te vt conuertaris, iniquitas enim tua non admittit clementiam, affectui autem meo repugnat seueritas, & ergo difficilis est modus quo conuertaris. *Osee 6.* Quid faciam tibi Ephraim? *Isa.* 5. Quid est quod facere debui vineæ meæ, & non feci? Secunda quæstio [protegam te Israël?] hoc est, quo modo possum te protegere? Iniquitas enim tua meretur, vt non protegaris. *Psal.* 124. Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Item *Psal.* 118. Longe à peccatoribus salus. Tertia quæstio [Quando dabo te] *Septuaginta.* Quid faciam tibi? peccatum enim tuum non habet modum, iustitia vero dura est, & clementia locum non habet. *Michea 6.* Popule meus quid feci tibi, responde mihi? Quarta quæstio est [sicut Adama ponam te vt Seboim?] hoc est, iniquitas tua meretur perpetuam desolationem, sicut desolata est Adama & Sebois, igne & sulphure in pentapoli, sed hoc affectus paternus non admittit. Simile *Iere.* 31. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, 2 *Reg.* 19. Rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalom fili mi. Et signat compassionis affectum ad peccatores. Vnde *Luc.* 15. Cum filius prodigus adhuc longe esset, vidit illum pater suus, & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum suum, & osculatus est eum. Et subiungit de conturbatione cordis [conuersum est in me cor meum] hoc est, de profundo misericordia mouente vertitur. Simile *Gene.* 6. Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem

Dei clementia erga peccatores.

hominem quem formaueram. *Gene.* 45. Commota sunt viscera eius super fratre suo [pariter conturbata est pœnitudo mea] *Glossa.* Pœnitet me delere populum meum *Iere.* 31. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum. Miseratis miserebor eius, ait Dominus. Et hoc est quod sequitur.

Non faciam furorem iræ meæ] hoc est, non mittam pœnam quam meruisti. *Mich.* 7. Non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est, reuertetur & miserebitur nostri [non conuertar] à clementia mea scilicet vt disperdam Ephraim] hoc est, quod in nihilum redigam, quod non relinquam semen. *Isa.* 1. Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti essemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Et dicit hic *Hieronymus in originali*, quod licet quinque ciuitates subuersæ sunt in pentapoli, tamen duæ inter illas, Sodoma scilicet & Gomorrha, auctrices erant criminis, & per illas signantur duæ tribus, quæ in hoc quod templum habebant, & Sacerdotes, & Prophetas, plus peccauerunt quàm decem: quia *Luc.* 12. Seruus sciens voluntatem Domini & non faciens digna, plagis vapulabit multis. Vnde *Isa.* 1. dicitur ad duas tribus: Audite verbum hoc principes Sodomorum, & auribus percipite legem Dei vestri populus Gomorrhæ. Pœcatum autem decem tribuum comparatur Adamæ & Seboim quæ secundariæ fuerunt in peccato. Decem enim tribus per ignorantiam legis minus peccauerunt. Huius autem causam ex natura Dei assignat [quoniã deus ego & non homo] Quasi dicat, *Hieronymus*, Homo ad hoc punit vt perdat, Deus ad hoc corripit vt emendet, *Osea* 6. Misericordiam volo & non sacrificium. 2. *Mach.* 6. Corripiens in aduersis populum suum non derelinquit [in medio tui sanctus & non ingrediar ciuitatem] hoc est, qui hactenus in medio tui ostendi me essem sanctum, hoc est, omnino ab omni pollutione alienum & incontaminatum, in iudicio iræ meæ non ingrediar ciuitatem, vt scilicet ad modum legum ciuilium, quibus vtuntur in ciuitatibus vindicem. Vnde *Hieronymus.* Hoc est, non sum vnus de his qui in vrbibus habitant, qui humanis legibus viuunt, qui crudelitatem arbitrantur iustitiam, & ius summum malitia est: mea autem lex, meaque iustitia est saluare corpuros, *Iob* 33. Libera eum vt non descendat in corruptionem. Inueni in quo ei propitiet. Iudæi exponunt hoc, quod Deus expectauit reditum eorum, & quod alienæ gentis ciuitatem non ingrederentur, vt ibi habeant templum & cultum. Post misericordiæ autem affectum, subdens ostendit effectum, promittens pœnitentiam populo, vt locum habeat miseratio.

Deus corripit vt emendet.

Post Dominum ambulabunt] & est vox Prophetæ. *Dani.* 3. Nunc sequimur te in toto corde, & timemus te. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus. Ambulare autem, hoc est, proficere *Psal.* 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Habita autem pœnitentia populi, statim subiungit qualiter congregabuntur virtute Dei [quasi leo rugiet] & supplentur, quia scilicet Dominus rugiet, vt leo in terrorem omnium captiuantium Israël. *Amos* 1. Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam. *Amos* 3. Leo rugiet quis non timebit? [quia ipse rugiet] per seipsum scilicet comminabitur. *Hieronymus.* Cum leo rugit volatilia & bestiæ terrore vocis, gradu fixo se mouere non possunt. Ita Domino comminante necesse est quod omnes contremiscant, & ideo sequitur [formidabunt filij maris] filij maris dicuntur qui fluctus amaritudinis inducunt. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Illis autem territis, quid futurum sit, subiungit.

Et auolabunt] supple captiui. *Hieron.* legit [volabunt quasi auis ex Aegypto] Quidam enim fugientes Assyrios & Aegyptios transfugerunt, & illos dicit se reuocaturum, sicut & eos qui ad conuersationem secularem conuertuntur reuocat. De qua aue in *Psal.* 10. dicitur, Transmigra in montem sicut auis, secundum aliam translationem [&quasi columba de terra Assyriorum] qui scilicet ab Assyriis captiui sunt. Et intendit dicere, quod vbicunque captiui sunt, reducet eos terrore suæ potentiæ, sicut & nunc congregauit Ecclesiam. *Isa.* 43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquilloni, da: & Austro, noli prohibere. *Matth.* 8. Multi venient ab Oriente & Occidente & Aquilone & Meridie, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. De Aegypto veniunt qui à concupiscentia carnali & desideriis seculi veniunt. De Assur, qui de superbia & fastu ambitionis. Hæc duo coniungit *Isa.* 60. Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? [& collocabo eos] sic venientes [in domibus suis] reducens scilicet ad patriam & ad possessiones suas. *Ieremi.* 32. Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista. Peccatorem autem reuertentem in domum conscientiæ reducit Dominus. *Sap.* 8. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, neque tædium conuictus illius [Dicit Dominus] 1. *Reg.* 9. Omne quod loquitur, absque dubio euenient. Quia vero posset aliquis dicere vel quærere, quare contra affectum suum populum captiuitati tradiderit; ideo respondet, & supplentur, quia.

Circundedit me] vt scilicet iudicium effugere non possem [in negatione] qua me Sacerdotes & Prophetas negauit & abiecit [Ephraim] hoc est, regnum decem tribuum, sicut continetur *Dani.* 9. Non erit eius populus qui eum negaturus est. Sic negant, de quibus dicitur *ad Titum* 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hoc maxime facit Ephraim, qui frugifer interpretatur, quia diuites huius seculi maxime negant Deum, ad minus in opere [& in dolo] quo scilicet à rege circumuentus est me negauit [domus Israël] hoc est populus qui negauit me meu principis. Sic & populus Christianus dolo circumuentus à Sacerdotibus negat Dominum. Dicunt enim sacerdotes consuetudines bonas debere teneri; & consuetudines bonas vocant, quas iniquis legibus dictauerunt in lucrum suum. *Psal.* 5. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Sanguinum enim vir est, qui sanguinem pauperis defraudat. *Eccl.* 34. Panis egentium, vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Quia autẽ aliquis posset quærere, Quare Iudã tunc non tradidit in captiuitatem, quando decem tribus, respondet [Iudas autem] hoc est, duæ tribus [testis] virtutis scilicet & veritatis, vt dicit *Glossa. Apoc.* 3. Hæc dicit, Amen testis fidelis & verus [descendit cum Deo] hoc est, spe diuini adiutorij, & tangit

Sacerdotes dolosi

Consuetudines quasi lucrum non commendande.

tangit historiam. *Exod.* 14. vbi dicitur, quod filiis Israël conclusis montibus & mari & Aegyptiis, diuisum est mare, & quando nulla tribus fuit ausa in mare descendere, tribus Iuda descendit adiutorio Dei confisa [cum sanctis fidelibus] Moyse scilicet, & Aaron. Vel quando decem tribus separatæ sunt à Deo & regno Dauid. 3. *Reg.* 13. Iudas descendit à dignitate pristina, quæ tribubus duodecim imperare consueuerat vsque ad imperium duarum tribuum, cum sanctis fidelibus, hoc est, cum templo, Sacerdotibus & prophetis cum quibus remansit, sicut & nunc Iudas, hoc est, confitens, verbo, ore, & opere, descendit, hoc est, humiliatur cum sanctis fidelibus, hoc est, cum vere sanctis, qui coram Deo humiliantur. *Eccl.* 17. In partes vade seculi sancti cum viuis & dantibus confessionem Deo, & non demoreris in errore peccatorum.

CAPVT XII.

Ephraim pascit ventum

Secundum diuisionem superius datam reprehenditur hic populus, quod Deo vocante ad vilia contempto, inutilibus occupabatur. Cum enim sperare deberet in auxilio Dei, semper quæsuit auxilium ab Agyptiis & Assyriis. Propter quod diuiditur capitulum in duas partes, in quarum prima dicit, quod populus in iudicio cõuincendus est de hoc. Secundo, ex parte Dei proponit beneficia, & ex parte populi occupationem circa inutilia *ibi* [In vtero supplantauit] In prima parte proponit tria, scilicet, occupationem circa inutilia per metaphoram, secundo metaphoræ explanationem, tertio iudicii conuictionem. Dicit ergo Iudas descendit cũ sanctis fidelibus, sed [Ephraim] auersus à Deo [pascit ventum] *Seneca in libro naturaliũ quæstionum* dicit, quod vẽtus nihil aliud est, quã per impulsus, quãuis enim ventilabrũ sit vapor terreus, tamen flatus aer impulsus est. Vnde cũ etiã verba quibus nihil subest, sint aer percussus & impulsus, ventum pascit qui multa loquitur quibus nihil subest, prout *Iob* 6. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Sic decem tribus fœdera componentes inter se & Assyrios, & inter se & Agyptios, nihil fecerunt, nisi pascere ventum [& sequitur æstum] Aestus quidam ventus est nocius, meridionalis scilicet, qui laxat corpora & resoluit, & malas materias poris ingerit ad corporis magnum nocumentum & aliquando mortem: & qui sequitur talem æstum, mortem suam sequitur & venatur. Propter Assyrios ergo dicit, quod pascit ventum, propter Aegyptios autem dicit, quod sequitur æstum. *Gene.* 31. Nocte ac die æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Et signat eos qui pro labore terrenorum omni vento fortunæ, & omni æstu laboris se non timent exponere. Contra quod dicitur de Sanctis *Isa.* 32. Erit vir sicut qui absconditur à vento & celat se à tempestate. Quod autem metaphorice dixit, explanat.

Ventum pascere.

Ventus meridionalis corpori officit.

Tota die mendacium] quantum ad fœdus Assyriorum [& vastitatem] hoc est, causam vastitatis [multiplicat] quantum ad fœdus Aegyptium, quod sibi fuit causa vastitatis. *Prou.* 10. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem sequitur aues volantes. *Eccl.* 34. Quasi qui apprehendit vmbram & prosequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Hoc etiam dicitur de his qui temporalia prosequuntur. *Psal.* 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Dicit enim *Augustinus*, quòd temporalia omnia mentiuntur quæ promittunt. In quo autem pascat ventum, & æstum sequatur, subdit [Et fœdus cum Assyriis iniit] quod factum est 4. *Reg.* 14. sub Manahen [& oleum in Aegyptum ferebat] oleum pinissimum in terra promissionis est, fæculentum autem in Aegypto, & inter cætera munera quæ regi Aegypti mittebant, etiam oleum miserunt. Et hoc est quod hic dicit, oleum in Aegyptum ferebat, *Isa.* 31. Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes. Moraliter autem fœdus init cum Assyriis ambitiosus in alto sensu semper stans. *Iob* 41. Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. Oleum ferr in Ægyptum, qui secularibus blanditur in peccatis. *Psal.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Subinfert autem quod de hoc vindicandi sunt.

Iudicium ergo Domini] quo scilicet conuinci debeat ad pœnam [cum Iuda] hoc est, cum duabus tribubus, ideo scilicet quia visa captiuitate decem tribuum pro peccato nõ se correxit. *Ezech.* 16. Iudicabo te iudiciis adulterarum & effundentium sanguinem [& visitatio] per pœnam [super Iacob] hoc est, super decem tribus. *Exod.* 20. Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. *Psal.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Formam autem iudicij subdit [iuxta vias eius] Iacob scilicet & Iudæ. Et vocat vias tritas à patribus quasi hæreditaria peccata: & ideo subdit [& iuxta adinuentiones eius] quæ scilicet de nouo inuenerunt [reddet ei] *Prou.* 1. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis satiabuntur. *Isa.* 3. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. *Matth.* 21. Malos male perdet.

In vtero supplantauit] Hic tria proponit Dei beneficia, à quibus ille populus sequens ventum semper se auertit. Primum, est beneficium confortationis contra fratrem. Secundum, est beneficium eductionis de Aegypto, & illuminationis Prophetarum *ibi* [Et ego Dominus Deus tuus] Tertium, est beneficium constructionis domus per vxores & diuitias *ibi* [Fugit Iacob in regionem Syriæ] In prima parte duo sunt, scilicet beneficij descriptio & populi auersio *ibi* [Chanaan] In primo duo sunt, & tertium quod est conclusio ex duobus. Duo autem prima sunt confortatio in vtero, & confortatio in via, quando fugit Laban auunculum. Dicit ergo Iacob, scilicet [in vtero supplantauit fratrem suum] scilicet Esau, & tangit historiam quæ continetur *Gene.* 25. vbi dicitur: Protinus alter egrediens, scilicet Iacob, plantam fratris tenebat manu, & idcirco vocauit eum Iacob. Sic enim tenens plantam immiscuit se primogenituræ, quod non erat infantis, nisi virtute Dei factum fuisset. *Gene.* 27. Iuste vocatus est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam. Hoc ergo beneficium est, quo virtute Dei & promissiones pa-

ternas & benedictiones hæreditauit, & ad filios transiisit. *Isa.* 58. Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Et subdit beneficium confortationis in via.

Et in fortitudine sua directus est cum Angelo] Septuaginta. Sic & in labore suo preualuit Deo, & confortatus est cum Angelo & potuit. Vnde sensus est vt sic ordinetur litera: In fortitudine sua cum Angelo, quam habuit vel accepit, luctans cum Angelo, directus est, hoc est, rectissimus factus est & rectitudinis nomen accepit. Et tangit historiam quæ continetur *Gene.* 32. vbi dixit Angelus cum quo luctabatur: Nequaquam vltra vocaberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum. Israël enim vel directus vel rectissimus interpretatur, vt dicit *Hieronymus*, & inducit id quod est *Isa.* 44. Et nunc audi Iacob serue meus, & rectissime quem elegi [& inualuit ad Angelum] hoc est, ad Angelum, complectens & stringens eum valetudinem diuinam accepit, cum esset timidus & imbecillis. *Isa.* 8. Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse panor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, hoc est, in confortationem & valetudinem, vnde Angelus dixit: Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis. Et hoc est quod sequitur [& confortatus est] *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. *Psal.* 83. Ibunt de virtute in virtutem. 2. *Reg.* 3. Dauid proficiens, & semper seipso robustior. Qualiter autem inualuit, subdit [fleuit & rogauit eum] Lacrymis enim vt dicit *Hieronymus*, pupugit, deuotione orationis vinxit, & sic lacrymis & oratione, quasi duobus brachiis Angelum strinxit. *Isa.* 8. Audiui orationẽ nem tuam, vidi lacrymas tuas. *Iere.* 31. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo. *Tobie* 12. Dixit Angelus: Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationẽ tuam Domino. Et quàm paratus inuenitur Angelus, subdit, & tangit historiam quæ continetur *Gene.* 28. vbi cum Iacob de domo patris recederet, & in quodam loco requiescere vellet post solis occubitum, cælum vidit apertum, & scalam descendentem ad terram de cælo, & Dominum innixum desuper scalæ dicentem sibi: Noli timere Iacob, terram in qua dormis, dabo tibi & semini tuo. Et propter hoc locum illum Bethel vocauit, qui prius Luza dicebatur. Bethel enim domus Dei interpretatur [In Bethel inuenit eum] Primum scilicet, & inuit quod omnis apparitio facta patribus, per Angelos facta est. *Heb.* 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis [& ibi loquutus est nobiscum] Nobiscum Deus loquitur quando bonum nostrum loquitur. *Osee* 2. Loquar ad cor eius. Hæc simul moralia sunt. In lucta enim virtutis & fletu compunctionis, & oratione deuotionis Angelos obtinemus. Hoc signatum est. *Matth.* 4. vbi post luctam tentationis & victoriam, Angeli accesserunt & Domino ministrauerunt. Et *Luc.* 22. vbi cum Dominus in agonia prolixius oraret, apparuit Angelus confortans eum, quod vt dicit *Ambrosius* non ad caput, sed ad membra referendum est. Quod autem hoc à filiis in memoria teneatur, ostendit, subdens.

Angeli oratione & lacrymis demulcentur.

Et Dominus Deus exercituum] hoc est, quod & Dominus sit, & Deus, & exercituũ Dominus, qui exercitibus suis & impugnare & saluare possit, sup-

ple, est [memoriale eius] Vnde *Septuag.* sic habent [Dominus autem Deus omnipotens erit memoriale eius] quod enim semper defensorem patrum se exhibuit & exercitus angelicos in defensionem eorum misit, hoc debet esse memoriale apud homines. Vnde Iacob Angelos videns, dixit: Castra Dei sunt hæc *Gene.* 32. Sic Angeli missi sunt ad Eliseũ 4. *Reg.* 6. Sic missi sunt sub Onia ad templum defendendum 2. *Mach.* 3. Sic missi sunt ad Iudam Machabæum inuulnerabilem custodiendum 2. *Machab.* 23. Propter hoc dicitur *Isa.* 63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domus Israel quæ largitus est eis. Tantorum enim beneficiorum nemo debet esse immemor. Vnde ex his concludit [& tu] supple, ergo [ad Dominum Deum conuerteris] *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. *Thren. vltimo.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Formam autem conuersionis subdit [misericordiam] ad te scilicet & proximũ [& iudicium] in agendis supple [custodi] vt quid verũ, quid falsum, quid bonum, quid malũ sit, diiudices. *Psal.* 100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Et subiungit de ordine ad Deum [& spera in Deo tuo semper] non in Assyrio vel Aegyptio. In Deo autem sperare, est sperando in eum bonis operibus tendere. *Psal.* 36. Spera in Deo & fac bonitatem. *Rom.* 5. Spes non confundit. *Heb.* 6. Fortissimum habeamus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem. Semper autem dicit, quia sicut dicit *Glossa.* Omnis laus in fine rei canitur. *Matth.* 24. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Beneficia Dei perpetuo recordanda.

Chanaan] Tangit hic populi ingrati tantis beneficiis auersionem, & dicit in contractibus iniustitiam, in violentiis calumniam ad proximum, & impietatem in Deum [Chanaan] nominatiuus est absolutus. Ponitur enim vt sequens relatio locum habeat. Et est sensus: Populus iste non est de Iacob vel Israël, sed est Chanaan de semine iniquitatis. *Dani.* 13. Semen Chanaan & non Iuda, *Ezech.* 16. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Vnde autem hoc sciatur, subdit, & suppletur, quia [in manu eius] supple est [statera dolosa] in omnibus contractibus statera dolosa est quæ deprimitur ad leue, & ascendit ad graue, in eo scilicet, qui semper nititur dejicere proximum. *Deut.* 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Talis statera est eorum, qui multum ponderant temporalia, & parum spiritualia. *Prou.* 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius [calumniam dilexit] in oppressione scilicet pauperum. *Isa.* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? *Isa.* 5. Væ qui iustificatis impium pro muneribus suis, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Hæc clero conueniunt qui omnes causas per calumniam ad lucrum trahunt. *Isa.* Væ qui condunt leges iniquas, & scribẽtes iniustitias scripserũt vt opprimerẽt in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humiliũ populi mei [Et dixit Ephraim] Tangit corruptionem ordinis ad Deum [Dixit Ephraim] in corde scilicet [veruntamẽ diues effectus sum] *Psal.* 52. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. *Hiero.* Quasi dicat. Vndecumque habeam, non curo, dummodo habeam putat enim

enim se esse diuitem in idolo vel in delectabili quod consequitur, quãuis decipiatur. *Apoca.* 3. Dicis quia diues sum & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper [inueni idolum mihi] quod, supple, diuitias reputo. *Iere.* 17. Fecit diuitias & non in iudicio [omnes labores mei] quibus laboraui [non inuenient mihi] per inflictionem pœnæ alicuius iudicis [iniquitatem quam peccaui] & est verbum desperantis, qui prouidentiam negat, & iudicium futurum, contra quod dicit. *Eccl.* 5. Ne dixeris, Quomodo potui? aut quis me subiiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Et *ibidẽ* Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus est enim patiens redditor. *Eccl.* 5. Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuã, neque dicas coram Angelo non est prouidentia, ne forte irratus Dominus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.

Prouidentiæ Dei non negandæ.

Et ego Dominus Deus] Secunda propositio est pro Domino in iudicio, & habet duas particulas. Primo enim proponit pro Domino: Secundo, contra populum *ibi* [Si in Galaad idolum] Pro Domino proponit duo, scilicet, beneficentiam in Ecclesiis & in Sanctis, & certa responsa in dubiis *ibi* [Et loquutus sum. Circa beneficentiam duo proponit, quorum primum est argumentum secundi. Primum est eductio de terra Aegypti: secundum autem de terra Chaldæorum reductio [Et ego dominus] supple, sum potestate [Deus] prouidentia [tuus] beneficijs [de terra Ægypti] hoc est, qui eduxi te de terra Ægypti. *Mich.* 6. Memento quod eduxerim te de terra Ægypti, & miserim ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam. Hæc autem eductio (sicut sæpe dictum est) eductionem signat de peccatis. *Isa.* 63. Sic adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ. Et ex præterito subinfert spem futuri [adhuc] supple si pœnituerit, iterum [sedere te faciam] celebrando festum [in tabernaculis] vt scilicet iteratum festum tabernaculorum celebres pro reductione de captiuitate, sicut celebrasti pro eductione de Ægypto. Et hoc est quod sequitur [sicut in diebus festiuitatis] Scenophegiæ, scilicet, quando celebrasti festum eductionis de Ægypto. Iste sensus innatur ex eo quod dicitur *Iere.* 23. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicent vltra, viuit Dominus qui eduxit filios Israël de terra Ægypti, sed viuit Dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eieceram eos illuc. Sicut autem eductio de Ægypto signat eductionem de peccato, in qua cantatur canticum submersionis Ægyptiorum. *Exo.* 15. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Ita per eductionem de Chaldæa signatur eductio de tentationibus per profectum virtutum, in quo cantatur canticum graduum, quod quindecim gradibus determinatur, in *Psal.* 137. Cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. *Mich.* 7. Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia. Et subiungit de secunda beneficentia ex parte Dei, scilicet, quod eis dedit etiam responsa in dubiis.

Et loquutus sum super Prophetas] supereminentiam notat Spiritus illuminantis Prophetas. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me. *Act.* 2. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos. Spiritus enim superior intra se continet spiritum humanum, vt errare non possit, nec vno modo loquutus sum, sed [& ego visionem multipliciui] vt scilicet, modo sensibili, modo imaginabili, modo intellectuali in visione loquerer. *Psal.* 88. Tunc loquutus es in visione Sanctis tuis. *Isa.* 28. In aliis linguis & in aliis labiis loquar populo huic, & nec sic audient me, dicit Dominus. *Hebre.* 1. Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Propheris [&] quod plus est [in manu] hoc est, in opere [Prophetarum assimilatus sum] vt operibus intelligerent quod verbis audire noluerunt. Sicut quod Moyses extensis brachiis in modum crucis stetit contra Amalech *Exod.* 17. Sicut *Isaias* nudus iuit & discalceatus tribus diebus *Isa.* 19. Sicut quod *Iereuias* Calathis ficuum futura præfiguranit *Ieremia* 24. & *Ezechiel* vasis transmigrationis *Ezechiel* 12. Et *Ionas* tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti fuit *Iona.* 2. Sufficientia ergo erat in Domino ad omnia hæc quæ à Deo requiruntur. Beneficium enim fuit in indigentiis, & responsa in dubiis, & ex hoc infert quod frustra errabant in idolis, quæ neutrum horum facere possunt [Si in Galaad idolum] supple est [ergo frustra erant] & hic est punctuatio. *Hieronymus*: Hæc enim efficaciter in Deo, & inaniter in idolis requiruntur. *Isaie* 8. Cum dixerint ad vos, Quærite à pythonibus, & à diuinis qui strident in incantationibus suis. Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem? pro viuis à mortuis? Galaad enim ciuitas est vltra Iordanem, in sortibus Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manasse, vbi Laban comprehendit Iacob *Gene.* 32. Et propter hoc locus venerabilis habebatur, & ideo ibi idolum erat quod venerabantur decem tribus. *Osee* 6. Galaad operantium idolum supplantata sanguine. In hoc idolo frustra erant [in Galgal bobus immolantes] Galgal siue Galgala, ciuitas est duarum tribuum iuxta Bethel, vbi etiam fuit idolum quod duæ tribus venerabantur, quod etiam frustra fuit, cum Deus nec deesset in beneficiis, nec deesset in responsis. *Deute.* 4. Non est alia gens tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Osee* 9. Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos, propter malitiam adinuentionum eorum. Et dicit bobus in detisionem & in signum concupiscentiæ. Bouem enim pro tauro ponit, qui lasciuus est. Vnde *Prou.* 7. vbi de meretrice loquitur, subiungit: Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens. Hanc literam *Hymo* aliter punctuat, & legit sic [Si] hoc est, & si in Galaad] hoc est, in decem tribubus [est idolum] propter hoc scilicet, quod nec templum nec Prophetas, nec Sacerdotes habuerunt. Et legit tamen pro ergo sic [Tamen frustra erant in Galgal] hoc est, in duabus tribubus [bobus immolantes] ibi enim erant Sacerdotes, & templum, & Prophetæ. Sed ne negare possint, conuincit, subdens [nam & aratria eorum] decem & duarum tribuum apparent [quasi acerui] hoc est, tumuli arenarum vel lapidum [super sulcos agri] *Septuaginta.* Super desertum campi. Et tangit quod hostibus venientibus, villis & campis desertis, templa idolorum fracta sunt, & tumuli ruinarum super campum desertum apparuerunt. *Matth.* 24. Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

Christus in Prophetis adumbratus.

Fugit Iacob] Adhuc tertio proponit in iudicio

beneficia quæ patri fecit in constructione domus, & filiis in illuminatione Prophetæ,& ex opposito auersionem ingrati populi [Fugit Iacob in regionem Syriæ] quòd fugit, erat metus ratione fratris sui, qui dixit *Gene.* 27. Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum. Quod autem in Syriam fugit, consilium fuit matris,quæ volut vt de filiabus Heth vxorem duceret, sicut *ibidem* dicitur *cap.*28. Noli accipere coniugem de genere Chanaan, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patrem matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Et hoc tangit hic [& seruiuit Israël] Laban scilicet auunculo suo [in vxorem] habendam. *Gene.*29. Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis [& in vxorem seruiuit] Liam scilicet aliis septem annis, vt *ibidem* dicitur. Et sic Deus ordinatione vxorum, & procreatione filiorum, & multiplicatione possessionum domum construxit Iacob. *Ruth* 4. Faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Lyam, quæ ædificauerunt domum Israel, vt sit exemplum virtutis in Ephrata. Signat autem hoc in spiritualibus fugam à seculari conuersatione in regionem Syriæ, quæ sublimis interpretatur, hoc est, in sublimitatem pœnitentiæ vel religionis. *Ieremi* 48 Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Et subdit de illuminatione Prophetæ.

In Propheta autem] Moyse scilicet & Aaron & Maria & aliis septuaginta duobus,qui(*Num.* 11.) prophetabant [eduxit Dominus Israel de Ægypto] ne scilicet incertas promissiones sequerentur, 1.*Pet.*3.Non indoctas fabulas sequuti annũtiamus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem [& in Propheta seruatus est] hoc est, in successione Prophetali, ita quod Doctor iustitiæ nunquam defuit. *Eccli.*24. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam,& relinquam illam quærentibus sapientiam, & non deficiam in progenies eorum vsque in æuum sanctum. Et subiungit de auersione populi à tantis beneficiis, & suppletur, & tamen [ad iracundiam me prouocauit Ephraim] hoc est, regnum decem tribuum, vel in mundo fructificantes. *Isa.*30. Terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis [in amaritudinibus suis] hoc est, peccatis, quæ me pium & dulcem ad amaritudinem prouocant. *Iere.* 2. Quomodo conuersa es in prauum vinea aliena? *Deut.* 32. Fel draconum vinum eorum Ex omni ista disputatione triplici quæ proposita est, infert sententiam [&] supple ideo.

Sanguis eius] hoc est, causa sanguinis siue mortis [super eum veniet] ipse enim per peccatum sibi causa mortis est. 2. *Reg.* 1. Sanguis tuus super caput tuum,os enim tuum loquutum est aduersum te [& opprobrium eius restituet ei Dominus Deus suus] Opprobrium vocat probrosum peccatum, quod restituitur, quando congrue punitur. *Deut.* 25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. *Isa.*27. In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit, iudicabit eam. *Isa.* 5 Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.

Pœna correspondet culpa.

CAPVT XIII.

Loquente Ephraim.

SEcundum superius inductam diuisionem dua intendit hic Propheta, peccati scilicet, & vanitatis accumulationem& condemnationẽ,& Prophetæ contristationẽ *ibi*[De manu mortis liberabo eos]In prima parte duo sũt:peccati accumulatio,& peccati accumulati colligatio ad condemnandũ *ibi* [Colligata est iniquitas] In prima adhuc duo sunt, scilicet, accumulatio idololatriæ, & accumulatio ingratitudinis *ibi* [Ego autem Dominus Deus tuus] In primo quatuor sunt, scilicet, peccati principium, peccati additamentum, & quàm sit irrationabile peccatum, & qualiter sit puniendum. Dicit ergo [Loquente Ephraim] rege scilicet decem tribuum Ieroboam, qui fuit de Ephraim, & intelligit, loquente, hoc est, præcipiente. *Ezech.* 34. Cum austeritate & potentia imperabatis eis, & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor [horror inuasit Israel] hoc est, horrendum peccatum idololatriæ. *Iob* 4. Cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. *Eccli.* 27. Loquela multum iurans, horripilationem capiti statuet. Austera enim præcipientes multum iurare consueuerunt [& deliquit in Baal] qui,vel superior vel deuorator interpretatur. Maxime enim hoc competit libidinosis & ambitiosis[& mortuus est] hoc est, causam mortis accepit. *Gene.*2. Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Hoc sub eodem sensu ad Prælatos refertur, qui Ephraim sunt propter temporalium fructificationem, & verbo & opere loquuntur ad populi subuersionem. 1.*Corin.*15. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. *Psal.*49. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Et sic horrendum peccatum inuadit subditos. *Isa.*21.Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me [& deliquit in Baal] hoc est, per luxuriam & auaritiam & superbiam Baal enim, vt superior superbiam, vt vero deuorator auaritiam, & quia colebatur per libidinem, luxuriam signat. Colebatur enim in idolo Phegor.1.*Ioan.*3. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Et sic moritur populus, sicut *supra* 9. dictum est. Ephraim ducet ad interfectorem filios suos. Et subdit de additamento peccati.

Et nunc addiderunt ad peccandum] per nouas scilicet inuentiones idolorum. *Psal.* 68. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. In quo autem addiderint, subdit [Fecerunt sibi conflatile] scilicet vitulum [de argento suo] hoc est, de pretiosissimis quæ habebant. *Osee* 2. Ego argentum & aurum multiplicaui eis quæ fecerunt Baal [quasi similitudinem idolorum] quasi dicit, quia non erat vera similitudo,quia ad id quod nihil est non potest esse similitudo. 1.*Corin.*8. Scimus quia idolum nihil est in mundo. Istud moraliter refertur ad eos qui noua peccata veteribus addunt, *Isa.*30. Vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum. Ambulat enim in Ægyptum qui semper proficit in peccatis. Hi faciunt

Peccata noua veteribus non addenda.

faciunt conflatile, desideriis enim & studiis delectabilia conflant sibi: & de argento faciunt, quia eloquia ad hoc componunt. *Iudic.* 17. Consecraui & voui argentum hoc Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus & faciat sculptile atque conflatile. Dicit autem quasi similitudinem, quia quicquid in vita diligitur, potius vmbra quam veritas est. *Iudic.*9. Vmbras montium vides, & hoc errore deciperis. Et subdit de peccati irrationabilitate.

Factura artificum totum est] artifex autem non potest dare substantiam, *Sap.* 13. Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inuentionem [His] idolis scilicet [ipsi] Principes & Sacerdotes [dicunt] hoc est, præcipiunt [Immolate] cum inutile sit talibus immolare. *Sap.*13. Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est, & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortem, & in adiutorium inutilem inuocat. Et subdit [homines vitulos adorantes] *Glossa* vult, quod homines possit esse vocatiui vel nominatiui casus. Si est vocatiui casus, refertur ad præcedens, & est sensus, quod Sacerdotes dicunt; O homines immolate vitulis. Si nominatiui est, refertur ad sequens sub hoc sensu. Cum sint homines; sunt adorantes vitulos. Deposita enim tatione, magis bruti quam etiam ipsi vituli efficiuntur. *Isa.* 44. Obliti sunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo, non recogitant in mente sua, nec cognoscunt,nec sentiunt, vt dicant: Medietatem eius combussi igne, & coxi super carbones eius panes, & coxi carnes & comedi, & de reliquo eius idolum faciam, ante truncum ligni procidam. *Psal.* 84. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Hæc eadem dicuntur de Prælato qui sit ab hominibus & non ex Deo. *Zach.*11.O pastor & idolũ derelinquens gregem.Hic enim in figura vituli ad libidines & lasciuiũ populi vel augendam vel dissimulandã formatus est. *Psal.* 105. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli. Hic enim nihil venerabile habet, nisi pompam seculi. Propter quod laudatur Mardochæus. *Esther* 4. quòd talem adorare noluit, ne honorem diuinum impenderet illi, quem Deus non constituerat. Subdit autem de pœna per quatuor comparationes comprehendens eam, & est communis expositio ad literam & ad mores.Primo ponit comparationem vitæ,dicẽs.

Idcirco erunt quasi nubes matutina] Nubes matutina vapor est frigiditate noctis compressus, & radijs solis incontinenti dissolutus, & ita est de vita præsenti, quæ radijs solis iustitiæ quando iudicium demonstrat, statim dissoluitur. *Iacob.* 4. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. *Iudas in epistola* Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur. Et subdit de profectu vitæ & prosperitate [& sicut ros matutinus præteriens] Ros enim fœcundat sicut prosperitas: sed sicut ros mane, sole statim exiccatur, ita prosperitas stultorum tacta luce iustitiæ Dei in nihilum redigitur. *Prou.* 1. Auersio parulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. *Osee* 6. Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. *Eccli.* 43. Obuians eos ab ortu veniente humilem efficiet eum. Et subdit de corpore [Sicut puluis turbine raptus ex area] in area enim vt seges contrita est & triturata, multus consueuit esse puluis, qui turbine primo inuolutus & eleuatus dissipatur, ita & homo post semina & labores huius vitæ in puluerem reuertitur & dissipatur, corpus enim non est nisi puluis compactus & in pelle vna conglutinatus. *Iob* 10. Ecce nunc in puluere sedeo, & si mane me quæsieris, non subsistam. 1. *Mach.* 2. Hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit. *Psal.* 145. Exibit spiritus & reuertetur in terram suã, supple, corpus, in illa die peribunt.Et subdit de comparatione spiritus qui vehiculũ est vitæ & virtutis, qui in fumum resoluitur [sicut fumus de fumario] raptus. Fumarium vocat, vt dicit. *Hieron.* catharactam siue foramen muri per quod egreditur fumus.*Sap.* 2. Spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis. De hoc sic in moralibus dicit *Gregorius.* Carnalis gloria dum nitet, cadit: & dum apud se extollitur,repentino intercepto fine terminatur. Sic namque auratum flatu in altum stipula rapitur, sed ad ima casu concito reuocatur, Sic ad nubila fumus extollitur, sed repente annihilatur, & intumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula ascendendo se erigit, sed exortus hanc solis radius ac si non fuit abstergit.Sic in herbarum superficie nocturni roris humor spargitur, sed diuini luminis subito calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluuijs excitatæ, ab infimis certatim prodeunt; sed eo celerius diruptæ depereunt, quo inflatæ altius extenduntur: cumque excrescunt vt appareant, crescendo peragunt vt non subsistant.

Nubes matutina.

Ego autem Dominus] Tangit hic ingratitudinis accumulationem, & tangit tria, ex quibus cõcludit propositum,& illud est quartum.Primum est, propositio beneficiorum Domini: Secundum, auersio ingrati populi: tertium, pœna quã sunt feriendi. Ex his concludit, quòd non nisi in Deo est salus populi, De primo dicit] Ego autem] cum idolum nihil sit [Dominus Deus] sum scilicet per naturæ veritatem & omnium superpositionem [tuus] autem per beneficiorũ collationem. 1. *Corinth.* 8. Et si sunt qui dicuntur dij, siue in cælo, siue in terra, siquidem sunt dij multi & domini multi, nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia [de terra Aegypti] hoc est, diuinitatis meæ potentiam ostendi, in eductione de terra Aegypti,& literaliter & spiritualiter. *Exod.*20.Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis; hoc enim quotidie facit de peccatis educendo [& Deum absque me nescies] hoc est, Deum qui absque me est, mei scilicet nihil habens, nescies per approbationem. *Exod.*20. Non habebis deos alienos coram me. Hoc enim non implet fornicator qui deum habet Venerem, nec auarus qui nummum adorat. *Ephes.* 5. Nec superbus qui in excelsis sacrificat. Et subdit [Et Saluator non est præter me] Virtus enim saluandi non est nisi in ipso. *Isa.* 45. Ego Dominus, & non est vltra me Deus, absque me non est Deus iustus, & saluans non est præter me. Et subdit de beneficijs præstitis in deserto [ego cognoui te in deserto] notitia scilicet dilectionis, electionis, & beneficiorum. *Exo.* 33. Inuenisti gratiam coram me,& te ipsum noui ex nomine. 2. *Timoth.* 2.

Timoth. 2. Nouit Dominus qui sunt eius. In deserto autem dicit, propter priuationem cultus, vbi nullus potuit subuenire, nisi Deus [in terra solitudinis] vt eiam potentiam ad cultum auferat. Solitudo enim est terra quæ coli non potest propter malitiam. *Deut.* 32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Quod signat desertum in quo inuenitur peccator: vbi nec Angeli nec Sancti habitant. Signum autem huius notitiæ supponit ex verbo Prophetæ [iuxta pascua sua] & est ac si aliquis quæreret, quo populum nouit Deus? Et respondet Propheta, iuxta pascua sua. *Deut.* 8. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Pluit enim illis manna & coturnices. *Exod.* 16. Et dedit carnes vt egrederentur per nares. *Nume.* 11. Aquam quoque de petra eduxit, cuius dulcedo melli comparatur, quæ continuo sequebatur populum per desertum. *Nume.* 20. *Psal.* 64. Paratti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius. *Sap.* 16. Substantiam tuam & dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebas, & voluntati vniuscuiusque deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur, cibus scilicet quem eis dedisti.

Manna vniuscuiusque parebat desiderio.

Et adimpleti sunt] Tangit hic populi auersionem, quod super implétionem impleti, diuitiis scilicet & delicijs, & honoribus [Et saturati, eleuauerunt cor suum] difficile enim est diuitijs adimpletum cor non eleuari. *Ezech.* 28. Lenatum est cor tuum in decore tuo. *Iere.* 5 Magnificati sunt & ditati, incrassati & inpinguati, & præterierunt sermones meos pessime. *Hieron.* inducit hoc *Deut.* 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus [& obliti sunt mei] quod scilicet me præ oculis non habuerunt. *Iere.* 2. Populus meus oblitus est mei diebus innumeris. *Isa.* 57. Mentita es, & mei non es recordata Subdit autem de pœna qua sunt puniendi, & ponit similitudines in crudelitate punientis.

Et ero eis quasi leæna] quæ sæuior leone esse dicitur. *Gene.* 49. Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, Quis suscitabit eum? *Nume.* 23. Vt leæna consurget, & quasi leo erigetur, non accubabit donec deuoret prædam, & sanguinem occisorum bibat. Et hoc est dictum propter sæuitiam [sicut pardus in via Assyriorum] supple occurram eis. Et sicut dixit leæna propter sæuitiam, ita dicit pardus propter velocitatem ne effugiant. *Habac.* 1. Leuiores pardis equi eius. Et tunc (sicut dicit *Amos* 2.) peribit fuga à veloce. *Iere.* 5. Percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos, pardus vigilans super ciuitates eorum. Dicit autem, in via Assyriorum, quia semper ad Assyrios fugere cogitabant. *Iere.* 2. Quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? sic etiam seculares confugiunt sēper ad altum sensū [occurrā eis quasi vrsa raptis catulis] de qua dicit *Hieron.* quod qui scribunt de naturis animalium, dicunt quod nihil ira sæuit sicut vrsa, raptis catulis. Et in illa sæuitia & feritate dicit, quòd occurrat per regem Assyriorum, vel spiritualiter per diabolum. *Pro.* 28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Dicit autem, raptis catulis, quia primo negantes tributum quasi catulos rapuerunt, & per hoc aduersarios conci-tauerunt ad sæuitiam. 2 *Reg.* 17. Tu nosti patres tuum & viros qui cum eo sunt, esse fortissimos, quasi si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat. Hanc sæuitiam exaggerat *Salomon Pro.* 17. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quā fatuo confidenti sibi in stultitia sua [& dirumpam interiora iecoris eorum] hoc est, vitalia eorum, vel ea quæ amant, quia cogit amare iecur: separabuntur enim à peccatore omnia delectabilia sua. *Osee* 2. Comedet eam bestia agri [& consumam eos ibi] in pœnis scilicet. Et modum tangit quando dicit [quasi leo] *Deut.* 32. Dixit, vbinam sunt, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. *Isa.* 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea [bestia agri scindet eos] bestia quasi vastia dicitur, & signat crudelitatem, vel Romanorum, vel dæmonū. *Gen.* 37. Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Ex his concludit propositum, subdens.

Perditio tua Israël] hoc est, o Israël, tu ipse es causa perditionis tuæ, qui semper à me, qui sum vita tua, auersus es. *Psal.* 30 Factus sum tanquam vas perditum [tantummodo in me auxilium tuum] qui semper cogitaui de salute tua. *Isa.* 51. Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. *Psal.* 120. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Et excludit præsumptionem falsi auxilii, subdens [vbi est rex tuus?] in quo scilicet auxilium præsumpsisti. Rex enim saluare non poterit. 1. *Reg.* 8. Num exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem? Humana enim virtus saluare non potest [maxime nunc saluet te] tempore scilicet necessitatis: tunc enim debet succurrere rex & amicus. *Eccl.* 6. In necessitate probatur amicus [in omnibus vrbibus tuis] hoc est, munitionibus, quæ iam omnes expugnantur, vel per diabolum, vel per mortem, vel per tyrannum exteriorem. *Isa.* 36. Ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes ciuitates munitas & cepit eas [& iudices tui] vbi sunt, hoc est, principes qui te iudicant, qui modo scilicet subuenire non possunt. *Deut.* 32. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant [de quibus dixisti] per Samuelem scilicet 1. *Reg.* 8. [Da mihi regem & principes] Sic enim dixerunt, Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Et, supple, tunc respondi per Samuelem [Dabo tibi regem in furore meo] qui scilicet te premat, & non defendat [& auferam] hunc regem [in indignatione mea] quia scilicet in Amalech debite non vindicauit. In signum autem huius, vt dicit *Hieronymus*, mugire fecit tonitrua, & descendere pluuias in die messis, quod inconsuetum est in Palestina. 1. *Reg.* 12. Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum & dabit voces & pluuias, & scietis & videbitis quia grande feceritis vobis malum in cōspectu Domini, petentes super vos regē. Similiter etiam peccant, qui petunt sibi Prælatos nō ex imperio Domini, sub quibus suas habeāt libertates. 2. *Timoth.* 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem [illegible] auertent, ad fabulas autem conuertentur.

[illegible]ligata est] Tangit hic de congregatione iniqu[illegible] ad pœnæ condemnationem [Colligata est iniquitas Ephraim] & dicitur, colligata, quasi simul

simul in sacculo ligata, in quo scilicet ad iudicium reseruatur, & hic sacculus est in diuina scientia nostrorum peccatorum memoria, & colligatio est non interrupta peccatorum nostrorum reminiscentia, & peccatorum accumulatio. *Iob* 14. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Et sic id quod sequitur, expositio est præcedentis [absconditum est peccatum eius] hoc est, in abscondito reseruatum; vel dicatur quod absconditum est, eo quod per confessionem non est reuelatum ad pœnitentiam. *Iob* 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Quasi dicat, male mihi accidit. Et hæc expositio communis est ad literalem & moralem. E conuerso, de confitentibus dicitur *Psal.* 31. Dixi, confitebor, & tu remisisti. *Isa.* 53. Narra si quid habes, vt iustificeris. Qui autem abscondit scelera, non dirigetur, & ideo punitur. Et hoc est quod sequitur [Dolores parturientis venient ei] Dolores parturientis sunt, quando id quod, cum delectatione conceptum est, prodit ad lucem, & arctat vterum, & torquet dolore scindente eam, quæ concepit. *Isa.* 59. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. *Psal.* 7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 1. *Thes.* 5. Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, tanquam dolor in vtero habentis. *Isa.* 37. Dies tribulationis & angustiæ, correptionis & blasphemiæ, dies hæc quia venerunt filij vsque ad partum, & non est virtus patiendi. Quòd autem causa doloris istius in ipso sit, subdit, & supplebit, quia [ipse filius non sapiens] qui scilicet pericula futura sapienter præuideat, & corrigat per pœnitentiam quod deliquit. *Osee* 4. Populus non intelligens vapulabit. *Isa.* 5. Idcirco captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & probat hoc per signum, subdens [Nunc enim] in proxima scilicet tribulatione captiuitatis [non stabit] sed cadet [in contritione filiorum] quando scilicet filij eius conterentur, vel filij mei de duabus tribubus. Si enim duabus tribubus quæ templum non abiecerunt non pepercit, nunc nullo modo parcet illis qui templum abiecerunt. *Iere.* 45. Ecce quos ædificaui, ego destruo, & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hanc, & tu quæris tibi grandia? Noli quærere, ecce ego adducam malum super omnem carnem. *Luc.* 23. Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?

Confessio peccatorii vtilis est.

De manu mortis] Quia iam dictum est, quod ad finalem damnationem congregata est iniquitas, ideo ne desperet populus de liberatione, saltem ab inferno, subdit de liberatione futura per Christum [De manu mortis liberabo eos] Manus peccatum est, qua peccatores tenentur in morte. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis accersierunt eam. Liberando enim de peccatis, liberat de manu mortis. *Matth.* 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Isa.* 38. Tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. *Mich.* 7. Deponet omnes iniquitates nostras, proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra [de morte redimam eos] Ex quo redimit de manu mortis, per consequens, redimit de morte æterna *Rom.* 4. Mortuus est propter peccata nostra destruenda. Morte enim sua mortem nostram destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Quod figuratum est *Gen. vlt.* vbi dicitur: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista. Qualiter autem hoc fiat, subdit [Ero mors tua ô mors] Mors dicitur viuere secundum actum mortis, qua mortificare potest, & in morte detinere, quam potestatem amisit Christi morte, & ideo mortua dicitur esse. *Apoc.* 20. dicitur de hac morte: Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors potestatem non habet. Et quia infernus receptaculum est mortuorum, propter hoc subdit [morsus tuus ero inferne] Ad infernum enim descendit anima Christi, & eos qui longa spe adiuentum suum expectauerant, inde liberauit, & ita infernum momordit, scilicet lymbum patrum, quasi dentibus abstrahendo, & receptaculum damnatorum & lymbum parulorum in originali decedentium derelinquendo. *Septuaginta* sic, Vbi est mors causa tua? vbi est aculeus tuus inferne? Et hoc inducit *Apostolus* 1. *Corinth.* 15. sic dicens: Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex, Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum, qui mortuus est pro nobis. Et quod *Apostolus* sic exponit, præsumptuosum reputo aliter exponere. Quia vero ista liberatio in futurum promissa longe post tempora Prophetæ exhibita est, ideo subdit [consolatio abscondita est ab oculis meis] præsens enim in carne non videbo ea. *Isa.* 38 Quæsiui residuum annorum meorum, dixi; Non videbo Dominum in terra viuentium. De quo autem maxime tristatur, subdit [quia ipse] infernus scilicet morsus.

Christus infernum momordit

Inter fratres diuidet] hoc est, inter quoslibet vinculo amicitiæ conuinctos. Vnus enim assumetur ad gloriam, & alter relinquetur ad pœnam. *Matth.* 24. Tunc duo erunt in agro; vnus assumetur, & alter relinquetur; duæ molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur; duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur. Et de hoc testatur Propheta, quod aliquis de suis perditur, & à consortio beatorum separatur. 1. *Reg.* 15. Siccine separat amara mors? Qualiter autem per imminentem captiuitatem hoc fiat, subdit [Adducet Dominus] sapientia scilicet sua [vrentem ventum] hoc est, exercitum leuem & velocem, potius flatu venti genientem quam ambulantem, qui, sicut ventus vrens omnia exiccabit. *Ezech.* 1. Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, vt per ignem exiccet, per nubem grandinet terrore & comminatione, per ventum vero velociter discurrat & vndique diffundatur. *Iob* 4. Vidi eos qui operantur iniquitatem, qui seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritum iræ eius esse consumptos. *Iob* 27. Tollet eum ventus vrens. *Aggei* 2. Percussi vos vento vrente, & vredine, & grandine omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me [de deserto ascendentem] de deserto dicitur venire ab effectu, quia desertum facit. *Ioel* 2. Terra sicut hortus voluptatis coram eo, & post eum solitudo deserti. Dicitur enim ascendere, quia opprimendo & subriendo venit. *Iob* 1. Ventus vehemens irruit à regione deserti, & cōcussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos. Hæc eadem sub eodem modo referuntur ad suggestionem diaboli [& siccabit

siccabit venas eius] Venæ sunt villæ & oppida à metropoli deriuata, & venæ sunt etiam per quas vita, sensus & motus à corde fluunt in membra. *Isa.* 37. Glorians dicit (author istius mortis) ego vestigio pedis mei siccaui omnes riuos aggerum. *Isa.*19. Omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, & non erit[& desolabit fontem eius] vel metropolim in populo, vel cor in corpore, vt scilicet & metropolis destruatur, & homo moriatur. *Eccl.vlt.* Confringetur hydria super fontem. Tunc erit verum quod dicitur in *epistola Iuda*, quod sunt fontes sine aqua. *Isa.* 19. Fluuius desolabit atque siccabitur, & deficient flumina & attenuabuntur & siccabuntur riui aggerum [& ipse] scilicet ventus qui exercitum signat vel diuinum iudicium [diripiet]hoc est, diripi faciet [thesauros omnes vasis desiderabilis] Victo populo thesaurus terræ direptus est, tam in vasis pretiosis quam in auro & in argento, sicut & ea quæ sunt hominis diripiuntur post mortem. *Ezech.*38 Ecce ad diripiendam prædam congregasti omnem multitudinem tuam, vt tollas argentum & aurum, & auferas supellectilem atque substantiam, & diripias manubias infinitas. In *Glossis* innuitur expositio, quod ventus sit Christus, vrens charitate, desertum faciens mundum à vanitate, & veniens de deserto generis humani, vel de deserto virginalis vteri, & siccans venas mortis, hoc est peccata, qui desolabit fontem, hoc est diabolum à quo peccata fluxerunt, qui diripit vasa desiderabilia, quia animas Sanctorum desiderabiles ab inferno abstraxit, & in paradiso collocauit. *Matth.*12. Si fortior illo superuenerit, intrabit in domum fortis, & alligabit fortem, & omnia vasa eius distribuet in quibus confidebat. Hoc figuratur *Exod.*14. Abstulit, Deus mare flante vento vehementi & vrenti tota nocte, & vertit illud in siccum. *Isa.*51. Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati. Prima tamen expositio literalis est. Et quia infernus & mors præsens sic diuidunt inter fratres, & hoc peccatum fecit, ideo Propheta non tam imprecantis quam prædicentis modo subdit.

Christus quanto vrēti est similis.

*Luc.*11.

Pereat Samaria]hoc est, decem tribus, vel etiam peccator. *Psalm.*67. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Optat quòd pereant, ne viuant in peccatis. Causam autem subdit [quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum] qui scilicet dulcis est per naturam, amaræ iræ efficitur propter peccatum. *Iere.* 2. Quomodo conuersa es in pranum vinea aliena? [In gladio pereat]diuinæ scilicet vltionis. *Iob* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est, Vel, pereat in gladio spiritus quod est verbum Dei. *Ephes.*6. [paruuli eorum elidantur & fœtæ eius discindantur]hoc legimus prædictum esse sub Benadab 4.*Reg.*8. de Azahele: Iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides. Hoc tamen moraliter referur ad hoc quod paruuli sint primi motus peccati, qui ad petram Christum elidendi sunt, ne nutriantur & crescant in peccatum. Fœtæ autem sunt conceptus malorum propositorum, qui scindendæ sunt per pœnitentiam, ne ad lucem veniant.

Matth. 4. Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

CAPVT XIV.

Conuertere Israël.

Hoc diuisum est contra præcedens, totum est enim de consolatione pœnitentium. Diuiditur autem in partes tres. In prima docet conuersionem. In secunda ponit benignam Domini ad conuersos responsionem *ibi*[Sanabo] In tertia inuitat ad intelligendum huius prophetiæ prolatum sermonem *ibi*[Quis est sapiens]. In primo duo dicit; cordis scilicet, conuersionē, & qualibus verbis impetrent propitiationem *ibi* [Tollite vobiscum] Continuatio ad præcedens. Ex quo tantis malis digni sunt qui peccant, & per pœnitentiam tot mala declinant conuersi, ergo [Conuertere Israël] Conuersio mutatio situs est, vt scilicet superius fiat inferius, & e conuerso: & dextrum sinistrum, & è conuerso; & anterius posterius, & e conuerso: & interius exterius, & e conuerso. In peccatore enim ratio inferior est, & sensualitas superior, quod conuertendum est. *Prou.* 30. Per tria mouetur terra, per seruum cum regnauerit, per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ, & per stultum cum satiatus fuerit cibo. Seruus inferior est ad Dominum, & signat hominem in comparatione ad Deum, qui super Dominum esse vult, quando Domino non supponitur. *Ezech.*28. Posuisti cor tuum sicut cor Dei, cum sis homo & non Deus. Ancilla autem sensualitas est, & domina ratio: qui ordo in peccatore peruertitur, sed debet restitui per pœnitentiam, quod signatum est *Gene.* 21. vbi Angelus dixit ad ancillam Agar: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub ipsa. Stultus autem satiatus cibo, concupiscentia est, per quem etiam regnum iustitiæ turbatur, & ideo mente & spiritu reprimendus est. *Iob* 4. Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Dextera autem signat spiritualia, & sinistra temporalia: sed peccator spiritualia habet à sinistris, quia parui momenti sunt apud illum, sicut sinistra pigra est, & temporalia habet à dextris. *Matth.*5. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Peccator etiam interiora habet sordida, & exteriora pulchra, quod etiam conuertendum est. *Psal.*44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. De pulchritudine autem exteriori *Prou. vltim.* Fallax gratia & vana est pulchritudo. Peccator etiam æterna habet posterius, transitoria vero anterius, quod iterum conuertendum est. *Philip.*3. Posteriorum oblitus ad anteriora me extendo. Sic ergo, Conuertere ô Israël, hoc est, rectifica te ô Israël foris in opere, & qui vides Deum per fidem, ad hunc intus ascende per affectum in contemplatione. *Isa.*45. Conuertimini ad me & salui eritis omnes fines terræ. Ad quem autem conuertatur, subdit [ad Dominum Deum tuum] ad Dominum propter debitum. *Psal.*122. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum. Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum [Deum] quia necessarium. Deus enim Θεὸς græce dicitur, Θεὸς autem à Θεᾶσθαι, quod est video, vides, derinatur. Necessarium enim est ad eum conuerti, qui hominem & omnes actus eius circumspicit. *Hebr.*4. Omnia nuda

Conuersio pœnitentis necessaria.

nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. *Boetius in consolatione philosophiæ.* Magna necessitas vobis bene agendi indicta est, qui omnia agitis ante oculos cuncta cernentis [tuum] quia vtile, dicitur enim tuus, quia beneficus. *Hebr.*11. Non confunditur Deus, vocari eorum Deus, parauit enim illis ciuitatem. A quo autem conuertatur, subdit[quoniam corruisti in iniquitate tua] Iniquitas enim & peccatum ruina est, & casus; in casu autem, & ruina nemo stat nec stare potest. *Psal.*35. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. *Isa.*3. Corruet populus vir ad virum, propter quod necesse est vt erigatur & conuertatur. *Ephes.*5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. *Isa.*64. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Et subdit de verbis quibus poterunt impetrare propitiationem.

Tollite vobiscum verba]hoc est, verba quæ vobiscum sint, & pro vobis, & non contra vos. Hæc sunt verba supplicationis in oratione, veritatis in prædicatione, veræ confessionis coram Sacerdotibus, iubilationis in laude. *Matth.*12. Ex verbis tuis iustificaberis & ex verbis tuis condemnaberis. *Eccli.*45. In verbis suis monstra placauit. Hæc autem verba, corde, ore, & opere pronuntianda sunt. *Ephes.*5. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est [& conuertimini ad Dominum]verbis scilicet & operibus. *Thren. vltimo.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. *Iere.*15. Si conuerteris, conuertam te[& dicite ei] verbis deuotionis scilicet *Gen.*18. Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis [omnem aufer iniquitatem] vt nihil scilicet peccati remaneat, ne mali seminis pullulent rediuiua plantaria. *Michee* 7. Quis Deus similis tui qui aufers iniquitatem & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? delendo enim transit ac si non videat. 2.*Paralip.vltimo in oratione Manasses.* Remitte mihi, remitte mihi, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reserues mala mihi. *Psal.* 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele[& accipe bonum]*Hieronymus.* Te auferente malum poterimus offerre bonum. Et est sensus, accepta bonum quod offerre possumus, & hoc est spiritus contribulatus. *Dan.*3. In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur [& reddemus vitulos labiorum nostrorum] *Septuaginta.* Fructum labiorum nostrorum, in gratiarum scilicet actione, quæ vitulis comparatur, eo quod mixta est saltibus gaudiorum, teneritudo consolationum. *Luc.* 15. Occidit pater vitulum saginatum, & labori seges virtutum. *Hebr.vltimo.* Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. *Psalm.*68. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo super vitulum nouellum. Item *Psalm.*50. Tunc imponent super altare tuum vitulos. 1.*Reg.*1. Anna adduxit Samuelem in templum in vitulis tribus, hoc est, hilaritate orationis, laudis, & gratiarum actionis. Et quia ad falsa auxilia aliquando confugerant, illa abdicat subdens [Assur non saluabit nos]hoc est, confidentiam in auxilio Assyriorum non habebimus, sed in te solo. Assur autem, id est altus sensus, signat superbiam, in qua non est confidendum. *Tobia* 4. Superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo nunquam dominari permittas; quia in ipsa initium sumpsit omnis perditio[super equum non ascendemus]hoc est, in Ægyptiorum auxilio qui equis abundant, spem non ponemus. Equus autem signat luxuriam, quæ abdicanda est. *Isa.*31, Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam. *Exod.*15. Equum & ascensorem proiecit in mare[nec dicemus vltra] per idololatriam[dij nostri opera manuum nostrarum]*Osee* 2. Auferam nomina Baalim de ore eius. Moraliter autem opera manuum suarum adorat, cui placent opera sua & sufficientia esse putat. *Isa.*2. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Quod detestatur *Iob* 31. Si osculatus sum manum meam, & lætatum est cor meum in abscondito. Et subdit de sufficientia propitiationis in Deo[quia eius qui in te est]hoc est, fide, spe, & charitate in te maner [misereberis pupilli] *Septuaginta* Populi, Pupillus fuit populus in peccato Deo patre destitutus. *Thren.vlt.* Pupilli facti sumus absque patre. Pupillus est pœnitens à patre diabolo relictus, & matre concupiscentia. *Psal.*26, Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me. *Glossa* adducit illud *Psalm.*9. Tibi derelictus est pauper, orphano, pupillo tu eris adiutor. De mansione in Deo dicitur *Ioan.*15. Manete in dilectione mea.

Operibus non arrogantes fidendum.

Sanabo contritiones]Tangit hic benignitatem recipientis Domini in duobus, in affectu scilicet & effectu. De affectu dicit [Sanabo contritiones eorum]Bonum naturale conteritur per peccatum, sicut bonum corporis conteritur per pœnas. Sanatur autem quando per gratiam reparatur. *Iere.* 17. Sana me Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero. *Psal.*146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Qualiter autem ista sanitas perficiatur, subdit [Diligam eos spontanee] Spontaneum est quod totum in libertate voluntatis consistit & nulla coactione compellitur, nullo pretio emitur, nullo obsequio præuenitur, & talis est dilectio Dei in nobis. 1. *Ioan.*4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. *Rom.*5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Talem etiam charitatem diligit in nobis. *Iudic.*5. Cor meum diligit principes Israël. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini benedicite Domino[quia auersus est furor meus ab eis] hoc est, causa furoris per pœnitentiam. *Mich. vltimo.* Non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. *Exod.*32. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod loquutus fuerat aduersus populum suum. Et subdit de effectu.

Amor Dei spontaneus.

Gratiarum actio vitulis comparanda.

Ero quasi ros]ostendens primo, quoniam virtus germinatiua in ipso est, propter quod rori se comparat; quia ros fœcunditatem terræ nascentibus tribuit & confortationem. *Cant.* 5. Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. *Isa.*26, Ros lucis ros tuus; & terram gigantium detrahes in ruinam. *Eccl.*43. Ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum, Aquilonem scilicet *Isa* 45. Rorate cæli desuper [& Israël germinabit quasi lilium]illo scilicet, rore infusus. Lilium rectum, in toto stipite viride, multorum florum, in flore candens, in centro floris croceum,

Lilium elegantes describitur.

in folio floris repandum,odoriferum, tumentibus pulmonibus aptum.Rectitudo iustitiam signat,viriditas virorem fidei & virtutis, multitudo foliorum,complexionem virtutum . candor castitatem, croceum in centro carnis mortificationem, repandum ad se incuruatum per discussionem suispius. Vnde 3.*Reg*.7.dicitur, quod lilium sit repandum. *Psal*.91.Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. *Cant* 2. Sicut lilium inter spinas,sic amica mea inter filias.Odoriferum autem per famam bonæ opinionis. *Cant*.4. Qui pascuntur in liliis.Tumido pulmoni medicamentum,virtute castitatis & humilitatis. *Cant*.7. Venter tuus sicut acerius tritici,vallatus liliis. Et subdit de profectu.

Erumpet radix eius] in multas scilicet stirpes & germina virtutum scilicet & operationum. *Iob*. 29.Radix mea apertus est secus aquas, & ros morabitur in messione mea[vt Libani] qui mons calidus est, in quo mirabiliter emittunt radices. *Iere*.17.Erit quasi lignum quod transplantatur secus aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus, & erit folium eius viride . & in tempore siccitatis non erit solicitum,nec aliquando desinet facere fructum. Libanus autem candidatio interpretatur, quia omnia hæc debent esse in candore virtutis. *Thren*.4. Candidiores Nazaræi eius niue. Et subdit de pulchritudine honestatis,

Ibunt rami eius]hoc est, eundo dilatabuntur, in ramificationem scilicet virtutum, & meritorum,& multiplicationem fidelium. *Ezech*.36. Vos autem montes Israël ramos vestros extendite, vt germinetis, & fructum afferatis populo meo Israël.*Dan*.4 Rami eius pulcherrimi.*Eccli*.24.Rami mei honoris & gratiæ. Et subdit de pulchritudine.

Oliua doctrinam significat veritatis.

Et erit quasi oliua gloria eius] oliua ministra lucis est, & signat doctrinam veritatis. *Zacha*.4. Duæ oliuæ iuper candelabrum, vna à dextris lampadis,& alia à sinistris eius, hoc est, doctrina veritatis de æternis, & doctrina veritatis de temporalibus. Oliua etiam vnctiua est infirmitatis, & signat misericordiam quæ vngit infirmos. *Eccl*.9. Oleum de capite tuo non deficiat;quia misericordia à nobis deficere non debet.Etiam est cibi conditiua oliua.*Eccl* 24. Quasi oliua speciosa in campis,omnibus scilicet communis. Et subdit de suauitate opinionis,

Et odor eius vt Libani] qui est odor thuris in diffusione sanctitatis.*Cant*.4. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Sicut enim gloriatur in nitore conscientiæ apud Deum quod signatur per oleum; ita prouidet bona coram hominibus in odore bonæ famæ. 2. *Corinth*.2. Christi bonus odor sumus Deo in his qui pereunt, & in his qui salui fiunt. Et subdit de securitate quiescentium in tali regno.

Conuertentur]ad Dominum tota deuotione. 1,*Pet*.2.Conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum [sedentes]hoc est, quiescentes[in vmbra eius] protectionis. *Cant*.2. Sub vmbra illius quem desideraueram,sedi,& fructus eius dulcis gutturi meo.*Psalm*.56. In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Et subdit de edulio.

Viuent tritico]*Septuaginta*. Inebriabuntur tritico,literali scilicet, & verbi Dei & corporis Iesu Christi. *Psalm*. 147. Adipe frumenti satiat te. *Osea* 2.Terra exaudiet triticum, vinum,& oleum, & hæc exaudient Iezrahel.*Gen*.27. Frumento, & vino,& oleo stabiliui eum.

Et germinabunt quasi vinea] in fructum scilicet dulcissimum,Deum & hominem lætificantem, in spiritualibus scilicet consolationibus. *Eccl*.24. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Vinea enim iucunda est pampinis, hoc est, foliis, quæ verba signant ædificationis; super vicinas arbores repausat, quod signat congruentiam conformitatis & applicabilitatis ad homines. De pampino dicitur. *Osea* 10. Vitis frondosa Israël, De antibus dicitur 1.*Corinth*.10. Omnibus omnia factus sum, vt Christum lucrifacerem. Est etiam diffusa palmitibus in exemplis. *Psalm*.79. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. In amaritudine quoque constitutos lætificat, & defluentes deliciis tenet & sistit. Minimi floris est tamen odoriferi, ita quod dubitatur apud Philosophos, vtrum floreat, eo quod flos infixus viti non inuenitur, sed tanquam puluis circumpositus? quia in mundo in paucis floret, quamuis odorem virtutis longe latéque diffundat. *Cant*.2. Vineæ florentes odorem dederunt. In fructu autem gaudium & lætitiam generat.*Judic*.9.dixit vitis; Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?

Vinea pulchra significatio.

Memoriale eius]apud posteros scilicet in quorum recordatione semper sunt. *Eccl*. 44. Hi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt,sicut & nos memoriam Sanctorum habemus in laudibus.*Isai*.26. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ]Sicut vinum Libani]*Glossa Hieronymi*.Libanus apud Græcos & Hebræos mons dicitur & thus; hic autem pro thure ponitur, vnde vinum Libani gaudium spirituale est,thure deuotionis conditum. *Cant*.7. Dabo tibi vinum conditum, dignum dilecto meo ad potandum labiisque & dentibus eius ad ruminandum, *Eccl*.49. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij. In omni ore indulcorabitur quasi mel memoria eius. Et subdit de propitiatu.

Ephraim,quid mihi vltra idola]supple, opponis? Deum enim non debes eligere præter me, cum ego in omnibus sufficiam.1.*Corinth*.10. Quæ communicatio templo Dei cum idolis? 1.*Cor*.9. Et si sunt qui dicantur dij,siue in cælo,siue in terra,nobis tamen est vnus Deus pater, per quem omnia,& nos per ipsum.Indignum enim Deo est, quod aliud idolum secum colatur. Et subdit, quam paratus est in propitiatu[ego exaudiam] in oratione scilicet. *Iere*. 33. Clama ad me, & ego exaudiam te,& annuntiabo tibi grandia] & dirigam eum] in prosperis scilicet & omni rectitudine virtutis. *Psalm*.39. Statuit supra petram pedes meos,& direxit gressus meos. *Tobie* 4. Pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omni tempore consilia tua in ipso permaneant [Ego vt abietem virentem] potuam eum.*Isidorus*. Abies ab abeundo dicitur, quia in altissimum abit, & signat intentionem cælestium.*Philip*.3. Nostra conuersatio in cælis est. Virentem autem dicit propter virorem mentis semper recentem. *Iere*.17. Erit folium eius viride.Et subdit de multiplicatione fructus [ex me fructus tuus inuentus est] & propter hoc multi-

Abies.

plex

plex est, quia ex Deo est. *Ezech*. 47. Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius,

Sapiens.

Quis sapiens] Tangit hic Propheta inuitationem ad intelligentiam istorum sermonum [Quis sapiens] Sapiens proprie dicitur, qui sapore diuinorum & experimento diuinæ sapientiæ, virtutis, & bonitatis accepit notitiam. *Isa*. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, &c. [& intelliget ista] quæ scilicet, de Deo dicta sunt, & quis notat raritatem talium & commendabilitatem. *Psal*. 106. Quis sapiens & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini? *Prou*. 1. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit [intelligens & sciet hæc] *Gregorius*. Intellectum dat, dum de intellectis mentem illuminat. Vnde intellectus est illuminatio de Scripturis: ille enim hæc scire poterit & intus legere, hoc est, intelligere. *Psal*. 31. Intellectum tibi dabo; & instruam te. *Eccl*. 17. Disciplina intellectus repleuit illos. Creauit illis scientiam Spiritus, & sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit eis. Quid autem intelligant, subdit [quia rectæ viæ Domini] hoc est, mandata & iudicia ipsius. *Ezech*. 18. Nunquid via mea non est æqua? Et non magis viæ vestræ prauæ sunt? *Psal*. 18. Iustitiæ Domini rectæ [& iusti ambulabunt in eis] hoc est, proficient. *Isa*. 26. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum [præuaricatores vero] præuaricator est, vt dicitur *Galat*. 1. qui destruit ea quæ fecit. Sic qui ore dicunt & opere negant, præuaricatores sunt. 2. *Reg*. 23. Præuaricatores quasi spinæ euellentur [corruent in eis] vijs Domini scilicet, quod tamen non est ex vijs, sed ex prauitate pedis ambulantis, sicut equus cespitans plus cespitat in via plana quàm in aspera. *Glossa* adiudicit hoc,quod habetur *Luc*.2.Ecce hic positus est in ruinam,& in resurrectionem multorum in Israël.

D. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI RATISPONENSIS DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

IN IOELEM PROPHETAM *Enarratio.*

PROLOGVS.

Spiritus sanctus ostiarius est sacræ Scripturæ.

PERITE *mihi portas iustitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino. Phanuel aperiens Deus interpretatur, & signat Spiritum sanctum, qui ostiarius est, sicut dicitur* Ioan. 10. *Hic ostiarius aperit, qui nisi aperiat diuina virtute, nemo ad intelligendum & docendum diuina intrare poterit, eo quod consilium Dei scire nemo potest.* Roma. 11. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Isa. 40. *Quis adiuuit Spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi?* Ioël *autem interpretatur humilis descensus, quia prophetico Spiritu docet descendere ad humilitatem pœnitentiæ. Interpretatur etiam incipiens Deus, eo quod nihil præsumpsit incipere, cuius Deus non esset author.* Eccl. 18. *Cum consummauerit homo, tunc incipiet. Hic ergo, aperiente sibi ostium Spiritu sancto, spiritualia præcepta de pœnitentia docet.* 1. Corinth. 2. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur. Et per hanc portam ingressus ad veritatem & virtutem, confitetur Domino in laude & prædicatione veritatis & virtutis.* Roma. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et ideo secundus in ordine ponitur, vt populus qui secundum prædicationem* Oseæ *fornicatus est à Domino, per prædicatam pœnitentiam* Ioëlis *ad Dominum reuertatur.* Iere. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.*

Ioel interp. Propheta secundus est.

PROLOGI

PROLOGI DIVI HIERONYMI *in Ioëlem Prophetam explanatio.*

SANCTVS Ioel] Huic Prophetæ Hieronymus præmittit prologum & argumentum. In prologo quinque continentur. Ordo scilicet ad quos prophetat, & tempus prophetiæ, & qualiter accepit inspirationem, & qualiter audienda ait enuntiatio prophetica. Sanctum dicit, vt ad prophetandum sit idoneus. *Psalm.* 49. Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Ioel incipiens Deus dicitur, vt omne quod dicit, à Deo incipere credatur. *Rom.* 15. Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus [apud Hebræos] apud quos est primus fons doctrinæ fidei. *Prou.* 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide [post Oseam] hoc est, post librum Oseæ [ponitur] quia postquam fornicatus est populus, consequens est, vt per pœnitentiam reuertatur. Pœnitentia enim supponit peccatum esse factum. 2. *Paralip. vlt. in oratione Manasses.* Non posuisti pœnitentiam iustis qui tibi non peccauerunt. Et subdit de materia id, est, ad quos prophetat.

Et sicut ibi] hoc est, in Osea [sub nomine Ephraim] quod signat regnum decem tribuum [ad decem tribus confertur] hoc est, componitur [vaticinium] quæ scilicet decem tribus [vel Samaria] à metropoli [vel Israel à primo patre] sæpe memorantur] hoc est, nominantur [Sic in hunc Prophetam omne quod dicitur] sic ordinatur litera. Sic omne quod dicitur in hunc Prophetam ad eos scilicet. *Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. 2. *Cor.* 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Deus [principaliter ad tribum Iuda] hoc est, ad regnum Iuda, quod fuit super duas tribus [& ad Ierusalem] metropolim scilicet vbi sedes regni fuit [pertinere credendum est] principaliter dicit, quia literalis sensus ad duas tribus est. Tropologicus autem ad omnes extenditur [& nullam omnino] quoad sensum literalem [Israelis id est, decem tribuum in hoc libro *Iudis* [fieri mentionem] principaliter, supple. Et subdit de tempore.

Quo tempore Ioel prophetauit.

Tempora quoque quibus prophetauit] Ioel [eadem debemus accipere] secundum regulam Hebræorum, quod Prophetas in quorum titulis tempora & reges non ponuntur, intelligere debemus temporibus eorundem regum prophetasse, qui ponuntur in titulo immediatè præcedentis Prophetæ [quæ in Osea legimus] qui immediate istum præcedit. Et subdit de nominibus illorum [In diebus Oziæ] de quo 4. *Reg.* 15. [Ioathan] de quo *ibidem* [& Achas] de quo 4. *Reg.* 16. [& Ezechiæ] de quo 4. *Reg.* 17. & 18. [regum Iuda] Isti enim quatuor reges fuerunt duarum tribuum [In diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel [de quorum vtroque habetur 4. *Reg.* 13. Et subdit qualiter per inspirationem sermo Dei factus est ad ipsum.

Sermo Domini in se factus non est.

Porro factum esse sermonem Domini] sermo Domini in se factus non est. Dicit enim *Augustinus & Chrysostomus*, quod id, per quod omnia sunt facta, factum esse non potest, sequeretur enim quod esset factum per seipsum. Sunt autem omnia facta per verbum Dei. *Ioan.* 1. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil [ad meritum eius cui fit, refertur] vt scilicet connotatum verbi in Propheta factum esse credatur, hoc est, inspiratio verbi ad prophetandum [non] hoc est, non refertur factio [ad conditionem illius] scilicet sermonis [qui fieri] vel condi [dicitur] & hoc est quod factio quæ importatur per participium factus, non ponatur circa rem substantiui sui quod est sermo, sed in re accusatiui vel datiui, cum dicitur: Factus est ad Ioelem vel Ioeli: illi enim vel ad illum aliquid factum est quod est inspiratio. Et hoc probat, subdens [vt alibi legimus] in *Psal.* 117. [Dominus factus est mihi in salutem] Alia translatio, Saluatorem, vbi factio non ponitur circa rem accusatiui, Saluator enim factus non est; sed ponitur circa rem datiui, hoc est circa eum qui saluatur & cui salus datur. Et subdit de auditu enuntiationis propheticæ.

Auditus autem] quo scilicet audiuntur diuina [in Scripturis sanctis] quæ spiritualiter loquuntur [non est ille] exterior scilicet [qui in aure] exteriori [sonat] in aere, De illo enim dicitur *Isa.* 6. Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere [sed qui in corde percipitur] ad intellectum scilicet qui quasi locus est auditorum & vas [iuxta illud quod Dominus loquitur] *Matth.* 13. [Qui habet aures audiendi, audiat] interius percipiendo. Aliter enim dicitur; Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel me non intellexit. Dicit enim aures audiendi, eo quod via est ad auditum interiorem. *Apoc.* 3. Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Et hoc probat ex proprietate Græci sermonis, subdens [quod autem dicitur Hebraice haazenu, græce *ἐνωτίσασθε*, & latine sonat, auribus percipite] & arguit ex hoc subdens [propriè non aure] quæ via scilicet est, & non vas, vel locus [sed corde percipitur] Percipitur enim quod capitur; non enim capitur aliquid in quo est sicut in transitu; aure ergo non percipitur, quia non capitur. Subdit distinguens qui audiant & qui percipiant [qui senes sunt] mentis scilicet canicie, de qua *Sap.* 4. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata [& cælestes] sensu, scilicet & merito. *Philip.* 3. Nostra conuersatio in cælis est [audiunt spiritualiter] illi enim spiritum habent interius reuelantem. *Ioan.* 16. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem [qui autem habitant in terra] hoc est, in terreno corpore, quod ab auditu spirituali impedit animam. *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem [appellanturque terreni, auribus percipiunt] quasi ab alio loquente. *Ioan.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. Et subiungit documentum generale [vbicumque autem hæc duo verba] audite scilicet, & auribus percipite [coniuncta ponuntur] in Prophetis scilicet [non ad simplicem tantum verborum sonum referuntur, qui simplex sonus est in sensu literali [sed ad recon

reconditam quoque]ſpiritualem ſcilicet in literali [dictorum]hoc eſt, eorum quæ dicuntur [intelligentiam pertinent]hoc autem probat, ſubdens[in Geneſi,(quarto.) Lamech] qui à Cain deſcendit [Loquitur ad vxores ſuas Ada & Sella] primus enim biganiam introduxit [Audite verba mea vxores Lamech] & hoc refertur ad auditum interiorem [auribus percipite ſermones meos] quod refertur ad auditum exteriorem [quia occidi virum in vulnus meum] hoc eſt Cain , qui propter fratricidium profugus habitauit inter beſtias, quem Lamech ad feram proiiciens ſagittam occidit. Et quod dicitur,in vulnus meum , ſenſus eſt, hoc eſt,in vulnus à me inflictum [& inuenem in liuore meo] Dicitur enim quod Lamech cæcus à iuuene dirigebatur ad venationem , & quia Cain occidit vulnere ſagittæ , & hoc iuuenis non prohibuit,iratus in iuuenem , inſurrexit & liuentibus ictibus per arcum iuuenem occidit. Et hoc eſt quod dicitur in liuore meo]Et *Iſa.*1. Audite cæli] hoc eſt,cæleſtes,quorum eſt intus auditus [& auribus percipe terra] hoc eſt , terreni , qui tantum exterius audiunt.

Lamech primo biganiam inuexit.

ARGVMENTI DIVI HIEronymi in Ioëlem Prophetam, explanatio.

POST hunc prologum præmittit *Hieronymus* argumentum , in quo mentem aperit de contentis in prophetia. Accipiit autem iſtud de verbis *Hieronymi in prologo galeato*, Et ſicut tria continentur in prophetia , ita & tria in argumento ſcilicet,clades euertens pœnitentia , & ſanctificatio[Ioël Phatuel filius]hoc eſt , Propheta Prophetæ filius. *Pſal.*23. Hæc eſt generatio quærentium Dominum [deſcribit terram duarum tribuum]Iudæ ſcilicet,& Beniamin , quibus immixti erant Sacerdotes,& tribus leuitica[eruca] quæ eſt vermis oleribus adhærens , & viride & molle quod eſt in folio conſumens, ſed non tangens ſtipitem folij , vel venas quæ de ſtipite in viridi folij diſpergunturſ,eo quod ille duræ ſunt [brucho] hoc eſt,pullo locuſtæ , quando de ſemine primo egreditur , & nec ſaltum habet nec volatum. Sub quo etiam intelligitur attalagus , qui eſt bruchus aliquantulum grandiuſculus, quando ſcilicet , ſaltum parum habet , ſed non volatum [locuſta] quod idem quidem animal eſt, ſed perfectum.Vnde componitur à longo , & haſta ; eo quod retro longa crura habet per modum haſtæ quibus nititur & impingit ſe ad ſaltum;habet etiam alas,quibus vtitur ad volatum [rubigine] Rubigo dicitur ros incenſus ab aëre deſcendens , & viridia magis incendens,& primo ad minij colorem , poſtea autem in fuliginem conuertens,& hoc modo adhærentia erucæ nociua eſt,dura tamen dimittit. Bruchus autem impobilitatę , quia late & in diuerſis paſtum quærere non poteſt,id quod remanſit erucæ,totum medullitus exugit. Locuſta autem quæ altius volat,etiam ad arborum flores , fructus , & frondes extollitur,quæ erucæ & bracho ſuperfuerunt. Rubigo autem quæ cum rore omnia tegit, nihil relinquit ſi ſic in principio ſui à quadrupli-

Eruca.

Bruchus locuſta pullus.

Tetanſus.

Rubigo.

ci plaga [vaſtante conſumptam] deſcribit terram duarum tribuum. In ſecunda autem parte [&]id eſt,etiam [poſt euerſionem prioris populi] quæ euerſio facta eſt per plagas , vel per pœnitentiam quam in ſecundo deſcribit capitulo,ſupple,deſcribit etiam tertio capitulo [effuſum iri Spiritum ſanctum]in Dei præordinatione[ſuper ſeruos Dei & ancillas]Apoſtolos , ſcilicet & mulieres , quæ cum eis erant,ſicut dicitur *Actor.* 1. & hoc explanat,ſubdens[id eſt , ſuper centum viginti credentium nomina] Nomina dicuntur nominati inter credentes & perfecti, quod adaptat vlterius , ſubdens [&] id eſt , quia [fuerunt viri in cœnaculo montis Sion] Apoſtoli ſcilicet & Diſcipuli , centum viginti. *Act.* 1.Erat turba hominum fere centum viginti , cuius numeri ſubiungit myſterium [Qui]ſcilicet centum viginti [ab vno vſque ad quindecim]progreſſione ſcilicet continua[paulatim]vt ſcilicet quilibet numerus ſecundum ſe ſigillatim accipiatur [& per incrementa] vt ſcilicet ſequens numerus præcedenti ſemper adiungatur [ſurgentes] numeri [quindecim graduum numerum efficiunt]propter hoc quod progreſſio fiat in quindecim.Gradus autem quindecim in *Pſal.*119. Sunt qui dicuntur canticum graduum , eo quod ſignat profectus aſcendentis per gradus virtutum, & ſunt. Ad Dominum cum tribularer , incluſinè, vſque ad quatuordecim ſequentes continuè. Et hoc eſt quod ſequitur [qui] ſcilicet numerus [in Pſalterio myſticè continetur] Progreſſio autem continua vocatur numerus ab vno vſque ad quindecim numeratus,ita quod quilibet numerus contentus inter quindecim omnibus præcedentibus ſe continuo ſupponatur. Sic ſcilicet duo vni addita faciunt tria. Tria autem duobus & vni addita faciunt ſex. Quatuor autem tribus & duobus & vni addita,faciunt decem. Et hoc modo progrediendo vſquad quindecim ,ſurgit numerus centum vigntı,nec plus nec minus. Et hucvſque completum eſt argumentum mentem aperiens de omnibus quæ in prophetia continentur. Quod autem ſequitur , *Gloſſa* eſt de originali ſumpta , in quo oſtendit modum principij in prophetia , & quare in titulo reges non ponuntur , & qualiter ſibi nomen congruit & genus.

Pſalmi quindecim graduum.

Ex tribus generibus rhetorum]hoc eſt , rhetoricorum locorum [hæc ſumuntur principia] ſcilicet iſtius prophetiæ , quod explanans , ſubdit[&] idem[res ſunt argumentorum partes] quibus ſcilicet adnocans mentem admonens iudicis & aſſiſtentium, primo prœemialiter proponit [ex quibus ſolet omnis orator incipere] & enumerat locos illos[aut enim dociles] intribus ſcilicet & rationibus propoſitorum allegatis [aut benevolos] fauorabilitate cauſæ præpoſita [aut attentos]difficultate dicendorum oſtenſa [debet efficere]oratot ſcilicet. Et hoc adaptat iſti authori , ſubdens [Hic igitur Propheta]Ioël ſcilicet rectè ſecundum artem rhetoticam[à magnitudine] futuræ ſcilicet [cladis] ſuæ ſcilicet prophetiæ [ſumens initium] prophetandi ſcilicet. [eoſque qui audituri erant] prophetiam [volens ad pœnitentiam prouocare] *Iſa.*50.Dominus dedit mihi linguam eruditam , vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo [reddit attentos,*Iſa.*50. Dominus aperuit mihi aurem vt audiam eum quaſi magiſtrum. Per quid autem reddit attentos,ſubdit[admirans]hoc eſt, in admirationem ponens[futurum malum] quod ſcilicet

terræ

terræ & habitatoribus prophetat imminere. Et ſubdit intentionis ſuæ in hoc finem [vt conſiderantes]auditores ſcilicet [venturæ cladis aſperitatem]oculis,magis cordis quàm corporis[ocius arripierent pœnitentiam] territi ſcilicet de malo futuro.Et ſubiungit quare reges & tempora in titulo non ponuntur [In hoc Propheta idcirco , nec reges,nec tempora ſunt prænotata]in titulo ſcilicet[quia] ſecundum regulam Hebræorum [iiſdem temporibus ac regibus quibus Oſea] ſupple, prophetauit[prophetauit]& iſte,& ideo poſt Oſeã immediatè ordinatur. Et ſubdit de nominis congruentia[Ioel interpretatur incipiens,aut Domini deſcenſus] *Pſalmus in proverbiis.* Qui inter ſapientes eſt humilior,inter ſapientes eſt ſapientior, ſicut profundiores lacunæ , plures continent aquas. *Eccl.*3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*Luc.*14.Recumbe in nouiſſimo loco. Et ſubdit myſterium dicens [Tropologicè , hoc eſt] ſignificatum ſcilicet[quod qui oſtium , &] id eſt, [ſcientiam Dei]hoc eſt,ſcientiam de diuinis [habuerit apertam] hoc eſt , reuelatam quòd Phatuel huius Prophetæ pater interpretatur [rectè incipit prophetare] & hoc in præhabitis oſtenſum eſt. Deinde ſubdit de genere & ſepultura [*Ioel* de tribu Ruben natus]ſupple,fuit,& hoc competit,quia Ruben viſio interpretatur [& iſte de videntibus] hoc eſt,de Prophetis[vnus fuit]1.*Reg.*9.Qui nunc Propheta,olim dicebatur videns. Et ſubdit de patria[in agro]hoc eſt,villa agreſti [Bethoron]quod interpretatur domus magiſtri, vel domus aſcenſus humilium , quod etiam competit , quia ibi Spiritum ſanctum vt magiſtrum audiuit , & ibi ab humilitate idiotæ ad ſublimitatem prophetię aſcendit[vbi etiam]in agro ſcilicet Bethoron [in pace] ante captiuitatem & gladium,ſupple[mortuus eſt] *Pſalm.*75. In pace factus eſt locus eius [atque ſepulcus] *Iſa.* 11. Erit ſepulchrum eius gloriosum.

Parentes filijs ſuis annuntiet de magnalia.

non tam canitie corporis quam mentis , tales enim parulum habent auditum. *Sap.*4. Senectus venerabilis eſt , non diuturna nec numero annorum computata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Et horum (ſicut iam in præcedentibus dictum eſt) audire eſt[& auribus percipite] corporis ſcilicet [omnes habitatores terræ] horum enim audire exteriori audire eſt , quia ſpiritum loquentem ad aurem interiorem non habent. *Deut.* 32. Audite cæli quæ loquor,& audiat terra verba oris mei. Cæli,id eſt cæleſtes ſunt qui hic ſenes. Terra vero , id eſt terreſtres , qui hic habitatores terræ appellantur, *Iſa.*1.Audite cæli , & auribus percipe terra , quoniam Dominus loquutus eſt. Et ſubdit de raritate facti[Si factum eſt in diebus veſtris]præſentium ſcilicet[aut in diebus patrum veſtrorum] præteritorum ſcilicet , quorum extat memoria. Et ſicut dicit *Hieronymus* , patres vocat , patres, auos,proauos,& attauos,& ſubauos. *Deu.*12. Veniet tempus quale non fuit ex quo gentes eſſe cœperunt ſuper terram vſque ad tempus illud. *Matth.*24. Erit enim tunc tribulatio magna,qualis nunquam fuit ab initio mundi vſque modo,nec fiet. Et ſubiungit de deriuatione huius prophetiæ ad poſteros[ſuper hoc filiis veſtris narrate] *Gloſſa* , omni futuræ ſoboli. *Pſalm.*70. Donec annuntiem brachium tuum , generationi omni quæ ventura eſt [& filij veſtri]ſupple narrent [filiis ſuis] vt(ſicut dicit *Auguſtinus*) cum propagatione ſeminis fiat propagatio doctrinæ religionis [& filij eorum] narrent,ſupple[generationi alteræ]in ſucceſſiones perpetuas.*Deut.*32. Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi , maiores tuos & dicent tibi. Hoc ſignatur *Iſa.*6.vbi dicitur , quod Seraphin clamabant alter ad alterum.*Matt.*11. Qui præibant & qui ſequebantur , clamabant dicentes : Oſanna. Et hoc eſt quod dicitur *Eccl.*24. Enarrabo prophetiam vſque in longinquum. Et poſt paucą; Doctrinam quaſi prophetiam effundam , & relinquam illam quærentibus ſapientiam , & non deſinam in progenies eorum vſque in ęuum ſanctum.

Reſiduum erucæ] Hic incipit prophetia , & habet tres partes . In quarum prima per terrorem concutit corda ad pœnitentiam. In ſecunda docet pœnitentiam veram *infra* 2. *ibi* [Canite tuba] In tertia pœnitentibus vero Spiritus ſancti promittit abundantiam, & ſuper hoſtes victoriam *infra* 3.*ibi* [Quia ecce in diebus illis] Prima harum diuiditur in duas. Primo enim deſcribit pœnæ magnitudinem;& quia metaphoricè loquutus eſt ,ſecundo deſcribit metaphoræ explanationem *ibi* [Gens enim aſcendit] In primo duo paragraphi ſunt. Primo enim deſcribit futurum malum . Secundo, ex hoc excitat ad pœnitentiæ fletum [Reſiduum erucæ]ſcilicet quod eruca non comedit [comedit locuſta] *Iſa.* 14. Subter te ſternetur tinea , & operimentum tuum erunt vermes. *Eze.*10. Ecce ego inducam eas locuſtas in fines tuos,quę operiet ſuperficiem terræ ne quicquam eius appareat. Et poſt paucą:Corrodet omnia ligna quę germinant in agris. Et implebunt domus tuas , & ſeruorum tuorum , & omnium Ægyptiorum ; quantam non viderunt patres tui , & aui , ex quo orti ſunt ſuper terram,vſque in præſentem diem[Reſiduum locuſtæ comedit bruchus] *Pſal.*104. Venit locuſta & bruchus, cuius non erat numerus [& reſiduum

bruchi comedit rubigo] *Psal.* 77. Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. Ærugo & rubigo pro eodem hic sumuntur. *Iacob.* 5. Divitiæ vestræ æruginaverunt, & ærugo earum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Hæc quatuor exponens *Hieronymus* literaliter, dicit: Per erucam Assyrij, Chaldæi, & Babylonij significantur; qui decem tribus tempore Ezechiæ (4. *Reg.* 18.) & duas tribus cum tribu sacerdotali tempore Ioachim nepotis Iosiæ (4. *Reg.* 24.) captiuauerunt. Per locustam, Medi & Persæ signantur. Per bruchum, Macedones, & omnes Alexandri successores, maxime Antiochus, cognomento Epiphanes, qui more bruchi sedit in Iudæa, & omnes reliquias priorum regum deuoranit. Per rubiginem signantur Romani, qui penitus omnem Iudæam vastauerunt. Dicit etiam *Hieronymus*, quod Hebræi dicunt, quod ante captiuitatem his quatuor plagis ad literam Iudæa vastata fuerit. *Gregorius* explanat moraliter, sic dicens: Per erucam nota libidinem, quæ sicut eruca corruptæ naturæ adhæret. *Iob* 17. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus. Per locustam, inanem gloriam, quæ circumuolat & alta requirit. *Apoca.* 9. De fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent scorpiones terræ potestatem. Per bruchum, ingluuiem ventris, quæ quasi immobilis est, & immunda, & rodit quæcunque sunt viridia. *Isa.* 33. Congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, cum fossæ plenæ fuerint de eo. Per rubiginem iram, multi enim domant libidinem, sed inde eriguntur in superbiam, de superbia ruunt in ingluuiem, de nimia comestione & ebrietate in iram & furorem. *Prou.* 25. Aufer rubiginem de argento: & egredietur vas purissimum. Qui his perturbationibus obnoxiantur, lumen sapientiæ intueri non possunt. *Hieronymus* moraliter sic exponit: Per hæc quatuor significantur quatuor animi passiones, quæ si vltra modum dominantur, auferunt salutem animæ. Duæ harum sunt de præsenti, tristitia scilicet de præsenti aduersitate, gaudium de præsenti prosperitate. De tristitia dicitur 2. *Corinth.* 7. Tristitia seculi mortem operatur. De gaudio *Sap.* 14. Dum lætantur, insaniunt. Duæ vero sunt de futuro, timor scilicet de futuro malo, spes de futuro bono. De timore dicitur in *Psal.* 13. Trepidauerunt timore vbi non fuit timor. De spe *Sap.* 5. Spes impij quasi lanugo, quæ à vento tollitur. De his quatuor passionibus simul dicit *Philosophia ad Boetium*. Gaudia sperne, pelle timorem, nec dolor adsit, spemque fugato: nubila mens est vinctaque frænis, hæc vbi regnant. Adhuc *Gregorius* aliam ponit expositionem sic dicens: Ego reor erucam esse incipientem in animo passionem, quæ tarda est, & discurrere non potest. Vnde vult quod morosa cogitatio sit eruca. Locusta autem quæ auolat, & deuorat quicquid attingit, significat opus instabile. Bruchus autem qui insidet, consuetudinem significat. Rubigo vero, quæ omnia consumit, desperationem. Ex his excitat ad fletum subdens.

Expergiscimini ebrij] somno depressos vocat, qui delectatione peccati in obsequiis Dei immobiles facti sunt, quibus dicitur, *Iona* 1. Quid tu sopore oppresseris? Surge, inuoca Deum tuum. *Eph.* 5. Surge qui dormis, exurge à mortuis. *Rom.* 13. Hora est iam nos de somno surgere. Hos etiam vocat ebrios, quia peccato rationem habent ligatam, & maxime libidine. 1. *Re.* 1. Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. *Isa.* 28. Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim. His dicit, expergiscimini. 1. *Corinth.* 15. Euigilate iusti, & nolite peccare [& flere] sicut dicit *Ambrosius*: Lacrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri. *Psal.* 9. Lauabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis. *Iere.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte. *Thre.* 3. Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei [Et vlulate] Vlulatus proprie luporum est, quando infausta voce querulas & tristitiæ plenas voces emittunt, & hoc modo vlulare dicitur pœnitens, quando tales emittit voces. *Iere.* 6. Accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Quibus autem talem vlulatum indicat, subdit [omnes qui bibitis vinum] temporalis scilicet gaudij & delectationis [in dulcedine] hoc est, pro dulcedine, quibus scilicet bibendi causa dulcedo vel voluptas est, & non necessitas. *Prou.* 23. Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, & in nouissimo mordebit vt coluber. Et subiungit causam fletus & luctus, dicens] quoniam periit ab ore vestro] quia aut vini sapor perit ab ore, quando auferitur: aut os perit à vini sapore, quando senescit & infirmatur. *Psal.* 145. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Vlulatus pœnitentium est.

Gens enim] Hic explanat ea quæ metaphorice dixerat, & diuidit hæc pars in duas, in quarum prima explanat terribilitatem eorum quæ dixerat. In secunda ad pœnitentiam inuitat *ibi* [Sanctificate ieiunium] In prima harum tria sunt. Primum est ferocitas hostium. Secundum, defectus Sacerdotum *ibi* [Periit sacrificium] Tertium, luctus omnium *ibi* [Luxit humus] Dicit ergo [Gens enim] Gens dicitur quæ generatione corrupta nihil amplius habet. *Sap.* 12. Erat enim semen maledictum ab initio, & naturalis malitia ipsorum: quoniam mutari non poterat cogitatio illorum in perpetuum [ascendet] viribus scilicet tentationis & oppressionis. *Deut.* 28. Inimicus tuus erit in caput, & tu eris in caudam [super terram meam] per metonymiam terreni significantur per terram, super quos ascendit tribulatio. *Isa.* 23. Super humum populi mei, spinæ & vepres ascendent [fortis] hoc est, in fortitudine propria confidens. *Isa.* 19. Rex fortis dominabitur eorum [& innumerabilis] *Sap.* 4. Multigena impiorum multitudo non erit vtilis. *Eccle.* 1. Stultorum infinitus est numerus. Et subdens describit hostium ferocitatem.

Dentes eius] quibus scilicet scindunt pauperes [vt dentes leonis] Secundum naturales denes anteriores diuisibiles sunt, & significant maiores principes qui diuidunt omne quod bonum est in populo. *Prou.* 30. Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Leo autem ferocitatem significat, siue in hominibus, siue in dæmonibus. *Isa.* 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea [& molares eius vt catuli leonis] Incisores dentes mandant cibum molaribus conterendum. Vnde molares significant inferiores officiatos, vel dæmonum, vel hominum

Peccatum vbi, ibi est aeternum.

rum; quia omnia comminuunt. *Iob* 4. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. Catuli etiam leonis quia per se venari non possunt, quicquid à parentibus offertur, totum medullitus exangunt & corrodunt; sic & faciunt officiati inferiores. *Psal.* 57. Molas leonum confringet Dominus, Et subiungit de effectu.

Posuit vineam in desertum] *Isa.* 5. Vinea Domini Sabaoth domus Israël est. Vnde animæ fideles germinantes spiritualia gaudia, vineæ dicuntur, quas exterminant tyranni seculares per subtractionem temporalium; spirituales autem per spiritualiu omnimodam desolationem. *Psal.* 88. Diripuerunt eã omnes transeuntes viam. *Habac.* 3. Non erit germen in vineis. Ablatum est enim gaudium spirituale ab Ecclesia, & quod plus est, in desertum posuit, vt iterum non colatur. Vnde *Isa.* 7. dicitur: Vbi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas & in vepres erunt. In solicitudinem enim temporalium quæ per spinas, & in tenacitatem auaritiæ quæ per vepres intelligitur, omnia quæ in mundo sunt, conuersa sunt. Et subiungit de destructione dulcedinis virtutis [Et ficum meam decorticauit] Ficus stipitem virtutum significat, qui est charitas. *Iudic.* 9. Dixit ficus; Non possum deserere dulcedinem meam, qua vtuntur dij & homines, fructúsque dulcissimos. Ista decorticata est, quando corticem humilitatis amisit. 2. *Mach.* 3. Abstraxerunt pellem desuper carnes eorum [nudans] à gratuitis scilicet [spoliauit eam] à virtutibus, supple. *Luc.* 10. Qui etiam spoliauerunt eum [& proiecit] quasi vilem & inutilem in terram, vt scilicet terrena concupisceret, & in Deo nullam haberet partem. *Tiren.* 1. Deposita est vehementer non habens consolatorem [albi facti sunt rami eius] albi id est aridi, lignũ enim album arens albescit, & albedo destitutionem naturalis significat caloris. *Iob* 8. Ante omnes herbas arescit. Rami eius significant ramificatores virtutum in bona opera, qui aridi sunt quando fructum bonorum operum non ferunt. *Iere.* 17. Erit quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum. Ex omnibus his concludit propositum.

Plange] hoc est, ergo plange [quasi virgo accincta sacco] sactus accingitur propter pœnitentiæ asperitatem. *Iob* 16. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam, facies mea intumuit à fletu [super virum pubertatis suæ] quæ scilicet virginitatem amisit, & delicias pubertatis non retinuit. Sic duæ tribus cum idolis virginitatem amiserunt, & delicias quas speraueruntin idolis, non retinuerunt. *Prou.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et causam dicit planctus Sacerdotum.

Periit sacrificium] sacrificium est de aridis, vt de granis & farina [& libatio de domo Domini] supple, periit. De domo Domini autem dicitur, quia in domo Domini non offertur. Sacrificium autem aridum compunctionem spiritus significat. *Psal.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. *Danie.* 3. In animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Libamen autem quod à gustando dicitur, prægustationem significat æternorum gaudiorum. *Iere.* 2. Sacrificium & libamen Domino Deo nostro. Quæ duo videmus periisse ab Ecclesia [&] ideo, supple [luxerunt Sacerdotes] hoc est, sacræ dotes Dei, & sacra dantes. Causa autem luctus erat, quia non erat qui decimas vel primitias offerret in templum, quibus sustentarentur. 2. *Mach.* 3. Iam vero qui videret summi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. Facies enim & color immutatus declarabant internum animi dolorem. Dolent enim boni Sacerdotes, quod sacrificia spiritualia in templo Dei non offeruntur. Et subiungit quam irrationabile sit quod plorant [ministri Domini] Ministrorum enim Domini est lætari & exultare si non esset culpa in subiectis, vel in vita propria. *Isa.* 61. Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini, Ministri Dei nostri, dicetur vobis. 1. *Corin.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Horum enim lætari est. *Psal.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Et subiungit de planctu omnium dicens.

Sacerdotes lugeant diuini cultus neglectum, non suum damnum.

[Depopulata est regio] hoc est, populo inimico vastata, & hoc in Ecclesia est, quia populo diuino deliturum est. *Isa.* 1. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et explanat hanc causam per partes, triticum scilicet, & vinum, & oleum, & lignum pomiferum [luxit humus] *Glossa*, habitatores humi qui mercedem de humo sperabant. *Iere.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte [quoniam deuastatum est triticum] literaliter scilicet. *Isa.* 17. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit graniter. Triticum etiam est refectio verbi Dei, & refectio sacramenti, quæ vastata sunt, vel ita vt non sint, vel vt non digne sint. *Iudic.* 6. Sicut erant in herbis cuncta vastabant, nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël [confusum est vinum] & literaliter, & vinum etiam spiritualium gaudiorum. *Isa.* 5. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. *Isa.* 16. Vinum in torcular non calcabit qui calcare consueuerat [elanguit oleum] literaliter scilicet, & oleum pietatis quod ab Ecclesia deficit. De his dicitur *Deut.* 28. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis; quia locusta deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam; quoniam vastabitur vermibus. Olinas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo; quia defluent & peribunt. His autem ablatis, subdit de confusione laborantium.

Confusi sunt agricolæ] fructum laboris scilicet non inuenientes *Iacob.* 5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Agricolæ autem sunt Prælati & Prædicatores. 1. ad *Corinth.* 3. Dei agricultura estis. Hi confusi sunt quando in populo fructum debitum non inuenierunt *Iere* 14. Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua [vlulauerunt vinitores] fructum scilicet vini non inuenientes, eo quod destructa est vinea. *Psalm.* 88. Diripuerunt eam omnes transeuntes viam. Hoc autem spiritualiter est, quando cælestia gaudia non profert populus, sed amaritudines peccatorum, & secularium negotiorum. *Iere.* 2. Quomodo conuersa es in amaritudinem vinea aliena? Super quo sic confusi sunt, subdit [super frumento] scilicet ablato, quod est refectio hominum [& hordeo] ablato, quod est cibus iumentorum. *Isa.* 32. Accingite lumbos vestros super vbe-

Prælati sunt agricolæ.

ra, &

ra, & plangite super regione desiderabili, & super vinea fertili. *Is.* 15. Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Frumentum autem est refectio spiritualis, quæ clericis & religiosis proponenda est. Hordeum autem quod grossum & asperum est, grossam signat doctrinam corporalibus similitudinibus propositam, quæ laïcis exhibenda est sicut iumentis. In signum huius panibus hodeaceis pauit Dominus turbas *Ioan.* 6. Et cum laïca peteret panem delicatum, respondit Dominus: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus *Matth.* 15. Et subjungit de sterilitate in generali [quia periit messis agri] hoc est, omnis fructus bonorum operum. *Isa.* 16. Super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit, omnia scilicet auferentium. *Isa.* 17. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter. Et hoc ostendit per partes.

Vinea confusa est] & corporalis & spiritualis. *Habac.* 3. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Et hoc est quod sequitur [Et ficus elanguit] per peccatum scilicet, ne dulcem fructum virtutis proferre posset, *Luc.* 13. Ecce tres anni sunt quod venio quærens fructum in ficulnea, & non inuenio, succide ergo eam [malogranatum] supple, elanguit & literaliter & spiritualiter. Malogranatum significat collegiatas Ecclesias, in quibus multi sub vno recto viuunt, mundissimo panno albo inuoluti per votum castitatis, & vno cortice teguntur per obseruantiam regiminis, & immunitates priuilegiorum. Vnde tintinnabula aurea & mala punica præcepit Dominus affigi tunicæ summi Sacerdotis in inferiori ora *Exod.* 28. Vt tintinnabulum sonum doctrinæ daret, malum punicum de custodia subditorum moneret. Vnde *Cant.* 6. Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, vt inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala punica [& palma] supple, elanguit. Palma autem, quia ex multis crescit, & non ex vno, & crescit ex multis sibi inuicem implexis, Prælatos dignitatis superioris significat. *Hebr.* 5. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. Hæc palma rectitudine stipitis, rectitudinem vitæ signat; implexione multorum, signat connexionem virtutum: vnde spatulis erectis & viridibus, virorem & rectitudinem signat virtutis. Vnde *Leuit.* 23. præcepit Dominus vt tollant ramos ligni densatum frondium, spatulásque palmarum, & lætentur coram Domino Deo suo. Elatæ autem, in quibus pendet fructus dactilorum vtiles ministros significant, & officiatos dulcem fructum consolationis procurantes. *Cant.* 5. Comæ eius sicut elatæ palmarum. Sicut enim coma capiti, ita officiali adhærent Prælato. *Psal.* 91. Iustus vt palma florebit. *Iob.* 29. Dixi, In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies [& malum] arbor scilicet mala ferens, quæ salubris est in vmbra, pulcherrima in flore, & suauissima in fructu, & signat Ecclesiasticos viros in inferioribus dignitatibus constitutos, salubrem vmbram defensionis, florem honestatis & fructum operis multum exhibentes. *Cant.* 2. Sicut malus inter ligna sylparum, sic dilectus meus inter filias. Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Et subinfert generaliter de omnibus.

Eccl. sia est segistamalogranatis sibi similes

Prælati inferiores palmæ comparantur.

Et omnia ligna agri aruerunt] pomifera scilicet. *In epistola Iudæ.* Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Tales enim hodie sunt qui videntur in Ecclesiis. Ex omnibus his subinfert conclusionem intentam [quoniam confusum est gaudium à filiis hominum] hoc est, gaudij materia. *Prou.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Thren.* 4. Cecidit corona capitis nostri. Et præmittit: Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Et dicit: A filiis hominum qui rationales sunt. Gaudere enim in defectu boni bestialium hominum est, *Prou.* 1. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.

Accingite vos] Dicit quatuor, qui scilicet plangant, & qualiter, & qua de causa, & ad quem conuerti debeant [Accingite vos] armis scilicet pœnitentiæ, vt tentatori resistere valeatis. *Prou. vlt.* Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Lumbos quidem, ne in libidinem pœnitentem titillarent: brachium, vt virtutum operibus hostem prosterneret. *Ephe.* 6. Accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare [& plangite Sacerdotes] qui causam scilicet aliorum suscepistis. Vnde de Domino summo nostro Sacerdote dicitur *Hebra.* 5. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque cum clamore valido & lacrymis offerens, in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. *Iob.* 36. Facies mea inumuit à fletu, & palpebræ caligauerunt [vlulate ministri altaris] peccatoribus scilicet comparientes. *Iremi.* 3. Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus [Ingrediminini] in templum scilicet, vel in Ecclesiam per pœnitentiam. Extra Ecclesiam enim oratio non auditur. *Psal.* 99. Introite portas eius in confessione. *Gene.* 14. Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? [cubare in sacco] vt scilicet delicias in asperitatem conuertatis. *Iob* 16. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam [ministri Dei mei] illi enim magis tenentur, & facilius exaudiuntur. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Et subdit causam [quoniam interiit de domo Dei nostri] de templo scilicet, vel Ecclesia [sacrificium] de aridis scilicet [& libatio] de liquidis, supple. Sacrificium autem significat id quod est in contritione spiritus oblatum: libatio vero quod in dulcedine charitatis & deuotionis, quorum vtrunque defecit ab Ecclesia. *Danie.* 3. Non est in tempore hoc holocaustum, nec sacrificium, nec oblatio, nec incensum, nec locus primitiarum coram te. Et subdit qualiter plangendum sit.

Sacerdotii est orare pro alijs.

Sanctificate ieiunium] Ieiunium sanctificatur, quando à peccatis, homo mundatur, & oratione & eleemosyna confortatur: sanctum enim & mundum est, & forte, *Isa.* 58. Nonne hoc est maius ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, hoc est, peccata. De secundo *Tobia* 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere [vocate eorum] vt omnes scilicet simul clamente. Dicit enim *Augustinus*, quod impossibile est multorum preces non exaudiri. *Iacob.* 5. Multum valet oratio iusti assidua [congregate senes] canicie mentis scilicet, vt pro vobis intercedant. *Psal.* 49. Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum super sacrificia [& omnes habitatores terræ] hoc est, eos qui terrena dilexerunt, & modo pœnitent. *Psal.* 48. Quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. *Rom.* 5. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei [In domum Dei vestri] supple, congregate eos] vt ex venerationе loci citius exaudiamini. *Exod.* 3. Locus in quo stas, terra sancta est. 2. *Machab.* 3. Congregati gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset ventunus.

Sanctificate ieiunium.

Oratio multorum facilius exauditur.

Et clamate ad Dominum] vt intentio vocis magnitudinem doloris pœnitentium significet. *Iona* 3. Operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine. *Baruch* 3. Anima in angustiis & spiritus anxius clamat ad te Domine. Quid autem clament, subdit [Ah, ah, ah, diei] A hic non est litera, sed interiectio dolentis pro triplici vastitate, regni scilicet, sacerdotij, & populi, vel pro peccato omissionis, commissionis, & consuetudinis: vel pro peccato proprio, proximi, & incolatu miseriæ; vel pro tribus plagis, fame scilicet, peste, & gladio. *Iere.* 1. Ah, ah, ah, Domine Deus. *Iere.* 14. Ah, ah, ah, Domine Deus *Ezech.* 4. Ah, ah, ah, Domine Deus. *Septuagina.* Heu, heu, heu diei. Diei autem dicit, quia hæc visitationis diuinæ, peccata manifestantur ad pœnam. *Isa.* 63. Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Quia non timentur mala nisi sint propinqua: ideo subdit [quia prope est dies Domini] vltionis scilicet diuinæ. *Amos* 5. Dies Domini tenebræ & non lux. *Isa.* 22. Quid facietis in die visitationis Domini [& quasi vastitas veniet à potente] à potente dicit vt nullus valeat resistere. *Iob* 12. In die vltionis seruatur malus, & ad occisionem ducetur. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur; robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium reddere. *Psal.* 88. Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Et subdit de causa.

Beneficia ecclesiastica non sunt indignis conferenda.

Numquid non coram oculis vestris] conuincens eos proprio testimonio. Nunquid non coram oculis vestris, vobis scilicet testificantibus [alimenta perierunt] & supple, ex vestra culpa. Hoc maxime potest dici Prælatis nostris, qui videntes quod pabula [spiritualia perierit ex inutilitate personarum, tamen bonos non vocant ad præbendas, sed malos. *Habac.* 3. Arua non afferent cibum. *Isa.* 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis neque vestimentum [de domo Dei vestri] supple periit [lætitia & exultatio] hoc est, causa lætitiæ & exultationis propter hoc quod & temporalia & spiritualia ablata sunt. *Isa.* 14. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde, cessauit gandium tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Et hæc quidem de hominibus, & subdit de iumentis.

Computerunt iumenta in stercore suo] literaliter quidem, quia pascua non habentia iumenta, in stabulo, loco scilicet stercorum, contabuerunt, sicut etiam propter defectum spiritualis pabuli, iumenta, hoc est, laici, in stercore temporalium & vitiorum computrescunt. *Iere.* 4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora; demolita sunt horrea. *Septuagina*, dissipati sunt thesauri; propter quod patet quod demolita est conspicua penultima. Moliti enim ex insidiis est malum parare; demolitum autem esse, mola tribulationis ad minima confractum. Horrea autem ista grana Ecclesiæ reseruantia, animæ sunt Doctorum, de quibus dicitur in *Psal.* 143. Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud; quæ nunc demolita sunt, quia non est quod inueniatur in eis nisi vanitas, quæ per zizaniam significatur, cum tamen dicat Dominus *Malach.* 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea [dissipatæ sunt apothecæ] Apotheca dicitur reseruatorium alimentorum ad cibum sufficienter paratorum, quæ in Ecclesia nec temporaliter nec spiritualiter deesse deberet, aliter enim destituitur ministris domus Domini. Vnde Rebecca inuitans seruum Abrahæ, dixit: Paleanum & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum *Gene.* 24. *Gene.* 6. Tolles tecũ ex omnibus esculis quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quam illis in cibum. Et subiungit causam [quoniam confusum est triticum] confusum dicitur triticum, quando confusi sunt sperantes in tritico, eo quod in eo nihil inuenunt. *Thren.* 3. Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum & vinum: cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, hoc est, Ecclesiarum in quibus nutritæ sunt. Et ab eis quærit testimonium, subdens.

Quid ingemuit animal] alia translatio, cur, & animal dicitur, vel literaliter, vel animalis homo qui in thesauris Ecclesiæ non inuenit pabulum. Vnde translatio *Septuaginta*, Quid reponemus? *Iere.* 14. Gladio, & fame, & peste confundam eos [mugiebant greges armenti] simplices scilicet de populo: mugiendo enim petunt cibum, & non habent, nec datur eis, quia non est. 1. *Reg.* 6. Iuerunt vaccæ in directum per viam quæ ducit Bethsames, hoc est, ad domum solis per viam gradiebantur, pergentes & mugientes. Nullo autem respondente, ipsemet respondet [quia non est pascua eis] propter hoc scilicet & animal ingemuit, & greges mugiebant. Dicitur autem pascua pascuæ, & pascua pascuorum, quia hetteroclitum est. *Iere.* 14. Certa in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba [sed & greges pecorum disperierunt] fame scilicet consumpti, quia pastores pabulum non habebant. *Ezech.* 34. Disperti sunt greges nostri, eo quod non esset pastor qui pasceret eos. Propter hoc Petro dixit Christus. *Iona* 1. Pasce oues meas. Et ter dixit vt pasceret, verbo scilicet, & exemplo, & temporali subsidio. Et subdit ad quem debeant conuerti.

Ad te Domine clamabo] Nullus enim potest auxiliari nisi tu. 2. *Paralip.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus reddui, vt oculos dirigamus ad te. Et causam clamoris subiungit [quia ignis] hoc est, vastatio hostis [comedit spectola deserti] *Glossa*, plana camporum, aut prata, vel quælibet loca herbis virentia quæ pascua dabant iumentis. Et hic ignis ignem libidinis significat, qui comedit desertum à gratia, & omnem consumit viriditatis virorem. *Iob* 21. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina [& flamma] quæ lucens est, & malum opus significat in propatulo fudum [incendit omnia ligna regionis] eos scilicet qui in seculo videbantur virentes. *Iudic. vlt.* Dabit ignem, & vermes in carnes eorum; vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.

Sed & bestiæ agri] hoc est, agrestes, qui signant laicos

laicos[quasi area sitiens imbrem]supple, sanæ doctrinæ.& gratiæ.*Iere.*14. Maiores miserunt minores ad aquam,& venerunt ad hauriendum, & non inuenerunt aquam, reportauerunt vasa sua vacua,confusi sunt & afflicti [suspexerunt ad te]petentes scilicet gratiam,*Isa.*37. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. *Psalm.* 41. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus [quoniam exiccati sunt fontes aquarum]literalis sensus planus est. Spiritualiter autem fontes aquarum sunt Doctores Scripturarum, qui licet habeant officium, tamen doctrina non fluit ab eis, 3.*Reg.* 17. Post dies aliquantulos siccatus est torrens, non enim pluerat super terram [& ignis deuorauit speciosa deserti] ignis scilicet incentiuum vitiorum deuorauit viridia & speciosa eorum qui deserti sunt à gratia & cultura Sanctorum, & Angelorum. *Psalm.*49. Ignis in conspectu eius exardescet, & deuorabit in circuitu eius inimicos eius.

Doctores Ecclesiæ fontibus comparantur.

CAPVT II.

Canite tuba.

Hic vocat ad pœnitentiam. Et diuiditur in tria.Primo enim ponit terrorem hostium,vt concutiantur corda. Secundo docet pœnitentiæ modum pro impetranda venia *ibi* [Nunc ergo dicit Deus,conuertimini] Tertio respondet pœnitentibus verba consolatoria *ibi* [Zelatus est Dominus terram suam] In primo duo sunt,scilicet, propositio terroris, & conclusio ex hoc, quod magna & terribilis erit iudicij dies *ibi* [Magnus enim dies]In primo ex duodecim sumit terrorem, quæ per ordinem dicentur in litera. Dicit ergo, Ex quo tot mala ventura sunt per erucam, & bruchum,locustam,& rubiginem, ergo,supple[Canite tuba] vel prædicatores, vel Angeli vocantes ad iudicium, *Osee* 8. In gutture tuo sit tuba. *Isa.*58. Quasi tuba exalta vocem tuam[in Sion] vt scilicet in Sion congregentur ad plangendum. *Psalm.* 136. Sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.*Thren.*1.Viæ Sion lugent. In Ecclesia enim plangendum est, & extra Sion planctus non exauditur[Vlulate in monte sancto meo]templo scilicet,pro amisso regno & sacerdotio.*Isa.*2.Dies Domini super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, *Thren, vlt.* Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo; sicut & in Ecclesia sublimitas speculationis, & altitudo sanctitatis disperierunt [conturbentur] ad pœnitentiam scilicet [omnes habitatores terræ] id est,terræ dilectores.2,*Cor.*7. Et si ad horam contristani, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. *Isa.* 24. Commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra, confractione confringetur terra. *Psalm.*59.Commouisti terram,& conturbasti eam; sana contritiones eius, quia commota est. *Isa.*24. Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ.Et subdit secundum paragraphum, in quo huius fletus dicit causam.

Iudicium Dei tripliciter exercetur.

Quia venit dies Domini] iudicij scilicet quod tripliciter exercetur,temporaliter scilicet, per hominem hostem : æternaliter in anima, in morte cuiuslibet,per hostem dæmonem : & vniuersaliter in die iudicij, per exercitum dæmonum & Angelorum.*Habac.*2. Veniens veniet & non tardabit. *Prou.*6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ[quia prope est]*Glossa*, non differtur. *Isa.*14. Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.*Iacob.* 5. Iudex ante ianuam assistit. Et describit mala diei [dies tenebrarum] priuans scilicet luce gaudij. *Iere.* 4. Aspexi cælos & non erat lux in eis, hoc est, qui in sublimitate cælesti ambulabant & in mundo fulgebant.[& caliginis] caligo dicitur obscuritas densa aëris, quæ fit ex puluere terrestri incenso per modum nubis eleuato,& significat fumum peccatorum qui tunc eleuatur ante iudicem.*Iob* 3. Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo & inuoluatur amaritudine. *Sap.*17. Vna catena tenebrarum omnes conclusi erant.*Exod.*10. Sint tenebræ tam densæ vt palpari queant. Dicitur etiam tenebrarum propter ignorantiam,quia præuideri non potest. *Iob* 3. Viro cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris. Caliginis autem dicitur, quia nescit homo quam sententiam reportabit.*Eccl* 9. Nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit[dies nubis] Nubes hic dicitur obscuritas irati iudicis, ex qua in peccatores tonitrua comminationum, grandines maledictionum, & fulgura sententiarum procedunt. *Sap.*5. Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tanquam habenæ curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient, & à petrosa ira plenæ mittentur grandines [& turbinis] Turbo hic dicitur sententia inuoluens, & rapiens, & in pœnam trahens.*Nahum* 1.Dominus in tempestate & turbine viæ eius.In tempestate,quantum ad iram. In turbine,quantum ad sententiæ inuolutionem. Et subdit qualiter omnes operiet [quasi mane expansum super montes]quod dicit, exponitur à *Hieronymo* sic:Radius matutinus citius tangit montes,& paulatim crescens etiam campos illustrat, & sic claritas iudicij Domini à sublimibus incipit. *Sap.*6. Potentes potenter tormenta patientur. Et sic vsque ad plana subditorum descendit. *Iere.*4. Vidi montes,& ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt.Alia expositio est, quod mane dicatur matutina nebula, quæ cacumina montium operit,& tenebris inuoluit. Sic enim tunc tenebris tristitiæ inuoluentur peccatores.*Osee* 5.Quasi rete expansum super Thabor.Vnde *Isa.* 13. Super montem caliginosum leuate signum. Mons caliginosus dicitur caligine oppressus. Et in tertio paragrapho subdit eorum quæ de die dixit explanationem.

Populus multus] exercitus scilicet Chaldæorum,vel dæmonum, vel etiam Angelorum bonorum,qui ministrabunt [in iudicio. *Habac.* 1. Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem,ambulantem super latitudinem terræ[& fortis]cui nullus resistat. *Habac.*1. Domine in iudicium posuisti eum,& fortem vt corriperes fundasti eum,hoc est, tu posuisti vt iudicium tuum per eum exerceres, & fortem fundasti eum vt peccatores per eum corriperes [similis ei non fuit à principio] in fortitudine scilicet. Ante Chaldæos enim & Assyrios nulla fuit similis fortitudo. Similiter dæmonum fortitudini nihil comparatur in inferioribus.*Iob* 41.Non est potestas super terram

Dæmonis magna est fortitudo.

ram quæ possit ei comparari,qui factus est vt nullum timeret. *Isa.*19. Tradam Ægyptum, hoc est, peccatores in manu dominorum crudelium; & rex fortis dominabitur eorum [& post eum non erit]non simpliciter [sed vsque in annos generationis]Medorum scilicet & Macedonum[& generationis] supple, Romanorum, per quos omnes dæmones significantur.*Matth.*12. Generatio mala & adultera.*Prou.*30.Generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Et in quarto paragrapho ostendit de effectu.

Ante faciem eius]hoc est,ante præsentiam eius iudicis scilicet & exercitus[ignis vorans]*Hieronymus.* Quia quicquid attigerit quasi vorax flamma consumit.*Psalm* 69. Ignis ante ipsum præcedet,& & inflammabit in circuitu inimicos eius.*Isa.*30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum [& post eum exurens flamma] Ribaldorum enim & nebulonum multitudo sequi consueuit, quæ quæque vilia tollit, quæ exercitus dimisit. *Isa* 33. Erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. *Matth.* 13. Colligite primum zizania per fasciculos ad comburendum. *Psalm.*105. Flamma combussit peccatores [quasi hortus voluptatis]scilicet in amœnitate viridium, pulchritudine florum,& vberiate fructuum [terra]supple,fuit disposita [coram eo] hoc est,antequam exercitus veniret, ita quod nullius rei indigentia fuit in terra. *Gen.*3. Vniuersa irrigabatur sicut paradisus.*Gen.*5. Emissiones tuæ paradisus. Hortus enim voluptatis paradisus est. Vnde *Gen.*2.secundum translationem *Septuaginta*,plantauerat Dominus Deus paradisum in Eden. Eden deliciæ interpretantur [& post eum] exercitum scilicet Chaldæorum, vel dæmonum [solitudo deserti]supple,est omnibus depopulatio. *Iere.* 4. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili. *Psalm.*106. Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.*Isa.*6. Terra relinquetur deserta,& longè faciet Dominus homines [neque est qui effugiat eum]iudicem scilicet & exercitum. *Amos* 1.Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam. Et subdit quintum paragraphum de fremitu.

Iudicium Dei nullus effugit.

Quasi aspectus equorum]supple, erit. *Prou.*19. Sicut fremitus leonis,ita & ira regis. *Iere.*8. A Dan audiuus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra.*Habac.*3. In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. Frendentes enim,& frementes, & Chaldæi, & dæmones irruunt in peccatores.*Isa.*4.Et frendet,& tenebit prædam;& amplexabitur,& non erit qui eruat[& quasi equites] supple, super veloces equos ascendentes [sic current] de loco scilicet ad locum, vt omnia capiant.*Habac.*1. Diffundentur equites eius. Equites namque eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Et subdit sextum paragraphum de tumultu quadrigarum portantium cibos,& arma.

Sicut sonitus quadrigarum] supple sonat, ita scilicet sonabunt [super capita montium] quia etiam altissimis & non visitatis locis operiet, nec locus est quem non capiant, vnde gloriam dicit. *Isa.*37. In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani. Hoc etiam competit diabolo, cuius quadriga est peccatum,cordis,oris, operis, & consuetudinis, quæ capita montium, hoc est, superborum ascendit. *Isa.* 5. Qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. De montibus autem dicitur *Iob* 28. Subuertit à radicibus montes[exilient]de loco suo,scilicet, ad locum motæ locustarum,vt dicit *Hieronymus*: Saliet quasi cervus claudus [sicut sonitus flammæ ignis] qui similis est tonitruo Quando enim ex re combusta vapor terrestris egreditur cum impetu,flammam percutit, & tumultum ad modum tonitrui facit; & ita in tumultu venit ille exercitus, siue hominum,siue dæmonum. *Isa.* 5. Sonabit super eum in die illa,sicut sonitus maris. *Eccl.*43. Vox tonitrui eius verberauit terram [deporantis stipulam] stipula dicuntur peccatores, quia apti sunt igni.*Isa.* 1.Erit fortitudo vestra, vt fauilla stipæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendentur vtrumque simul,& non erit qui extinguat. Et septimo subiungit de instructione ad bellum [vestur populus fortis]fortitudine scilicet virtus pro iure. *Sap.*2. Sit fortitudo nostra lex iustitiæ. Quod enim infirmum est inutile inuenitur [præparatus ad prælium] hoc est, omnibus armis & præparamentis instructus, sicut est ars bellica, & exercitium,& huiusmodi.*Iob* 39. Procul odorat bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus. 1,*Reg.*17.Hic vir bellator est ab adolescentia sua. Et subdit octauo paragrapho de cruciatu.

*Isa.*33.

A facie eius]hoc est, à præsentia eius [cruciabuntur populi] vnde de locustis, *Apoc.*9. dicitur. Cruciatus eorum vt cruciatus scorpij cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis [omnes vultus redigentur in ollam] Loquitur hoc ad modum locustarum,vt dicit *Hieronymus*; quæ quando elevantur, ituum in facies hominum; & dimordent vultum,faciem nigredinem inducunt, & si facies lepra combusta fit.*Isa.* 13. Facies combustæ vultus eorum. Quod spiritualiter dæmones in anima faciunt,imaginem Dei deformantes. *Thren.*4. Denigrata est super carbones facies eorum Et *ibidem*. Filij Sion inclyti,& amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli! Et subiungit nono de supern.

Imago Dei deformatur per peccatum.

Sicut fortes current] Fortes dicit, qui non lassantur.*Isa.*5. Ecce festinus velociter veniet,non est deficiens nec laborans in eo, neque dormitabit, neque dormiet.Dæmon enim semper discurrit ad nocendum, sicut & tyrannus [quasi viri bellatores]hoc est,scientes bellum & audaces [ascendent murum hoc est, munitiones spirituales & corporales.*Isa.* 22.Dies interfectionis & conculcationis, & fremitus à Domino Deo exercituum in valle visionis, cruciatus montium, & magnificus super montem. *Iere. vltimo.* Totum murum Ierusalem per circuitum destruxit tunctus exercitus Chaldæorum.Et subiungit decimo de ordine pugnantium.

Viri]milles scilicet [in viis suis gradientur]ordinate scilicet,vt quilibet locum suum custodiat ne exercitus laedi possit. *Iob* 21. Corpus suum quasi scuta fusilia contractum suum prementes vna vni coniungunt, & ne foramina quidem incedit per eas [Et non declinabunt à semitis suis] Semita dicuntur officia militum in exercitu scilicet vt sagittarius suum custodiat officium,

ficium, satelles suum, dux suum, & miles suum. *Iere.46.* Cum exercitu properabunt, & cum securibus venient ei [vnusquisque fratrem suum non coarctabit] impediendo scilicet, sed promouebit ad bellum, propter quod dicit *Matth. 12.* Et *Luca 11.* quod Satanas in Satanam non est diuisus, quia sicut hic dicit *Glossa*, in hoc se promouent, quod ad peccatum inducant. Et hoc est quod sequitur [Singuli in calle suo ambulabant] *Glossa*, proprium implentes officium, quæ officia non sunt nisi impugnationis & tentationis. Dicit *Hieronymus*, quod hæc etiam faciunt locustæ ordinate volando, & vias suas custodiendo. *Prou.30.* Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas. Propter quod dicitur *Cant.6.* Terribilis vt castrorum acies ordinata. Et subiungit vndecimo auiditatem ad prædam.

Dæmones communi conspiratione infidiantur hominibus.

Sed & per fenestras cadent] non expectantes scilicet ostij apertionem [& non demolientur] passiuè scilicet hoc est, demolitionem ex casu non sentient auiditate rapiendi. In spirituali autem impugnatione, fenestræ sunt apertiones sensuum. *Iere.9.* Intrauit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras [vrbem] supple, munitam [ingredientur] quasi sine obstaculo. *Iere.4.* Ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes, vniuersæ vrbes derelictæ sunt. Munimenta enim huiusmodi capit diabolus, quando etiam verticem rationis expugnat. *Eccl.9.* Est ciuitas parua, & pauci in ea viri; venit contra eam rex fortis, & obsedit eam [In muro current] ad murum scilicet dissipandum, qui murus significat munimenta sanctorum patrum & præceptorum. *Thren. 2.* Præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius [per fenestras intrabunt quasi fur] *Hieronymus.* Sicut fur intrans per fenestras solet occulte rapere; sic illi clausis ianuis non timore, sed præcipitati audacia, per fenestras auiditate diripiendi intrant. *Ioan.10.* Qui non intrat per ostium, sed qui ascendit aliunde, ille fur est & latro. Istum modum, vt dicit *Hieronymus*, etiam locustæ tenent, sicut dicitur *Exod.10.* Et subiungit duodecimo de multitudine qui scilicet terram mouet & cœlum claudit, ac si nube spississima obuolutum sit.

A facie eius] hoc est, à præsentia eius [contremuit terra] hoc est, terreni [moti sunt cœli] hoc est, cælestes, id est, Sancti. *Isa. 13.* Super hoc cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo. *Iere. 2.* Obstupescite cæli super hoc [sol & luna obtenebrati sunt] non luminis amissione, vt dicit *Hieronymus*, sed quando locustæ de loco ad locum transeunt, sua multitudine solent radios solis à terra excludere, & terram quasi nubes obumbrare, & ita vult quod tantus fuerit exercitus, quod puluis eleuatus, quasi nubes impedit solem & lunam lucere super terram. Vel, sol & luna tegitur, quando nulla claritas gaudij in maioribus vel minoribus inuenitur. *Isa.34.* Complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea. *Apoc.9.* Obscuratus est sol & aër, de fumo putei exierunt locustæ in terram [& stellæ retraxerunt splendorem suum] ex simili causa. Stellæ autem dicuntur singulares personæ claritatem sanctitatis in populo habentes, quæ splendorem hunc retraxerunt; vel tentatione diaboli, vel angustia hostis & tyranni. *Isa.13.* Stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. *Apoc.6.* Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cælo ceciderunt super terram. His omnibus adiungit adiutorium diuinum, quia etiam Deus cum inimicis pugnabit contra eos.

Et Dominus dabit vocem suam] præcepti scilicet comminationis & terroris. *Amos 1.* Dominus de Sion rugiet, & de Sion dabit vocem suam, *Psal.17.* Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. Terribilis enim vox est, quando præcipitur hosti quod impugnet; & miser peccator terretur, ne respicere audeat. Et hoc est quod sequitur [ante faciem exercitus sui] *Glossa*, dæmonum qui sunt castra Dei, quia etiam ei nolentes militant. *Iob 37.* Tonat Deus voce sua mirabiliter [quia multa sunt nimis castra eius] Dei scilicet ad subuertendos peccatores. *Sap.5.* Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Et *ibidem.* Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos [quia fortia] ex sententia diuina confortata. Et ideo dicuntur primis fortia, quia omnibus præualentia. *Luc.11.* Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. *Thren. 1.* Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus [& facientia verbum eius] hoc est, Domini: non enim sine obedientia etiam dæmones super homines habent potestatem, sicut patet *Iob 1. & 2. Psalm. 102.* Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute ad faciendum vocem sermonum eius. Ex omnibus his concludit [Magnus enim dies Domini] iudicij scilicet. Magnus autem dicitur virtute constringendi inimicos. *Nahum 1.* Dies magna & amara valde. Et hoc est quod sequitur [Et terribilis valde] propter sententiam condemnationis. *Hebr.12.* Ita terribile erat quod videbatur, quod Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus [& quis sustinebit eum? *Malach.3.* Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? de propriis scilicet meritis habens fiduciam.

Creatura omnis armatur ad vindictam peccatorum.

Nunc ergo dicit Dominus] Inuitat hic ad pœnitentiam, & dicit, duo, scilicet, quare, & qualiter conuertendi sint, & ad quem. Secundo, quam generaliter & quàm instanter sit petenda venia *ibi* [Canite tuba] In primo dicit tria. Primo & secundo adiungit causam, quare ad Deum conuertendi sint [Nunc ergo in toto corde vestro conuertimini] Conuertimini dicit, quia non vult mortem peccatoris. *Eccl.12.* Altissimus odio habet peccatores. Et misericors est pœnitentibus. *Ezech.33.* Quare morieremini domus Israël, quia nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat? [ad me] misericordem scilicet. *Iere.15.* Si conuertêris Israël ad me, conuertam te, ait Dominus. Peruersus est enim qui ad Dominum non est conuersus. *Ezech.3.* Ipsi conuertentur ad te & tu non conuerteris ad eos [In toto corde vestro] vt cor vestrum sit totum, idque quadrupliciter, scilicet, vt sit indiuisum, integrum, perfectum, & omnia sua intra se continens. Indiuisum ad Deum adunatum. *Osee 10.* Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Integrum in nulla parte per peccatum confractum. Et hoc intendit *Apostolus Philip. vlt.* Vt integer vester spiritus, & anima, & corpus seruetur. Perfectum perfectione charitatis & virtutis. *2. Machab.1.* Faciatis eius voluntatem corde

Conuersio peccatoris ad Deum fit ex toto corde.

magno

magno & animo volenti, omnia intra se habens, motum scilicet & sensum, & vitæ principium & totum ordinem corporis. *Matth. 22.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Corde autem dicit; vt de profundis visceribus fiat conuersio: profundissimum enim est cor. Vnde etiam in *Psalm. 129.* dicitur: De profundis clamaui. Quando ex profundis pœnitens non conuertitur inanis ac ficta reputatur pœnitentia. Cor etiam ex fortissima carne est, & multis neruis ligatum: in quo notatur, quod fortissime teneat conceptam conuersionem, & fortissimè sit alligatus Deo, quasi impossibilis ad separationem. De primo. *Eccl.21.* Cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit. De secundo. *Abac.20.* Alligatus spiritu vado in Ierusalem. *Isa. 8.* Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Vestro autem dicit, non alieno, sicut hi qui ore conuertuntur, & corda eorum vagantur circa diuersa. Vel vestro dicit, vt faciamus quod in nobis est. *Prou.23.* Præbe fili cor tuum mihi [in ieiunio] *Glossa*, vt in futuro satiremini. *Bernardus.* Non magnum est vt venter ieiunet vsque ad rugitum, qui sæpe repletus est vsque ad vomitum. *2. Cor.11.* In ieiuniis multis. Ieiunio enim mortificantur pestes corporis; vt dicit *Beda. Psalm.34.* Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio, & in ieiunio humiliani animam meam, hoc est, animalitatem meam. *Matth.17.* Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione. Vnde Niniuitæ ieiunio propitiationem inuenerunt. *Ione 3. & Leuit.16.* dicitur: Affligetis animas vestras ieiunio. Et illa dies vocabatur propitiationis, quia in ieiunio propitiatio Dei inueniebatur [& fletu] *Glossa*, vt in futuro rideatis. *Ioan.16.* Plorabitis & flebitis vos. *Matth.5.* Beati qui ingent. *Luc.6.* Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. *Thren.1.* Lacrymæ eius in maxillis eius [& in planctu] *Glossa*, vt in futuro consolemini. Planctus autem est compositum lamentum ex vocibus querulis, significantibus causas doloris. *Iere.6.* Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.

Ieiunium pœnitenti & vile est & necessarium.

Et scindite corda vestra] Scinditur quod violenter & difficulter separatur, & ita vult, quod violentiam faciamus nobis, vt cor separetur à delectabilibus peccatorum præteritorum. Et hoc est idem quod contritio cordis, quando scilicet, in minima scinditur cor, & vbique separatur à peccato. *Iere 4.* Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me. Venter cordis dicitur memoria peccatorum, quæ dolore plena debet esse & scissionibus, & cor debet esse turbatum in omni sensu vitæ. Vnde *Glossa.* Scindite, hoc est, aperite corda vestra per confessionem. Corda enim quasi vtres sunt plena peccatis, & nisi scissa fuerint, sponte rumpentur [& non vestimenta vestra] Mos Iudæorum erat tempore tristitiæ scindere vestimenta, & hoc hic interdicit, ne in exteriori apparatu tantum pœnitere videantur, quod hypocritarum est. *Matth.6.* Exterminant enim facies suas vt videantur hominibus ieiunantes. Quidam dicunt, quod vestimenta virtutum non sunt scindenda. *Eccl.9.* Omni tempore vestimenta tua sint candida. Et hæc expositio non est ad propositum. Et subdit ad quem conuertantur.

Et conuertimini] sic supple [ad Dominum Deum vestrum] ad Dominum remuneratorem scilicet, quia dives est. *Rom. 10.* Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui inuocant illum, Deum propitiatorem. *Mich.7.* Quis Deus similis tui qui aufers iniquitatem? Nostrum autem benefactorem. *Hebr.11.* Non confunditur Deus, vocari eorum Deus. Et subdit causam quare ad Dominum conuerti debeant.

Conuersi ad Deum, quia libes sc. i sua ab dabites.

Quia benignus] *Aristoteles in magnis moralibus* dicit, quod bonitas & benignitas non sunt virtutes, sed dispositiones ad virtutem: bonitas enim est cordis diffusio in omni placentia boni, benignitas autem est quando per ignem amoris bonum eius large fluit in alia. Vnde dicitur benignitas quasi bona igneitas. *Deut.4.* Deus noster ignis consumens est. *Rom.2.* An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Bonus enim & benignus est in seipso. Et subiungit qualis sit ad nos [& misericors est] effectu scilicet in miseriæ ablatione; statim enim auferit miseriam ab afflictis. *Iacob.2.* Superexaltat misericordia iudicium, & in ira non obliuiscitur misericordiæ. *Psalm.76.* Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas? *Habac.3.* In ira misericordiæ recordaberis [patiens] dissimulando scilicet peccata hominum, & expectando ad pœnitentiam. *Eccl.5.* Altissimus est patiens redditor. *Augustinus.* Quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest, qui tanto videt patientius, quanto sapientius? Nec dicitur patiens, quod passio cadat in ipsum; sed quod exhibet patientis effectum [& multæ misericordiæ] hoc est, multiplicis. Quæcumque enim peccata fiunt, dimittit, & non vno bono, sed multiplicibus exornat. *Isa.55.* Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. *Ione 4.* Scio quia tu Deus clemens & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et hoc est quod hic sequitur [& præstabilis super malitia] hoc est, facile præstans veniam super malitia præterita, ei qui verè est pœnitens. *Luca 7.* Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Mich.7.* Deponet omnes iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Iere.31.* Propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum non ero memor amplius.

Deus misericors est & patiens.

Et subdit de solicitudine tardæ conuersionis, & est ac si dicat illud *Isa.55.* Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Et illud *Eccles.5.* Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Si enim tardaueris & Deum quæsieris, quando longe est, quis scit si conuertatur, ab ira scilicet ad misericordiam? Licet enim verum sit quod dicitur *Ezech. 18.* quod quacumque die peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor; tamen valde incertum est, vtrum ei qui pœnitentiam differt vsque ad vltimam ætatem, vel infirmitatem, Deus gratiam gemendi dare velit. In tali enim casu dicit *Gregorius*, quod qui non vult cum peruerit, iustum est vt infligatur ei non posse cum voluerit. *Prou.1.* Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis quod timebatis aduenerit [& ignoscat Deus] hoc est, quis scit si ignoscere

Conuersio ad Deum per penitentiam est differenda.

ſcere velit,quia quamuis certum ſit,quod contrito ignoſcat, tamen incertum eſt, vtrum aliquis vere contritus ſit. *Eccl.* 7. Videbit quod corrigi non poſſit quem ille deſpexit.2.*Machab.*9.Orabat ſceleſtus dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus. Vnde *Gen.*4. Cain quidem obtulit, ſed Deus ad munera ſua non reſpexit.Et *Num.*16. Moyſes de quibuſdam dixit, Ne reſpicias ad ſacrificia eorum [& relinquat poſt ſe benedictionem] hoc eſt,Quis ſcit ſi Deus poſt tardationem pœnitentiæ relinquat benedictionem & non maledictionem.Indignus enim benedictione videtur, qui motioni diuinæ non ſtatim obtemperat. *Prou.*1. Tunc inuocabunt & non exaudiam,mane conſurgent & non inuenient me[ſacrificium & libamen Domino Deo noſtro] hoc eſt, Quis ſcit ſi talem dabit benedictionem, per quam efficiamur ſacrificium & libamen Domino Deo noſtro. Sacrificium per contribulatum cor, libamen autem per dulciſſimum guſtum virtutis. Quibuſdam enim dicit *Malach.*1. Non eſt mihi voluntas in vobis; & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. *Iob vlt.* Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos. Et poſt pauca dicit, quod non recipiet ſacrificium ab eis.

Canite tuba in Sion]Poſtquam dixit, qualiter pœnitendum eſt, ſubiungit de generalitate pœnitentium,& qualiter à deliciis abſtinendum ſit, & qualiter plangendum, & quid in planctu dicendum. Et iſta ſunt quæ hic dicuntur per ordinem [Canite tuba in Sion]accuſatiui caſus, hoc eſt,in Sionem,vocando ſcilicet vt ante Dominum plangant. In Sion enim ſiue in Eccleſia planctus auditur,& non extra. *Pſal.*86. Diligit Dominus portas Sion,ſuper omnia tabernacula Iacob[Sanctificate ieiunium]In præhabitis dictum eſt, quomodo ieiunium ſanctificatur confortatione & munditia. Et ibi dictum eſt, qualiter tuba canitur. *Ioel* 3. Prædicauerant ieiunium, & induti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem[Vocate cœtum] Cœtus hic vocatur congregatio maiorum, qui regebant populum, vt qui primi fuerunt in peccatis, primi etiam ſint in pœna. *Gen.*49. Congregamini filij Iſrael, congregamini & audite Iſrael patrem veſtrum[Congregate populum]non tam in vnum locum,quam in vnum cor,vnde *Gloſſa*, vt qui diſperſus erraui à Deo, congregatus in vnum Deo placeat. *Pſalm.*49. Congregate illi Sanctos eius. *Ambroſius ſuper* Luc.11,*ſuper illud*: Qui non colligit mecum,diſpergit. Opus Dei, congregare eſt: opus autem diaboli, diſpergere [Sanctificate Eccleſiam] vt merito ſanctitatis Eccleſiæ facilius impetretis. *Eccl.*24. In plenitudine Sanctorum detentio mea Et *ibidem.* In plenitudine ſancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur [coadunare ſenes]*Gloſſa*,non tam ætate quam ſapientia, quorum ſcilicet conſilio ſanctificationem ordinetis. Alia *Gloſſa*, Senes ætate iubentur adunari, vt ſaltem in extremo vitæ termino pœniteant. Maledicti enim ſunt quinec in extrema ſenectute reuertuntur.*Iſa.*65. Peccator centum annorum maledictus erit.2.*Paral.*16. de Aza dicitur, quod nec in infirmitate quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. Et poſt pauca dicitur, quòd mortuus eſt in vnguentis meretricis [Congregate parulos]vel ætate vel humilitate. *Matth.* 19.Sinite parulos venire ad me; talium eſt enim regnum cælorum [& ſugentes vbera] vt ſcilicet merito innocentium vobis parcatur, vel eos dicit ſugentes, qui in contemplatione ſugunt vbera ſapientiæ.*Gloſſa* inducit hoc 1.*Petri* 2. Quaſi modo geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis.Et illud *Pſal.*8. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem [Egrediatur ſponſus] Hic oſtendit, quod tempore pœnitentiæ abſtrahantur à deliciis etiam licitis, vt facilius gratia impetretur [Egrediatur ſponſus de cubili ſuo]cubile à cubando dicitur, eo quod in eo ad amplexus cubatur.1.*Corinth.*7. Qui habent vxores, tanquam non habentes ſint. 1.*Macha.*3. Omnis marit us ſumpſit lamentum, & quæ ſedebat in thoro maritali lugebat[& ſponſa de thalamo ſuo]deliciæ enim in triſtitiam conuertendæ ſunt. *Eccl.*3. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.2.*Machab.*3. Accinctæ mulieres ciliciis pectus per plateas conflueba nt, ſed & virgines quæ concluſæ erant procurrebant ad Oniam. Et ſubdit de Sacerdotibus ſupplicantibus pro populo. In neceſſitate enim recurrendum eſt ad patres,maxime ſpirituales.

Pœnitentibus etiam licita ſunt vitanda.

Inter veſtibulum & altare] Veſtibulum ante portam templi fuit, in quo Sacerdotes ſacris veſtibus induti ad altare accedebant, vel veſtibulum eſt porticus veſtiens mutum, vt dicit *Hieronymus.* Altare autem duplex erat, altare interius quod erat altare incenſi, & aliud extra templum quod erat altare holocauſtorum, & inter interius & exterius iacebant Sacerdotes deprecantes pro populo[miniſtri Domini] inferiores ſcilicet leuitæ, horum enim eſt pro populo deprecari, quia ſuſcipiunt curam populi. Vnde *Sap.*18. dicitur, quod properans homo ſine querela, Sacerdos ſcilicet ſummus deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati:propter quod etiam quidam Sacerdotes & miniſtri reprehenduntur *Ezech.* 13. Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael. De bonis autem è contrario dicitur 2.*Machab.*15.Hic eſt fratrum amator, hic eſt qui multum orat pro populo & pro ciuitate ſancta Ieruſalem. Quid autem orantes dicant,ſubdit.

Interceſſio ſacerdotii neceſſitatis tempore eſt requirida.

Et dicent, Parce Domine] fragilitati ſcilicet peccantium[& parce populo tuo] hoc eſt, deuotioni pœnitentium qui iam populus tuus ſunt, *Hieronymus* tamen allegoricè expaneus hunc locum, dicit, quod altare eſt crux, in quo Chriſtus obtulit ſeipſum:veſtibulum autem reſurrectio,qua reſurgens indutus eſt lumine ſicut veſtimento. Et inter hæc duo plorandum eſt, vt ſcilicet per mortem noſtrum deſtruat peccatum, & per reſurrectionem induat nos iuſtitia ſicut lumine. *Rom.*8. Mortuus eſt propter noſtra delicta, & reſurrexit propter noſtram iuſtificationem. *Exod.*32. Quieſcat ira tua & eſto placabilis ſuper malitia populi tui [& ne des hæreditatem tuam in opprobrium] hæreditas ab hærendo dicitur, quia immobiliter ex iure adhæret poſſeſſori. *Iſa.*19. Hæreditas mea Iſrael. In opprobrium autem datur, quando ab inimicis, vel dæmonibus opprobium patitur. *Pſal.* 43.Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt.Ita dico,ne des in opprobrium[vt dominentur eis nationes] Nationes dominantur quando

quando nationum mores dominantur, vt ſcilicet Sanctus gentiles mores aſſumat. *Thren.vlt.* Serui dominati ſunt noſtri, non fuit qui redimeret de manu eorum. Oſtendit etiam viterius blaſphemiam quæ conſurgit in Deum [Quare dicunt in populis,vbi eſt Deus eorum?]*Pſal.* 3. Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

Zelatus eſt Dominus] Hic tangitur conſolatio pœnitentium,primo iii temporalibus, ſecundo in ſpiritualibus *ibi*[Et erit poſt hoc, effundam]Tertio,in victione inimicorum *ibi* [Quia ecce in diebus illis] In primo duo ſunt, ſcilicet gratia, ad quam recipiuntur pœnitentes, & reſtitutio in præterito perditorum vt efficiantur abundantes *ibi*[Et reddam vobis domos] In prima duo ſunt, pœnitentium receptio, & receptorum in bonis omnibus fructificatio *ibi* [Noli timere terra] In prima adhuc tria ſunt, ſcilicet mouens ad reconciliationem, receptio reconciliatorum, & ablatio inimicorum reconciliationem impedientium.

Zelatus eſt Dominus terram ſuam] per metonymiam,hoc eſt, homines terræ ſuæ; huius enim meritum noſtrum non fuit cauſa, ſed zelus diuini amoris. *Iſa.* 9. Zelus Domini exercituum faciet hoc.*Pſal.*68.Zelus domus tuæ comedit me.*Iſa.*59. Opertus eſt quaſi pallio zeli.] Sicut ad vindictam quaſi ad retributionem indignationis. Et eſt idem quod dicitur *Oſee vlt.* Diligam eos ſponta nè, quoniam auertis eſt furor meus ab eis. Et hoc eſt quod ſequitur[& pepercit populo ſuo]hoc eſt,indulſit peccatum. *Luc.* 1. In terra pax hominibus bonæ voluntatis.*Exod.*32.Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Parcit autem dupliciter,ſcilicet,culpam dimittendo, & tratam pœnæ æternæ in pœnam temporalem commutando,& etiam pœnæ expiatiuæ magnam partem dimittendo, quia pœnas dignas pro peccatis nullus ſoluere poſſit.*Iob* 11. Intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quam meretur iniquitas tua.Ad quid autem recipiat,ſubdit.

Pœnam peccatis debitam nemo per ſe poteſt exoluere.

Et reſpondit Dominus] oranti ſcilicet populo & pœnitenti. Deſiderio enim Sanctorum reſpondet Dominus per gratiæ appoſitionem. *Pſal.*101. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ[Et dixit populo ſuo]*Pſal.*84. Loquetur pacem in lebem ſuam,& in eos qui conuertuntur ad cor.Et ſpecificat, ſubdens [Ecce ego mittam vobis frumentum] quod ſignificat ſtabilimentum virtutis[vinum] quod ſignat ſpirituale gaudium[& oleum] quod miniſtrat lumen veritatis in intellectu, & condimentum pinguedinis deuotionis in affectu, & vnctionem ſuauitatis in conſcientia. *Gen.*27. Frumento,vino,& oleo ſtabiliui eum [& replebimini in eis]frumento ſcilicet,vino,& oleo,ita quod diuiſim referatur ad hæc omnia. Repletio autem ſaturitatem prementem ſonat,ita quod inducit nauſeam & vomitum, quod in bonis accipitur in eructatione verborum,& maxime in productione operum. *Ierem.* 31.Populus meus adimplebitur bonis. *Pſalm.*89. Repleti ſumus mane miſericordia tua, & exultauimus & delectati ſumus. Et ſubdit de ablatione malorum, primo in communi, & poſtea in ſpeciali.

Et non dabo vos vltra opprobrium in Gentibus]Eſt reſponſio ad id quod ante dictum eſt, ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Iniqui enim dominatores & captiuatores multa Sanctis inferunt opprobria. *Pſal.*43.Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt. *Iſa.*4. Aufer opprobrium noſtrum, Hoc enim Dominus aufert, quando aufert dominium inimicorum. *Pſalm,* 118. Auferà me opprobrium & contemptum; quia teſtimonia tua exquiſiui. Et hic habetur, quod etiam dæmones faciunt opprobria conſentientibus ſibi. Et in ſpeciali ſubdit [& eim] ſcilicet inimicum [qui ab Aquilone eſt]hoc eſt,ab Aſſyria & Chaldæa]procul faciam à vobis]hoc accidit quando ante Ieruſalem cum Sennacherib rege Aſſyriorum percuſſa ſunt centum octoginta quinque millia. *4.Reg.*20. & *Iſa.*37. Et dicitur quod incinerati fuerint igne infernali & inuiſibili.*Pſal.*90. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; tibi autem non appropinquabit. Et hoc eſt quod ſequitur.

Et expellam eum in terram inuiam & deſertam] Intelligitur de fuga regis qui fugit cum decem, & timens vias publicas tenere auſus non fuit,ſed latenter per deſerta & inuia fugit. *Iſa.*30. Erit terrore profugus, & reliquiæ ſaltus ligni eius præ paucitate numerabuntur. Qualiter autem expeller,ſubdit[faciem eius]hoc eſt,primam partem exercitus eius[contra mare orientale]ſupple, diffuſam expellam. Mare orientale, mare mortuum eſt, & fuit initium terræ promiſſionis ad Orientem. In qua parte prima pars exercitus diffuſa eſt [& extremum eius] hoc eſt, extremum exercitus diffuſum, ſupple [ad mare nouiſſimum] ſupple etiam,inde expellam, vt tota ſcilicet terra tua ab hoſtibus liberetur. *Iſa.*52. Non adiicet vltra vt pertranſeat per te incircumciſus & immundus. *Mich.*5. Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici peribunt.*Deu.*32. Eliceet à facie inimicum tuum,dicéque,Conterere[& aſcendet fœtor eius & aſcendet putredo eius] Senſus eſt, Aſcendet fœtor ex putredine. Et hoc ad putredinem exercitus referri non poteſt literaliter, quia incineratus fuit, ſed refertur ad cadaver regis Aſſyriorum, quem interfecerunt filij ſui Nabuchodonoſor, quem filius eiectum de ſepulchro dedit vulturibus. *Iſa.*14. Tu proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis, ſicut ſanie polluta & obuoluta. Et quod exercitus vtique diffuſus ſit ad Orientem & Occidentem in terra promiſſionis, dicitur *Iſa.*8. Adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis, fortes & multas, regem Aſſyriorum & omnem gloriam eius; & aſcendet ſuper omnes riuos tuos, & ſuper omnes ripas tuas, & ibit per Iudam inundans, & tranſiens vſque ad collum venet.Subiungit autem cauſam quare ſic perciſſit hoſtem.

Nabuchodonoſor à filiis occiditur.

Quia ſuperbe egit]hoc eſt,quod ego permiſi & ordinaui fieri peccatoribus in pœnitentiam, ille perfecit in ſuperbia; vt ex hoc magnificaretur & dilataretur regnum eius. *Iſa.* 10. Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim:In fortitudine manus meæ ego feci, & in ſapientia intellexi,& abſtuli terminos populorum. Partem iſtius expoſitionis *Hieronymus* refert ad locuſtas dicens,quod ſicut factum eſt locuſtis,ita fiet Aſſyriis. Dicit etiam quod locuſtæ terram promiſſionis repleuerant à mari orientali vſque ad mare occiden

occidentale, sed ventum occidentalem suscitauit Dominus, qui flans versus Orientem partem exercitus locustarum orientalem proiecit in mare mortuum, & producens ventum orientalem, qui flans ad Occidentem aliam partem locustarum proiecit in mare magnum, & sic terra liberata est. Locustæ autem submersæ in litoribus maris iacentes putrefactæ, fœtore ex cadaueribus pestilentiam in hominibus & animalibus effecerunt. Et hoc dicit velle dicere Prophetam in loco isto. Spiritualiter autem hæc ad diabolum referuntur, qui ab Aquilone, plaga nebulosa & frigida, hoc est, habitatione peccatoris venit. *Iere.* 1. Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ, qui procul sit à nobis quando peccatum & vis dæmonis à nobis aufertur, ita quod etiam tentatio prouenit nobis ad profectum. *Rom.* 16. Dominus conteret Satan sub pedibus vestris velociter, expellitur in terram inuiam, hoc est, in peccatores, & desertam, quia peccatores inuij sunt Angelis, & deserti à cultura virtutis. *Matth.* 12. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa. Facies diaboli, vna ad Orientem est in his qui semper quærunt oriri in dignitatibus seculi *Isa.* 14. Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris: Facies alia in auaris ad Occidentem est, qui in fine suo auariores sunt quàm à principio. *Prou.* 30. Infernus & ignis nunquàm dicunt sufficit. Et quo plus ponitur in lignis, eo magis æstuat. *Isa.* 30. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Vtraque facies ad mare est, hoc est, ad seculi amaritudinem. Ambitio enim amara est, similiter & auaritia. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare fremens quod quiescere non potest. Vtriusque putredo in fœtore peccati & infamia ascendit & inficit. *Amos* 4. Afendere feci fœtorem castrorum vestrorum in nares vestras, & nõ redistis ad me, dicit Dominus. Post repressionem populi terræ tangit reconciliationem populi sui.

Auaritia ætatis accessu crescit.

Noli timere terra] & est responsio ad hoc quod dixit supra primo, Ignis comedit speciosa deserti, sed modo cõfortatur, quia virtutẽ accipiet germinandi. Noli timere, scilicet, mala præterita, quia indulta sunt. *Isa.* 40. Completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu eius duplicia pro omnibus peccatis suis [exulta & lætare] terra exultat, quando de intimis exiliens, viret, floret, & fructificat. Lætatur, quando hanc amœnitatem vbique dilatat, & literaliter & spiritualiter. *Isa.* 35. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & gaudens [quia magnificauit Dominus vt faceret] hoc est, magnificus Dominus magnifice & in magnis effluentiam suæ largitatis exhibuit, & ideo dicit vt faceret simpliciter, & non dicit hoc vel illud, quia hoc parum esset. *Psalm.* 125 Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus sicut lætantes. *Deut.* 32. Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera.

Nolite timere animalia regionis] Respondet ad hoc quod in principio dictum est: Quid ingemuit animal? Et ideo consolatur animalia & syluestria & domestica, & consolatur animalia, hoc est, animales homines [quia germinauerunt speciosa deserti] deserta dicuntur derelicta à cultu, vt ferant pastum animalibus: & speciosa deserti, sunt gramina in pastum animalium, quæ germinat desertum, *Ezech.* 37. Vos autem montes Israël ramos vestros expandite, & florete, & fructum facite populo meo Israël. Et hoc lignum significat fideles animas fructum virtutis producentes. *Iere.* 17. Erit tanquam lignum viride quod ad humorem mittit radices suas; & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum [Ficus & vinea dederunt virtutem suam] in germinando scilicet ficus in dulcedine virtutis, & vinea in iucunditate cælestis gaudij. *Cant.* 2. Vineæ florentes odorem dederunt, ficus protulit grossos suos.

Filiæ Sion] hoc est, totus populus ad Sion pertinens, secundum fidei speculationem. *Psal.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te [exultate] corpore [& lætamini] corde [in Domino Deo vestro] & non in aliquo alio bono. *Habac.* 3. Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. *Isa.* 64. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo [quia dedit vobis doctorem iustitiæ] cœtum scilicet Prophetarum, & maxime Christum, qui dicit *Isa.* 63. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. *Isa.* 30. Non faciet vltra auolare à te præceptorem tuum, & audies verba post tergum monẽtis. Hæc est via, ambulate in ea, nec declinetis ad dextram, nec ad sinistram. *Isa.* 48. Ego Deus tuus docens te vtilia, & gubernans in via qua ambulas [& descendere faciet] Dominus de cælesti scilicet beneficio [ad vos] hoc est, ad vtilitatem vestram [imbrem matutinum] ad fœcundanda semina [& serotinum] ad fructus maturandos [sicut in principio] antequam scilicet, terra corrumperetur per peccatum. *Thren. vlt.* Innoua dies nostros sicut à principio. Spiritualiter autem, imber matutinus est doctrina veteris testamenti, serotinus vero doctrina noui. *Osee* 6. Veniet vobis quasi imber matutinus & serotinus terræ. *Psal.* 67. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. *Deut.* 28. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt pluuiam tribuat terræ tuæ in tempore suo [& implebuntur areæ] hoc est, agri frumento] vel etiam animæ fidelium frumento gratiæ & virtutum [& torcularia] id est, studiosi, qui quasi in torculari se premunt quotidie [redundabunt vino] cælestis scilicet doctrinæ, & gaudij cælestis. Redundare autem est per doctrinam & exempla ad alios effluere. *Prou.* 3. Vt impleantur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt [& oleo] quod significat vnguentum deuotionis & illuminationem veritatis & condimentum saporis spiritualis. *Deut.* 28. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, & fructu terræ tuæ. 1. *Corin.* 9. Multiplicabit semen vestrum & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. *Osee* 2. Ego dedi ei frumentum, vinum & oleum & argentum multiplicaui ei & aurum.

Imber matutinus, doctrina est veteris test.

Et reddam vobis annos] Tangit hic restitutionem præteritorum [Reddam annos] hoc est, fructus annorum in præterito ablatorum. Et hoc est vehemens argumentum, quod bona ablata per peccatum, reuiuiscunt per pœnitentiam. *Gene.* 31. Ego damnum omne reddebam. Quicquid furto peribat, à me exigebas [quos comedit locusta] inanis gloria, scilicet, [bruchus] pigritia [rubigo] inuidia [& eruca] carnalis concupiscentia. *Hieron.*

Bona opera reuiuiscũt per pœnitentiam.

Per

Per quot annos famem sustinuisti, per tot annos iterum duplicabo fructus. *Iob vlt.* Addidit quoque Deus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia. Sic videmus in pœnitentibus, qui propter memoriam præteritorum peccatorum feruentiores sunt, & quotidie duplicant fructus operum. 2. *Corin.* 7. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed & defensionem, sed indignationem, sed desiderium, sed timorem, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. Ecce quomodo pro vno bono perdito, septem surrexerunt. Hæ sunt septem spicæ quæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formosæ *Gene.* 41. Sic dictum est *Rom.* 8. quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Et dicit Glossa, etiam peccatum, quia per peccatum feruentiores resurgunt pœnitentes [fortitudo mea magna] *Hieronymus* vult, quod hoc non referatur nisi ad erucam, dicit enim sic: Eruca vix mouetur & leui contactu conteritur, in quo fortitudo Dei magna & humana fragilitas demonstratur, sicut per scinifes in Ægypto *Exod.* 8. quæ tam paruæ sunt vt vix cernantur. Poterat quidem Deus cuncta diluuio operire, vel fulmine cremare; sed potentiam suam & nostram fragilitatem per huiusmodi ostendit. Si enim hæc tam parua sunt, homine fortiora, vnde gloriatur terra & cinis? [quam misi in vos] hoc est, contra vos, destruendos scilicet, hæc enim vim non habuissent ad nocendum, nisi à Deo missa essent. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. *Deut.* 28. Tradat te Dominus corruentem ante hostes nos [& comedetis vescentes] vescor ab esca & væ componitur; quia (sicut dicit *Augustinus*) non nisi pro væ necessitatis esca sumi debet. *Psal.* 21. Edent pauperes & saturabuntur. Pauperes dicuntur de necessitate famis deperditi sibi non sufficientes [& saturabimini] *Prou.* 13. Iustus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis. Hoc etiam spiritualiter intelligitur de esurientibus iustitiam. *Matth.* 5. Beati qui sitiunt & esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur [& laudabitis nomen Domini Dei vestri] in gratiarum actione scilicet. *Psal.* 21. Laudabunt Dominum qui requirunt eum. *Eccli.* 51. Laudabo nomen tuum assidue & collaudabo illud in confessione [qui fecit mirabilia vobiscum] resuscitando scilicet antiquum miraculum quo turbas pauit in deserto. *Exod.* 16. & 17. *Psal.* 110. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se [& non confundetur populus meus in sempiternum] Glossa, si permanserit incepto opere pœnitentiæ. *Isa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. *Psal.* 24. Vniuersi qui sustinent te, non confundentur.

Deus fortia prosternit per infirma.

Et scietis] per experimentum scilicet gratiæ [quia in medio Israël ego sum] sine personarum acceptione omnibus æqualiter paratus. *Ezech.* 43. Locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israël. *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit quem vos nescitis. *Luc.* 22. Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat [& ego Dominus Deus vester] supplex sum. *Psalm.* 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum [& non est amplius] supplex, præter me Deus. *Isa.* 45. Nunquid non ego Dominus, & non est vltra Deus absque me? Deus iustus & saluans non est præter me [& non confundetur populus meus in æternum] confusione scilicet præteriti peccati. *Isa.* 54. Confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscaris, & opprobrij nuditatis tuæ non recordaberis amplius.

Et erit post hæc] Tangit consolationem in bonorum spiritualium collatione, & tria dicit, in communi scilicet spiritus effusionem, spiritus ostensionem *ibi* [Dabo prodigia] & iudicij terrorem *ibi* [Sol conuertetur] In primo tria sunt, largitas scilicet spiritus effusi, generalitas, & distributio per effectus [Et erit] certitudinis significatiuum est. 1. *Regum* 9. Omne quod loquitur sine ambiguitate euenient [post hæc] ordinem notat veritatis ad figuram. 1. *Corint.* 15. Non prius quod spirituale est, sed prius quod animale [effundam] largitatem doni & muneris significat, & quod Spiritus qui prius fuit in Dei occultis, nunc ad exteriora diffunditur. *Tit.* 3. Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde. Effunditur autem Spiritus sicut aqua, scilicet, mundificans, refrigerans, reficiens, & rigans. Mundificans à sorde. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Refrigerans à concupiscentia. *Danie.* 13. Susanna voluit lauari in pomerio: æstus quippe erat. Voluit ergo lauari, hoc est, refrigerari ab æstu. Reficiens verbo Dei & sacramento altaris. *Psal.* 12. Super aquam refectionis educauit me, rigans interiori consolatione. *Eccli.* 24. Ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæ ductus exiui de paradiso. Dixi; Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Dorix medicamentum generationis interpretatur, aquæ ductus vero abundantiam fluxus significat. *Isa. vlt.* Ego declinabo super eam sicut fluuium pacis. *Ioan.* 7. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. *Eccli.* 24. Ego sapientia effudi flumina. Et attende quod cum impetu fluit Spiritus, quem impellit interior Spiritus. *Isa.* 59. Timebunt qui ab Occidente, nomen Domini; & qui ab Ortu solis, gloriam eius; cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit. Pietate enim charitatis violenter compellitur ad nos. Effusio autem notat in exterioribus manifestationem, vt scilicet non tantum in occulto Angelorum contineatur. *Prou.* 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

Spiritus fluit cum impetu.

Spiritum] qui principium vitæ est, & principium illuminationis, & principium operis; & sic operatur vitam in gratia, illuminationem in reuelatione, & virtutem in opere. De primo *Ioan.* 6. Spiritus est qui viuificat. De secundo 2. *Corinth.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris. Propter hoc dicitur Spiritus veritatis. *Ioan.* 16. Cum venerit ille Spiritus, docebit vos omnem veritatem. De principio operis, quod est virtus *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. 1. *Corin.* 12. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus. Et attende, quod non dicit, de Spiritu; quia quod ex parte est, imperfectum est. 1. *Corint.* 13. Tria sunt autem in quibus Spiritus datur perfecte, scilicet ad sanctificatoris inhabitationem, ad san-

Spiritus datur perfecte ad tria.

ctitatis demonstrationem. Primum facit Spiritus per seipsum, secundum per gratiam gratum facientem, tertium per gratiam gratis datam. De primo dicitur 4. *Reg.* 2. Requieuit Spiritus Eliæ super Eliseum. *Isa.* 11. Requiescet super eum Spiritus Domini. 1. *Corint.* 3. Nescitis quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus sancti. De secundo *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. *Act.* 10. In nationes Spiritus sancti gratia diffusa est. De tertio 2. *Mach.* 3. Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam. 1. *Corimb.* 12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Manifestatur enim Spiritus in gratiis gratis datis, quæ sunt sermo sapientiæ, sermo scientiæ, operatio miraculorum, & alia quæ in duodenario numero enumerat Apostolus 1. *Corin.* 12. Hæc tria significantur per tria quæ dedit Elias Eliseo 4. *Reg.* 2. duplicem scilicet Spiritum & pallium. Duplex enim Spiritus est ad inhabitandum, & gratum faciendum; pallium autem operimentum est gratiæ gratis datæ. Cui ad hæc tria datur Spiritus, sicut Ecclesiæ, datur Spiritus non partitus; cui autem ad vltimum tantum, portio Spiritus datur. Vnde his qui ad prophetiam acceperunt Spiritum (quæ est gratia gratis data) dicitur *Num.* 11. Tollam de Spiritu tuo, & dabo de septuaginta viris. Sanctis autem noui testamenti non partitus datur Spiritus. *Ioan.* 20. Insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum, & non de Spiritu sancto.

Spiritus sanctus datur nouis est, sanctis non partitus.

Meum] diuinum scilicet, qui vos ad me conuertet, & reducet. Ad hoc enim missus replet nos Spiritus (vt dicit *Dionysius*) vt conuertat nos ad congregantis Patris vnitatem qui dedit Spiritum. *Eccl.* 12. Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. *Isa.* 63. Spiritus sanctus ductor eius fuit. *Eccl.* 1. Lustrans vniuersa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor suum, Spiritum illius & flatum ad se trahet [super omnem carnem]. Caro secundum Philosophum sola susceptibilis est spiritus ad manifestã vitã. Plantæ enim viuunt vita occulta, vnde caro hic per sinecdochen ponitur pro homine, in quo homine omni modo manifestatur spiritus. Glossa inducit illud *Isa.* 40. Videbit omnis caro salutare Dei nostri. Et significat, quod sine distinctione personarum, Iudæi & Græci, omni carni datur Spiritus. *Act.* 10. Cecidit Spiritus super omnes qui audierunt verbum. Vnde tunc dixit Petrus: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. *Sap.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, hoc est, cælum. *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. *Psal.* 18. Nec est qui se abscondat à calore eius. Et subdit distributionem quantum ad omnes diuersitates hominum.

Prophetia.

Et prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ] Prophetia est (vt dicunt *Augustinus* & *Hieronymus*) doctrina de diuinis, quæ non nisi Spiritu Dei cognosci possunt. *Eccl.* 24. Doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam. *Sap.* 7. Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit. 1. *Corin.* 14 Potestis omnes per singulos prophetare; vt omnes discant, & omnes exhortentur. Filij & filiæ discernunt sexum, & sicut in veteri testamento prophetauerunt filiæ Debora, *Iudic.* 4. & 5. Holda prophetissa 4. *Reg.* 22. Iudith, Esther, & aliæ; ita in nouo testamento prophetauerunt filiæ, Beata Virgo, Elisabeth, Anna prophetissa, & sicut dicitur *Act.* 21. Filiæ Philippi, quæ in Antiochia prophetauerunt. In veteri autem testamento prophetauerunt filij, totus cuneus Prophetarum: & in nouo cœtus Apostolorum, & Agabus *Act.* 11. Et si obiiciatur illud *Matth.* 11. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Dicendum, quod prophetia sterit in Ioanne quantum ad nouæ gratiæ prædictionem, sed quantum ad doctrinam Spiritus nunquam stabit. *Eccl.* 24. Non desinam in progenies eorum vsque in æuum sanctum. Filij tamen perfectiorem natiuitatem in filiis Dei significant. *Ioan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Filiæ autem imperfectiorem & tamen fœcundam. *Isa.* 60. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Et subdit aliam differentiam ætatis scilicet.

Senes vestri somnia somniabunt] Senes dicuntur canicie mentis plusquam ætatis, de quibus dicitur *Iob* 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Hi somnia somniabant, non secundum quod somnium est passio dormientis, sed secundum quod somnium est oculorum & sensuum clausio ad exteriora, vt interius percipiatur reuelans Spiritus. *Can.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Psal.* 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Reuelatio autem somnium dicitur, quia sicut somnium aliquando visio intellectualis, & aliquando ostensio imaginum corporalium dicitur: ita Spiritus reuelat se quandoque in intellectuali, aliquando in imaginaria visione. Et sic duobus modis etiam docentur diuina, aliquando enim traduntur explicite. *Ioan.* 16. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Aliquando per figuras, sicut in parabolis *Matth.* 13. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Sic somniauit Iacob *Gen.* 28. scalam se videre, cuius cacumen cælos tangebat. Sic somniauit Daniel (*Dan.* 8.) in porta Vlai. Huiusmodi enim senes in tali somnio nihil somniant, nisi Deum, vt dicit *Chrysostomus* [& iuuenes vestri] qui adhuc scilicet, non habent perfectum sensum & intellectum [visiones videbunt] visiones visas à senioribus, videbunt per intellectum sibi expositas. *Isa.* 32. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt, & cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane. Hæc (vt dicit *Hieronymus*) expositio literalis est. Quidam tamen dicunt, quod iuuenes visiones videbunt; quia etiam iuuenes Spiritu Dei illuminabuntur. *Dan.* 13. Suscitauit Deus spiritum pueri iunioris. Et *Iere.* 1. Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Secundum primam expositionem tangitur ordinatio Ecclesiæ, qua iuuenes pacificè audiunt senes. *Prou.* 1. Vt detur paruulis astutia & adolescenti scientia & intellectus. Et tollitur confusio prioris populi, de qua *Isa.* 3. Tumultuabitur puer contra senem & ignobilis contra nobilem. *Osee* 4. Populus tuus sicut hi qui contradicunt Sacerdoti. Quare (*Iob* 16.) suscitatur falsiloquus contra faciem meam, contradicens mihi?

Iuuenes pacificè audiunt senes.

Sed & super seruos meos] serui sunt humiles, præcepta Dei custodientes. *Psal.* 115. O domine, quia ego seruus tuus [& ancillas meas] quæ significant

ficant animas infirmas & humiles in obsequiis Dei circumferentes se & in alio seruire nescientes, nisi quod in humilitate seruiant Domino. *Luc.* 1. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. 1. *Reg.* 25. Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Et super tales effundit Dominus Spiritum suum [in diebus illis] lucentis scilicet gratiæ [effundam Spiritum meum] Iacob. 4. Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Et subdit de signis talis distributionis Spiritus.

Et dabo prodigia in cælo] In cælo dedit prodigia in nouo testamento. *Matth.* 27. Sol obscuratus est. *Isa.* 13. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Ista enim sunt prodigia in cælo [& in terra] dabo prodigia, quæ quidem facta sunt in veteri testamento, quando Elias mortuum suscitauit 3. *Reg.* 17. Et Eliseus alium 4. *Reg.* 4. [sanguinem, & ignem, & vaporem fumi] In veteri testamento sanguinem in holocaustis & victimis pacificis, & sanguine vitulæ rufæ; ignem autem in incendio sacrificiorum; vaporem fumi in odoramento thimiamatis: in nouo autem testamento sanguinem qui fluxit de latere Saluatoris *Ioan.* 19. Ignem, quo Spiritus sanctus insedit super Apostolos *Actor.* 2. Vaporem fumi, qui est in deuotione cordium fumantium in oratione: de quo 3. *Reg.* 18. Deus qui exaudit per ignem, ipse sit Deus. 2. *Machab.* 1. Tempus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo, ascensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. *Act.* 2. Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis; sedisque super singulos eorum Spiritus sanctus. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? De tertio *Cant.* 3. Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Qualiter autem hoc fiat, subdit.

Sol conuertetur in tenebras] quod in veteri testamento non legitur esse factum, sed in nouo testamento *Ioan.* 19. Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram: cum scilicet Christus sol iustitiæ exanimis & exanguis pependit in cruce. *Apoc.* 6. Sol factus est niger sicut saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis [& luna in sanguinem] luna, qui mutuat lumen à sola Ecclesiam signat sanguine Christi rubricatam; sol enim vestit lunam lumine suo, & quando lumen solis sanguineum est, necesse est lunam sanguineam esse, ita & Christo (qui sol est iustitiæ) in passione rubricato. *Isa.* 63. Quare rubrum est indumentum tuum? Ecclesia etiam rubricata est vt sanguis, quæ & vsque hodie tota clamat pro sanguine Christi innocenter effuso. *Iob* 16. Terra non operias sanguinem meum, nec inueniat in te locum latendi clamor meus. *Apoc.* 6. Quare non defendis sanguinem nostrum ab his qui sunt in terra? *Psal.* 78. Vindica sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est [antequam veniat dies Domini] iudicij scilicet. *Isa.* 63. Dies vltionis in corde meo [magnus] potestate scilicet, quia miram tunc magnitudinem potentiæ Deus in condemnatione impiorum, & in remuneratione iustorum ostendet. *Sophonia* 1. Dies magna & amara valde. Idem dicitur *Amos* 6. [& horribilis] peccatoribus scilicet. *Sap.* 6. Horrende & cito apparebit vobis. *Hebr.* 10. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Luna Ecclesiam significat.

Et erit] certitudo est prophetiæ. *Matth.* 24. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt [omnis qui inuocauerit] hoc est, in se vocauerit, vt experimentum in se accipiat. *Ionæ* 2. Clamaui ad Dominum de tribulatione mea, & exaudiuit me. *Psalm* 4. Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ [nomen Domini] hoc est, notam diuinitatis eius per effectum. *Ierem.* 14. Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos [saluus erit] à periculo scilicet diei illius. *Habac.* 3. Exultabo in Deo Iesu meo, hoc est, Saluatore meo. Et subiungit rationem.

Quia in monte Sion] in eminentia speculatiuæ vitæ [& in Ierusalem] in pace actiuæ vitæ [erit saluatio] *Isa.* 46. Dabo in Sion salutem & in Ierusalem gloriam meam. *Psalm.* 75. Factus est in pace locus eius, & in Sion habitatio eius [Sicut dixit Dominus] qui mentiri non potest. *Tit.* 1. Quam promisit qui non mentitur Deus [& in residuis] qui scilicet reducti sunt per pœnitentiam, & superstunt gladio diaboli vel hostis [quos Dominus ad duxerit] vel vocauerit, ita scilicet quod reuocauerit eos à gladio hostis. *Isa.* 4. Omnis qui relictus fuerit in Sion & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur.

CAPVT III.

Quia ecce in diebus illis.

TAngit hic de iudicio & retributione meritorum, & habet partes duas. Primo enim dicit de retributione malorum, & postea de retributione bonorum ibi [Et erit Ierusalem sancta] Prima in duas diuiditur. Primo ostendit qualiter ad iudicium congregabuntur, secundo qualiter condemnatio eorum perficietur ibi [Clamate hæc in Gentibus] Adhuc in prima duo sunt, scilicet, iudicium generaliter contra omnes, & specialiter contra finitimos ibi [Verum quid mihi & vobis] In primo quatuor sunt. Dicit enim primo redemptionem, Sanctorum, secundo congregationem malorum, tertio disceptationem iudicis contra peccata eorum, quarto propalat turpitudines eorum.

Quia ecce] iam enim demonstrabile est in mea ordinatione. Simile *Iere.* 23. Ecce dies veniunt [in diebus illis] Dies dicuntur (sicut sæpe dictum est) propter iustitiæ splendorem quæ tunc splendebit. *Matth.* 13. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum [& in tempore illo] quod ad retributionem pertinet. *Psal.* 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. *Act.* 18. Statuit diem in qua iudicaturus est orbem in æquitate [enim conuertero captiuitatem Iuda] formale pro materiali ponitur, hoc est, caprinos. Et Iudam dicit, propter regnum [& Ierusalem] propter populum. Conuertitur autem captiuitas per reditum ad patriam, quia ille est debitus ordo; auertitur autem per pulsionem in exilium. Iuda autem confitens Deum, Ierusalem visio pacis interpretatur. Confitens Deum fide, & videns in pace & tranquillitate conscientiæ, seruientes Deo significant, quorum captiuitas conuertitur; quando à diabolo, & ab oppressione malorum liberantur. *Psal.* 125. In conuertendo

Dominus

Dominus captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati. *Iere.*30. Conuertam conuersionem populi mei Israël & Iuda, ait Dominus, & conuertam eos ad terram quam dedi patribus eorum, & possidebunt eam. Et subiungit de congregatione peccatorum ad iudicium.

Congregabo]corporali scilicet congregatione, non in vnum cor & in vnam animam [omnes Gentes]gentiliter viuentes scilicet. *Matth.*25. Sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes. *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis,& mittentur in carcerem[& deducam eas]id est, de statu pristino diuitiarum deliciarum, & honorum deponam. *Iob* 40. Disperge superbos in furore tuo, & confunde eos, & respiciens omnem arrogantem humilia[In vallem Iosaphat]quod iudicium Domini interpretatur, vallis autem depressionem signat, qua etiam coacti humiliabuntur sub iudicio Domini.*Isa.*2. A facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius oculi sublimes hominis humiliati sunt,& incuruabitur altitudo virorum.

Iudicium extremum in valle Iosaphat peragetur.

Et disceptabo ibi cum eis]*Septuaginta.* Et iudicabo eos. Disceptatio autem ista quantum ad omissionem describitur *Matth* 25. Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c.quantum autem ad iniuriam illatam proximo, describitur *Isa.*3. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos.Vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra [super populo meo] oppresso scilicet,& spoliato vel malo exemplo & mala doctrina subuerso. *Isa.*3. Populum exactores sui spolianerunt. *Isa.*52. Ablatus est populus meus gratis[& hæreditate mea Israël] Israël rectissimus vel videns Deum interpretatur, & Sanctorum congregationem significat qui adhærent Deo. *Isa.* 19.Hæreditas mea Israël. *Psalm.*15. Hæreditas mea præclara est mihi[quos]populum scilicet, & hæreditatem[disperserunt]hoc est, malo exemplo & tyrannide dispergi fecerunt[in nationibus]hoc est,ad situs nationum.*Psalm.*105. Dispersi sunt inter Gentes,& didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum [.& terram meam]à Sanctis scilicet possessam [diuiserunt] inter se,supple. *Exod.*15. Dixit inimicus; Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.

Et super populum meum] captiuum [miserunt sortem] quis scilicet quem captiuum haberet in seruum & ancillam. *Prou.*1. Sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum. Sic videmus quod quasi fortiuntur dæmones de hominibus, quis quem ad fornicationem vel auaritiam vel ad superbiam possideat, quod significat *Ioan.*19. Milites diuiserunt sibi vestimenta Iesu, sortem mittentes,quis quid tolleret.*Psalm.*21. Diuiserunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Hoc Iudæi referunt ad Gog & Magog & alios inimicos eorum,quos dicunt congregandos esse in vallem Iosaphat, quæ iuxta Ierusalem est, & ibi à Domino iudicandos. Nostri autem quidam dicunt, in vltimo iudicio, Dominum in aere contra vallem Iosaphat cum Sanctis sessurum, & peccatores in terra versus vallem Iosaphat congregandos,vt terræ scilicet, adhæreant quam dilexerunt, & sic peccatores in depressione esse quadam respectu Sanctorum quæ vallis vocatur 1.*Thess.*4. Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, simul cum illis, sanctis scilicet qui dormierunt, rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.Et dicunt quod ibi erit disceptatio & forma iudicij in quatuor ordinibus scilicet, iudicantium & iudicandorum, Et obiicit turpitudinem.

Et posuerunt puerum]masculum scilicet,captiuum[in prostibulo]lupanari ephebornm de ignominioso concubitu quæstum facientes.2.*Mach.*4. Iason gymnasium & ephebiam sibi petebat concedi vt constitueret. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. *Rom.*1. Exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos, & fœminæ in fœminas turpitudinem operantes[& puellam vendiderunt] prostituendo scilicet[pro vino vt biberent] hoc est, vt pretio scorti vinum emerent quo se inebriarent. *Isa.*50. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis. Terribile verbum dicit *Hieronymus*: Hic Prælatus puerum in lupanari ponit & puellam vendit pro vino, qui videt implicitos luxuria & aliis, & non arguit turpis lucri gratia. *Isa.*5. Væ qui iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo.2.*Petr.*2. In superbia vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effuginunt. Et subdit de iudicio contra finitimos.

Prælatorum execranda dissimulatio lucri causa.

Verum quid mihi & vobis]hoc est, quid causæ habetis ad me & ad meos[Tyrus & Sidon]vocatiui casus[& omnis terminus Palæsthinorum]hoc est, Philisthinorum. Istæ enim terræ coniunctæ erant Iudæis, & cum omnibus affligentibus eos confœderatæ, semper adiuerunt in malum. *Zacher.*1. Ira magna ego irascar super gentes opulentas; quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuerunt in malum. Tyrus autem interpretatur angustia, & significat superbos & tyrannos proximos angustiantes. *Sap.*5. Stabant iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Sidon interpretatur venatio, & signat auaros qui iniustis lucris animas pauperum venatur. *Thren.*3. Venatione ceperunt animam meam quasi auem. Palæsthini potione cadentes, gulosos & luxuriosos signant, qui rebus pauperum ad suas concupiscentias abutuntur. *Sap.*2. Vino pretioso & vnguentis optimis nos impleamus. *Amos.*6.Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento deliburi nihil compatiebantur super contritione Ioseph. Hi cum Deo nihil habent commune. 2.*Cor.*6. Quæ conuentio Christi ad Belial?

Nunquid vltionem vos redderis mihi]hoc est, estne aliquid iniuriæ quod fecerim, quam vlciscendo semper contra me pugnabitis? Ad hanc quæstionem respondet Pilatus *Ioan.*19. Ego nullam in eo inuenio causam. *Mich.*6. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui ? Responde mihi[& si vlciscimini vos contra me]iniuriæ, supple, sicut facitis; rodit enim impugnant Deum. *Psalm.* 55. Tota die impugnans tribulabit me[cito velociter]Cito dicit ,quia breue tempus erit: velocitet ,quia hoc ipsum breue continuo succedit. *Isa.*5.Ecce festinat velocitet venire[redam vicissitudinem vobis]pœnæ scilicet contra culpam [super caput vestrum] hoc est, in pœnam capitis, quæ est mors.*Isa* 3.Væ impio in malum ,retributio enim manuum eius fiet *Ei.Deut.*32. Si arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis,& his qui oderunt me retribuam. *Psalm.* 93.Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis. 2. *Reg.*1. Sanguis tuus super caput tuum ; os enim tuum loquutum est contra te. *Habac.*3.Percussisti caput de domo impij. Et obiicit spolium,subdens.

Deus insert vindictæ cito & velocitet.

Argentum enim meum & aurum tulistis [scil. expoliando populum & templum] & desiderabilia mea]vasa scilicet concupiscibilia [& pulcherrima mea] ad ornatum scilicet populi & templi pertinentia] intulistis in delubra vestra] *Thren.*1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.Delubrum dicitur à diluendo, templum scilicet in quo fons est de quo diluuntur intrantes. Diis enim suis consecrabant quæ à populo Dei & templo spoliabant. *Dan.*5. Vasa domus Dei allata sunt coram te, & tu & optimates tui,& vxores & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis ; deos quoque argenteos, &c. qui non videnr neque audiunt neque sentiunt, laudasti. Hoc potest dici Prælatis & tyrannis nostris, qui(sicut dicitur *Baruch.*3.) aurum & argentum sibi thesaurizant, in quo confidunt homines, de spolio subditorum & quæque desiderabilia à pauperibus abstrahunt, & Deo ventri vel Veneri sacrificant, vel etiam Ioui in ambitione; sicut miser populus conquiritur *Iere.*51. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum tenerum[delicias meas].

Tyrannis Prælatorum in subditos damnanda.

Et filios Iuda] confitentes scilicet, Christum [& filios Ierusalem] in pace conscientiæ Deo seruientes, simplices scilicet [vendidistis filiis Græcorum]Cum amaniuerent captiuitas, quidam hostes volentes fugere, fugerunt ad finitimos populos, sicut etiam *Isa.*16. dicitur : Abscondè fugientes & vagos ne perdas ; quos illi captiuantes Græcis vendiderunt. Et subdit malam intentionem huius sceleris vt longe faceretis eos]hoc est, remouetis[de finibus suis] hoc est, de possessionibus patriis vobis eas vsurpantes, *Iere.*49. Numquid non filij sunt Israël,aut hæres non est ei: Cur ergo hæreditate possidebit Melchon Gad, populum Dei supple.Melchon rex eorum interpretatur,& significat eos qui spoliati populi Dei possessiones sibi vsurpant. Græcis autem vendunt filios Iuda, qui simplices & spirituales viros sapientiæ seculari implicant, quæ in negotiationibus est & lucris; Græci enim talem sapientiam quærunt. 2.*Machab.*4. Patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur; quarum gratia periculosa habebat eos contentio.*Iacob* 3. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Et subdit de consolatione afflictorum & retributione malorum.

Ecce ego suscitabo eos] Loquitur de capciuis tanquam sopitis, ligatos sensus habentibus, sicut dicitur de Petro *Act.* 10. Erat Petrus dormiens vinctus catenis duabus, & Angelus Domini percusso latere Petri excitauit eum,dicens : Surge velociter[in loco in quo vendidistis eos] captiuitatis scilicet vel peccati. *Isa.*26. Expergiscimini & laudate qui habitatis in pulvere. *Isa.*52. Gratis venundati estis, & absque argento redimemini[& conuertam]per pœnam scilicet[retributionem vestram]hoc est, peccatis vestris dignam [in caput vestrum]hoc est,supplicium capitis. *Apoc.*18.Reddite ei sicut ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia secundum opera eius, in poculo quo miscuit vobis,miscete ei duplum [&]tunc supple [vendam filios vestros & filias vestras] orphanos scilicet à vobis[in manibus filiorum Iuda]hoc est, per manus filiorum Iuda qui capient eos [& venundabunt eos]Icui scilicet pretio [Sabæis] quasi diceret illud Satyrici : Vitra Sauromatas. Sabæa enim regio est vltra Indiam vnde thus & aromata veniunt,quod sequitur[genti longinquæ] vnde 3.*Reg.*10. Regina Saba quæ venit audire sapientiam Salomonis, de finibus terræ dicitur venisse. Spiritualiter autem hæc venditio in bono intelligitur, qua scilicet filij peccatorum ad bonum vitam venduntur.*Gen.*47. Eme nos in seruitutem regiam.1.*Cor.*6.Empti estis pretio magno. 1.*Petri*1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione patrum traditionis,sed pretioso sanguine agni tanquam immaculati Christi.] Hi venduntur Sabæis. Sabæa enim clamor vel conuersio interpretatur, & regio thuris est, viri enim boni clamant in oratione,& laude; quique conuersi sunt in ordinem vitæ, thus offerunt in deuotione.*Isa.*60. Omnes de Saba venient,aurum & thus deferentes,& laudem Domino annuntiantes.Hæc gens longinqua est, à congregatione peccatorum elongata.*Prou.xiv.* Procul & de vltimis finibus pretium eius[quia Dominus loquutus est] confirmatio est dictorum. *Tob.xiv.* Non enim excidit verbum Dei.*Tit.*1. Quam promisit qui non mentitur Deus.

Redimitur peccator ad vitam per Christum.

Clamare]Tangit hic qualiter ista perficientur, & duo dicit primo iudicium, secundo iudicij terrorem [Sol & luna] In prima tria dicit,scilicet, iudicandorum congregationem, loci in quo iudicabuntur determinationem,& sententiæ promulgationem[Clamate hæc in Gentibus]versus, & est quasi titulus sequentium,& iniunctio officij Prophetis & Prædicatoribus,vt annuntient iudicium Domini.*Isa.*40.Vox dicentis:Clama. *Isa.*52. Vox speculatorum leuauerunt vocem. *Isa.*58. Clama,ne cesses.Quid autem clament, subdit [Sanctificate bellum] sanctificare confortare est, & hoc fit quando congregantur duces & cohortatores ad prælium magnum Domini contra malos. *Sap.*5. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.*Zach.*14.Egredietur Dominus, & prælibitur contra Gentes illas, sicut prælianus est in die certaminis. Sic enim prælianus est in Passione vincens mortem & peccatum. Sic prælibitur in die iudicij, vincens dæmones & peccatores, *Iudic.*5. Noua bella elegit Dominus. *Isa.*30. In citharis & in tympanis & in bellis præcipuis expugnabit eos. Citharæ sunt consonæ voces Sanctorum tympanum autem resonantia eorum qui pellem mortalitatis huius ieiunijs & abstinentijs abscesserunt[fiducia robustos] Robusti sunt roboro virtutis diuinæ confortati, *Isa.*25. Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem. Propter hoc(*Num.*2.& 3.& 4.) robusta ætas à viginti annis & supra eligitur ad prælium Domini. Propter hoc etiam in Ecclesia in confirmatione ; Spiritus datur ad robur pugilibus fidei *Iesu* 1. Confortare & esto robustus [Ascendant, accedant omnes]de virtute scilicet in virtutem.*Isa.*40. Qui spernit in Domino,mutabunt fortitudinem. *Psalm.*83. Ibunt de virtute in virtutem[viri bellatores] hoc est,viriles ex arte scientes bellum, experientiam scilicet rei militaris habentes, quales sunt Sancti qui semper Deo militauerunt. *Iob.*7. Militia est vita hominis

Ætas vigintiennis.

hominis super terram. Tales viri significantur. 2.*Reg*.17. Tu nosti patrem tuum & viros qui cum eo sunt robustissimos & amaro animo, velut si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat: sed & pater tuus vir bellator est. Isti sunt (sicut dicit *Beatus Gregorius*) viri bellatores, de quibus dicitur *Iob* 3. Maledicant ei qui maledicunt diei qui parati sunt suscitare leuiathan. Et subdit de instructione armorum ad bellum.

Concidite aratra vestra] Glossa, perfecti omne studium quo animas suas excolebant ad pugnandum pro alijs præparent. Secundum hoc, aratrum est studium verbi Dei, per quod cor excolitur: illud conciditur quando ad impugnandos peccatores aptatur. Et hoc est quod sequitur [in gladios] *Ephes*.6. Et gladium Spiritus (quod est verbum Dei) 2.*Mach*.vlt. Accipe gladium sanctum munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël. *Psal*.44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime [& ligones in lanceas] supple aptate. Ligones rastra sunt quibus vineæ fodiuntur. Lanceæ autem armatura feriendi longe & pugnandi, vnde ligones sententias comminatorias significant quæ corda terrena confodiunt per timorem, quæ tunc in lanceas aptantur, quando de vltimo iudicio, quod longe est, peccatores expugnant, & corda eorum compungunt per timorem, *Iob* 16. Lanceis suis conuulneraueruntlumbos meos. *Sap*.5. Acuet diram iram in lanceam. Dira enim ira est, quæ in die iudicij ostendetur. 2.*Machab*.11. Cum pariter prompto animo de Ierosolymis ad bellandum procederent, apparuit præcedens eos in veste candida, armis auratis hastam vibrans. Et subdit de confortatione omnium Sanctorum ad bellum illud.

Studium verbi Dei, aratrum est cordis.

Infirmus dicat: Quia ego fortis sum] id est, ad bellandum conualescat: & infirmus (vt dicit Glossa) est humilis, mitis, & pauper. 2.*Corinth*.12. Quando enim infirmor, tunc fortior sum & potens. *Esther* 11. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos. Et subiungit de vocatione mortuorum ad bellum.

Erumpite] de sepulchris scilicet, diuina virtute resurgentes. *Ezech*.37. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populo meus. *Iudas autem in epistola*: Prophetauit autem de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis nubibus scilicet facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum quibus impie egerunt, & de omnibus dictis quæ loquuti sunt contra Dominum peccatores impij. Et hoc est quod sequitur.

Et venite omnes Gentes de circuitu] ad iudicium scilicet, & bene dicit, Gentes, quia super corruptam generationem nihil habuerunt de lege ordinante vitam, vel de virtute ordinante passiones & opera. Et dicit de circuitu, quia nunquam recta via ambulauerunt. *Psalm*. 11. In circuitu impij ambulant. *Iob* 1. & 2. Circumiui terram & perambulaui eam [& congregamini] sicut condemnandi congregantur vt simul intereant. *Isa*.24. Congregabuntur congregatione vnius fasciis [ibi] hoc est, in illo iudicio [occumbere faciet Dominus] per mortem scilicet æternam [robustos tuos] peccatores scilicet *Amos* 2. Fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam. Et determinat locum quo congregentur, subdens,

Consurgant] hoc est, simul surgant boni scilicet, 1.*Cor*.15. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur [& ascendant Gentes] mali scilicet: superbi enim corde semper ascendunt, & ascensio illa est vt profundius cadant [in vallem Iosaphat] hoc est, in iudicij diuini depressionem. Ibi enim iudicio diuino in vallem voraginis æternæ deprimentur. *Psalm*.72. Deiecisti eos dum allueuentur. Et subiungit dispositionem iudicis [quia ibi sedebo] tranquillus scilicet, & iustus [vt iudicem omnes Gentes in circuitu] *Isa*.16. Sedebit super solium suum in veritate, in tabernaculo Dauid iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. Et subdit de sententiæ promulgatione & loquitur ad Sanctos qui secum iudicabunt.

Mittite falces] extremas scilicet sententias præcisionis [quoniam maturauit messis] antiqua grammatica, Vocatur autem matura messis, quando iniquitas germinauit, & increuit ita vt vlterius sustineri non potuerit. *Ezech*.7. Floruit virga, germinauit superbia, iniquitas surrexit in virgam impietatis, *Apoc*, 14. Mitte falcem tuam & mete: quia venit hora vt metatur. Ad quod faciendum adhuc vlterius inuitat Sanctos, subdens [venite] ô Sancti, scilicet, consensu animi. *Psalm*.57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam [& descendite] peccatorum scilicet consideratione & discussione quid meruerint. *Gen*. 18. Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint [quia plenum est torcular] quo impij scilicet, premi & calcari debent; non enim amplius locum habebit iniquitas. *Apoc*.14. Misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum [exuberant torcularia] Exuberare enim torcularia, est exuberare peccata; vt necesse sit quod per sententiam comprimantur, *Iere*.6. Conuerte manum tuam, quasi vindemiator ad cartallum. Cartallum est calathus suæ vas, in quo reponuntur vuæ præcisæ, & signat infernum, in quo præcisi reponentur, *Isa*.63. Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum; calcaui eos in ira mea, & in furore meo conculcaui eos. Et hunc intellectum innuit, cum subdit [quia multiplicata est malitia eorum] hoc est, in tantum increuit, quod præcisione opus sit. *Gen*.6. Videns quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod fecisset hominem. Et propter hoc citatione peremptoria, subdit.

Sancti simul cum Deo impios iudicabit.

Populi populi] hoc est, ô populi populi, & propter geminationem populi notat diuersitatem iudicandorum [In valle concisionis] congregamini vbi concidemini gladijs sententiarum, & concidetis in infernum [quia iuxta est dies Domini] vindictæ scilicet, [in valle concisionis] omne enim tempus respectu æternitatis paruum est. *Ezech*.7. Nunc finis super te, & mittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas. Et subdit de iudicij terrore.

Sol & luna obtenebrati sunt] solem vocat splendorem seculi in dignitatibus, diuitijs, & deliciis seculi; lunam vero splendorem fortunæ. *Iob* 31. Vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum est cor meum in abscondito. Quasi diceret, Male mihi accidat. *Isa*.13. Stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum:

suum; sol obtenebratus est in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Non enim volunt videre luminaria cæli iniquitates impiorum [& stellæ retraxerunt splendorem suum] quia etiam inferiores dignitates deficient. *Apoc*.6. Stellæ ceciderunt de cælo in terram. Splendor enim nullus erit, nisi splendor Dei. Et subdit terrorem ex parte sententiæ diuinæ.

Et Dominus de Sion rugiet] De, præpositio notat causam, hoc est, pro Sion, quia pro iniuria fidelibus facta rugiet in speculatione constitutus. *Amos* 3. Leo rugiet, quis non timebit? *Prou*.20. Sicut rugitus leonis, ita & ira regis; qui prouocat eum, peccat in animam suam [Et de Ierusalem dabit vocem suam] hoc est, pro Ierusalem, simplicibus scilicet qui in pace Deo seruiunt, qui à tyrannis afflicti sunt. *Osea* 11. Leo rugiet & formidabunt filij maris, hoc est, filij amaritudinis seculi. *Amos* 1. Dominus rugiet de Sion, & de Ierusalem dabit vocem suam [& mouebuntur cæli & terra] hoc est, cælestes & terreni. In condemnatione enim impiorum (vt dicit *Hieronymus*) etiam sancti contremiscent. *Iob* 41. Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli. Per terram autem terrestres intelliguntur, qui merito contremiscent. *Psal*.75. Terra tremuit & quieuit: dum exurgeret in iudicio Deus. Quare autem Sancti non contremiscant in desperationem, subdit.

Iudicium extremum semper timendum.

Et Dominus spes populi sui] *Rom*.5. Spes non confundit [& fortitudo] supple contra aduersarios deprimendos [filiorum Israël] videntium, scilicet Deum per fidei deuotionem. *Psal*.27. Dominus fortitudo plebis suæ, & protector saluationum Christi sui est [& scietis tunc quia ego Dominus Deus vester] experimento, scilicet gratiæ & gloriæ. *Ioan*.10. Dominus meus & Deus meus [habitans in Sion] hoc est, in eminentia contemplationis speculatiuæ [in monte sancto meo] hoc est, in eminentia virtutis actiuæ. *Psalm*.7. In Sion habitatio eius. Mons autem eminentia est sanctitatis actiuæ. *Psal*.67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. *Iere*.31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ mons sanctus. Hæc omnia Iudæi & nostri Iudaizantes exponunt de aurea Ierusalem, contra quam Gog & Magog, & aliæ gentes venient tanquam à Deo concitatæ, & congregatæ contra pugnam Sanctorum Domini vt corruant coram aurea Ierusalem in valle Iosaphat, quæ parum distat à Ierusalem: quæ expositio quam falsa est & probari non potest per Scripturam, à nobis refutatur.

Et erit Ierusalem sancta] Tangit consolationem Sanctorum, primo quidem in separatione bonorum à malis, secundo in consolatione bonorum, tertio in depressione inimicorum, quarto in perpetuitate consolationis Sanctorum [Et erit Ierusalem sancta] emundatis scilicet peccatoribus. *Isa*.1. Post hoc vocabitis ciuitas iusti, vrbs fidelis [&] id est [alieni] supple à Deo peccatores [non transibunt per eam amplius] transitus peccatorum est vbi relinquuntur vestigia peccatorum, testante Domino, qui de diabolo ad beatum *Iob* 41. loquitur dicens: Post eum lucebit semita. Et quia tunc non habebit locum peccatum, propter hoc dicitur, quod peccator non transibit. *Isa*.52. Non adiiciet vt pertranseat per te incircumcisus & immundus. *Bernardus*. Felix anima in qua non resultat vestigium peccatoris. Et subdit de consolatione in bono.

Et erit] pro certitudine prophetali dictum est [In die illa] claritatis scilicet, & gloriæ sempiternæ [stillabunt montes dulcedinem] Montes dicuntur vertices trium personarum in sancta Trinitate, vel etiam vertices Apostolorum in gratia. *Psalm*. 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Hæc enim illuminatio dulcior est melle. *Eccli*. 24. Spiritus meus super mel dulcis [& colles] hoc est, vertices Angelorum & Sanctorum ad Angelos assumptorum [fluent lacte] in veritate candidæ, & puritate dulcissimæ doctrinæ humanitatis Christi, quam per illuminationem omnium ingerunt. *Cantic*. 5. Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Quid autem in planis campis efficiat, subdit, primo quantum ad innocentes, secundo quantum ad pœnitentes.

Illuminatio Spiritus sancti in te est dulcior.

Et per omnes riuos Iuda] hoc est, confitentium Deum corde, ore, & opere; sicut innocentes faciunt. Riui autem Iuda sunt omnia receptacula animæ & corporis [ibunt aquæ] quibus influuntur aquæ vitæ æternæ. *Ezech*. 47. Omnis anima viuens quæ serpit quocumque venerit torrens, viuet [& fons de domo Domini egredietur] hoc est, de thesauris omnipotentis Dei. *Psalm*. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos [& irrigabit] irrigatione scilicet voluptatis, & felicitatis. *Eccli*. 14. Dixi, Rigabo hortum plantationum, & inebriabo prati mei fructum [rectum spinarum] hoc est, pœnitentium qui compuncti sunt spina peccatorum. *Psalm*.31. Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Ærumna enim configitur spina, quando compunctione peccati, ærumna, hoc est, pœnitentia peccator configitur. Non solum enim innocentes, sed etiam pœnitentes saltabunt. Ite est fons, de quo dicitur *Gen*.2. Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Istæ sunt aquæ egredientes de templo à latere dextro. *Ezech*. 47. Parum enim esset si irrigaret tantum lilium innocentium, & non spinas pœnitentium. Et vt elucescat magis damnatio impiorum ex comparatione bonorum, subdit.

Ægyptus in desolationem erit] Ægyptus, mœror vel tenebræ, spiritualia peccata signat, superbiam scilicet, inuidiam, inanem gloriam, iram & etiam auaritiam, quæ tunc erunt in desolationem condemnationis perpetuæ. *Isa*. 1. Desolabitur sicut in vastitate hostili. *Sap*. 5. Ad æternum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentum [& Idumæa] quæ sanguinea interpretatur, & carnalia peccata significat [in deserta perditionis] supple, erit, vbi scilicet nec Deus nec Sancti de cætero habitabunt. *Matth*. 23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et subiungit causam [pro eo quod inique egerint in filios] hoc est, contra filios [Iuda] confitentes scilicet, & glorificantes Deum. *Isa*. 26. In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei [& effuderint sanguinem innocentem in terra sua] martyrum scilicet, quos vel malo exemplo, vel gladio, vel subtractione necessariorum interimunt. *Psalm*. 78. Effuderunt

runt sanguinem Sanctorum tuorum, tanquam aquam in circuitu Ierusalem. *Eccl.* 34. Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Et subiungit per contrarium de consolatione bonorum.

Et Iudæa in æternum habitabitur] Iudæa confessio Domini interpretatur, & significat Ecclesiam. *Psal.* 113. Facta est Iudæa sanctificatio eius, hoc est, habitabitur ab Angelis, & Deo, & Sanctis. *Isa.* 62. Terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te [& Ierusalem] supple, habitabitur [in generationem] innocentium [& generationem] pœnitentium. *Psal.* 23. Hæc est generatio quærentium dominum. Item *Psal.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te [& mundabo] hoc est, vindicabo [sanguinem eorum] Sanctorum, scilicet [quos non mundaueram] hoc est, vindicaueram vsque ad diem iudicij scilicet. *Apoca.* 6. Quousque Domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, ab his qui sunt in terra? *Psal.* 78. Vindica sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est [& Dominus commorabitur in Sion] inter Sanctos scilicet influens eis semper beatitudinis dulcedinem in speculatione felicitatis æternæ. *Ezech.* vlt. Nomen ciuitatis à die illa & deinceps Dominus. *Psal.* 124. Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc & vsque in seculum.

***

D. ALBETI

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISPONENSIS DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM

IN AMOS PROPHETAM Enarratio.

PROLOGVS.

SICVT *in prehabita diuisione dictum est, Amos contra vitia communia Prophetæ, & mores gentium circa se positarum describit: propter quod congrue onustus interpretatur.* 2. Paralip. 10. *Pater meus imposuit vobis onus graue, & ego maius pondus apponam.* Iob 16. *Consolatores onerosi vos estis. Tres autem prologos premittit* Hieronymus, *in quorum primo causam suscepti operis insinuat, secundo modum quem à principio obseruat, demonstrat* ibi [Et quia idem Propheta] *In primo horum tria dicit, scilicet, quando, quibus, & quorum regum temporibus prophetauit.*

PROLOGI DIVI HIERONYMI in Amos Prophetam explanatio.

Zias rex] De quo legitur 4. *Reg.* 14. & 2. *Paralip.* 16. [cum Dei religionem] hoc est, sacerdotium ad Dei religionem constitutum [solicite] non discrete tamen [æmularetur] hoc est, æmulando sacerdotes diligeret. *Gal.* 4. Aemulantur vos non bene [nimio religionis amore prouocatus] Omne quod est nimium, vertitur in vitium. Nimis enim fuit, quando sacerdotale officium ita ampliare voluit, vt dignitatem regalem & sacerdotalem simul habere contenderet [contra præceptum legis Moysi] hoc est, datæ per Moysen. *Eccl.* 24. legem mandauit vobis Moyses in præceptis iustitiarum. Maxime *Numer.* 1. & 16. vbi virga frondente & florente demonstratum est, quod non nisi ad summum Sacerdotem pertinet sacerdotale officium] arrepto thuribulo] aureo scilicet [vt in historia *secundi libri Paralipomenon* ostenditur] 26. c. [sacerdotale officium] incensum scilicet ponendo [præsumere conatus est] hoc est, vsurpare. Et posito facto, quod peccatum fuit, ostendit signum per quod Deus demonstrauit peccati enormitatem.

Oziæ lepra percussus ob vsurpationē sacerdotij.

Ob eam rem] hoc est, propter tale peccatum [terræ motum in templo Dei exortum constat] Hoc enim narrat Iosephus, quod propter peccatum illud ante ciuitatem scissa est media pars montis per quatuor stadia ad Occidentem, ita vt vias clauderet & vrbes regias destrueret, sicut ex *Iosepho* narrat *Hieronymus* [cuius etiam] scilicet terræ motus [Zacharias Propheta] 14. [meminit] sic dicens: Scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem & Occidentem interrupta grandi valle. *Et post paucā.* Et fugietis sicut & fugistis à facie terræ motus in die Oziæ regis. Quare autem hoc dixerit, subdit [Ante hunc itaque terræ motum] qui fuit scilicet temporibus Oziæ [Amos Propheta] iste scilicet [temporibus prædicti regis] Oziæ scilicet regis Iuda [& temporibus Ieroboam] qui tempore Oziæ regnauit in decem tribubus [filij Ioas regis Israël] de quibus 14. & 15. & 2. *Paral.* 15. Quid autem prophetauit, & propter quod subdit [in eas gentes] hoc est, contra eas gentes [quæ lectione] hoc est, textu huius prophetiæ, primo & secundo capitulo [comprehensæ sunt] hoc est, continentur [iram Dei] & antequam subiungat, qualiter ira Dei processerit parentesim facit de causa [Ob eas causas quas memorauit] hoc est, in prophetia expressit [affuturam denuntiat iram Dei] *Psal.* 29. Ita in indignatione eius. Et subiungit secundam partem, quæ est de modo principij Prophetiæ.

Et quia idem Propheta in sequentibus] scilicet prophetiæ capitulis [ait] primo scilicet & secundo capitulo [super tribus impietatibus] *Septuaginta* translatio [& super quatuor non conuertam eum] hoc enim octies dicit [tertio peccatorum indulgentiam Deum dare posse significat] hoc est, super peccato consensus, operis, & consuetudinis: hoc enim per pœnitentiam remittit Deus. *Ezech.* 18. Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum suarum non recordabor [quem] Deum scilicet [quarto eadem peccata admittentibus] hoc est, per desperationem adiungentibus, & finali impœnitentia sic decedentibus [nec pœnitentiam] hoc est, gratiam pœnitendi [nec indulgentiam] in remissionem scilicet peccatorum [datarum annuntiat] Ita oportet quod exponatur, vel contrarium erit ei quod dicitur *Matth.* 18. Non dico tibi Petre: Dimitte septies, sed vsque septuagies septies. *Tit.* 3. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Quod autem hoc verum sit, probat, subdens [Nam] id est, quia [per ignis similitudinem] hoc est, metaphoram [quem] scilicet ignem [in prædictas gentes] octo scilicet [immittendum prædixit] octies scilicet dicendo Mittam ignem [grauem] scilicet in afflictione [atque irreuocabilem] humana scilicet protestatione [Dei iram] *Thren.* 2. Effudit quasi ignem indignationem suam [ad euersionem earundem ciuitatum] quas scilicet nominat in primo & secundo capitulo [processuram voluit demonstrate] *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.

ARGVMENTI DIVI HIERONYMI in Amos Prophetam explanatio.

POST hunc præmittitur secundus prologus, in quo velut argumento mentem aperit de contentis in prophetia, & accipitur de proœmio galeato, additur vero aliquid ex Glossa *ibi* [Non dixit verbum, sed verba] De octo itaque mentem arguit, quorum primum excitat attentionem ex difficultate operis, reliqua septem mentem arguunt de his quæ in litera continentur [Amos Propheta & rusticus] In proœmio galeato continetur. Amos pastor & rusticus, & hoc conuenit, quia pastoris est prophetare. Prophetare enim docere est, quod officium pastorum est. Rusticus autem dicitur quasi rus colens, & commendatur in hoc simplicitas eius, quia scilicet astutiis & dolis ciuitatum non erat inquinatus. *Psal.* 54. Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate [& suborum moros distringens] In proœmio est mora, & commendatur in hoc à simplicitate victus & parsimonia. Contentus enim fuit his quæ sponte gignit desertum, sicut moris in rubis deserti natis, quæ distrinxit vt succum in potum & panis condimentum acciperet. *Eccli.* 7. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab Altissimo creatam. Per hoc enim ostenditur Prophetæ authoritas, quòd scilicet tam simplex fingere non potuit, nec altissima sapientiæ Dei scire, nisi per Spiritum Dei. *Eccli.* 27. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum

Prophetare pastoribus conuenit

fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis, scilicet, ostendit. Et subdit difficultatem.

Paucis verbis explicari non potest] quoad mysteria contenta. *Heb.* 5. De quo grandis nobis sermo & interpretabilis ad dicendum. Et hoc probat subdens [quis enim digne exprimat] hoc est, exprimere possit, & quis notat difficultatem, sicut *Isa.* 53. Generationem eius quis enarrabit? Et quod dicit digne, intelligit quantum ad mysterium, quod nullus sufficienter enarrare poterit [tria & quatuor scelera Damasci, Gazæ] supple, tria & quatuor scelera [Tyri] supple tria & quatuor scelera [Idumeæ] tria & quatuor scelera [filiorum Ammon] supple, tria & quatuor scelera [& Moab] supple, tria & quatuor scelera. Et hæc dicit in primo capitulo [& septimo octauoque grada Iudæ] scilicet, tria & quatuor scelera [& Israël] supple, tria & quatuor scelera, quæ in secundo dicit capitulo. *Iob* 37. Digne eum inuenire non possumus: magnus fortitudine, & iudicio, & iustitia, & enarrari non potest.

Hic] scilicet Amos [loquitur ad vaccas pingues] Vaccæ dicuntur propter lasciuiam, pingues propter inguuiem [quæ sunt in montibus Samariæ] hoc est, in decem tribuum dignitatibus, & hoc facit capitulo quarto [& mutuam domum maiorem] hoc est, familiam regis & principum [minoremque] hoc est, familiam ciuium & popularium [testatur] scilicet per captiuitatis euersionem, scilicet capitulo sexto [Ipse] scilicet Amos [cernit] in visu prophetali [fictorem locustæ] capitulo septimo, hoc est, Deum fingentem locusta ad terræ vastitatem: de quibus locustis in *Ioele* satis dictum est [& stantem Dominum] supple cernit [super litum murum] Sic habet nostra translatio. Litus murus per syncopen dicitur, murus linitus cæmento [vel adamantinum] Sic habent *Septuaginta*, & hoc est etiā capitulo septimo [& vncinum pomorum] supple cernit [attrahentem supplicia peccatoribus] & hoc facit capitulo octauo [& famen in terra] supple cernit [non famem panis nec sitim aquæ] quæ materialis fames est [sed audiendi verbum Domini] capitulo octauo. Quod nunc sequitur, de Glossa additur.

Non dixit verbum, sed verba] *Osee* enim & *Ioël* dixerunt verbum, & non verba: sed iste dicit verba, & non verbum: eo quod iste ea quæ dixit, retulit ad audientes; illi autem ea quæ dixerunt, retulerunt ad verbum increatum, quod forma est omnium verborum.

Amos vero interpretatur onustus] onera enim imponenda octo gentibus prophetauit. *Psal.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et subdit de sanctitate [hic Amos spirituali gratia plenus] vsque scilicet ad redundantiam, sicut de Stephano *Act.* 7. dicitur: Stephanus plenus gratia & fortitudine [prophetauit inter cæteros Prophetas] hoc dicit, quia patrem vel aum Prophetam non habuit, sed nouæ gratiæ appositione Prophetis coniunctus est. 1. *Reg.* 10. Obuium habebis gregem Prophetarum, descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis. Et hoc est quod sequitur [Non enim ipse solus erat Prophetes, sed etiam alij] sicut dicitur 3. *Reg.* 18. quod Abdias tulit centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane & aqua, ne eos interficeret Iezabel [esse quippe non potuit] id est non debuit [Propheres nisi pastor ante fuisset] Diximus enim paulo ante, quod pastorum officium est docere sine prophetare. 1. *Corim.* 14. Potestis omnes per singulos prophetare [qui etiam tuba sua clangit] intelligit de tuba spirituali, quæ est sonus doctrinæ & prædicationis. *Osee* 9. In gutture tuo sit tuba [per singulos dies] hoc est, per singulas illuminationes [erudiens] extra ruditatem nos ponens [& docens] mysteria supple [in Ecclesia] *Rom.* 15. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et explanat qualiter hoc est, subdens.

Vox Prophetarum tuba est similis.

In veritate enim] hoc est, vera significatione [vox omnium Prophetarum] Spiritu Dei scilicet loquentium [tanquam tuba spiritualis est] *Isa.* 58. Quasi tuba exalta vocem tuam [prædicans in Ecclesia] Chrysostomus dicit, quòd prædicatio sit de his quæ sunt fidei; doctrina autem de his quæ sunt rationis. *Marc. vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ [secundum quod scriptum est] *Isa.* 40. [Ascende in montem excelsum] hoc est, vitæ eminentiam [tu qui euangelizas Sion] hoc est, speculator Ecclesiæ [& exalta vocem tuam qui prædicas Ierusalem] vt scilicet ad corda peccatorum peneuet. *Isa.* 52. Vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem.

PROLOGI DIVI HIERONYMI in Amos Prophetam explanatio.

Hic in hoc tertio prologo tanguntur dispositiones Prophetæ in octo, in persona scilicet, in nomine, in patria, in habitu interiori, in temporibus quibus prophetauit, & contra quos, in auctoritate, & in passione. Et hæc per ordinem dicuntur in litera [Hic Amos Propheta] scilicet qui hanc enuntiauit prophetiam [non fuit pater Isaiæ Prophetæ] de quo dicitur *Isa.* 1. Visio Isaiæ filij Amos [quanquam] hoc est, quamuis [& ille] scilicet pater Isaiæ [Propheta extiterit] secundum illam regulam Hebræorum, quod pater qui ponitur in titulo Prophetæ; Propheta fuerit. *Eccli.* 44. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et subdit de nomine.

Isaias pater Amos dicitur.

Nam aliis literis ille] pater scilicet Isaiæ, [& aliis iste] scilicet qui edidit hanc prophetiam [apud Hebræos scribitur] Sæpe enim voce conueniunt quæ significatione differunt [quæ differentia literarum] scribendi literas diuersas per eundem sonum [apud latinos non habetur] quia latini non vtuntur appunctationibus literarum, per quas idem sonus elementi in diuersas inflectitur significationes; sicut etiam Apostoli (vt quidam dicunt) eodem sono loquuti sunt, sed diuersis significationibus audiri. Et hoc probat per nominum interpretationes [& ille fortis vel robustus] scilicet pater Isaiæ [hic vero] hoc est, qui ista prophetia inscribitur [aualsus interpretatur] Et subdit rationem nominis [quia loquutus est contra decem tribus] contra quas etiam Osee loquutus est [quæ per idololatriam] vitulorum scilicet, & aliorum idolorum [à cultura Dei] 2. *Corinth.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? vel etiam [à regno Dauid]

à quo scilicet, in Ieroboam recesserunt 3. *Reg.* 14. [erant auul sæ] *Psal.* 51. Euellam te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Et subdit de patria.

Fuit autem cognatio eius] ex patribus & auis scilicet [ex oppido Thecuæ] quod ad rusticana & pastoralia deputatum fuit, sicut & Dauid assumptus fuit. *Psal.* 77. De post fœtantes accepit eum [quod] scilicet oppidum [sex milliaribus distat à Bethlehem] in tribu Iuda. Decuit enim quod Propheta Domini secundum patriam vicinus esset patriæ Domini. Et subdit qualis erat artificio [curam gerens pecorum] quod (sicut dictum est) competebat officio prophetiæ. *Gene.* 46. Pastores ouium sumus serui tui & nos, & patres nostri [in latitudine camporum] Campi dicuntur inculta prata [qui sunt proximi oppido Thecuæ] tota enim adiacens regio quasi inculta est, & alendis gregibus apta. *Isa.* 7. Erit in pascua bouis & in conculcationem pecoris. Et subiungit rationem [in quibus] scilicet campis [humi] nominatiuus scilicet pluralis [aridæ] vnde autem aridæ sint, subdit [atque arenosæ] hoc est, quia arenosæ; arena enim ex siccato luto glutinoso arida efficitur; & ideo quia humor exiccatus est, nihil ex eo generatur. Et hoc est quod sequitur [nihil omnino frugum gignitur] Fruges dicuntur à fruendo; talia enim non gignuntur quibus homo frui possit [sed vberrimis pascuis abundant] gramina enim quæ ex putrefactione herbarum generantur, in superficie nascuntur: & quia terra aratro ibi non euertitur, ideo gramina abundant; fossa enim terra vsque ad arenam & pascua tolleret, & fruges non gigneret. *Ezech.* 34. In pascuis vberrimis pascam eos [& ideo cuncta] campestria scilicet Thecuæ [sunt plena pastoribus; pastores enim in locis pascualibus habitant; pastorum enim est pascua perquirere. *Ezech.* 34. Pascam eos in locis virentibus [& sterilitas terræ] Fruges enim abundanter locus arenosus non gignit [compensatur pecorum multitudine] Dicit enim *Philosophus in libro de animalibus*, quod omne animal abundat ibi, vbi abundat suus cibus. Et pecora vtiliora sunt quam fruges; quia paucis pecoribus multæ fruges emuntur. Et subdit qualis fuit habitu animi.

Ex hoc numero pastorum] iuxta Thecuam scilicet habitantium [fuit Amos] sicut ipse dicit 7. *cap.* Non sum Propheta nec filius Prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros [imperitus sermone] hoc est, arte rhetorica [sed plenus scientia] spirituali scilicet, & diuinorum. Et alludit ei quod dicitur. 2. *Corinth.* 11. Et si imperitus sum sermone, sed non scientia. *Eccli.* 15. Implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus. Et subdit de temporibus prophetiæ.

Prophetauit autem eisdem temporibus] hoc est, eorundem regum temporibus [quibus *Ioël*] qui ante habitus est [*Nahum, Ionas, Osea, Isaias*] *Ioël* enim temporibus *Osæ* prophetauit, secundum regulam Hebræorum, quæ sæpe dicta est. *Osea* autem eosdem reges habet in titulo quos habet iste. *Abdias* autem & *Ionas* ad istum referuntur, quia sequuntur eum immediate, sicut & Nahum ad *Miczam* (cuius titulus eosdem cum Osea reges habet) est referendus. *Isaias* autem eosdem cum isto reges habet in titulo [Sed aliquantulum exorsus est prophetare] hoc est, incepit prophetare duobus annis antequam *Isaias*] *Isaias* enim prophetare incepit temporibus Oziæ, quando regnum reliquit filio Ioathan; iste autem antequam lepra percutereretur & ante terræ motum. Et subdit contra quos prophetauit. *Amos prophetauit biennio ante Isaiam.*

Maxime autem contra decem tribus loquutus est] sicut scilicet *Osea* & *Ioël*, vnde etiam hi tres simul iunguntur [pauca de duabus tribubus interferens] maxime in fine primi cap. vbi dicit; Super tribus sceleribus Iuda, &c. Et subdit de auctoritate, dicens.

Hunc ablatum] hoc est, electum [de numero pastorum] Sustulit eum de gregibus ouium, & de post fœtantes accepit eum [misit dominus] auctoritatem scilicet dans. *Ezech.* 2. Mitto ego te ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me [vt in Samaria] hoc est, in decem tribubus quæ à Samaria denominantur [prophetares] *Iere.* 1. Prophetam in Gentibus dedi te. Et subdit de passione & sepultura eius.

Quem Amasias sacerdos] idolorum scilicet, in Dan & in Bethel positorum [frequenter plagis afflixit] vt scilicet à prophetando cessaret, sicut legitur *Amos* 7. Sed quia verbum Dei alligari non potest, non propter hoc cessauit, sed potius instantius prædicauit [tandem filius eius] Amasiæ scilicet [Ozias] nomine [vecte per tempora transfixit] supple Prophetam. Vectem vocat sudē vt scilicet fude magis quā ferro læderetur. *Eccli.* 4. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia [Post hæc] scilicet vulneratus [semiuiuus] ex vulnere enim non statim est mortuus, sed adhuc viuus [in terram suam] Thecuam scilicet [euectus post aliquot dies, dolore vulneris expirauit] *Isa.* 57. Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo [sepulturque est cum patribus suis] Patriarchis scilicet, Prophetis, & amicis; vt dicit *Hieronymus*. *Isa.* 11. Erit sepulchrum eius gloriosum. *Amos vectes transfigitur per tempora ab Ozia.*

Amos Propheta.

CAPVT I.

VErba Amos] Hic incipit prophetia, quæ diuiditur in partes duas. Primo enim comminando prædicit pœnam decem tribubus, secundo promittit consolationem, infrà 9. *ibi* [In die illa reædificabo tabernaculum Dauid] Prior diuiditur in duas, in titulum scilicet, & prophetiam *ibi* [Et dixit, Dominus de Sion rugiet] In titulo author describitur à nomine, ab officio, & à patria, à modo inspirationis, & ab enuntiatione. Dicit ergō [Verba] cuius ratio in expositione prologi assignata est: multis enim loquitur, & de multis, & ideo pluraliter dicit; Verba. *Ezech.* 2. Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant & quiescant [Amos] nomen Authoris est, & interpretatur onustus vel auulsus: onustus, quia ex charitate onus aliorum suscepit. *Galat vlt.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Auulsus autem, quia à peccatoribus segregatus, non enim bene reprehenderet peccatores, nisi segregatus esset. *Heb.* 5. Talis decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Et subiungit de officio [qui fuit in pastoralibus]

vt cura

vt cura pastoralis signum esset curæ seu pasturæ spiritualis. *Ioan.* 10. Pastor bonus animam suam dat pro ouibus suis. *Ioan.* 20. Pasce oues meas. *Psal.* 77. Sustulit eum de gregibus ouium, &c. Et subdit de patria.

Thecuæ] quod etiam prophetiæ congruit, quia Thecua clangens tuba interpretatur. *Apocal.* 8. Datæ sun Angelis septem tubæ, septem enim prædicanda sunt, scilicet, quatuor sensus Scripturę, primus aduentus Saluatoris, & duo in secundo, retributio scilicet bonorum, & pœna malorum. *Psal.* 80. Buccinate in neomenia tuba, hoc est, in singulis illuminationibus quas à Deo accipiris, & subdit de inspiratione [quæ vidit] hoc est, intellectuali visu per inspirationem accepit; aliter enim verba videri non possunt, sed audiri. *Exo.* 20. Cunctus populus videbat voces. Sic dicitur *Isa.* 1. Visio *Isaiæ* quam vidit. *Glossa* inducit illud 1. *Reg.* 9. Qui nunc dicitur Propheta, olim dicebatur videns. *Danie.* 10. Intellectu opus est in visione [super Israel] super notat oppressionem, Israel autem decem tribus. *Thren.* 1. Euigilauit iugum iniquitatum earum in manu Domini: conuolutæ sunt & impositæ collo meo. *Psal.* 37. Sicut onus grauæ grauatæ sunt super me. *Iob.* 16. Nunc autem oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes actus mei. Et subdit de tempore & de regibus. *Prædicanda sunt septem.*

In diebus Oziæ] de quo 4. Regum 16. [regis Iuda] hoc est, duarum tribuum [& in diebus Ieroboam] de quo 4. *Regn.* 14. [filij Ioas] de quo *Ibidem* [regis Israel] hoc est, decem tribuum. Iste Ioas nepos fuit Iehu, & Ieroboam filius eius pronepos. Promiserat enim Dominus (4. *Reg.* 9.) quod vsque ad quartam generationem ex semine Iehu essent reges futuri super Israel. Et hoc pleterum fuit in Ieroboam: filius enim Iehu fuit Ioathan, filius vero Ioathan fuit Ioas, & filius Ioas Ieroboam; qui quartus fuit, in quo regnum Iehu defecit. Literalis autem quæstio est, cum isti iidem reges ponantur in titulo Oseæ, qui primus est inter duodecim, & titulo istius, qui est tertius, quare in medio, hoc est, in Ioele non ponuntur. Et respondet quidam, quod cum iste non sit filius Prophetæ, sed in prophetia à Domino segregatus, sicut & Paulus ad *Roma.* 1. dicitur Segregatus in Euangelium Dei, non esset prophetia ista authentica, nisi à regibus authenticaretur. Quæ responsio hæresim sonat, mali enim reges de Scripturis nihil authenticant; quamuis enim per tempora regum certificatur historia, tamen non certificatur vt prophetia. Adhuc; Idem posset dicere de Osea, & de Isaia, & de alijs. Quamuis enim genealogia patrum & auorum ad commēdationem faciat Prophetæ tamen nihil faciunt ad inspirationis authoritatem. In Ioele autem non ponuntur reges, quia non ad reges, sed ad communem populum prophetauit. Et de tempore prophetiæ subiungit. *Mali reges multū auctoritatem conferunt prophetiæ.*

Ante duos annos terræ motus] de quo terræ motu in præcedentibus satis dictum est. Dicit tamen *Hieron.* quod terræ motus per metonymiam est motus terrenorum in captiuitatem 4. *Reg.* 16. quos ante per duos annos commonuit per Prophetam, vt si vellent, pœnitentiam agerent, & sic de cætero terræ motum non sentirent. *Psal.* 95. Commoueatur terra, & omnes qui habitant in ea. *Iob* 14. Dedit illi Deus locum pœnitentiæ; at ille abutitur eo in superbiam. Iste est ergo titulus.

Et dixit] Hic incipit prophetia, quæ in duas partes diuiditur, in quarum prima describitur terrorem iudicis: in secunda pœnam iudicandorum & causam *ibi* [Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus] Terror iudicis describitur in signo & effectu De terrore iudicis dicit [Dominus de Sion rugiet] rugitus proprie leonis est, vt leo significaret fortitudinem, rugitus autem comminationem terroris. *Prou.* 20. Sicut rugitus leonis, ira & terror regis, qui prouocat eum, peccat in animam suam. *Amos* 3. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus loquutus est, quis non prophetabit? Dicitur autem de Sion rugire, quia in Sion est & non in Dan vel Bethel, vbi est habitatio idoli. *Isa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem [& de Ierusalem dabit vocem suam] quia etiam in Ierusalem habitat. *Psalm* 75. Factus est in pace locus eius. Alia translatio, in Ierusalem, & habitatio eius in Sion. Propter quod Sion speculatiuos significat, Ierusalem autem perfectos in actione. *Iere.* 25. Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam rugiens, & rugiet super decorem suum. Et subdit de effectu.

Et luxerunt speciosa pastorum] Tangit hic effectum terroris per metaphoram loquens, per speciosa pastorum intelligens speciositatem terræ in habitatione hominum, & cultura, per luctum autem tristitiam. Dicit enim *Hieronymus* naturale esse, quod omnes qui volunt rem tei comparare, ex eis rebus sumant comparationem quas sunt experti & in quibus sunt nutriti. Sic iste qui fuit pastor pecorum, timorem suum rugitui leonis assimilat, inimicos autem vrsos vocat. Speciosa ergo pastorum sunt, planities camporum, viriditas pratorum, loca diuersis herbis abundantia. *Isa.* 32. Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent. *Isa.* 15. Aruit herba, defecit germen, virtor omnis interiit. Spiritualiter autem, speciosa pastorum sunt, populus in spiritualibus speciose dispositus, qui luget quando talis deficit speciositas. *Thren* 4. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum. 1. *Machab.* 2. Omnis compositio eius ablata est; quæ erat libera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinauerunt eam Gentes, hoc est, gentiliter viuentes per malum exemplum [& exiccatus est vertex Carmeli] *Eliranymum*. Mons qui in Hebræo dicitur *Kerm*, & græce & latine Carmelus dicitur, & est duplex, vnus de quo fuit Nabal Carmelus 1. *Reg.* 25. alius, in quo Elias orauit 3. *Reg.* 29. Vterque autem pascuis vberrimis est, & ideo exiccatus hic pethibetur. Significat autem Prælatos pabulo verbi & exemplī abundantes. Sed talis gradus modo in Ecclesia luget, quia tali speciositate destitutus est. In Prælatis enim nec est verbum doctrinæ, nec exemplum virtutis. *Isa.* 29. Adhuc in modico & in breui Libanus conuertetur in Charmel & Charmel in saltum reputabitur, hoc est, altitudo seculi conuertetur ad Ecclesiam, & ex hoc etiam conuertitur in sylue stretitatem, & sic exiccabitur quod viride est in ea. *Cant.* 8. Caput tuum vt Carmelus. *Comparatio fit per res vsitatas quotidianas cognitas & familiares.* *Carmelus duplex.* *Contra malos prælatos.*

Camelus autem scientia circumcisionis interpretatur, quam Prælati maxime scire deberent, quid scilicet in se & quid in aliis circumcidere deberent. *Iere.4.* Circumcidimini Domino viri Iuda, & auferte præputia cordium vestrorum. *Rom.2.* Non quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed quæ in spiritu, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Hæc dicit Dominus] Tangit hic onera in speciali, & diuiditur in duas partes. Primo enim tangit onera aliarum gentium, secundo, quare magis vlciscitur in Iudam & in decem tribus, quam in alios infra 3. *ibi* [Audite verbum quod loquutus est Dominus] Adhuc prima in duas. Primo enim describit sex onera vicinarum gentium. Secundo describit duo, Iudæ scilicet, & Israel *ibi* [Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Iuda] Prima in sex, onus scilicet Damasci siue Syriæ, onus Philisthiim, onus Tyri, onus Edom, onus Ammon, & onus Moab, quæ per ordinem dicuntur in littera. In omnibus his vnus modus diuisionis est. Primo enim authoritatem inuit sermonis, secundo circumstantiam sceleris, tertio actum criminis, & quarto pœnam.

Onera autem aliarum gentium præmittit tribus de causis, scilicet 1 vt patientius audiatur à suis quando onera hostium præmittit. Quædam enim consolatio, est afflictio inimici. Secundo, vt minus mirentur Iudæi, si ipsi affliguntur qui legem acceperunt & transgressi sunt; quando etiam qui ex leges reputantur, pro peccatis affliguntur. Tertio, vt videntes alias gentes torqueri secundum prophetiam, magis timeant quod & ea quæ dicta sunt, ipsis eueniant. De primo dicitur *Mich.7.* Aspiciet me inimica mea, & operiet eam confusione. Et post pauca: Erit enim in conculcationem vt lutum platearum. *Sap.12.* Cum nobis das disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas. De secundo dicitur *Iere.45.* Ecce quos ædificaui, ego destruo; & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere. *Hebr.2.* Si omnis præuaricatio iustam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? De tertio dicitur *Ezech.9.* A sanctuario meo incipite. *Amos 3.* Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

Fides peccatorum a supplicio est liberat.

Hæc dicit Dominus Deus] authoritas verbi sequentis est. *Iere.1.* Ecce dedi verba mea in ore tuo [super tribus sceleribus] scelus est crimen accusatione dignum, id est, ac si dicat; Si semel vel bis vel ter Damascus populum afflixisset, hoc est, rapina, multa, & gladio, dare veniam possem; sed quia quartum addidit, obstinatam scilicet voluntatem semper affligendi populum meum, parcere non possum [Damasci] Damascum ponit, quia caput Syriæ est & metropolis. *Isa.7.* Caput Syriæ Damascus [& super quatuor] vt quarto deformitas peccato addita intelligatur. Iste est quadrans, de quo dicitur *Matth.5.* Non exies inde, donec reddas vsque ad nouissimum quadrantem [non conuertam eum] vt scilicet peccatum dimittat, & per pœnitentiam reliquat; sed potius peccatum peccato addendo, peccatum impleat vsque ad condemnationem. Vnde *Septuaginta* habet: Non auertibor eum, hoc est, non impediam eum quin de peccato in peccatum ruat. 2. *Timoth.2.* Vt impleant peccata sua semper. *Apoc.3.* Qui in sordibus est, sordescat adhuc: Hæc est impletio, de qua *Gen.15.* Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus. Et subdit actum.

Quadrans quadrantem nulla redditur pœna solvendo.

Eo quod trituraverunt] semel & iterum & tertio obstinata voluntate [in plaustris ferreis] plaustrum à plodendo dicitur, eo quod non ad vehendum, sed ad conplodendum factum sit, & est rota in campis, exterius clauis ferreis dentata & cuspidibus, quam victores super inimicos in circulo prostratos circunduxerunt, sicut & apud nos circumduci solet super gaudam & sandicem, quibus panni colorantur, vt cuspidibus viscera eorum perfoderentur: & pondere rotæ circumductæ, ossa eorum confringerentur. Hoc etiam modo dicit *Glossa*, In terris vbi fœnum non abundat, arida palea in pabulum confingitur iumentorum. Et hac crudelitate Syri populum Dei vexauerunt [Galaad] quæ ciuitas trans Iordanem est in sorte Manasses, vbi Laban comprehendit patriarcham Iacob *Gen.32.* Et quia metropolis erat illius tribus, propter hoc per eam tota sors illius tribus intelligitur quæ versus Syriam erat. *Isa.41.* Ego posui te quasi plaustrum trituratis nouum, habens rostra ferrantia: & trituralis montes & comminues, & colles quasi in puluerem pones. Et subdit de pœna huic peccato debita.

Et mittam ignem in domum Azael] qui rex Syriæ erat, sicut dicitur 4. *Reg.8. & 10. & 12.* Ignis autem iram Dei significat, vt præhabitum est, domus vero significat familiam & genus. Et hoc est quod sequitur [Et deuorabit domos Benadad] hoc est, familias Benadad enim fuit filius Azael, sicut dicitur 4. *Reg.13. & Isa.17.* Ignis hostes tuos deuoret. *Thren.2.* Effudit quasi ignem indignationem suam. Et *ibidem paruo ante*: Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro. Et subdit de processu istius iræ in terram.

Et conteram vectes Damasci] Vectes dicuntur vrbes & munitiones in extremis terrarum positæ, per similitudinem ad vectes quæ ponuntur in loriculis ciuitatum; quia sicut vectes ante ciuitatem sustinent impetus hostium, ita munitiones positæ in extremitate terrarum ne hostes possint irrumpere in regnum. Et literaliter tangit hoc quod dicitur 4. *Reg.* 13. quod Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadad filij Azael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui iure prælij; istibus vicibus percussit eum Ioas & reddidit ciuitates Israeli. Sic accipiuntur vectes. *Isa.13.* vbi de Moab dicitur: Vectes eius vsque ad Segor vitulam consternantem. Et hoc quasi exponens, subdit,

Et disperdam habitatorem] omnem scilicet viuuersaliter [de campo idoli] Campus dicitur, quia plana terra est Syriæ: & idoli, quia plena idolis. *Isa.6.* Desolatæ sunt ciuitates absque habitatore, & domus sine homine. *Isa.2.* Repleta est terra eius idolis [& tenentem sceptrum] disperdam scilicet regalem tribum [de domo voluptatis] Reges enim Syriæ voluptati vacabant, sicut Sardanapalus, vt dicit *Hieron.* [& luxuriæ] Voluptas enim causa luxuriæ est & fomentum. *Iob 18.* Non inuenitur in terra luxuriæ viuentium. Et subiungit de populo [& transferam populum Syriæ] per captiuitatem scilicet Cyrenen] quæ est regio vltra Ægyptum, quod factum est à Theglathphalasar 4. *Reg.*

Reg.16. [dicit Dominus] confirmatio præcedentium est. *Isa.31.* Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit.

Septuaginta, vbi nos habemus, in plaustris ferreis Galaad, habent, eo quod trituraverunt in serris ferreis prægnantes Galaad. Spiritualiter autem, tria scelera sunt, peccatum cogitationis, loquutionis, & operis, quibus aliquando parcitur, sed si addatur peccatum desperationis per finalem impœnitentiam non parcitur. De primo dicitur. *Isa.1.* Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. De secundo. *Matth.12.* Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. De tertio *Isa.1.* Quiescite agere perverse, discite benefacere, &c. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. De quarto 1. *Ioan.5.* Est peccatum ad mortem, non pro eo dico vt oret quis. Damascus autem interpretatur potus sanguinis, & significat eos qui delectabiliter bibunt corruptionem peccati à sanguine procedentem. *Apoc.17.* Dedisti ei sanguinem bibere. Plaustrum autem ferreum rota est volubilitatis humanæ & fortunæ & maxime potestatis qua mali triturant & ferrant bonos. *Iacob 2.* Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi pertrahunt vos ad iudicia? Boni enim significantur per Galaad, quod acerus testimonij interpretatur, quia coacervant testimonia Scripturarum, & secundum ea dirigunt vitam. 1. *Paralip.20.* Fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire. Azael autem interpretatur desertio, Benadad vero filius spontaneus, & significant desertos à gratia & spontaneos ad malum. *Prou.1.* Pedes eorum ad malum currunt. Vectes fortitudinem seculi significant, quam conterit Dominus. *Isa.8.* Auferetur fortitudo Damasci. *Psalm.106.* Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Campus autem idoli latitudinem significat simulachrorum mundi, in quo alius ventrem adorat. *Philip.3.* Quorum Deus venter est. Alius libidinem venereorum. *Psal.105.* Initiati sunt Beelphegor. Alius vero mammona, hoc est, diuitias. *Ephes.5.* Auaritia quod est idolorum seruitus. Flos disperdit Dominus. *Psalm.100.* In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Sceptrum autem tenens in domo voluptatis, gula est. *Isa.9.* Sceptrum exactoris eius superasti. Exactor enim venter est, vt dicit *Gregorius. Hom.3.* Maledixisti sceptris eius. Populus autem Syriæ, qui sublimis interpretatur, superbos significat, qui in Cyrenen transferuntur, quia dæmonibus datur in hæreditatem. Cyrenen enim hæres interpretatur. *Num.23.* Hæreditas Seir cedet inimicis suis. *Isa.27.* Regnum cessabit à Damasco, & reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel, supple, cessabunt.

Pecatum omne dimittitur pœnitentiæ desperationi.

Hæc dicit Dominus] Post onus Syriæ, quæ plus afflixit populum Dei, subiungit onus Philisthiim, quia Philisthiim propinqui inimici fuerunt, & omnes inuerunt qui populum Dei persequuti sunt. Diuiditur autem sicut præcedens. Primo igitur induit sermonis auctoritatem [Hæc dicit Dominus] *Rom.5.* Quæcumque promisit Deus, potens est & facere [super tribus sceleribus Gazæ] Gaza metropolis est Philisthinorum, vnde per Gazam & alias quas induxit Philisthinorum ciuitates, quæ semel & iterum & tertio, hoc est, multa, fame per terræ vastitatem, & gladio populum Dei persequuti sunt [& super quatuor] hoc est, quarto obstinatam voluntatem addiderunt [non conuertam eum] vt scilicet conuersus vlterius non peccet, sed potius peccata impleat. *Iob 15.* Cunctis diebus vitæ suæ impius superbit. Et subdit actum peccati [eo quod transtulerint captiuitatem perfectam] captiuitatem materialiter intelligit, & est sensus quod captiuitatem perfectam translatione fecit: fugientes enim filios Israël ad eos, Idumæis vendiderunt, & puniendos dederunt, & propter hoc irreuocabilis facta est captiuitas eorum. Et hoc est quod sequitur [vt concluderent eam [scilicet captiuitatem] in Idumæa] Idumæi enim semper fuerunt infesti filijs Israël & inimici. Vnde patet eorum dixit. *Gen.27.* Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum.

Idumæi fuerunt semper Israëli infesti.

Significant autem hæc tria scelera, peccatum in voluntate & in consensu & in opere, quibus quartum additur, scilicet, peccatum obdurationis, quod etiam peccatum est in Spiritum sanctum. De tribus dicitur. *Iob 33.* Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, hoc est, puniendo in singulis tria peccata. De quarto autem, quod est obduratio. *Eccli.3.* Cor durum male habebit in nouissimo, & qui amat periculum, in illo peribit. Vnde & de quibusdam sic, per obstinationem conuerti nolentibus dictum est. *Num.16.* Ne respicias ad sacrificia eorum. Desperatorum quippe sacrificiis Deus non placatur. Obduratio enim peccatum est quo aliquis obfirmat cor, ne vel beneficiis per charitatem mollescat, vel timore pœnarum frangatur, vel compunctione scindatur ad pœnitentiam. *Psalm.104.* Nolite obdurare corda vestra, talibus enim iurauit, vt non introirent in requiem. *Heb.2.* Quibus autem iurauit vt non introirent in requiem suam? Nonne his qui incrédeli sunt? & videmus quia non introierunt propter incredulitatem. Gaza vero fortitudo vel imperium interpretatur, & significat Pharaonis qui dicunt *Sap.2.* Sit fortitudo nostra lex iustitiæ. Hi captiuant in peccatis subditos. 2. *Timoth.5.* Captiuas ducunt mulierculas, hoc est, molles animas, oneratas peccatis. Et concludunt perfectam captiuitatem in Idumæam, quæ terrena vel sanguinea interpretatur, quia faciunt eos amare carnem in libidine, & terram in auaritia, ex quo amore perficitur captiuitas eorum, ita quod desperata fiat. *Isa.19.* Rex fortis dominabitur eorum. *Abdia 1.* Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confusio, & peribis in æternum. In die cum stares aduersus eum quando capiebant alieni exercitum eius. *&c. Hier.* Alieni specialiter Philisthæi dicuntur.

Desperatio sola est irremissibilis.

Et mittam ignem in murum Gazæ] murus Gazæ ardere non potest, & ideo murus munitionem significat, & maxime homines qui muniunt terram, sicut sapientes & potentes quos Deus dissipat. *Thren.2.* Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion. Et *ibidem*: Murus pariter dissipatus est [Et deuorabit ædes eius] hoc est, ædificia; ædificia enim munitionum seculi deficient. *Matth.24.* Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. [& disperdam habitatorem de Azoto] quæ est secunda ciuitas sui metropolis Philisthinorum. Quinque enim sunt ciuitates Philisthiim, de quibus dicitur 1. *Reg.5.* Azotus autem interpretatur ignis vbertum, & significat libidinis ardorem. *Osea 2.* Auferat fornicationes suas à facie

Admiratio pœnarum Dei suarum.

sua,

sua, & adulteria sua de medio vberum suorum [& tenentem sceptrum de Ascalone] *Glossa*, Ascalon antiquitus vocabatur Philisthiim, vnde & regio postea vocata est Philisthæa, eo quod Ascalon principalis ciuitas est in ea, & est ista tertia ciuitas Philisthinorum: interpretatur autem ignis infamis, in qua sceptrum tenent Sodomitæ. *Rom.1.* Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. *Gen.13.* Homines Sodomitæ pessimi erant [& conuertam manum meam] percutientem scilicet [super Accaron] quæ quarta ciuitas est inter ciuitates Philisthinorum: Accaron interpretatur sterilitas, & significat otiosos vel pigros, qui steriles sunt ad omnem bonum fructum. *Prou.24.* Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. Ager ab agendo dicitur, & perfectionem in actione virtutum significat, loco cuius in pigro crescunt vrticæ concupiscentiarum carnalium. Vrtica enim ab vrendo dicitur, tales vero libidine vruntur. *Galat. vlt.* Caro concupiscit aduersus spiritum. Dimittit autem hic quintam ciuitatem, quæ Geth vocabatur, quia ista minima fuit, & parvus respectus habebatur ad ipsam: interpretatur autem torcular, & significat tyrannos huius seculi, qui alios torquent & comprimunt. *Isa.16.* Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat. Post omnes autem ciuitates subiungit de terræ destructione [& peribunt reliquiæ Philisthinorum] Philisthiim potione cadentes interpretantur, & significant eos qui bibunt velut aquam sublannationem. *Iob 34.* Qui bibit velut aquam sublannationem, *Iere.25.* Bibite & inebriamini, vomite & cadite, & nolite consurgere à facie gladij, quem ego mittam inter vos [dicit Dominus Deus] confirmatio est prædictorum. *Marc.24.* Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Hæc dicit Dominus] Post omnes Philisthinorum ponit onus Tyri & Sidonis, qui in alia parte terræ coniuncti erant Iudæis, & multis afflictionibus affligebant populum [super tribus sceleribus Tyri] qui obsidione, fame, & gladio persequtus est populum [& super quatuor] Quartum peccatum est, cordis induratio. Induratio enim est pertinacia permanendi in peccato, à quo homo non recedit per verecundiam, nec flectitur per aliquem boni affectum. *Ezech.3.* Omnis quippe domus Israël attrita fronte & duro corde est. *Iere.3.* Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Hæc autem induratio est peccatum in Spiritum sanctum, & ob hoc sequitur [non conuertam eum] *Luc.12.* Non remittetur in hoc seculo, nec in futuro. Et subiungit causam.

Eo quod concluserit captiuitatem perfectam] hoc est, perfectè [in Idumea] sicut ciuis Philisthiim, ita & isti populum ad se fugientem vendiderunt Idumæis. *Isa.35.* Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. In Idumea autem concludunt, quæ sanguinea interpretatur, qui vitiis sanguinis & carnis addicitur. *Rom.7.* Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? & non sint recordati fœderis fratrum] Fœdus fratrum dicitur fœdus quod habuit Hiram rex Tyri cum David, & Salomone 3. *Reg.5.* Et [illegible] fratres amicitia, eo quod amici vt fratres se diligant. *Iacob.10.* Vnum patrem habemus, Deum. *Mat. 24.* Dissipauerunt fœdus sempiternum. *Matth. 23.* Omnes vos fratres estis. *Iob 19.* Fratres meos longè fecit à me.

Et mittam ignem] iræ meæ scilicet. *Iob 10.* Terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio consumptura est aduersarios [in murum Tyri] Tyrus angustia interpretatur, & significat solicitudinem seculi; murus autem munitionem significat diuitiarum. *Ezech.13.* Dic eis qui liniunt murum absque temperamento quod casurus sit. Absque temperamento enim liniturus, quod sine charitate coniungitur [& deuorabit ædes eius] quicquid enim solicitudine nimia ædificatur, ignis iræ Dei consumit. *Iob 15.* Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.

Hæc dicit Dominus] Quarto hic subiicit de onere Idumæorum, qui semper filios Israël patruales suos ex inuidia persequebantur, & ideo post finitimas gentes statim ponitur onus eorum. Et sicut in aliis, ita & hic præmittit notoriatem sermonis dicens [Hæc dicit Dominus] 2. *Reg.23.* Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Et subdit de circumstantia peccati [super tribus sceleribus Edom] hoc est, Idumæorum, quod scilicet semel & iterum & tertio populum Dei cum aliis terram vastando, multam imponendo, homines interficiendo, persequti sunt [& super quatuor] quod est pertinacia voluntaris, inuidentia scilicet fraternæ gratiæ obstinata. *Simulus enim erat fratris sui. Sap. 1.* Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex patre illius.

Non conuertam eum, eo [hoc est, idem] quod persequutus sit in gladio] hoc est, ad occidendum [fratrem suum Iacob scilicet & filios eius. Vade *Gen.27.* dixit Esau: Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum. Et hoc odium in posteris suis perseuerauit. Et hoc est quod sequitur [& violauerit misericordiam suam] quæ scilicet, naturali vinculo astrictus ei fuerat. *Iacob.2.* Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. *Iob 24.* Obliuiscatur eius misericordia. In quo autem hoc fecerit, subdit [& indignationem suam] quam scilicet concepit in vero contra eum pro oblatione primogenitura. Indignatio est proprie motus vitiosus & respectus ex odio, ita quod benignum respectum ad eum habere non potest. *Gen.27.* Odeit ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater suus. *Isa.50* Laba eius replebat suam indignatione [seruauerit vsque in finem contra illud quod dicitur *Ephes.4.* Sol non occidat super iracundiam vestram [& tenuerit vltra] scilicet, quam debuerit [furorem suum secundum illud quod dicitur *Rom.12.* Noli vinci à malo, sed vincere in bono malum. *Leuit.19.* Non quæres vindictam, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. *Psal.36.* Desine de ira, & derelinque furorem, noli æmulari vt malignetur. Hoc autem quod dicitur, vsque in finem notat quod in peccato vsque ad mortem perseuerauit, vel quod peccatum peccato cumulauerit vsque in finem conseruando. Contra quod dicitur 1. *Paral.* 28. Nemo in eum vsque reserues mala mihi. Et subiungit.

Mittam ignem in Theman, quæ est metropolis Idumæorum, & autem interpretatur. Et de igne iræ diuinæ intelligitur. *Isa.9.* Ardebit furor eius

Nimia solicitudo displicuit à Deo.

Ira non est diu in animo retinenda.

& grauis ad portandum [Et deuorabit ædes Bosræ] quæ est alia metropolis eiusdem regni, & interpretatur munita. Et intendit quod munitiones & ciuitates omnes Idumææ destruentur. *Isa 34.* Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. *Abdia 1.* Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula; & succendetur in eis, & deuorabunt eos; & non erunt reliquiæ domus Esau.

Ista pars spiritualiter exponitur de inuidis, quorum tria & quatuor scelera sunt. Primum quidem paruitas cordis, omnia enim parua reputat quæ habet, quamdiu alium videt in prosperis. *Iob 5.* Paruulum occidit inuidia. Vnde *Esther 3.* Aman (qui iniquus interpretatur) cum omnia haberet, nihil reputauit, quia vidit Mardochæum sedentem ante fores palatij. Secundum est tristitia de bono alterius; torquetur enim inuidus in bonis proximi. Vnde Poëta.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Sap.2. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, grauis est nobis etiam ad videndum. Tertium est machinatio continua ad nocendum. *Prou.6.* Corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Isti sunt tres spiritus, de quibus dicitur *Apoc. 16.* Vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum. Quartum est pertinax fratris impugnatio, qua scilicet sine fœdere fratres impugnant. *Cant.1.* Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Et hæc facile est referre ad ea quæ sequuntur. Quod enim dicit, non conuertam, glossandum est pro vix conuertam. *Isa.6.* Nequando conuertantur & sanem eos. Quod dicit, quod persequutus sit fratrem suum gladio, de linguæ gladio intelligitur. *Prou.30* Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus, vt comedat inopes de terra. *Iob 5.* Saluum faciet egenum à gladio oris eorum. Quod autem violat misericordiam & tenet furorem & indignationem, commune est vtrique expositioni. Ignis autem qui mittitur in Theman, iram Dei significat in prosperis inuidi, pro quibus inuidet alienæ felicitati. *Psalm.139.* In ignem deijcies eos, in miseriis non subsistent. Quod dicit de Bosra, significat munitiones quibus se munit ad nocendum proximo, quæ igne iræ Dei succendentur. *Psal.67.* Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Hæc dicit Dominus] Tangit hic onus Ammon, qui fuit vnus de filijs Lot, à quo populus Ammonitarum disseminatus est, & ordinem tenet coniunctum, scilicet, primo sermonis ponens auctoritatem, secundo sceleris circumstantiam, tertio actum, quarto pœnam [Hæc dicit Dominus] *Num.23.* Dixit ergo, & non faciet; loquutus est, & non implebit. Quali dicat, non [super tribus sceleribus filiorum Ammon] Tria scelera in litera numerauit, scilicet, crudelitatem, auaritiam, in quibus tertium intelligitur, quod est persequutio. Quartum autem, obstinata pertinacia est semper hæc faciendi, & hoc onus pioliue describitur. *Iere. 49.* Interpretatur autem Ammon populus inutilis vel populus mœroris, & significat auaros, qui non tantum inutiles, sed etiam nociui sunt, & mœroris populus sunt, propter solicitudines acquirendi, & timorem perdendi diuitias, *Eccl.5.* Quid prodest ei quod laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis & in ærumna, atque tristitia. Tria vero scelera sunt, aliena concupiscere, non sua illicite acquirere, acquisita duritia cordis retinere; quæ significantur per fuscinulam tridentem 2. *Reg.2.* vbi dicitur: Omne quod tetigerat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi [& super quatuor] quartum enim est, insatiabilitas auari. *Eccl.4.* Auaritia non implebitur pecunia. *Prou.30.* Ignis nunquam dicit sufficit. Ab hoc peccato plusquam ab aliis homo difficulter conuertitur, vt dicit *Hieron.* Senescente enim homine, auaritia in eo iuuenescit. *Eccl.10.* Nihil est iniquius quam amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. Et ideo addit [non conuertam eum] *Iere.15.* Non est anima mea ad populum istum, eiice illos à facie mea. Difficile enim est à lucris recedere. *Matth. 19.* & *Luc.18.* Difficile qui pecunias habent intrabunt in regnum Dei. Et iterum dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum. Et subdit peccati actum.

Eo quod disseuerit prægnantes Galaad] Hieronymus dicit hoc factum esse tempore Saulis regis, quando Naas Ammonitarum princeps (vt habetur 1. *Reg.11.*) vastauerat Iabes Galaad, & disseuerat prægnantes eius, vt dilataret terminos suos, & omnem Galaad suo imperio subiugaret. Quæ impietas ob hoc grauior censetur, quod cognati fuerint ac propinqui Ammonitis filij Israël ac Galaaditæ. Nam filij Ammon de stirpe Lot sunt generati, qui filius erat fratris Abraham à quo descenderunt Iudæi. 2. *Reg.14.* Quærunt extinguere scintillam meam quæ relicta est, vt non superet viro meo nomen & reliquiæ super terram. 4. *Reg.8.* Ciuitates eorum igne succendes, & iuuenes interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides [ad dilatandum terminum suum] hoc est, vt terram sortis Manassæ terræ suæ coniungerent, & imperio suo subiicerent. Et hoc expressius tangitur *Iere.49.* Nunquid non filij sunt Israel, aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchon Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit? Hoc etiam auaris competit qui prægnantes in conceptu boni propositi secant, extrahendo viscera eorum per lucra illicita; quod significatur 4. *Reg.4.* vbi vidua clamauit ad Eliseum: Ecce venit creditor vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Prægnans enim diuiditur, quando filij torquentur. Hoc isti faciunt ad dilatandum terminum suum. *Isa.5.* Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Et subdit de pœna.

Et succendam ignem in muro Rabbæ] Rabba metropolis est filiorum Ammon, per quam tota terra intelligitur. Rabba autem grande peccatum interpretatur. *Ezech.32.* Percussis peccatum maximum. 1. *Reg.2.* Erat autem peccatum puerorum grande. *Eccl.10.* Auaro nihil est scelestius. Murus autem qui succenditur, congeries est diuitiarum, qua se munit auarus. *Ezech.13.* Destruam parietem quem liniistis absque temperamento, & adæquabo eum terræ. *Iob 15.* Ignis deuorabit tabernacula eorum qui libenter munera accipiunt.

Inuidus quatuor pecuniis est insatiabilis.

Auaritia vix euertere difficile est.

Auarus disserpit terminum.

Iacob 5. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Et hoc est quod sequitur [& deuorabit ædes eius] hoc est, quæcumque laboribus ædificauit & acquisiuit. 1. *Cor.* 3. Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. *Isa.* 1. Erit fortitudo vestra quasi fauilla stupæ & opus vestrum quasi scintilla, & succenderentur vtrumque simul, & non erit qui extinguat [in vlulatu in die belli] vlulatu scilicet vincentis exercitus, planctuque victorum; quod fit per dæmones in auaris, & per Chaldæos in Ammonitis [& in turbine] hoc est, inuoluente captiuitate [in die commotionis] hoc est, transmigrationis quando scilicet transmigrabunt de hoc seculo vel de terra sua. *Iere.* 49. Auditum faciam super Rabba filiorum Ammon, fremitum prælij, & erit in tumulum dissipata, filiæque eius igne succendentur [& ibit Melchon in captiuitatem] Melchon interpretatur rex eorum, quo nomine & idolum eorum & rex vocabatur. *Sap.* 6. Potentes potenter tormenta patientur [Ipse & principes eius simul] supple, ibunt in captiuitatem. *Psalm* 149. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; vt faciant in eis iudicium conscriptum. Iustum est enim quod illi qui fuerunt causa subuersionis populi, primi captiuentur. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum [dicit Dominus] confirmatio est præteritorum, dictum enim Domini stabit. *Isa.* 40. Verbum Domini manet in æternum.

CAPVT II.

Hæc dicit Dominus.

SEXto loco hic ponit onus Moab, qui etiam fuit filius Lot de incestu filiæ natus, & eundem quem in aliis tenet ordinem. Primo ergo auctoritatem ostendit sermonis, &c. [Hæc dicit Dominus] *Exod.* 24. Omnia quæ loquutus est Dominus, faciemus. Hoc onus prolixius describitur *Isa.* 15. & *Iere.* 48. De circumstantia autem delicti, subdit [super tribus sceleribus Moab] Moabitæ frequenter infesti fuerunt filiis Israël: nam pergentibus ad destinatam terram promissionis, protetue nimis obstiterunt, ne liceret illis per terminos eorum transire. Quod quia armata manu perficere non præsumebant, exemplo territi Chananæorum ac Amorrhæorum, quos superauerant filij Israël, vt habetur *Num.* 22. pretio conduxit Balac filius Sephor rex Moab, Balaam filium Beor ariolum, qui populo Israël malediceret. Id verò cum prohibente Deo facere non auderet, victus tandem iniqui principis largitione, consilium dedit de submittendis ad castra filiorum Israël mulieribus, quarum illecebris ad fornicationem ac idololatriam protracti, irato Deo à Moabitis cæderentur. *Num.* 25. & 24. In quo duplex peccatum commiserunt, alterum quod citra alicuius incommodum transitum petentibus cognatis negabant, alterum quod ad fornicationes ac idololatriam populum Dei induxerunt. Quibus à successoribus coniunctum est tertium, nupcio videlicet fœderis quod fuit Moabitis cum rege Israël, vt habetur 4. *Reg.* 3. [& super quatuor] Quartum scelus est, quod etiam debacchati sunt in mortuum, quod nimiæ crudelitatis est argumentum. Dicit enim *Hieronymus*, quod mortuum effoderunt, & ossa eius igne combusserunt, vt facerent mortuo quod non poterant facere viuo, & vt nec mortem parerentur esse finem malorum omnium. Et ideo subdit [non conuertam eum] quia conuersione indignus est. *Isa.* 2. Ne ergo dimittas eis. Et subdit peccati actum.

Eo quod incenderit ossa regis Idumææ] iam mortui scilicet [vsque ad cinerem] debacchantes etiam in ossa mortui, & partes partium ossium, vt nihil eius integrum remaneret. *Mich.* 3. Ossa eorum confregerunt & conciderunt, sicut in lebete. *Ezech.* 24. Congere ossa quæ igne succendam. *Hieronymus.* Quod si Deus ita vlciscitur eos, qui eum non cognouerunt; quid faciet pro his qui eum colunt [& ideo] supple [mittam ignem] iræ meæ [in Moab] hoc est, in populum, & in terram Moab. *Deuter.* 4. Deus noster ignis consumens est [& deuorabit ædes Carioth] quæ fuit ciuitas metropolis Moabitarum, per cuius destructionem destructio regni significatur. Et hoc factum est per Nabuchodonosor regem. *Iere.* 48. Super Carioth, & super Bosra, & super omnes ciuitates terræ Moab, quæ longe & prope sunt. Abscissum est cornu Moab, & brachium eius contritum est. *Ezech.* 28. Producam ignem de medio tui, qui comedat te; & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te [& morietur in sonitu Moab] hoc est, in sonitu quem dabunt hostes clamando contra eos: Moab enim est nominatim cassis. *Psalm.* 9. Periit memoria eorum cum sonitu. *Iob* 39. Procul odorantur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus [in clangore tubæ] supple, erit sonitus. Victores enim tuba clamauerunt super eos, & hoc sonitum vocat. Vnde *Iere.* 42. Ad terram Ægypti pergemus, vbi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus. *Iob* 15. Sonitus terroris semper in auribus eius [& disperdam iudicem] hoc est, regem [de medio eius] *Psal.* 2. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos [& omnes principes eius interficiam cum eo] vt authores criminis, primi sint in pœnis. *Malach.* 2. Disperdat Deus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum in Israël [dicit Dominus] confirmatio est eorum quæ dicta sunt.

Contra mortuos non pugnandum.

Spiritualiter autem Moab ex patre interpretatur, & significat eos qui veritatem impugnant: hi enim ex patre diabolo sunt. *Ioan.* 8. In veritate non stetit. Et post pauca: Mendax est & pater eius. Horum tria scelera sunt: sermonis compositio, contra quod dicitur 1. *Cor.* 2. Non veni ad vos in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Secundum sublimitatis diuinæ nimia perscrutatio. *Sap.* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ vestræ. Et post pauca: Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, & quæ in cælis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet? *Prou.* 25. Perscrutator maiestatis opprimetur à gloria. Tertium est per philosophicas rationes syllogismorum complexio contra veritatem: de quo dicitur *Iob* 38. Quis est iste inuolens sententias sermonibus imperitis? Quartum autem est peccatum in Spiritum sanctum, ex odio scilicet impugnatio veritatis

Impugnatio veritatis pullus est dæmonis.

tis agnitæ, quod faciunt hæretici: propter quod dicit Augustinus, quod contra veritatem sine fœdere bellant. Contra quos dicitur *Ioan.* 10. Si veritatem dico vobis, quare non credidistis mihi? 2. *Timoth.* 3. Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Hi incendunt ossa regis Idumææ, hoc est, Christi. Ossa enim eius sunt solidæ veritates de subtilitate diuinitatis; quæ illi incendunt zelo hæreticæ prauitatis. Contra quod dicitur *Exod.* 12. Os non comminuetis ex eo. Et vsque ad cinerem deducunt, quando in conspectu populi veritatem vilem reddunt & conculcandam præbent vt cinis. Propter quod dicitur *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas mittatis ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus. Propter quod ignis iræ Dei procedit in tales. *Iudith vlt.* Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant in sempiternum. Iste ignis deuorabit ædes Carioth, quæ occursus ignis interpretatur, quia igne diaboli inflammati, veritati se opponunt. *Sophon.* 3. In igne zeli mei deuorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis meis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei humero vno. Consumpto enim terreno intellectu, veritatis labium redditur. Hoc modo in sonitu moritur iste Moab. Sacri enim Doctores sonant contra eum, de quibus dicitur in *Psalm.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. Index dispergitur, quia hæresiarcha qui hæresim inuenit, vincitur & confunditur, vt Arrius, Sabellius, & huiusmodi. 2. *Timoth.* 3. Vltra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus. Principes eorum, potentes seculi sunt ei stridentes, qui gladio verbi Dei interficiuntur. *Isa.* 11. Spiritu laborum suorum interficiet impium.

Hæreticorum oppressio & interitus.

Hæc dicit Dominus] Post onera Gentium transit ad onus Iuda, hoc est, duarum tribuum, quæ in hoc plusquam decem tribus peccauerunt, quia Sacerdotes & Prophetas habuerunt, quorum monita contempserunt [Hæc dicit Dominus] nondum enim tenet quem in aliis tenuit in diuisione. Vnde quod dicit, Hæc dicit Dominus, auctoritas sermonis est. 4. *Reg.* 10. Videte quod de sermonibus Domini non cecidit in terram [super tribus sceleribus Iuda & super quatuor] Tria scelera sunt quæ in litera commemorat, scilicet, legis abiectio, quia scite eam noluerunt. *Iob* 21. Scientiam viarum tuarum nolumus. Secundum, mandatorum & præceptorum non obseruatio, quod corruptionem fecit in opere. *Iere.* 6. Verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. *Psalm.* 108. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Tertium, ad idola conuersio. *Iere.* 2. Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. Iste sunt tres turmæ, de quibus dicitur *Iob* 1. Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio. Hæc in vna expositione communis exponuntur etiam de clericis qui legem non curant, maculata non tenent, & immaculata in delectabilibus mundi commutant. Quartum autem est, factum loci prophanatio: sicut enim illi idolis templum, ita isti turpitudinibus Ecclesiæ prophanant. *Iere.* 2. Ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem. Et ideo dicit [non conuertam eum] non quia Deus paratus sit dare pœnitentiam, sed quia finem conuersionis demerentur pertinacia voluntatis. *Iere.* 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam & pardus varietatem suam, potestis & vos bene facere cum didiceritis malum. De primo peccato subdit.

Clericorum peculiaria peccata.

Eo quod abiecerit legem Domini] contra quod dicitur in *Psalm.* 36. Lex Dei eius in corde ipsius. De secundo [& mandata eius non custodierit] moralia scilicet, quæ de lege naturæ sunt. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. De tertio subdit [deceperunt enim eos idola sua] Bene dicit, idola, quia idolum nihil est in mundo 1. *Cor.* 8. sed apparentia quædam est: apparens autem & non existens vanitas deceptionis est. 1. *Reg.* 26. Decipies & prævalebis, dixit Dominus Spiritui mendacii [post quæ] scilicet idola [abierunt patres eorum] & filios illius transgressionis hæredes constituerunt. *Nehem.* 9. Proiecerunt legem tuam post tergo suo. Et infra post pauca: Nos autem impie egimus, supple, qui sumus filij eorum. *Thren. vlt.* Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus. Et subdit de pœna.

Et mittam ignem in Iuda] vindictam scilicet iræ meæ. *Deu.* 7. Flumius igneus rapiduique egredebatur à facie eius [& deuorabit ædes Ierusalem] Ierusalem enim metropolis, est duarum tribuum, & Ecclesiam significat, cuius ædes tali vitio consumptæ sunt. *Isa.* 64. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi te laudauerunt patres nostri, versa est in exustionem ignis, libidinis scilicet. *Iob* 31. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.

Hæc dicit Dominus] Vltimo ponit onus Israël, quia illic diutius vsit imperati. Eundem autem modum tenet diuisionis quem & in aliis. Diuiditur autem in partes duas. Primo enim ponit onus per quatuor differentias sicut in aliis: secundo peccatum propter quod onus inducit, exaggerat, ibi [Ego autem exterminaui] Primo ergo more suo auctoritatem inducit sermonis, dicens [Hæc dicit Dominus] *Matth.* 5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege [super tribus sceleribus Israël] hoc est, decem tribuum [& super quatuor] quæ per ordinem ponit in litera, scilicet, iusti venditionem, pauperum conculcationem, viæ humilium declinationem, & quartum, matrimonij violationem non conuertam eum] Impetus enim concupiscentiæ, quasi equus effrænis à Deo abducit. *Iere.* 2. Omnes qui quærunt eam non deficient, in menstruis eius inuenient eam, hoc est, in defectibus. Et subiungit de peccato primo.

Eo quod vendiderit pro argento iustum masculine scilicet vel neutraliter, hoc enim faciunt expresse iudices Ecclesiæ. *Isa.* 5. Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferetis ab eo. *Deu.* 16. Non accipies personam nec munera; quia munera excæcant oculos sapientum, & subuertunt verba iustorum: iuste quod iustum est exequeris. Et exaggerat hoc peccatum vtertius [& pauperem pro calceamentis] supple, vendiderunt. *Septuaginta.* Et pauperem propter calceamenta, quæ calcant super pulverem terræ. *Hieronymus.* Primum ergo eorum iocus est, hæc impietas in tribus vel quatuor commutata enumerata, quod propter pecuniam hominem vendiderunt, & hominem iustum, qui in eo admirabilis est, quod nec paupertate superatus est, vt iucundum

Concupiscentia carnis abducit à Deo.

aliquid faceret, nunc autem pro re vilissima, calceamentis scilicet quibus pulverem calcant & fimum, pretiosam animam pauperis iusti vendiderunt. Hoc calceamentum, nimiam curam significat huius mortiferæ pellis. *Exod.* 3. Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. *Iob* 24. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt, hoc est, pauperem publicum, qui etiam apud vulgum pauper reputabatur. Et subiungit de secundo.

Qui conterunt]angaria scilicet corporis [super pulverem terræ] hoc est, vt plus comminuti sint quã puluis [capita pauperum] *Septuaginta*. Qui percutiunt in capite pauperem. *Isa.* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? *Psal.* 109. Conquassabit capita in terra multorum. Et subiungit de tertio.

Et viam humilium declinant] humiles sunt simplices de populo, quorum viam declinant à mandatis Dei per scandalum. *Malach.* 2. Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. *Isa.* 3. Populi meus qui te beatum dicunt, ipsi decipiunt te, & viam gressuum dissipant. Et subdit de quarto.

Et filius ac pater eius ierunt ad puellam] *Septuaginta*. Ad eandem puellam, vt scilicet vni & eidem pater & filius commiscerentur sicut Ruben *Gen.* 49. Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Contra quod dicitur *Levit.* 18. Turpitudinem vxoris patris tui non discooperias. 1. *Corinth.* 5. Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, vt vxorem patris aliquis habeat. Hæc puella, vt dicit quædam *Glossa*, pulchritudinem vanitatis mundi significat, ad quam & pater & filius vadunt, scilicet, & subditus. De quo Poeta Virgilius.

Malo me Galatea petit lasciua puella:
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Galathæa ista pulchritudinem mundi significans, interpretatur magnifica, quæ multos inuitat, malo, hoc est pomo, cum tamen fugiat ad salices, hoc est, ad sterilitatem, & nolit videri nisi ante & non post [vt violarent nomen sanctum meum] Vt, non notat causam, sed terminum operis. Ex hoc enim accidit, quod multi malo opere blasphemant nomen Domini. *Ezech.* 36. Propter nomen sanctum meum quod polluistis in Gentibus. Et hoc peccatum vlterius exaggerat.

Et super vestimentis pignoratis]hoc est, pignoris loco acceptis [accubuerunt] talibus scilicet mulieribus. Contra quod dicitur *Exod.* 22. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes illi. Ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. *Hieronymus* tamen in originali dicit propter literam *Septuaginta*, quæ sic habet. Et vestimenta filij alligantes funibus, faciebant vmbracula iuxta altare, quod super vestimentis eorum qui ad idola ire nolebant, sed ad templum Domini quæ vi extorserant, in idolo epulantes accumbebant, & tantus erat contemptus in Deum, vt ex illis [illegible], id est, velamina vel tentoria facerent, quibus obumbratos fornicantes nullus posset aspicere: sicut legimus fecisse Absalom ad consilium Achitophel 2. *Reg.* 16. Quando polluit concubinas patris sui [iuxta omnes altare] idolorum scilicet; multa erant altaria idolorum, altare autem Domini non nisi vnum. *Osee* 10. Secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vberitatem terræ suæ exuberauit simulachris. Hoc apud nos expositione non indiget, quia in Ecclesia & iuxta altare concumbunt Sacerdotes cum mulieribus etiam sine velaminibus [& vinum damnatorum] hoc est, quos propter hoc damnabant ex calumnia, quod in Ierusalem ad templum Dei pergebant [bibebant] in luxuria scilicet, & ebrietate [in domo Dei sui] vituli scilicet, in Bethel, & in Dan; quod nostri Sacerdotes faciunt & iudices, qui omne iudicium per calumniam in lucrum conuertunt, & illo lucro in domo Dei sui, mansiones scilicet, ventris vel veneris abutuntur in lasciuias. *Iob* 24. Vigilantes ad prædam, præparant panem liberis, agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserunt, vindemiant.

Ego autem exterminani Amorrhæum à facie eorum] In hac parte per ingratitudinem exaggerat peccatum decem tribuum, primo ostendens beneficia præstita, secundo ingratitudinem *ibi* [Et propinabatis] Tertio, ingratorum pœnam *ibi* [Ecce ego stridebo] Beneficia vero ponendo, primo tangit quatuor beneficia, duo corporalia, & duo spiritualia. Secundo, continuit de veritate beneficiorum *ibi* [Numquid non ita est] Duo corporalia beneficia sunt, primum quidem factum per Iosue & iudices, & reges Israel, hoc est, exterminatio inimici impedientis. Secundum autem eductio de Ægypto, quæ facta est per Moysen, Aaron, Mariam, & Hur. De priori autem beneficio corporali dicit.

Ego autem exterminani Amorrhæum à facie eorum, hoc est, à præsentia eorum vt liberam inuenirem possessionem. *Deut.* 7. Cum introduxerit te Dominus Deus in terram quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te, Ethæum, & Gergeæum, & Amorrhæum, & Chananæum, & Pheresæum, & Euæum, & Gebusæum, septem gentes multo maioris numeri quam tu es, & robustiores te. Et cum septem sint, tamen Amorrhæum nominauit, quia ille fortior fuit. Hic dicitur exterminatus, quia fuit extra terminos vitæ, & extra terminos terræ promissionis electus, ne aliquod scilicet posset procurare impedimentum, quin Israel liberam consequeretur possessionem. Et subdit de fortitudine illius [cuius altitudo in sublimitate scilicet dignitatis, potestatis, & diuitiarum, & corporis proceritate [cedrorum altitudo eius] hic est, pleonasmus & hyperbole. Pleonasmus, quia superfluit alterum relativorum, sicut ibi, Cuius participatio eius in idipsum. Hyperbole autem, quia excessum facit in comparatione plus poteris & minus significans, sicut *Numer.* 14. Mortua quædam filiorum Enachim vidimus ibi, quibus comparati locustæ videbamur [& fortis ipse] Amorrhæus scilicet [quasi quercus] Querens enim arbor durissima & fortissima est, vnde & robur communi nomine vocatur. Et cuius vocabulo Philo putat Esau vocari quercinum vel roboreum. Qualiter autem contribuit, subdit [Et contriui fructum eius deleuit.] Fructus dicuntur diuitiæ, ædificia, culturæ, &c. quæ ille populus perfecerat in terra ad fructificandum sibi [& iudices eius subter] [sapple contribui. Radices dicuntur tribus familiæ, & successio filiorum & nepotum Iob *Psal.* 51. Eueller te & emigrabit te de taber

Ritualis patris, filius non erit.

Esau dictus est quercinus.

deplorandæ inuerecundiam.

tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Mystice autem Amorrhæus interpretatur amaricans, & peccatores significat, diabolum scilicet & diabolicos homines, qui ad amaritudinem prouocant Deum. *Osee* 12. Ad iracundiam me prouocauit Ephraim amaritudinibus suis. *Habac.* 2. Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius. *Act.* 8. Dixit Petrus ad Simonem: In obligatione iniquitatis, & in felle amaritudinis video te esse, hæc Deus exterminat, hæc est, extra terminos rationis & gratiæ & vitæ ponit. *Iob* 40. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia, respice cunctos superbos & confunde eos, & contere impios in loco suo, absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam. Huius altitudo comparatur cedro in superbia eundis. *Psal.* 36. Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Isti adhærent diabolo, sicut canda corpori. *Iob* 41. Constringit candam quasi cedrum. *Psal.* 28. Vox Domini confringentis cedros. Fortitudo autem comparatur quercui: quercus enim fortis arbor est, fructus non ferens, nisi glandium, quas porci manducant, & significat gulosos & luxuriosos, qui sunt fortitudo diaboli, qui fere totum mundum vicit. *Iob* 40. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius, vbi dicit *Gregorius*, quod luxuria virorum in lumbis est, fœminarum autem in vmbilico. Hæc est quercus in qua mortuus est Absalom 2. *Reg.* 18. Cumque ingressus fuisset mulus, cui insidebat Absalom, subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insidebat pertransiit. Mulus quippe est, hoc est, mores ad hanc quercum subiecit, & maxime qui sedere nolle, hoc est, irrationabilibus concaluerunt. *Psal.* 31. Nolite fieri sicut equus & mulus. De exterminatione horum simul *Isa.* 2. Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan. Fructus harum arborum sunt opera & delectationes: radices autem, error in intellectu, & libido in affectu, quorum vtrumque comprehendum est. *Sap.* 4. Confundentur rami incorruptibiles, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. *Deut.* 4. Excutite folia eius, & dispergite ramos eius: *Isa.* 14. Conurgam super eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progenies, & germen. Et subdit de secundo beneficio corporali.

Ego autem qui ascendere vos feci de terra Ægypti, ducendo, dicit, quia Ægyptus plana terra est, & terra pressionis appellatur. Et ista ascensio allegorice, significat de vitiis ad virtutes, hoc est, de mortuis ad viuos, quia ipsi viuebant, & maxime qui sedere nolle, hoc est, irrationabilibus concaluerunt. *Exod.* 2. Ego sum Dominus Deus tuus qui te educo de terra Ægypti. *Deut.* 5. Memento quod seruuisti in terra Ægypti, & misericordiam fecit tecum Moyses & Aaron & Mariam. Moyses in exemplum virtutis, Aaron ad exemplum deuotionis, Mariam vt esset vitæ pœnitentiæ & contemptibilis [Et eduxi vos in deserto de mansione in mansionem [quadraginta annis] qui numerus, quia partibus huius ad quadraginta sorgit, pœnitentiam significat, quæ ad remissionis annum terminatur. *Psal.* 94. Quadraginta annis proximus fui generationi illi. *Osee* 11. Ex Ægypto vocaui filium meum [vt possideretis terram Amorrhæi quam Moyses diuisit Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse *Num.* 32. Hæc autem terra spiritualiter possidetur, quando in locum cadentium Angelorum, qui per Amorrhæum intelliguntur, electæ animæ restituuntur. *Ezech.* 10. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. *Luc.* 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Et subdit de beneficiis spiritualibus, quorum primum est ad informationem intellectus in veritate.

Et suscitaui de filiis vestris in Prophetas]quorum vicem tenent Doctores in Ecclesia. *Ioel* 2. Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. *Sapientia* 7. Per nationes in animas sanctas se transferens amicos Dei & Prophetas constituit. *Ioelis* 2. Exultate & lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem iustitiæ. Et subdit de secundo, quod est ad exemplum virtutis.

Et de iuuenibus vestris Nazæos] sapple suscitaui, Nazæus sanctus vel floridus interpretatur, de quorum lege *Num.* 6. continetur. Fuerunt enim qui votum habebant, & crines capitis non radebant, & vinum non bibebant, nec aliquid quod inebriare potuit. *Thren.* 4. Candidiores Nazæi eius nive, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Candidi enim fuerunt castitate, nitidi virtutis honestate, rubicundi Dei charitate, sapphiro pulchriores, cælestis conuersatione, quorum vacua, religiosa deformitas honesta in Ecclesia. Et commendat eos de decorum veritate.

Nunquid non ita est, filij Israel, dicit Dominus? Veritas enim semper vincit & vindicat. *Secundo Esdræ* 3. *Esdr.* 3. Et subdit de ingratitudine.

Et propinabatis Nazæis vinum] vt inflammarentur calore vini provocati, vel instituerunt [ma calido *Hieronymus Prov.* 31. Noli regibus, o Lamuel, nolite regibus dare vinum, quia nullum secretum est regnum ebriorum. Hoc vinum, item [illegible] gaudium. *Isa.* 5. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendum [illegible] vt vino ebrietis. Contra hoc [illegible] quod dicitur *Levit.* 3. [illegible] Nazæi erant [illegible] propinabant in secreto. Sed ex [illegible] non habebant, alii [illegible] Prophetis mandabant [illegible] hoc factum est. *Amos* [illegible] prohibuit Amos ne prophetarent [illegible] [illegible] Prophetis [illegible] [illegible] [illegible]

Peritus male agit.

& filij à bonis. Et præmisit cum consisterent peccatores adversum me, *Act.4.* Vocantes eos, Apostolos scilicet, denuntiauerunt, ne omnino loquerentur, nec docerent in nomine Iesu.

Ecce ego stridebo] Tangit hic poenam ingratorum, quam nec effugere poterunt nec resistere, quod per 7. differentias ostendit [Ecce ego stridebo] *Hieronymus* habet, stridebam. *Septuaginta*, ego voluam subter vos, sicut voluitur plaustrum plenum stipulæ. Et hoc est quod addiur hic [subter vos sicut plaustrum onustum feno] Primo enim quando boni erant, gestauit eos Dominus in sinu suo, sicut nutrix infantem: postea autem cum mali erant, cum labore portauit eos, sicut plaustrum onustum, quatuor rotis, quatuor inductis beneficiis subuectum. *Iere.23.* Si interrogauerit populus iste, vel Propheta, vel Sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? Dices ad eos: Vos estis onus, proiiciam quippe vos. Stridor significat comminationem, onus grauitatem. *Isa.1.* Facta sunt mihi molesta, laborauí sustinens. Fœnum autem siue stipula significat, quod vt materia incendij portentur. *Matth.6.* Fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Est ergo sensus, quod grauiter Deus eos sustineat, & ad ignem continuo portet.

Et peribit fuga à veloce] ita scilicet, quod effugere non poterit. *Prou.19.* Velox pedibus offendet, *Isa.30.* Velociores erunt qui persequentur vos. Veloces autem isti fabriles ingenio significant, qui tunc argumenta quibus effugiant non inuenerunt] & fortis non obtinebit virtutem suam] Fortis hic dicitur non à fortitudine virtutis, sed à fortitudine quæ est per exercitium & per militaria experimentum, qui tunc ieffecti non poterit. *Eccl.9.* Vili nec velocium esse cursus, nec fortium bellum] & robustus non saluabit animam suam] Robustus dicitur à robore corporis, qui tunc conculcabitur. Anima dicitur animalis vita. *Iud.5.* Conculca anima mea robustos. *Psalm.32.* Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.

Et tenens arcum non stabit] hoc est, instructus armis bellicis, qui tunc ad impugnandum hostem stare non poterit. *Ezech.39.* Percutiam arcum in manu sinistra tua, & sagittas de manu dextera tua proiiciam. Isti significant Doctores tenentes Scripturas, & vitam non conformantes ei quod docent] & velox pedibus suis non saluabitur] qui scilicet cursu, non equo velox est, in hoc enim differt à primo, significat autem instabiles, nunc huc nunc illuc velociter discurrentes. 1. *Reg.1.* Porro Asael cursu velocissimus fuit, quod vnus ex capitibus quæ [illegible] in sylvis. *Iere.* [illegible] Prouidus hic dicitur, [illegible] & Dominus non [illegible] ascendet [illegible] non [illegible] Ascendet equus [illegible] *Psalm.32.* [illegible] *Ezech.* [illegible] Ingressus est [illegible] & conculcabitur eis in [illegible] Iordanis [illegible] aquæ maris, hoc est, [illegible]

Et [illegible] hoc est, [illegible] Non gloriatur [illegible] [illegible] hoc est, [illegible] dicit [illegible] iustitiæ [illegible] Dominus] [illegible] *Hieronymus* hæc [illegible] sed [illegible] Hebræos ad septem reges. Ieroboam enim velox fuit, qui fugit in Ægyptum & statim rediit 3. *Reg.* cap.15. & 16. Baasa autem qui multæ fortitudinis opera fecit, virtutem suam non obtinuit 3. *Reg.*15. & 16. Amri quoque qui erat robustus & Zambri interfecit, animam vero suam non saluauit. Iehu autem qui fugitiui Ochoziam interfecit, tenens arcum non stetit 4. *Reg.*9. Quamuis vero hi quatuor tempore istius prophetiæ mortui fuerint, tamen posteri eorum, hæc quæ dicta sunt, passi sunt. Manahen vero qui velox pedibus fuit, & modo ad regem Assyriorum, modo ad regem Ægyptiorum conuolauit, saluatus non est 4. *Reg.*15. Phacee quoque filius Romeliæ, qui cum Syria ascensor equorum fuit, animam suam non saluauit 4. *Reg.* 15. Osee autem qui primo robustus corde fuit, vt populum ad Deum reuocaret, non perseuerauit, & ideo denudatus regno & honore, cursus profugit, omnibus fortibus suis destitutus.

CAPVT III.

Audite verbum quod loquutus est Dominus.

ISta pars est de comminatione visitationis, & in duas diuiditur partes, in quarum prima rationem [illegible] quare [illegible] inter alias gentes [illegible] hoc. In secunda visitationis ostendit [illegible] in [illegible] & comminationem in [illegible] [illegible] [Audite verbum hoc facere propter [illegible] in [illegible] diuiditur. Primo enim est [illegible] quod vi[illegible] fuit. In secunda, ex [illegible] & inimicorum [illegible] [Audite] [illegible] Assyrii] In tertia concludit propositum, & [illegible] ad visitandum [illegible] Propterea hæc dicit Dominus Deus, tribulabitur] Prima adhuc in duas diuiditur. In prima comminatur per rationem. In secunda, ostendit quod indicenda est per prophetam comminationem [illegible] [Si erit malum in ciuitate] Adhuc prima in duas. Primo enim ostendit per rationem, quod visitare debet. Secundo comminat hoc per sextuplicem similitudinem [illegible] [Numquid ambulabunt duo pariter] In prima [illegible] facit, excitat scilicet ad audiendum, & proponit quid audiant.

Audite] interiori scilicet auditu. *Matth.16.* Audite & intelligite] verbum scilicet, quod voce significatur, [illegible] [illegible] Audite verba ex me, & annuntiabit eis] quod loquutus est Dominus] hoc enim habet [illegible] [illegible] [illegible]

dinis, cadet in foueam; & qui se explicuerit de fouea, tenebitur laqueo, vel dæmonum scilicet, vel hominum insidiantium *Iere.* 48. Pauor & fouea & laqueus super te ô habitator Moab, ait Dominus. Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam; & qui conscenderint de fouea, capientur laqueo. Formido est in comminatione; laqueus in peccati obligatione, fouea in carceris condemnatione. Et subdit sextam, quæ de presenti malo est.

Si clanger tuba] hostium scilicet victorum [in ciuitate] capta scilicet iam [& populus non expauescet] capta enim ciuitate, tota terra capta est, quia munitio terræ est ciuitas. Et est sensus; Iam auditur tuba, quia aliæ gentes destructæ sunt, & quod contra vos procedit hostis; & ideo mirum est quod per pœnitentiam non expauescitis. *Osee* 6. In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini. *Isa.* 5. Sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius. *Ezech.* 3. Audiui post me vocem commotionis magnæ. Et talem terrorem indicit tuba vocans ad iudicium. 1. *Corinth.* 15. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.

Et post omnia subdit pii Patris & Domini clementiam, qui suos præmunit vt per pœnitentiam resipiscant: Et tria dicit. Primum, quod mali futuri habet potestatem vel inducendi vel auertendi. Secundum, quod per Prophetas facit admonitionem. Tertio Prophetarum ponit excusationem; quia quod ipse iniungit, dimittere non audent [Si] hoc est, an [erit] in futuro scilicet malum pœnæ, non culpæ [in ciuitate.] hoc est, populi communitate [quod Dominus non fecerit] hoc est, induxerit. *Isa.* 45. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. *Sap.* 16. Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem. *Isa.* 31. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. *Isa.* 50. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. Et subdit de reuelatione, vt per pœnitentiam resipiscant.

Pœna omnis non nisi Deo volente infligitur.

Quia non faciet Dominus Deus verbum] scilicet de malo inducendo, pœnæ scilicet temporalis vel æternæ [nisi reuelauerit prius] supple [secretum suum] hoc est, præordinationis suæ absconditam voluntatem [ad seruos suos Prophetas] qui scilicet præmuniant populum de pœnitentia. Iste sensus innititur in translatione *Septuaginta*, qui sic dicunt; Quia non faciet Dominus aliquid, nisi reuelauerit eruditionem suam ad seruos Prophetas. Ideo *Ezech.* 3. dicitur; Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël. Et subdit ibi: Si tu annuntiaueris vt non peccet iustus, viuens viuet, & tu animam tuam liberasti. Si autem non annuntiaueris, sanguinem eius de manu tua requiram. *Isa* 21. Pone speculatorem & quæcunque viderit, nuntiet. Secretum enim est quamdiu in Deo est dispositum, & tunc haberi non potest. *Isa.* 24. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. *Ioan.* 15. Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem nõ habent de peccato suo. Et subdit de necessitate prophetandi, quando Dominus iniungit. Et præmittit similitudinem pastoribus consueta.

Leo rugiet, quis non timebit?] Glossa, cum Dominus reuelet Prophetis, quis audeat tacere quod Dominus reuelat? sicut rugitum leonis nulla animalia audent contemnere. *Ioan.* 3. & *Amos* 1. Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam. Et hoc est quod explanando subdit [Dominus Deus loquutus est] ad Prophetas, supple. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus [quis non prophetabit?] Glossa, pauci viri sunt qui audeant, Domino Deo iubente, non prophetare. Moysi enim excusationem non recepit, propter hoc quod impediti labii fuit, Isaiam audire noluit, quia polluti labii fuit *Isa.* 6. Ieremias non cuasit, quia puer erat *Iere.* 1. Ezechiel propter timorem mortis & duritiam populi euadere non potuit *Ezech.* 3. Amos pastor & rusticus doctrinæ non aptus, coactus est ad prophetandum *Amos.* 7.

Prophetandi munus Deo iubente non fugiendum.

Audium facite] Vocat hic ad iudicium etiam ignotos & inimicos, vt iudicio humano conuincantur. *Deute.* 32. Inimici nostri sunt iudices. Tria autem facit; iudices vocat, ad considerandum quid rectum sit moner, & de quo iudicent proponit [Audium facite] ô vos Prophetæ] in ædibus Azoti] hoc est, in terra Philisthijm, vel secularium; quia Azotus interpretatur ignis vberum, & significat eos qui igniculo rationis tantum iudicant, & cognitionem legis diuinæ non habent [& in ædibus terræ Aegypti] hoc est, in ciuitatibus & villis, vbi etiam rudes habitant. Ægypti autem dicit; quia etiam ignorantia Dei circundati hoc non iudicarent, quod talibus esset parcendum. Hoc significatur *Matth.* 21. vbi mali agricolæ sententiam contra se dederunt, dicentes: Malos male perdet [& dicite] ô Prophetæ [congregamini] vt scilicet simul consilium de iudicio habeatis [super montes Samariæ] terra enim montosa est; qui montes superbiam habitantium significant. *Isa.* 5. Nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam [& videte] rationis intuitu scilicet [insanias multas in medio eius] Samariæ scilicet. *Glossa.* Pro Deo vitulos adorant, & filios suos immolant & necant ac si sint insani. *Sap.* 14. Aut filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam neque nuptias mundas iam custodiunt. Vnde in *Psal.* 39. de viro sancto dicitur: Non respexit in vanitates & insanias falsas. *Isa.* 37. Ego sognoui insaniam tuam contra me. Cum furores aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. *Osee* 9. Laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius [& calumniam patientes] *Septuaginta* sic habent, videte mirabilia multa in medio & oppressionem in ea. Quod autem dicit [in penetrabilibus eius] significare videtur, quod in absconditis simplices interfecerunt & oppresserunt, *Psal.* 9. Insidiatur in absconditis quasi leo in spelunca sua. Insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. In occultis enim machinabantur contra innocentes. *Psal.* 36. Vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde.

Idolatria species est insaniæ.

Et nesciunt] hoc est, scire noluerunt [facere rectum, dicit Dominus] *Psal.* 35. Noluit intelligere vt bene ageret. *Iere.* 4. Sapientes sunt vt faciant mala; bene autem facere nesciunt [thesaurizantes iniquitatem] hoc est, peccatum peccato sicut thesaurum cumulantes. *Rom.* 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij. *Prouer.* 10. Nil proderunt thesauri impietatis

tatis; iustitia vero liberabit à morte [& rapinam] de bonis pauperum scilicet [in ædibus suis] *Prouer.* 1. Implebimus domos nostras spoliis. Sicut enim leo ad antrum portat prædam, ita isti ad ædes suas pauperum bona, *Exod.* 15. Dixit inimicus; Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.

Propterea hæc dicit Dominus Deus] positis rationibus, quare de officio suo visitandi sunt, ponit hic comminationem pœnæ infligendæ per visitationem. Et hanc in primo paragrapho comminatur. In secundo autem prædicari præcipit, vt per pœnitentiam caueantur ibi [Audite & contestamini] In prima duo dicit, scilicet, pœnæ inuolutionem, & paucorum bonorum liberationem [Propterea] quia scilicet visitare debeo [hæc dicit Dominus Deus] qui summus visitator est. *Isaia* 13. Visitabo super orbis mala. *Exod.* 20. Visitans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem [tribulabitur] peccator scilicet. *Sophon.* 1. Tribulabitur ibi fortis. *Psal.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum. *Apoca.* 3. Qui fornicatur cum ea, Iezabel scilicet, quæ fluxus sterquilinij interpretatur] tribulatione maxima erunt [& circuietur terra] vt nullus scilicet tribulationem euadat. *Isa.* 28. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem [& detrahetur fortitudo tua ex te] Fortitudo dicitur in quo sicut in fortificatione confidebat, sicut substantiæ diuitiarum, munitiones locorum, multitudo militum, & adiutorum copia. *Isa.* 1. Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla; & succendentur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. Non enim est fortitudo contra Dominum. *Amos* 2. Fortis non obtinebit virtutem suam [& diripientur ædes tuæ] per metonymiam intelliguntur etiam in ædibus congregata & possessiones ad ædes pertinentes. *Ezech.* 20. Cum moritur homo, hæreditabit serpentes & bestias & vermes; vt scilicet bestiæ, hoc est, dæmones diripiant animam, serpentes astuti & dolosi amici diripiant possessiones, vermes autem corpus. *Iere.* 50. Debellate eam, non parcatis iaculis; quia Domino peccauit. *Psal.* 75. Dormierunt somnum suum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Et subdit de liberatione paucorum.

Vltioni diuina nulla obsistere potest fortitudo

Hæc dicit Dominus] faciens omne quod dicit *Psalm.* 148. Dixit & facta sunt. *Matth.* 7. Loquebatur sicut potestatem habens [Quando si esset pastor] dirigens & custodiens gregem. 2. *Reg.* 17. Pascebat seruus tuus gregem patris sui; & veniebat leo vel vrsus & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum [de ore leonis] Leo vel rex Babylonis est, vel diabolus. Os tyranni violentia est, os diaboli peccatum. *Psal.* 21. De ore leonis libera me Domine [duo crura] vel mastricata vel mortificata, scilicet per spolium, famem, obsidionem, & captiuitatem; quæ duo crura significant proficientes in veritate & virtute [aut extremum auriculæ] comesto scilicet iam capite, & extremum auriculæ significat extremos pauperes, verbum Dei cum deuotione audientes [sic eruentur filii Israël] supple cæteris consumptis gradientes in veritate & virtute & obedientia sermonis Dei liberabuntur. Hoc significatum est *Exod.* 12. vbi percussis Aegyptiis, Hebræi liberati sunt. *Ezech.* 9. Super quem videritis thau, ne interficiatis. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam. *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus. Diuitiæ Sanctorum, meritis sunt sanctitatis [qui] scilicet filii Israël [habitant in Samaria] terra scilicet decem tribuum [in plaga lectuli] vnum substantiuorum resoluendum est in adiectiuum, hoc est, in lectulo plagato, sicut ibi. Arma virumque cano, hoc est, armatum virum [& in Damasci grabato] intransitiue debet construi, id est, in grabato quod est Damascus, sicut *Gene.* 19. de vxore Lot dicitur, quod versa sit in statuam salis. Et dicitur plaga lectuli Syria, in cuius adiutorio quiescebant decem tribus, eo quod (sicut dicitur 4. *Reg.* 15. & 16.) regem Syriæ conduxerunt in adiutorem, & modicum quietis in confidentia illius habebant, sicut plagatus paruum quietem habet in lectulo. Deteliato enim auxilio diuino, modicum auxilium est quod potest ferre homo. *Isaia* 30. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non poterat. Nec enim fuit in auxilium nec in aliquam vtilitatem, sed in confusionem & in opprobrium; propter quod dicitur baculus arundineus *Isa.* 36. cui cum aliquis inititur, confringitur & perforabit manum eius. *Iob* 7. Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, & leuabor loquens mecum in stratu meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concutiet. Et hoc exponens, subdit, & id est, in Damasci grabato. Grabatum est lectulus in quo præter caput nihil quiescit; & talis quies fuit Damascus, metropolis Syriæ filiis Israël. Solum enim caput eorum mentis falsa spe quiescebat in eis, & veritatem quietis & securitatem non habebant. *Isa.* 17. Ecce Damascus desinet esse ciuitas, & erit sicut acerus lapidum in ruinam. De quiete autem qua sic quiescebant in eis, dicitur *Isaia* 7. Requiescit Syria super Ephraim; quia per Ephraim decem tribus intelliguntur. Hoc autem quod dictum est, facile adaptare est, per easdem authoritates ad quiescentes in mundi deliciis tanquam in lectulo plagato multis curis, & in peccati delectamentis tanquam in Damasci grabato. Damascus enim potus sanguinis interpretatur; potus autem sanguinis delectamentum peccati significat. *Osee* 4. Sanguis sanguinem tetigit. *Psal.* 50. Libera me de sanguinibus, Deus Deus meus.

Deo iraca, inane est omne auxilium.

Audite] Præcipit hic prædicari comminationem, vt per pœnitentiam caueatur vindicta diuina. O Prophetæ [audite] vt ex ore meo proponatis [& contestamini] opere scilicet quod ore dicitis. *Psal.* 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *Iob* 10. Instauras testes tuos contra me [in domo Iacob] hoc est, in familia decem tribuum, vel in communitate populorum peccatorum; vt scilicet vel pœniteant, vel inexcusabiles sint si non pœniteant. *Rom.* 2. Propter quod inexcusabilis es ô homo [dicit Dominus Deus exercituum] ab illo enim incoandum est. *Ezech.* 3. Audies verba ex ore meo, & loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus, si forte audiant & quiescant.

Quia in die] claritate scilicet iustitiæ lucescente, *Isa.* 18. Considerabo in loco meo, sicut lux meridiana clara est] cum visitare cœpero] *Isa.* 27. Visitabit Dominus in gladio suo duro, grandi & forti] præuaricatores Israël] quia scilicet legem naturalem & legem scriptam præuaricati sunt. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius; dissipanerunt

runt fœdus sempiternum [super eum] oppressionem notat & conculcationem. *Psalm.* 55. Conculcauerunt me inimici mei tota die[visitabo]*Septuaginta*,vlciscar. *Psal.*93. Deus vltionum Dominus [&]id est,etiam[super altaria Bethel] vt sit verum quod dicitur *Ecci.*27.Conteretur cum delinquente delictum.*Sap.*14.Odio sunt Deo impius & impietas eius. Attende quod pluraliter dicit , altaria; quia quiliber peccator adorat quod vult , & in vnum non tendunt. Altare autem Dei vnum solum est:quia licet in multis locis sit , tamen tendit in vnum. *Hebr.*13. Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Bethel autem dicit ; quia in Bethel vitulus adorabatur,vbi(sicut dicit *Hieronymus*) dum offerret Ieroboam,venit Propheta de Iuda , qui diceret,Altare altare,audi verbum Domini. Et tunc scissum est altare in duas partes , & manus offerentis regis exaruit 3. *Reg.*13. Altaria autem ista significant altaria Veneris,ventris, & auaritiæ , in Bethel,hoc est,in Ecclesia ædificata. Quod figuratum est *Ezech.*8.vbi dicitur: Vidi abominationes pessimas quas isti fecerunt hic,hoc est,in templo. *Iere.* 11. Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?

Altare Dei vnum est.

Et[supple,ideo [amputabuntur cornua altaris] quæ potestatem ministrorum altaris significant. *Psalm.*74. Omnia cornua peccatorum confringam,Hoc enim iustum est. *Exod* 21. Præcipitur,vt bos cornupeta recludatur. Bos enim cornupeta est Prælatus lasciuus impingens in innocentes cornu potestatis[& cadent in terram] vt scilicet ab aliis conculcentur.*Ezech.*28.In terram proieci te , ante faciem regum dedi te, vt cernerent te ; & , supple, emendentur [in casu tuo [& percutiam domum hyemalem]Ita delicati erant, vt dicit *Hieronymus*, quod duas domos habebant ; hyemalem , versam ad Austrum propter temperamentum frigoris , & æstiuam , propter temperamentum caloris versam ad Aquilonem.Et hoc est quod additur [cum domo æstiua]Hyemalis significat ædes auarorum in quibus refriguit charitas. *Iere.*36. Rex vero sedebat in domo hyemali in mense nono , & erat coram eo areola plena prunis. Necesse quippe erat, vt se ad carbones temporalis consolationis calefaceret , in quo refriguerat igniculus charitatis. *Matth.*24.Quia abundabit iniquitas , refrigescet charitas multorum. Æstiua vero domus significat in concupiscentia carnali quiescentes. Vnde *Iud.*3. Eglon,qui vitulus mœroris vel iuuencæ interpretatur,interfectus est ab Aioth in æstiuo cœnaculo. Aioth enim interpretatur deuorans gloriosum.

Prælatus cornupeta est coercendus.

Et peribunt domus eburneæ] 3. *Reg.* 7. legitur Salomon ædificasse filiæ Pharaonis domum de lapidibus pretiosis.Et *ibidem cap.*10. & 2. *Paral.*9. quod ædificauerit thronum eburneum. Significant autem istæ domus habitationes clericorum & religiosorum qui in voto castitatis existentes, quod ebur significat , contra votum lasciuiunt. *Amos* 6. Dormitis in lectis eburneis & lasciuitis in stratis vestris [& dissipabuntur ædes multæ] hoc est,multitudinis. *Isa.*2 . Posuisti ciuitatem in tumulum,vrbem fortem in ruinam ; domum alienorum:vt non sit ciuitas & in sempiternum non ædificetur. Itæ ædes multæ significant clericos in multis Ecclesiis beneficiatos, & diuites in multis locis ædificantes , vt nunc hic nunc ibi gratia delectationis habitent.*Iere.*22. Væ qui dicit; Ædificabo mihi domum latam , cœnacula spatiosa ; qui aperit sibi fenestras , & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide. *Habac.* 2. Væ qui congregat auaritiam malam domi suæ,vt sit in excelso nidus eius [dicit Dominus] Confirmatio est prædictorum.

Clericorũ damnanda lasciuia.

CAPVT IV.

Audite verbum hoc vaccæ pingues,

Ostensa ratione visitationis , aggreditur visitationis modum : & habet partes duas , in quarum prima dicit , quod ,visitabitur culpa per pœnam. In secunda describit per similitudines qualiter inducetur pœna,*infra* 7.*ibi* [Hæc ostendit mihi Dominus Deus]Prima pars diuiditur in tres, in quarum prima exaggerat peccatum in Deum in comparatione ad pœnam. In secunda quantitatem mali describit per planctum,*infra* 5. *ibi* [Audite verbum istud] In tertia peccata describit carnalia,& peccata in proximum *ibi* [Vnde ego dedi vobis stuporem]Prima adhuc in duas , in quarum prima expresse describit peccatum. In secunda autem sub ironia *ibi*[Venite ad Bethel] Adhuc prima in duas,in quarum prima exaggerat peccatum. In secunda confirmat pœnam , *ibi* [Iurauit Dominus]In prima innuit peccata,scilicet, lasciuiæ , calumniæ , tyrannidis ; oppressionis siue rapinæ , & ebrietatis siue ingluuiei.

Audite verbum hoc] Excitatio est ad auditum, *Psalm.*140. Audient verba mea , quoniam potuerunt[vaccæ pingues]vaccæ propter lasciuiam,pingues propter ingluuiem.*Osee* 10. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ,hoc est , lasciuias, inutiles;quia Bethauen domus inutilis interpretatur, *Hieronymus*. Deriforie vaccas pingues vocat; quia residentes domi , gulæ & ventri seruiebant, *Rom.*16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt,sed suo ventri & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.*Psal.*77. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum;& ira Dei ascendit super eos,& occidit pingues eorum [quæ estis in monte Samariæ] hoc est,in Samaria , quæ est terra montosa;& notatur in hoc superbia ; esse enim in monte,est habitare in sublimitate. *Zach.* 4.Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum?Eleuatio enim mentis in planum redigenda est.Et subdit de peccato calumniæ.

Quæ calumniam faciris egenis] imponendo scilicet falsa crimina vt condemnentur. *Osee* 5. Calumniam patiens est Ephraim fractus iudicio, quoniam cœpit abire post sordes. *Gen.*43. Introducti sumus vt deuoluat in nos calumniam , & violenter subiiciat seruituti. Et nota quod calumnia in se peccatum est. Egenis autem facere calumniam,grauissimum est peccatum. *Eccl.*4. Vidi calumnias quæ sub cælo geruntur & lacrymas innocentium,& neminem consolatorem.*Prou.*28. Hominem qui calumniatur animæ sanguinem , si vsque ad lacum fugerit nemo sustinet.Et subdit de peccato tyrannidis.

Calumnia seruere egenis, peccatum est grauissimum.

Et confringitis pauperes] sustentamenta scilicet

licet virium eorum auferendo , & ad labores corporales compellendo. *Isa.*3. Quare atteritis populum meum,& facies pauperum commolitis ? Hoc peccato peccant Prælati Ecclesiæ , omnia iudicia sua conuertentes ad lucrum. Et subdit de peccato oppressionis & rapinæ.

Quæ dicitis dominis vestris. Afferte] Officiati enim & ministri sub maioribus constituti , superioribus dicebant quod afferrent,vt sic ad quæque illicita ministrarent.*Prou.*30.Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes,Affer,affer ; vna scilicet in dominis per malos ministros populum, prædantibus , alia in ministris stipendia pro tali obsequio à Dominis accipientibus. Vtrisque autem dicitur *Isa*3. Rapina pauperis in domo vestra. Et *ibidem* : Populum meum exactores sui spoliauerunt.

Et bibemus] innuit ebrietatem & ingluuiem, quod scilicet spoliata à pauperibus, in ebrietates expenderunt. *Isa.*5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam,& potandum vsque ad vesperam vt vino æstuetis.*Prou.*23. Cui væ:cuius patri væ?cui suffossio oculorum ,qui sine causa vulnera ? Nonne his qui morantur in vino & student calicibus epotandis?Et subdit de pœnæ confirmatione.

Iurauit Dominus Deus] hoc est , per veritatis sententiam confirmauit [in sancto suo]id est , in fortitudine sua.Quidam tamen dicunt,in templo, & quidam,in sancto,pro sanctis ; sed Dominus iurans in templo vel in sanctis , iurat in seipso. *Hebr.*6. Quia non habuit per quem iuraret maiorem,iurauit per semetipsum.*Psalm.*88. Semel iurauí in sancto meo[quia ecce dies venient] Per adverbium demonstrandi notatur euidentia culpæ in pœna. *Tobiæ vlt.* Scio quia finem dabit ei iniquitas sua. Per hoc autem quod dicit Dominus, Venient , notatur temporis propinquitas. *Isa.*14. Prope est vt veniat tempus eius [super vos] Per hoc notat quod pœna erit opprimens. *Iob* 30. Nunc in memetipso marcescit anima mea; & possident me dies afflictionis [& leuabunt vos in contis]Seruat metaphoram vaccarum , quæ postquam interfectæ sunt & excoriatæ,vecte leuantur infixo per nemos posteriorum earum , & sic suspensæ vaccæ deportantur contro. Vel contus est proprie instrumentum piscatorum ,quo anguillæ & cæteri pisces de limosis & lapidosis antris expelluntur in retia, & ita vult dicere ; quod isti excoriati per expoliationem ,ligati per captiuitatem deportabuntur in exilium.Simile *Isa*22.Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus. Gallus enim gallinaceus similiter ligatis pedibus vecte portatur [& reliquias vestras in ollis ferventibus] Reliquias vocat interiora vitalia,hepar scilicet, & intestina.Ollæ autem feruentes sunt obsessæ ciuitates & munitiones , in quibus efferbuerunt vitalia eorum antequam caperentur.Et hæc similitudo describitur *Ezech.*24. Væ ciuitati sanguinum , ollæ cuius ego grandem faciam pyram. Congere ossa quæ igne succendam ; consumentur carnes ; & coquetur vniuersa compositio,hoc est,intestina & vitalia. *Iere.*1.Ollam succensam ego video , & facies eius à facie Aquilonis.

Et per aperturas exibitis] Aperturas vocat fracturas parietum , quia per ostia, hostes obsidentes, exire non audebant. *Ezech.*12. In caligine egredientur , parietem effodient vt educant eum. *Iere.*39.Diruta est ciuitas , & omnes viri bellatores fugerunt , exieruntque de ciuitate nocte per viam portæ quæ est inter duos muros & ducit ad hortum regis,Chaldæis obsidentibus vrbem in gyro[altera]scilicet vacca[contra alteram] scilicet vaccam.Et in hoc notat , quod ita angustati erant ab hostibus , quod vnus alterum comprimebat in exiendo. *Isa.* 22. Simul fugerunt durêque ligati sunt [& proiicemini in Armon] Armon montes sunt Armeniæ protensi ad fines Medorum & Persarum;quia illic decem tribus captiuatæ , sicut res viles proiectæ sunt. *Thren.vlt.* Proiiciens expulisti nos,iratus es contra nos vehementer.

Armon montes sunt Armeniæ.

Hæc melius exponuntur de damnatis,in iudicio,quos dæmones in contis leuabunt, hoc est, rigiditate & inflexibilitate sententiæ diuinæ ; & reliquias conscientiarum scilicet , in ollis ferventibus succendent , hoc est , receptaculis inferni ; in quæ secundum exigentiam meritorum proiicientur. *Ezech.*24. Pone ollam super prunas vacuam vt incalescat,& liquefiat æs eius , & conflatur in medio eius inquinamentum eius , & consumatur rubigo eius.Et quod dicit , per aperturas exibitis, intendit quod anima per aperturam inferni , & corpus per aperturam sepulchri egredientur , & sic altera pars venit ad alteram, anima scilicet ad corpus,vt simul puniantur. *Ezech.*37. Ecce ego aperiam tumulos vestros,& educam vos de sepulchris vestris. Et quod addit. Proiiciemini in Armon,intendit de proiectione in infernum. Armon enim exemplum tristitiæ vel anathema mœroris interpretatur. *Matth.*22. Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores ; ibi erit fletus & stridor dentium. *Isa.*24. Congregabuntur congregatione vnius fascis in lacum , & claudentur ibi in carcere[dicit Dominus] confirmatio præteritorum est.

Venite ad Bethel] Per ironiam exaggerat peccatum hoc in Deum. Hoc autem facit quinque modis,sicut patebit per ordinem in litera. Primo itaque tangit impietatem in adoratione idoli [Venite ad Bethel] ad aureum scilicet vitulum[& impie agite] Adoratio enim idoli impietas est in Deum.*Iob* 31.Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum[ad Galgalam]supple etiam venite [& multiplicate prævaricationem] id est,ex hoc multiplicabitis ; in diuersis enim locis idola coletis, quod est multiplicare prævaricationem. Galgala enim locus erat ; in quo facta est secunda circumcisio. *Osee* 9. Omnes nequitiæ eorum in Galgala Locus enim famosus erat & contrarius illic populus , propter quod ibi idola ponebant.

Et offerte mane victimas vestras[& incendit mane crastina die. Et tangit quæ diu sacrificia, vt fuit hostiæ pacificæ, de quibus præceptum est, quod vsque mane non remaneant ; quod præceptum violabat , victimas scilicet & hostias vsque in mane reseruantes. *Leuit.*7.Cuius carnes, scilicet hostiæ pacificæ, eadem die comedentur, nec remanebit in eis quicquam vsque mane [tribus diebus decimas vestras supple,offerte. Et tangit quæ dam sacrificia quæ in tertium diem differri non debebant,sicut voto vel spontaneo oblata. *Leuit.*7. Quicquid tertius inuenerit dies,igni absumet. Siquis de carnibus victimæ pacificorum in die tertio comedetit,irrita fiet eius oblatio, nec proderit offerenti ; quin potius quæcunque anima tali se edulio

Victimæ pacificorũ in diem tertium reseruari non debuit.

edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit. Has oblationes decimas vocat, quia cum decimis offerebantur tribus vicibus per annum. Hoc præceptum isti non curantes in diem tertium oblata seruauerunt.

Et sacrificate de fermentato laudem] *Septuaginta*, Eucharistiam; Eucharistia enim gratiarum actio est. Vnde sensus est, Sacrificate de fermentato laudem, hoc est, laudabilem oblationem. Et est ironia. *Leuit.* 2. Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Contra hoc tamen videtur esse quod dicitur *Leuit.* 7. Panes quoque fermentatos offeres cum hostia gratiarum quæ immolatur pro pacificis. Sed dicendum, quod fermentati panes quidam offerebantur Sacerdoti, sed super altare non ponebantur. Quod autem ironice loquutus sit, innuit subdens.

Fermentum in sacrificio non admiscebam.

Et vocate] hoc, supple [voluntarias oblationes] quæ sic scilicet contra legem oblatæ sunt, de quibus dicitur *Malachie* 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra [& annuntiate] aliis scilicet peccata, vt complices habeatis. *Isa.* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt [Sic enim voluistis] ac si dicat, non ex me dixi quæ dicta sunt, sed ex voluntate vestra, quia sic voluistis, ô filij Israel dicit Dominus Deus.

Hoc spiritualiter exponitur de clericis & religiosis, qui veniunt ad Bethel, hoc est, ad domum Dei. *Gen.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli, & impie agunt ibi. *Iere.* 11. Quid est quod dilectus meus in domo mea operatur scelera multa? Hi veniunt ad Galgalam, hoc est, reuelationem (quod Galgala interpretatur) hoc est, ad scientiam literarum, & multiplicant præuaricationem; quia quo plus intelligunt, eo peius agunt. *Iere.* 4. Sapientes sunt vt faciant malum, bene autem facere nesciunt. Hi mane offerunt victimas; quia in crastinum, hoc est, in futurum oblata Sanctis, sibi thesaurizant, & sic ab Ecclesiis recedunt. *Prouer.* 7. Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit. Hi tribus diebus offerunt decimas, hoc est, oblata colligunt. De tribus enim decimæ offeruntur, agris scilicet, vineis, & animalibus; de decimis enim colligendis maxima cura est eis, de animabus vero nihil. Tales vocantur mercenarij. *Ioan.* 10. Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus; quamuis, supple, pertineat ad eum de vtilitate ouium. *Ezech.* 34. Lac comedebatis & lana operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Hi sacrificant de fermentato laudem; quia psalmodiam ore resonant, & vitæ corruptionem immiscent. 1. *Cor.* 5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. *Luc.* 12. Attendite à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. *Exod.* 13. Non erit fermentatum in domibus vestris. Hi aliis nuntiant peccata sua per malum exemplum. *Malach.* 2. Vos recessistis de via & scandalizastis plurimos in lege. Hi obsequia diuina quæ faciunt, mercedis vocant oblationes; cum tamen spe mercedis temporalis conducti sint. *Malach.* 1. Quis est in vobis qui claudat ostia mea gratuito?

O peruersitatem.

Vnde & ego] Tangit peccati incorrigibilitatem, & dicit duo; pœnas per quas non correcti sunt, & si non corrigantur, parent se ad similes vel maiores *ibi* [Postquam autem hæc fecero tibi] Prima habet quinque pœnas hic inductas, quæ patent in litera. Prima est fames, secunda siccitas, tertia ventus vrens, quarta gladius interficiens, quinta subuersio. Quæliber istarum diuiditur in duas. Dicit enim ictum pœnæ ferientis, & duritiam populi non reuertentis [Vnde & ego] volens scilicet vos auertere à via iniquitatis [dedi vobis stuporem dentium] sensus est. Afflixi vos vt stuperent dentes, quod ex nimia siccitate famis consueuit accidere. Subtracto enim nutrimento, dentes arescunt; quia de humido nutrimentali crescunt, & confirmantur de radicali. Et tunc quod subditur [in cunctis vrbibus vestris] generalitatem famis significat, & quod sequitur expositiuum est præcedentis [& indigentiam panis in omnibus locis vestris] hæc fames facta est. 3. *Reg.* 17. sub Elia, & 4. *Reg.* 6. sub Eliseo, quam deplorat Ieremias *Thren. vlt.* Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.

Moraliter autem, dentes quibus masticatur cibus Scripturæ, intellectus sunt & affectus, memoria, meditatio, & rationis collatio, & huiusmodi, de quibus dicitur *Thren.* 3. Confregit ad numerum dentes meos. Hi stupescunt per peccatum quando dulcedinem cibi masticati non sentiunt, eo quod acerba in consolationibus mundanis masticauerunt. *Ezech.* 18. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. In cunctis vrbibus est defectus iste; quia magis stupescunt dentes eorum qui sunt in prædiis Ecclesiæ. *Iere.* 5. Optimates simul magis confregerunt iugum, ruperunt vincula. 1. *Esdræ* 9. Manus principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima. Hi patiuntur indigentiam panis, verbi scilicet, Eucharistiæ, & gratiæ. *Psal.* 104. Vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit. *Isa.* 3. In domo mea non est panis neque vestimentum [& non estis reuersi ad me, dicit Dominus] *Isa.* 9. Populus non est reuersus ad percutientem se. Et subdit pœnam secundam.

Ego quoque prohibui à vobis imbrem] serotinum scilicet [cum adhuc tres menses essent vsque ad messem] quod dicit *Hieron.* à fine Aprilis esse vsque ad principium Augusti, quando messis est. Propter quod etiam Dominus ante Passionem loquens, Discipulis ait *Ioan.* 4. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit? Hoc enim cum ante Pascha dixerit, in Martio dixit, & ideo tribus hic dictis vnum apposuit. Imber autem ille ad maturitatem fructuum est, ex quo grana formantur, vt quantitatem debitam accipiant, & digerantur ad maturitatem *Iere.* 3. Prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit. Et qualiter hoc malum per partes induxerit, subdit [& pluit super vnam ciuitatem] & illa, supple, fructum habuit. *Psal.* 64. In stillicidiis eius lætabitur germinans [& super ciuitatem alteram non pluit] vt scilicet exemplo illius corrigeretur altera. *Sap.* 12. Hos qui exterrant paribus corripiis, & de quibus peccant admones & alloquiteris; vt relicta malitia credant in te Domine [pars vna complura est] ciuitatis scilicet, vel terræ [& pars altera super quam non pluit, ait] Hoc ad literam intelligitur, & factum est 3. *Reg.* 18. sub Elia, quando non pluit annos tres & menses sex. Cuius siccitatis signum ponit vlterius [& venerunt duæ & tres

tres ciuitates] hoc est, plures & pauciores non complutæ scilicet [ad vnam ciuitatem] complutam scilicet [vt biberent aquam] hoc est, vt sitim saltem refocillarent. Et hoc est quod sequitur [& non sunt satiatæ] *Iere* 14. Maiores minores suos ad aquam miserunt, venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, reportauerunt vasa sua vacua. Et subdit de incorrigibilitate [& non redistis ad me, dicit Dominus] per pœnitentiam scilicet. *Isa.* 45. Conuertimini ad me & salui eritis.

Ista siccitas ablationem doctrinæ significat. *Isa.* 5. Mandabo nubibus ne pluant super eos imbrem. Tres menses vsque ad messem, defectum significant trium illuminationum, scilicet; fidei, spei, & charitatis. *Osea* 5. Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis. Quod subdit, distinctionem significat. Super ciuitatem enim Sanctorum pluit & doctrinam & gratiam. Et iste est ros in concha, vellere, & area Gedeonis *Iud.* 6. Concha significat Virginis vterum, vellus hominem assumptum, area totius Ecclesiæ infusionem. Et quod additur, quod pars vna compluta est & alia aruit, distinctionem significat inter homines, ex quibus vnus pluuiam recipit, alter vero non. *Hebr.* 6. Terra super se venientem sæpe bibens imbrem & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo; proferens autem spinas ac tribulos reproba est & maledictioni proxima, cuius consummatio est in combustionem ignis. Et quod additur, quod tres & duo miserunt ad vnam, desiderium populi sitientis doctrinam significat, quamuis non inuenias. *Ioan.* 4. Domine, da mihi aquam hanc. *Et ibidem.* Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi aquam, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Id autem quod de incorrigibilitate subditur, commune est vtique expositioni. *Iob* 24. Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet in luce viuentium. Et sequitur tertia pœna.

Percussi vos in vento vrente] qui ab Austro scilicet venit, & calore resoluit corpora, & humore laxat; & quia turbulentus est, venenosas materias per poros corporibus ingerit; propter quod pernecabilis est, vt dicunt medici. Et hoc est quod dicit, percussi vos, hoc est, occidi [, & in aurigine] hoc est, auræ rubigine, supple, percussi [multitudinem horrorum vestrorum] vt scilicet quod residuum fuit siccitati, consumeretur aurigine. Hortus autem ab oriendo dicitur, & significat omnia quæ in terra oriuntur. Et propter hoc sequitur [& vinearum vestrarum] supple, percussi multitudinem, vt scilicet de terræ nascentibus nihil remaneret ad esculentum, vel ad poculentum pertinens. Et subdit de pertinentibus ad condimentum [oliuera vestra] scilicet, oleum peruncti onis portantia [& ficera vestra] dulcedinis fructum portantia [comedit eruca] hoc scilicet, quod superfuit ariditati & aurigini.

Hæc plaga spiritualiter significat superbiam; quæ (sicut dicit *Augustinus*) etiam bonis operibus insidiatur vt pereant, & semper quasi vento inflata tumescit. *Iob* 27. Tollet eum ventus vrens & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo. *Iob* 1. Ventus vehemens venit à regione deserti, hoc est, à diabolo, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos. Aurigo autem significat inuidiam, superbiæ (vt dicit *Augustinus*) pedissequam. *Sap.* 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Hæc consumit hortos & vineas: quia quicquid vioris est in opere, & quicquid gaudij spiritualis in sancti Spiritus consolatione, arescere facit per detractionem. *Ioelis* 1. Residuum bruchi comedit rubigo. Eruca vero significat libidinem, quæ maculat omne quod tangit, & comedit oliuera; pinguedinem scilicet deuotionis quam auferit, & ficera; dulcedinem scilicet virtutum. *Ioelis* 1. Residuum eruca comedit locusta [& non redistis ad me, dicit Dominus] *Iere.* 3. Non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Dominum. Et subdit pœnam quartam.

Inuidia omnem vigorem boni operis absumit.

Misi in vos mortem in via Ægypti] Narrat *Hieronymus*, quod cum solemnes nuntios mitterent in Ægyptum ad petendum auxilium contra Assyrios, Assyrij insidiantes in via ceperunt nuntios, quibus occisis, equos in spolium duxerunt, & hoc tangit hic. Et sequitur [percussi gladio iuuenes vestros] illos, scilicet qui in Ægyptum missi fuerant. *Psal.* 77. Iuuenes eorum in gladio cecederunt [vsque ad captiuitatem equorum vestrorum] quia sicut dictum est, equos abstulerunt. Et quia fugientes, hostibus resistere non poterant, multis interfectis ad portas eorum, corpora sepelire non audebant, & sic prostrati, fœtores ad nares eorum spargebant. Et hoc est [ascendere feci putredinem castrorum vestrorum] hoc est, occisorum in castris [in nares vestras] *Isa.* 1. Vulnus & liuor & plaga tumens, non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo [& non redistis ad me, dicit Dominus] *Iere.* 2. Nullus auertet eam, omnes qui quærunt eam non deficient. Hæc plaga spiritualiter significat gaudium mortalis peccati, quo multi in via Ægypti percussi sunt. *Psal.* 36. Gladium euaginauerunt peccatores intenderunt arcum suum. Equi illorum, effrænes concupiscentiæ sunt in captiuitatem diaboli redactæ *Psal.* 31. Nolite fieri sicut equus & mulus. Fœtor cadauerum, infamia est carnalium peccatorum. *Ioel.* 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. *Ioan.* 11. Ecce iam fœtet, quartiduanus enim est. Et subdit de pœna quinta [Subuerti vos sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham] similitudinem notat in parte & non in toto, quia sicut in Sodoma subuersa liberati sunt pauci, Lot scilicet & filiæ & vxor, ita pauci ex istis liberati & alij consumpti sunt. Et hoc legitur 4. *Reg.* 15. & 17. vbi decem tribubus captiuatis, pauci fugerunt ad duas tribus, & saluati sunt reuocati scilicet per Ezechiam. 4. *Reg.* 18. Sodomam & Gomorrham nominat, quamuis quinque fuerint, quia istæ fuerunt principales [& facti estis quasi torris] hoc est, tizio [raptus de incendio] qui scilicet partim consumptus est, & partim adhuc manet, sicut Lot qui exiuit de Sodomis parte sui corporis, hoc est, vxore perempta, ita & vos magna parte consumpta facultatum & sociorum, paucissimi saluati estis. *Zacharia* 3. Nunquid non iste torris est ereptus de igne [& non redistis ad me, dicit Dominus] obstinati scilicet in peccatis. *Osea* 2. Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi.

Hæc plaga spiritualiter desperationem significat, quæ totum subuertit ædificium spirituale. *Psal.* 136. Dixerunt, Exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea, *Thren.* 4. Maior effecta est iniquitas

iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus. Aliquando tamen isti facti sunt, sicut tortis raptus de incendio diaboli 1.*Cor.*5. Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Consumptis enim iam viribus & ætate multi conuertuntur. Hoc *Hieron.* dicit significari *Ezech.* 16. Soror tua Sodoma & filiæ eius reuertuntur ad antiquitatem suam. *Hieronymus.* Vt qui suo vitio Sodomites est, postquam in eo Sodomiæ opera arserint, in antiquum restituatur statum. Et subdit generaliter [Quapropter] scilicet quia plagis non corrigeris [hæc faciam tibi] hoc est, alias curas ingeram tibi [ô Israël] *Hieronymus.* Quid facturus sit tacet, vt dum ad singula genera pœnarum pendet Israël incertus, quæque terribiliora sunt inferenda, suspicetur, & saltem hoc terrore agat pœnitentiam. *Osea* 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me.

Postquam autem hæc] Secundum translationem *Hieronymi & Septuaginta*, exponuntur de consolatione. Secundum translationem *Symmachi* autem & quintæ editionis, exponuntur de plagis maioribus. Dicit autem duo; occursum populi, & magnificentiam Dei [Postquam autem hæc fecero tibi,] plagando te multis. *Prou.*23. Percusserunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi. *Iere.*5. Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam [præparare in occursum Dei tui] *Symmachus* & quinta editio [præparare vt aduersteris Deo tuo] Deus enim extunc impugnauit te. *Sap.*5. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. *Deut.*28. Lætabitur Dominus disperdens vos atque subuertens. *Psal.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes? Et ne præsumat resistere, potentiam Dei subinfert.

Quia ecce formans montes] *Exod.* 15. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. *Septuaginta* sic habent [Verumtamen quia sic faciam tibi, præparare vt inuoces Deum tuum Israël] & secundum hoc hic promittit beneficia, & tunc ita exponitur. Postquam plagis veniam accepisti peccati, præparare pura conscientia & fidei deuotione in occursum Dei tui, ô Israël, qui iam scilicet venit per incarnationem & naturæ sanctificationem. *Isa* 64. Occurristi lætanti & facienti iustitiam. Sic occurrit Tobias pater, Tobiæ iuniori, & osculatus est eum *Tob.*11. [Quia ecce formans montes] hoc est, vertices Sanctorum in gloria & gratia *Cant.*2. Ecce ipse venit saliens in montibus. *Iere.*31. Benedicat tibi Domino, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Psal.*124. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui [& creans ventum] refrigerantem scilicet spiritum. *Dan.*3. Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. *Ezech.*37. A quatuor ventis veni spiritus, & insufflа super interfectos & reuiuiscant. Primum horum facit Deus potestate, secundum bonitate, & subdit tertium quod facit sapientia.

Et annuntians homini eloquium suum] per inspirationem scilicet prophetalem. *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas *Ioelis* 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri. Et subdit quartum, quod procedit de largitate [faciens matutinam nebulam] *Glossa.* Nebula pinguedo aëris est, & significat pinguedinem quam omnibus dat deuotionis & gratiæ, qui mane vigilant ad illum. 3.*Reg.*8. Dominus dixit, vt habitaret in nebula. *Ecclesiastici* 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ. Et subdit de quinto, quod est opus fortitudinis & iustitiæ [& gradiens super excelsa terræ] hoc est, sublimia mundi conculcans. *Ecclesiastici* 24. Superborum & sublimium colla propria virtute calcaui. Quædam *Glossa* excelsa exponit de celsitudine Sanctorum, in quibus Deus graditur per profectum virtutis. *Isa.*57. Hæc dicit Dominus excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans. *Glossa* inducit illud *Philip.*3. Nostra conuersatio in cælis est [Dominus] possessione [Deus] prouidentia [exercituum] quia semper tres habet exercitus, scilicet, Angelorum disponentium, dæmonum instigantium, & hominum exequentium suam voluntatem. *Isa.*6. Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. 3. *Reg.vlt.* Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris [nomen eius] quia per notitiam talis potestatis nominatur. *Isa.*15. Omnipotens nomen eius.

Deus habet tres exercitus.

CAPVT V.

Audite verbum istud.

EXaggerat hic magnitudinem mali per planctum. Diuiditur autem in duas partes. Primo enim ostendit, quod sit plangendum, & quid plangendo quærendum. Secundo remouet malum modum quærendi Dominum *ibi* [Proieci festiuitates vestras] Prior adhuc in duas diuiditur. In prima plangit pœnam damni: in secunda pœnam sensus *ibi* [Væ desiderantibus diem Domini] Adhuc prior istarum in tres diuiditur. In prima enim ostendit, quid plangendo quærendum sit. Secundo comminatur non quærentibus *ibi* [Quærite Dominum & viuite, ne forte] Tertio docet qualiter quærendum *ibi* [Quærite bonum & non malum] Prior istarum in tres diuiditur. Dicit enim quia, & quid plangendum est, & quid quærendum *ibi* [Quærite me] & quid non quærendum *ibi* [Nolite quærere Bethel] In primo tria sunt, scilicet, quia plangendum, & quid plangendum in culpis, & quid plangendum in pœnis.

Audite] interiori auditu. *Prou.*20. Aurem audientem & oculum videntem, vtrumque fecit Dominus [verbum istud] hoc enim solum saluare vos potest. *Iacob* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. *Eccl.* 45. In verbis suis monstra placauit [quod ego] in figuram & exemplum vestri. *Ezech.* 24. Erit Ezechiel vobis in portentum [leuo super vos] oppressionem scilicet vestram significando. *Psalm.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me [planctum] planctus est vox querula causas doloris ingeminans. *Iere.* 5. Luctum vniigeniti fac tibi planctum amarum. Planctus leuatur, quando vsque ad cælum & Deum tollitur. Simile *Isa.*37. Leua ergo orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt. *Gen.*29. Eleuata voce fleuit. *Iere.* 31. Vox in Rama, hoc est, in excelsis, ploratus & vlu-

latus multus [domus Israël] hoc enim ad præcedens refertur, quia vocatiui casus est. Si autem legitur in nominatiuo, tunc ad sequens refertur: Et subdit quid plangat in culpis [Cecidit] casu scilicet culpæ, & maxime per idololatriam. *Isa.*14. Quomodo cecidisti de cælo, corruisti in terram? *Psal.*35. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem [non adiiciet vt resurgat] *Hieronymus.* Per seipsum, per se enim cadit, sed per Deum resurgit si resurgit. Vel non adiiciet vt resurgat ad pristinæ statum dignitatis; statum enim immunitatis peccati non potest recuperare. Et hoc videtur notare quando addit [virgo Israël] *Hieronymus* non negat posse resurgere, sed non resurget virgo; quia semel aberrans à grege, & si reportetur humeris pij pastoris, non habet eandem gloriam cum eo qui nunquam aberrauit. Quod intelligitur de gloria quæ est de dignitate, & non de gloria quæ est remuneratio beatitudinis æternæ. Dignior enim & purior & felicior status est nunquam peccasse, quam peccasse & pœnituisse. *Iere.* 18. Nunquid qui cadit non resurget? Literaliter dicere vult, quod populus sicut meretrix per idololatriam cecidit, & sicut meretrix propter inexplebilem sitim fornicandi non surgit; ita nec populus. *Iere.*3. Diuisisti pedes omni transeunti [proiecta est in terram suam] loquitur ad modum fornicariæ, quæ in puluerem & sordes deiicitur. *Eccl.*9. Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. *Isaia* 51. Dixerunt animæ tuæ: Incuruare vt transeamus, & posuisti corpus tuum vt terram, & quasi viam transeuntibus [non est qui suscitet eam] à morte scilicet peccati. *Psalm.*87. Nunquid medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? Solus enim Deus vitam gratiæ reparare potest; suscitant tamen Sancti per intercessionem, sicut Moyses populum mortuum par idololatriam suscitauit. *Exod.*34. Sed tales suscitatores modo defecerunt. *Isa.*64. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Et bene dico quod cecidit.

Innocentia semel amissa non recuperatur.

Sanctorum intercessio quid prosit peccatori.

Quia hæc dicit Dominus Deus] qui non nisi verum dicit. *Rom.*3. Est autem Deus vetax, omnis autem homo mendax [Vrbs de qua egrediebantur mille] viri scilicet, vel familiæ [relinquentur in ea centum] hoc est, decima pars tantum. Si autem in vrbe, quæ præsidium fortitudinis est, hoc fit, in villis & in campis nullus remanebit. *Dan.*9. Reliqui sumus pauci de multis [Et de qua] scilicet [vrbe egrediebantur centum] viri scilicet, vel familiæ [relinquentur in ea decem] quod iterum est decimatio [in domo Israël] hoc est, in familia decem tribuum. *Isa.*6. Adhuc in ea decimatio. Et conuertetur, & erit in ostensionem sicut terebinthus. Et ex hoc videtur quod decima relicta sit. Cui contrarium videtur esse quod dicitur *Ezech.* 5. vbi dicitur; Tertiam partem igni combures, & tertiam partem concides gladio, & tertiam partem disperges in omnem ventum, & gladium nudabis post eos. Et sumes inde paruum numerum, & ligabis in summitate pallij tui. Videtur enim secundum hanc supputationem, quod non remanserit ibi nisi pars tertia, quæ rursus in partes æquales diuisa, altera quidem in summitate ligata pallij, altera vero vel in ignem abiecta, vel in omnem ventum disperta (vt ibidem Propheta inquit) remanet pars sexta totius. Nam partis tertiæ, pars dimidia, sexta est. Videtur ergo quod sexta relinquitur & non decima.

Ad hoc dicendum, quod in Ezechiele reliquiæ non numerantur nisi secundum plagas, obsidionis scilicet, gladij, & captiuitatis; & pars captiua non tota rediit, propter quod pars partis illius reseruari dicitur. Hic autem per decimationem intelligitur paucitas relictorum ad perfectionem denarij secundum aliquem modum pertinentium. *Hieronymus hic in Glossa* dicit & *in originali*, quod vnitas quæ indiuisibilis est, significat vnitatem innocentium semper Deo adhærentium mente virginea & integra. Inducit hoc 2.*Cor.*11. Desponsi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Et *Cant.*6. Vna est columba mea. Et his attribuit millenarium, qui perfectus in cubum, numerus est decalogi & virtutis, deducens perfectionem ad felicitatis perfectissimum statum. Opus enim inducit in virtutem, & virtus perducit ad beatitudinem; sicut denarius ductus in se crescit in centenarium, & perductus in centenarium, augetur in millenarium. *Isa.*60. Minimus erit in mille, Minimus enim vnus & indiuisus est. Et intendit dicere, quod qui cadit à millenario, perfectæ scilicet felicitatis, si resurgat, vix resurget ad centenarium & non ad millenarium. Et hoc intelligitur, quia iam amisit felicitatem quantum ad id quod condecorat eam, quod est dignitas indiuisionis à Deo: stat tamen in centenario, hoc est, in perfectione virtutis, quam centenarius significat qui quadratus numerus est & perfectus. In virtutibus enim Cardinalibus perfectio dicitur ad virtutem; quæ quidem quatuor sunt, fortitudo, temperantia, iustitia, & prudentia. Cadens ergo à centenario virtutis, licet non statim resurgat ad perfectionem eandem, sed primo quidem ad perfectionem decalogi, quæ est perfectio operis; per opus tamen paratum ascendit ad virtutem, & per virtutem ad felicitatis perfectionem.

Quia hæc dicit Dominus Deus domui Israël] Tangit hic quid in planctu quærendum sit [Quærite me, & viuetis] quia ego sum fons vitæ per gratiam scilicet, & gloriam, & etiam per naturam. *Act.*17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Et subdit quid non quærendum.

Et nolite quærere Bethel] vbi scilicet idolum posuit Ieroboam 3.*Reg.*13. Mystice autem Bethel quærit, qui stipendia vel prebendam in domo Dei quærit & non domum Dei. *Ioan.*6. Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Bethel etiam quærit, qui prætextu domus Dei omnia credit sibi licere, sicut mali religiosi. *Iere.*7. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes; Templum Domini, templum Domini, templum Domini est [Et in Galgala nolite intrare] ibi enim idola etiam posita fuerunt, sicut sæpe dictum est. Galgala autem interpretatur reuelatio, ad quam intrant qui bona quæ faciunt, ostentant. *Matth.* 6. Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus [& in Bersabee non intrabitis] Bersabee puteus septem interpretatur, propter septem agnas quibus confirmatus est puteus. Interpretatur etiam puteus iuramenti, quia ibi inter Isaac & Abimelech firmatum est fœdus pacis. *Gen.*26. Et propter hoc etiam venerabilis fuit locus, & posita ibi idola. Spiritualiter autem significatur, quod ad abundantiam non est intrandum. *Psalm.*61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et subiungit causam.

Sacerdotium lucri gratia non ambiendum.

Quia Galgala captiua ducetur] in infernum scilicet, vel in Assyrios. *Isa.5.* Captiuus ductus est populus meus: quia non habuit scientiam [& Bethel inutilis erit] prophanata scilicet, per idololatriam & malam vitam. *Iere 7.* Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? Ex hoc concludit.

Quærite Dominum & viuite] *Iaan. 1.* In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. *Deut.4.* Vos qui adhæreris Domino, viuitis vniuersi [ne forte comburatur vt ignis] hoc est, vt materia ignis [domus Ioseph] hoc est, regnum decem tribuum, quod vocat Ioseph, quia Ieroboam primus rex Israel erat de genere Ioseph, id est, de Ephraim qui fuit filius Ioseph. Ignis vero vocat consumptiuam tribulationem. *Psal.139.* In ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent [& deuorabit] supple, ignis [& non erit qui extinguat Bethel] accusatiui casus. *Iudith 16.* Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant in sempiternum. Maxime enim punientur qui in domo Dei pereunt. Quod autem digni sunt comminatione, subdit.

Iudicium triplicitet peruertitur.

Qui conuertitis in absynthium iudicium] triplicitet vel causam scilicet protelando per calumniam, vel in pretio iudicando, vel innocentem opprimendo per sententiam iniquam. *Thren.3.* Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio [& iustitiam in terra relinquitis] *Isa.5.* Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferetis ab eo. *Isa.59.* Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit. Et ne hoc parum sit, subdit.

Facientem Arcturum] supple, relinquitis omnium Creatorem Deum. Arcturus enim, sunt septem stellæ micantes in minori vrsa, quæ super nos semper voluuntur & nunquam occidunt, & significant vniuersitatem Sanctorum, qui non occidunt per peccatum [& Orionem] Alia translatio, astra fulgentia. Est autem Orion constellatio meridiana lucidis valde stellis, æstate recta, radiis solis hyeme, orta *matutinis*, hoc est, de sub radiis solis, & significat martyres in persecutionis hyeme ortos, & mundi tenebras illuminantes. Significat etiam patientes in tribulatione, lucem suæ claritatis expandentes. Literaliter tamen sensus est: Qui stellas facit in diuersa claritate à polo artico, hoc est, aquilonari, vsque ad polum antarticum, hoc est, meridionalem. *Iob 9.* Qui facit Arcturum & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri. *Psal. 146.* Qui producit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat [Et conuertentem in mane tenebras] hoc est, noctem in diem [& diem in noctem mutantem] hoc est, vicissitudinem noctis & diei facientem. *Gen.8.* Nox & dies non requiescent. Spiritualiter autem tenebra mutatur in mane, quando tristitia præsentis vitæ in auroram mutatur felicitatis æternæ. *Ioan. 16.* Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Psal.29.* Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Diem autem mutat in noctem, quando claritatem præsentis seculi in tenebras commutat inferni. *Iob 3.* Dies illa vertetur in tenebras, non requirat eam Deus desuper, & non sit in recordatione & non illustretur lumine.

Qui vocat aquas maris] in altum scilicet, per nubes [illegible] & effundit eas super faciem terræ] in pluuiis scilicet. *Iob 38.* Quis est pluuiæ pater, aut stillas roris qui genuit? Spiritualiter Deus vocat aquas maris, quando profundum sapientiæ suæ ponit in cor hominis; effundit autem super faciem terræ, quando per doctrinam compluit & rigat corda simplicium. *Psal. 146.* Qui operit cælum nubibus & parat terræ pluuiam. *Iob 38.* Nunquid eleuabis in nebulam vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? [Dominus est nomen eius] *Psal.67.* Dominus est nomen illi. *Esther 13.* Dominus omnium tu es. Dominus enim est qui omnium habet potestatem.

Qui subridet vastitatem] hoc est, qui subridendo infert pœnam vastitatis [super robustum] hoc est, super eum qui in robore alios oppressit. *Isa.33.* Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Robur enim hominis irridet fortitudo diuina. *Psal. 36.* Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniat dies eius [depopulationem super potentem affert] Depopulatio dicitur præda populi, qua nihil relinquitur; quia quod non placet vni, placet alteri. *Isa.21.* Qui depopulator est, vastat. Similiter fit de peccatore, quia bona diripiunt parentes & amici, corpus vermes, & animam dæmones. *Psal.75.* Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Hanc pœnam affert super potentem; vt quod aliis fecit, ipse patiatur. *Apoc.18.* Reddite ei sicut reddidit vobis, & duplicitate ei duplicia. Quomodo autem hoc fecerint, subdit, & supplerur quia.

Deus irridet robur hominis.

Odio habuerunt corripientem in porta] Iudicium enim exercebatur in portis publice, & corripiens in porta, est corripiens publice, de peruersa sententia. *Prou.29.* Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus [& loquentem perfectè abominati sunt] *Glossa.* Perfectè loquitur qui non odio, sed sicut Deus præcipit, ex dilectione corripit. *3. Reg.vlt.* Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum. *Sap. 2.* Contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Et post modicum. Grauis est nobis etiam ad videndum.

Idcirco pro eo] Tangit pœnam per iniqua iudicia deprimentium pauperes; & est pœna damni, vt hoc amittant quod illicite rapuerunt [Pro eo quod diripiebatis pauperem] pauper diripitur, quando substantia pauperis diripitur. *Sap. 2.* Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. *Isa. 3.* Rapina pauperis in domo vestra [& prædam electam tollebatis ab eo] Electam dicit; quia pretiosa quæque abstulerunt, vilia quædam vix relinquentes. *Prou.1.* Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. *Thren.1.* Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. *Iere. 51.* Repleuit ventrem suum teneritudine mea [domos quadro lapide ædificabitis] *Septuaginta.* Polito [& non habitabitis in eis] Hæc enim pœna iusta est. *Deuter. 28.* Domum ædifices, & non habites in ea. Auari domos ædificant, qui diuitias colligunt per rapinam. Dirare enim domum ædificare est. *Habac. 2.* Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius. Propter hoc *Isa.5.* Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copula

copulatis, vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt, hæc dicit Dominus exercituum. Nisi domus multæ fuerint desertæ, grandes & pulchræ absque habitatore. Quadrum in lapide dicitur firmum & solidum & politum.

Vineas amœnissimas plantabitis] quæ scilicet vobis continuo gaudia mundi germinent. *Deut. 28.* Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur. *Isa.16.* In vineis non exultabit neque iubilabit, vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat. Cuius causa dicitur *Prou. 14.* Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Et hoc est quod sequitur [& non biberis vinum earum] Et subdit causam, vt iustior sit condemnatio.

Quia cognoui multa scelera vestra] Scelus est crimen accusatione dignum. Et non solum multa, sed [& fortia peccata vestra] & dicuntur fortia secundum *Glossam*, ad prouocandam iram Dei. *Isa.1.* Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. *1. Reg. 17.* Ego noui superbiam tuam & nequitiam cordis tui.

Hostes iusti] neutri generis, hoc est, iustitiæ. *Michæ 3.* Qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis. *Psal.35.* Adhuc omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit [accipientes munus] vendentes scilicet sententias & iudicia. *Deut. 16.* Non accipies personam, nec munus: quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba iustorum. *Isa.1.* Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones [& pauperes qui supple, munera non habent] in porta deprimentes] hoc enim in iudicio, quia in portis iudicium exercebatur. *Deuter.16.* Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, qui iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. *Isa.1.* Non iudicant pupillo, & causa viduæ non ingreditur ad eos. Et subinfert de obstinatione.

Correctio fraterna quandoque est intermittenda.

Ideo] supple, quia obstinati estis in talibus malitiis [prudens] Propheta scilicet intelligens [in tempore illo scilicet obstinatæ malitiæ [tacebit] a redargutione scilicet peccatorum, videns quod non emendat, sed potius ad deteriora prouocat. *Psalm.38.* Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me, obmutui & humiliatus sum & silui a bonis. Et hoc est quod subdit [quia tempus malum est] *Glossa.* Quia nullus est qui velit audire recte iudicantem. *2. Timoth. 4.* Auertentes quidem auditum meum, ad fabulas autem conuertentur. *Ephes.5.* Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Quærite bonum] Tangit hic qualiter quærendum est, & diuiditur in duo. Primo docet quærere, secundo plangere. Quærite bonum] neutri generis, vel bonum Deum. *Luc.18.* Nemo bonus nisi solus Deus. *Psal.33.* Quærite Dominum dum inueniri potest. *Galat.2.* Bonum æmulamini in bono semper [& non malum] supple, quærite, neutri generis, vel mundum, vt dicit *Glossa*, qui in maligno positus est. *Iaan.5. Eccl.7.* Noli facere mala, & non te apprehendent. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. *Isa.1.* Quiescite agere peruerse, discite benefacere [vt viuatis] ipse enim fons & principium vitæ est. *Ioan.10.* Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Et erit Dominus Deus exercituum vobiscum] in consensu scilicet voluntatis, & in adiutorio operis. *Isa.7.* Vocabitur nomen eius Emanuel, hoc est, nobiscum Deus. *Ruth 2.* Dominus vobiscum [sicut dixistis.] hoc est, sicut olim in patribus promisistis. *Exod.19.* Quæcumque loquutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes.

Odite malum] *Psalm.118.* Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi [& diligite bonum] Bonum enim solum diligibile est. *Eccl.14.* Ego mater pulchræ dilectionis. Pulchra enim dilectio est, quæ non diligit nisi bonum. *Sap.6.* Diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis [& constituite in porta iudicium] rectum scilicet. *Isa.16.* Sedebit super eum in veritate, in tabernaculo David, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. *Iob 6.* Loquentes id quod iustum est, iudicate [si forte misereatur Dominus Deus exercituum] Forte dicit, non quia dubium sit, sed quia proprio libero arbitrio poterant nolle conuerti, vel quia Deus forte misericordia liberante non miserebitur, quamuis certum sit, quod semper miseretur misericordia relaxante. *Thren.3.* Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius [reliquias] quæ superfuerunt gladiis Assyriorum vel dæmonum. *Isa.37.* Leua orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt Ioseph] hoc est, decem tribuum, quarum primus rex fuit de Ioseph.

Propterea hæc dicit Dominus exercituum, dominator] hoc est, præpositus omnibus, diues in omnes & omnia continens. *Isa.16.* Emitte agnum Domine dominatorem terræ. *Esther 13.* Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita] In omnibus plateis planctus] supple, erit. Platea dicitur à græco, plati, quod est latum, & plateæ sunt loca, in quæ multi conueniunt ad plangendum, & significant latas vias peccatorum quæ plangendæ sunt. *Matth.7.* Lata est via quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui ambulant per eam [& in cunctis quæ foris sunt] hoc est, villis & campis [dicetur væ, væ] his scilicet, propter mortem corporis & animæ. *Ezech.2.* Scriptæ erant in eo lamentationes & carmen & væ. Lamentationes pœnitentibus, carmen innocentibus, & væ peccatoribus obstinatis. *Ezech.16.* Væ væ tibi. *4. Esdræ 8.* Væ, væ, væ habitantibus in terra [& vocabunt agricolam ad luctum] propter hoc scilicet, quia periit fructus laboris eius. *Ieri.14.* Confusi sunt & afflicti, & operuerunt capita sua propter terræ vastitatem. *Ioel 1.* Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento, vino, & oleo: quia periit messis agri] hoc spiritualiter interpretatur de Prælatis & prædicatoribus, qui arum condis sine fructu excolunt [& ad planctum] supple, vocabunt [eos qui scient plangere] *Hieronymus*, id est, qui scient pertinacia ad concinnandas lacrymas. *Ieri.7.* Vocate lamentatrices, & eas quæ sciunt plangere. Tales autem sunt sancti Prædicatores. *Matth.5.* Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Isa.22.* Vocabit Dominus ad fletum & planctum, calumiam & ad cingulum sacci. *Baruch.4.* Talem diligo Prædicatorem, qui mihi planctum non sibi plaudum excitet.

Et in omnibus viis eorum erit planctus] viæ signifi

significant cogitationes & opera, in quibus necesse est plangere peccatores. *Thren.* 3. Lacrymæ eius in maxillis eius, non est qui consoletur eam. Et subdit causam [Quia pertransibo in medio tui] vndique scilicet interficiens [dicit Dominus] sicut scilicet pertransiui per Ægyptum *Exod.* 12. Percutiens primogenita Ægyptiorum *Ezech.* 9. Transite per ciuitatem sequentes eum & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini, senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite.

Væ desiderantibus] Tangit hic causam tanti planctus [diem Domini] iudicij scilicet particularis vel vniuersalis, temporalis vel æterni. Et loquitur de duabus tribubus desiderantibus captiuitatem decem tribuum, vt dilatarent terminos suos. Loquitur etiam de præsumentibus de propria iustitia, qui securos se fore putant in iudicio. Loquitur etiam de desiderantibus iudicium vt vindicentur de inimicis, quibus compati deberent & orare pro ipsis. Contra quod dicitur *Iob* 3. Antequam comedam suspiro, & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus; quia timor quem timebam euenit mihi. *Iob* 31. Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi [Ad quid eam vobis] supple, desideratis; in districto enim iudicio, nemo securus est, vnde & *Isa.* 64. Tremens petit; Ne irascaris Domine satis. 1. *Petr.* 4. Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt [dies Domini ista] iudicij scilicet [tenebræ] angustiæ scilicet, & tribulationis. *Isa.* 37. Dies tribulationis & angustiæ, dies correptionis & blasphemiæ, dies hic. *Sophon.* 1. Dies illa dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris [& non lux] lætitiæ scilicet alicuius. *Thren.* 3. Meminauit & adduxit in tenebras & non in lucem. Et huius ponit similitudinem.

Iudicium exercituum erit omnibus formidabile.

Quomodo si fugiat vir à facie leonis] Nabuchodonosor regem Chaldæorum, leonem vocat: *Ier.* 4. Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit, quem cum effugerunt Iudæi, fit quod sequitur [& occurrat ei vrsus] qui significat Assuerum regem Persarum & Medorum, qui sicut legitur *Esther* 3. Edictum dedit vt omnes Iudæi simul interficerentur. *Prou.* 28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem [&] supple, vrsum effugiens [ingreditur domum] supple, suam de captiuitate reuertens [& innitatur] hoc est, velit requiescere [manu sua] lassa scilicet, & fracta per captiuitatem [super parietem] domus suæ scilicet, de ruinis ædificatum [& mordeat eum coluber] Coluber dicitur colens vmbras, quia in occultis & in antris habitat, & significat coluber Antiochum Epiphanem, qui Iudæis, post quam de captiuitate redierunt, plurima mala intulit. *Gen.* 49. Fiat Dan hoc est, iudicium, coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Hæc mala significant sententiam leonis, Dei scilicet iudicii, vrsus inferum magno ictu glutientem peccatores, serpentis dæmones de pœna in pœnam trahentes. De leone *Amos* 3. Leo rugiet quis non timebit? De vrso *Osee* 13. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis. De serpente. *Eccl.* 10. Cum morietur homo, hæreditabit serpentes & bestias & vermes. Et hoc quod dixit, conuincit per propriam confessionem [Numquid non dies Domini tenebræ & non lux] *Isa.* 50. Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei [& caligo] quæ vaporibus & fumis inspissantibus aerem fit, & significat mentis cæcitatem. *Exod.* 10. Sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, vt palpari queant [& non splendor in ea] iustitiæ scilicet, & gratiæ vel cognitionis. *Sap.* 5. Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.

Quas festinitates Deus odit.

Odi & proieci] odi corde, & proieci opere [festinitates vestras] In quibus scilicet non ad me laudandum, sed ad concupiscentias explendas conuenitis. 1. *Corinth.* 11. Hoc autem præcipio, non laudans quod in melius, sed in deterius conuenitis. *Isa.* 1. Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea. *Mala.* 2. Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, dum scilicet cor feret & lingua laudat [& non capiam odorem cœtuum vestrorum] *Isa.* 1. Iniqui sunt cœtus vestri. Odor autem est thus & thimiama quod offerebant corde fœtente. *Isaia vltimo.* Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo [quod si obtuleritis mihi holocaustomata] quæ scilicet tota incendunfur, & fuerunt de agnis pro mansuetudine innocentium, de vitulis pro labore actiuorum, de hircis pro gemitu pœnitentium [& munera vestra] quæ non necessitate præcepti legis, sed libera voluntate offerebantur 7. *Paral. vltimo.* Populum qui reperrus est, vidi cum ingenti gaudio, offerre tibi donaria. Domine Deus Abrahã, & Isaac, & Israël patrum nostrorum custodi in æternum hanc voluntatem. *Isa.* 1. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui [Non suscipiam] *Mala.* 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manibus vestris. A tempore enim quo Christus obtulit se in cruce, facta sunt hæc mortua, & à tempore prædicationis Apostolorum facta sunt mortifera [& vota pinguium vestrorum] hoc est, quæ sponte vouetis ad offerendum [non respiciam] quia scilicet de rapina pauperum offertis. *Genes.* 4. Ad Cain & ad munera eius non respexit. *Ecclesiastici* 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Et quia possent confidere in laudibus psalmorum, propter hoc subdit.

Contra abusum organorum.

Auferà me tumultum carminum tuorum] Tumultus sonus confusus est, qualis solet audiri in foro, vt dicit *Glossa*, & significat eos qui distincte voces non proferunt, nec resonantias notarum in cantibus Ecclesiæ. *Matth.* 15. Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est à me *Isa.* 29. Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eorum longe est à me. *Ie.* 12. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum [& cantica lyræ tuæ non audiam] Lyram potuit pro omnibus instrumentis musicalibus, quibus scilicet laus Dei & cantica Ecclesiæ ad lasciuiam prouocantur. *Isa.* 23. Erit, vt quasi canticum meretricis. Meretricio enim modo quidam cantant in Ecclesia. Vnde sequitur *Idem*: Sume tibi citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit. Et subdit de condemnationis iudicio.

Et

Et reuelabitur] in oculis scilicet omnium, quasi aqua maris [scilicet vbique omnia operiens [iudicium] scilicet quo reddetur vnicuique secundum suæ merita. *Isa.* 10. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam. *Eccli.* 24. Factus est mihi trames abundans, & fluuius meus ad mare appropinquauit [& iustitia] qua quilibet est dignus pœna vel præmio, supple, reuelabitur [quasi torrens fortis] qui supple cuncta rapit, & cui nihil resistit. *Psal.* 109. De torrente in via bibet. *Isa. vltimo.* Declinabo super vos sicut fluuium pacis: & quasi torrentem inundantem, gloriam gentium sugetis. Probationem autem eorum quæ dixit, subdit.

Nunquid hostias?] De animalibus scilicet, & [sacrificium] de aridis scilicet & liquidis [obtulistis mihi in deserto] per quod scilicet eduxi vos de Aegypto quadraginta annis. *Psal.* 94. Quadraginta annis offensus fui generationi illi [domus Israël] hoc est, familia decem tribuum. Quasi dicat: Non. Et dicit *Hieron.* quod ex quo sacrificauerunt vitulo in deserto *Exo.* 32. nunquàm sponte obtulerunt Domino, sed pœnis potius coacti, & ideo dicit non obtulisse, quia inuite fecerunt. Huius etiam alia causa est: Dominus enim hoc ex intentione nunquàm voluit sed potius voluit sibi offerri quam idolis. Hoc dicitur eis qui in angaria portant crucem in claustris vel Ecclesiis, & Dominum ex deuotione non inuocant, nec laudant. *Isa.* 43. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israël, non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me.

Sacrificia conficta sunt deo ingrata.

Et portastis tabernaculum Moloch] Moloch interpretatur rex eorum: & tabernaculum Moloch portat qui per superbiam, habitationem dæmonis se facit. *Iob* 41. Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Et hoc est quod sequitur [regi vero, & imaginem idolorum vestrorum] supple portastis vobiscum per deserta vt occulte illis offerretis. Contra quod dicit *Gene.* 35. Abijcite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini. Peccatores enim vix ab imaginibus peccatorum separantur [sidus Dei vestri] supple portastis vobiscum. Et hoc dicit *Hieronymus* sidus esse luciferi, vel hesperi, quod adorabant. Propter quod *Ie.* 19. dicitur quod sacrificabant militiæ cæli. *Septuaginta* sic habent: Assumpsistis tabernaculum, Moloch & sidus Dei vestri Rempham. Et hanc translationem inducit Stephanus *Act.* 7. Rempham autem interpretatur requies, quia in illo sidere requieuerunt, propter fulgorem enim sideris numen putabant inesse diuinitatis, vnde in necromantia libri sunt inscripti de sigillis planetarum, & liber imaginum & speculorum & anulorum veneriſque omnia fiunt ad cæli imagines. *Osee* 7. dixit Ephraim: Veruntamen diues effectus sum, inueni mihi idolum [quæ fecistis vobis] fiduciam scilicet ponentes in eis. Et subdit pœnam.

Et] supple ideo [migrare vos faciam] per captiuitatem [trans Damascum] vbi scilicet sunt montes Medorum & Persarum in regno Assyriorum. *Ezech.* 12. In transmigrationem & captiuitatem ibunt. Vel trans Damascum, hoc est, vltra potantem sanguinem, vique ad dæmones in infernum. *In Actibus tamen Apostolorum* 7. dicit Stephanus in Babylonem, & intelligit de duabus tribubus. [Dixit Dominus] Consummatio præteritorum est. 4. *Reg.* 19. Non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est [Deus exercituum nomen eius] *Dan.* 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.

CAPVT VI.

Væ vobis.

Tangit hic comminationem captiuitatis sub exprobatione peccati prælatorum, & decem, & duarum tribuum. Et habet partes duas. Primo enim improperat peccata lasciuiæ cum comminatione captiuitatis. Secundo, peccata superbiæ & oppressionis *ibi.* [Nunquid currere queunt] Prima in duas. Primo enim exaggerat peccatum. Secundo comminatur pœnam *ibi.* [Quapropter nunc migrabunt] Prima istarum diuiditur in tres. Primo improperat diuitias, quæ sunt peccati causa. Secundo iniurias, quas intulerunt in malitia & iniustitia *ibi.* [Qui separati estis] Tertio lasciuias in carnali concupiscentia *ibi*] qui dormitis in lectis] In diuitiis primo improperat abusum. Secundo multiplicationem.

Væ vobis] suppple diuitibus [qui opulenti estis] hoc est, turgidi ac tardi præ opibus, eo quòd cor totum opibus hæret. Contra hoc quod dicitur in *Psalm.* 61: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, *Luca* 6. Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram. Et hoc est quod sequitur [in Sion] hoc est, in Ecclesia: *Habac.* 2. Væ ei qui multiplicat non sua hoc enim in Sion vituperabile est, quia ibi speculari deberent æterna. 2. *Corinth.* 4. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Et quia Sion est in duabus tribubus, propter hoc transit ad decem tribus, subdens [qui confiditis in montibus Samariæ] hoc est, in præsidiis terræ montosæ. Vel montem potuit pro dignitatibus, in quibus positi fuerant. Et reprehendunfur in hoc superbi. Samaria enim custodia interpretatur, quia pro custodibus positi potestate instantur & extolluntur vt montes, & alios opprimunt, vt moles montium. *Isaie* 14. Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo. *Iob* 28. Subuertit à radicibus montes. *Psalm.* 61. Transferentur montes in cor maris, hoc est, æternæ amaritudinis. Et hoc explanans adhuc subdit.

Diuitiis vtendum est, non corde inhærendum.

Optimates] non quòd optimi essent, sed quod optima ambitiose vsurpabant [capita populorum] principes scilicet, *Ieremia* 5. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui, & ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula. 1. *Esdræ* 9. Manus principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima. *Isaie* 1. Omne caput languidum. Et improperat abusum, subdens [ingredientes pompatice] pretiosis scilicet vestibus & apparatu magno & comitiua [domum Israel] hoc est, familiam Israel. Alios enim despiciebant & opprimebant, acsi conuiuare deberent eos. Et nota duplicem euentum in pœna vestium gloriarum. *Luc.* 16. dicitur, quod diues induebatur purpura & byisso, & epulabatur quotidie splendide. Et post modicum sequitur: Et sepultus est in inferno. *Act.* 12.

Vestium luxus damnatur.

Act. 12. dicitur, quòd statuto die, Herodes vestitus veste regali, sedit pro tribunali, & post modicum, percussit eum Angelus Domini: & consumptus vermibus expirauit. *Ecclesiastici* 11. In vestitu ne glorieris vnquàm, nec in die honoris tui extollaris. *Ecclesiast.* 19. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, de illo enuntiant. Et subdit de multiplicatione diuitiarum.

Transite in Chalanne] quæ est metropolis Persidis ditissima: vnde etiam consummatio futura interpretatur, eò quòd omnium rerum ibi fuit copia [& videte] hoc est, considerate diuitias & possessiones [& ite in Emath magnam] quæ est metropolis Syriæ, & dicitur Antiochia. Magna autem dicitur ad differentiam cuiusdam paruæ, quæ alio nomine Epiphania dicitur, vbi Nabuchodonosor interfecit Sedechiam sicut legitur *Ieremiæ* vltimo. Et interpretatur indignatio eorum, propter fastum scilicet quo aliis indignabatur [& descendite in Geth Palæsthinorum] siue Philisthinorum: quæ etiam ciuitas optima erat ibi, & interpretatur torcular. Et quia longum esset inducere per singula, vniuersaliter subdit [& ad optima quæque regna eorum] in diuitiis scilicet, ite & considerate. Et quid considerent, subdit [si latior terminus eorum] hoc est, possessionis eorum [termino vestro] hoc est, possessione vestra [est] Quasi dicat. Non est, in diuitiis scilicet quod notatur in Chalanne, & dignitate quod notatur in Emath Syriæ, & potestate quod notatur in Geth. Hoc potest dici prælatis Ecclesiæ, qui dilatati in diuitiis, dignitate, & potestate, nulli genti sunt secundi. *Iere.* 2. Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videre si factum sit huiuscemodi. *Deuteron.* 32. Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Et post pauca: Incrassatus est dilectus & recalcitrauit. Hoc enim promissum fuit Ecclesiæ *Isa.* 60. Ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem; & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Et sequitur de ingratitudine.

Qui separati estis in diem malum] propter peccata scilicet. Et dies malus dicitur dies imminentis captiuitatis temporalis, vel æternæ. Separatio autem fit quando à malis separantur. *Iob* 21. In diem perditionis seruabitur malus, & ad diem furoris dicetur. *Matth.* 25. Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis [& appropinquatis solio iniquitatis] hoc est, amisso regno subiecti estis iniquo solio Assyriorum, sicut & videmus prælatos Ecclesiæ à tyrannis modo subdi & vexari. *Dan.* 3. tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum, & pessimorum prævaricatorumque, & regi iniusto & pessimo vltra omnem terram. *Isaiæ* 19. Tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium: & rex fortis dominabitur eorum. Et subdit, improperans peccata carnalis concupiscentiæ.

Qui dormitis in lectis eburneis] vt dormitio resolutionem, lectus mollitiem, ebur vanitatem curiositatis significet. Simile *Prouerb.* 7. Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto. Aspersi cubile meum myrrha. His enim fit incitamentum libidinis. Et hoc est, quod sequitur [& lasciuitis in stratis vestris] *Glossa.* Vt somnum libidini copuletis. Hoc potest dici clericis & religiosis, qui in voto castitatis (quod ebur significat) luxuriantur. 2. *Paralip.* 16. Posuerunt eum super lectum suum, plenum aromatibus & vnguentis meretricis. Apocalypsis 2. Permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetem, docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis. *Iudæ in epistola.* Hi sunt qui gratiam Domini nostri Iesu Christi in luxuriam transferunt. Et subdit de gula.

Contra vitiosos.

Qui comeditis agnum de grege] hoc est, de toto grege vix inuenitur vnus agnus quem comedere velitis [& vitulos] non quoscunque, supple, occurrentes [sed de medio armenti] quæsitos per vestram electionem, qui vocantur vituli saginati. *Deuteronom.* 32. Cum adipe agnorum & arietum filiorum Basan. *Genes.* 18. Ipse cucurrit ad armentum, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum. *Isa.* 22. Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes. Comedamus & bibamus. Et subdit de vanitate auditus.

Qui canitis ad vocem psalterij] vt in conuiuio, delectationi in gustu miscearur delectatio cantus in auditu. Et explanat vlterius [sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici] & hoc ipsum præsumptio fuit, quod inferior scilicet, splendorem velit habere superioris. *Isaia* 5. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris. Sed in hoc dissimile est: quia Dauid ea habebat in obsequium Dei, his enim lusit ante arcam Domini 2. *Reg.* 6. Isti autem ad prouocationem libidinis. Vnde sequitur.

Vinum incentiuum est libidinis.

Bibentes in phyalis vinum] Phyalæ sunt vasa vitrea subtus stricta, & superius lata, vt scilicet tam in visu quàm in gustu delectaretur. *Prou.* 22. Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, & in nouissimo mordebit vt coluber. *Hieronymus.* Venter mero æstuans, facile spumat in libidinem. Non Ethnæi montes, non Vulcanei ignes ita æstuant, sicut iuueniles medullæ vino & dapibus inflammatæ. Et subdit de peccato tactus.

Et optimo vnguento delibuti] *Glossa.* Non ad refrigerandos dolores corporis oleo puro, sed caris vnguentis: vnctiones enim quædam proficiunt ad libidinis delectationem. *Prouerb.* 7. Aspersi cubile meum myrrha, aloe, & cynamomo: veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. Et subdit de peccato cordis, quod est duritia in pauperes.

Et nihil patiebantur super contritione Ioseph] hoc est, pauperum de decem tribubus. Et hoc idem dicitur *Isaia* 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. Et post pauca. Opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis, in afflictione scilicet pauperum, quæ enim à pauperibus rapiunt, consumunt in deliciis.

Quapropter] Post aggrauationem culpæ ponit comminationem pœnæ, primo captiuitatis, secundo pestilentiæ & mortis [Quapropter nunc] In instante scilicet captiuitate vel æterna [migrabunt] optimates scilicet, & capita populorum [in capite transmigrantium] In Babylonem scilicet; vel in infernum: vt sicut fuerunt potiores in culpa, sic sint potiores in pœna. *Sap.* 6. Apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Et tunc, supple [auferetur factio lasciuientium

ium] quia tunc scilicet lasciuias exercere non poterunt. *Psalm.* 145. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. 1. *Machab.* 3. Hodie extollitur, & cras non inuenietur. Hoc autem vt magis timeatur, confirmat subdens.

Iurauit Dominus Deus] Hoc est firma sententia statuit [in anima sua] non quod animam habeat, sed quod ex intimo affectu hoc vult, & hic est antropospatos. *Daniel.* 4. In sententia vigilum decretum est [dicit Dominus Deus exercituum] qui, scilicet, illa ad actum potest reducere. *Isa.* 31. Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit, [Detestor ego superbiam Iacob] hoc est, duarum & decem tribuum; quia scilicet, nec Deo præcipienti, nec præcepto eius subdi volunt. Detestari autem est, cum intamento abominari. *Iacob*, 3. Deus superbis resistit. *Iob* 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus? [& domos eius odi] hoc est, familias per peccatum lasciuiæ corruptas. *Ezech.* 3. Domus exasperans est. *Michæ* 6. Adhuc ignis in domo impij. Et ideo, supple [tradam ciuitatem cum habitatoribus suis] In captiuitatem scilicet. Hæc enim ciuitas conuentum peccatorum significat, de qua in *Psalm.* 79. dicitur: Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate: tota die circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia. *Nahum* 3. Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacij, dilacerationis plena. *Isa.* 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Et subdit de peste eorum qui non capiuabuntur, sed in obsidione peribunt.

Superbia est Deo exosa.

Quod si reliqui fuerint] à gladio scilicet hostis, vel captiuitate [decem viri in domo vna] hoc est, in familia vel tribu vna. Decem nominat ideo, quia *supra quinque*, mille deduxit ad centum, & centum ad decem: & ne credatur quod illis decem parcere velit, ideo hic dicit quod & illi consumendi sunt [& ipsi morientur] fame scilicet, & peste. *Psalm.* 103. Deficiant peccatores, & iniqui, ita vt non sint. Et subdit de numero mortuorum.

Et tollet eum propinquus suus] scilicet mortuum [& comburet eum] quia hostibus obsidentibus per portas efferre non audet ad sepeliendum, & ergo in domo timens corruptionem comburit, ne fœtore putrefacti corporis corrumpatur [vt efferat ossa de domo] sine fœtore corruptionis. Et hæc combustio signum est incendij æterni. *Isa.* 9. Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit [& dicet] supple, ille propinquus qui vocatus est ad comburendum [ei qui in penetralibus domus est] supple, custodiens eos qui tabe famis & pestilentiæ moriuntur [Nunquid adhuc est penes te] supple, mortuus quem comburam *Ezech.* 39. Conficiunt lustrantes terram, qui sepeliunt & requirant eos qui remanserant super faciem terræ, vt emundent eam [& respondebit ille, supple, qui de intus est] [finis est] hoc est, omnes consumpti sunt, *Ezech.* 7. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te. *Thren.* 4. Meliùs fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt, consumpti à sterilitate terræ [& dicet ei] exterior scilicet interiori [Tace] hoc est, ad Dominum non clama [& non recordabis nominis Domini] In tanta enim pertinacia fuerunt (vt dicit *Hieronymus*) quod nec maximis malis pressi Dominum inuocare voluerint. Et significant eos qui in infirmitate morbi non conuertuntur ad Dominum. *Apoc.* 16. Æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam. 2. *Paralip.* 16. Ægrotauit Asa dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.

Quia ecce Dominus] in proximo, supple [mandabit] Assyriis scilicet, vel dæmonibus [& percutiet domum maiorem minis] diuitum scilicet familiam, vel decem tribuum. *Matth.* 7. Flauerunt venti, venerunt flumina, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna [& domum minorem] supple, percutiet [scissionibus] Domum minorem vocat vel domum plebeiorum, vel domum duarum tribuum, quæ scissa est, quia multis cadentibus, pauci remanserunt, sicut parietinæ manent scissis & mentibus domibus. *Isa.* 5. Nisi domus multæ fuerint desertæ grandes & pulchræ, & absque habitatore. *Isa.* 25. Posuisti domum alienorum, vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Et quia aliquis posset quærere, quare tam crudeliter vindicaret in eos, cum per naturam sit bonus & dulcis, &c. Respondet.

Nunquid currere queunt in petris equi] Quasi diceret. Non; quia pes durus equi, & non fissus duro lapidi non infigitur ad standum, nec ad se tenendum [aut arari potest in bubalis] *Glossa.* Syluestris bos non potest domari, vt suscipiat aratra. Et cum animalia naturam suam non mutent, vos malitia me mutastis de dulci in amarum. *Osee* 14. Pereat Samaria; quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum. Et hoc est quod sequitur [quoniam in amaritudinem conuertistis iudicium] iusti scilicet iudicis Dei, qui dulcis est per naturam: vt scilicet iudicium amarum de vobis faceret. *Osee* 12. Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis [& fructum] dulcissimum, supple [iustitiæ] quem scilicet iustus iudex pro iustitia reddidit patribus [in absynthium] supple, conuertistis; oportet enim quod fructibus vestris amaris amaritudo absynthij in pœna respondeat. *Deut.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. *Sap.* 4. Fructus eorum acerbi & inutiles ad manducandum. Qualiter autem conuerterint, subdit.

Qui lætamini in nihili] in idolo scilicet, vel in peccato. *Ezech.* 28. Nihil factus es & non eris in perpetuum [qui dicitis] ex præsumptione scilicet superbiæ. *Tob.* 4. Superbiam nunquàm in tuo sensu, aut in animo tuo dominari permittas [Nunquid non sin fortitudine nostra] non Dei scilicet, [assumpsimus nobis cornua] regni scilicet, & potestatis in Ieroboam & successoribus suis. Et fortitudinem appellant potentiam secularem in parentibus, diuitiis, potentatu, & industria. Simile *Dan.* 4. Nonne hæc est ciuitas Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Contra hos dicitur in *Psal.* 74. Nolite extollere in altum cornu vestrum. De bonis autem dicitur in *Psal.* 88. In nomine meo exaltabitur cornu eius.

Ecce ego suscitabo super vos] scilicet opprimendos [domus Israel] decem & duæ tribus [gentem] Assyriorum scilicet, Chaldæorum, vel dæmonum, qui gens dicuntur, quia gentili ferocitate debacchantur. *Habac.* 1. Suscitabo super vos

Chaldæos gentem amaram. *Isa.*13. Suscitabo super vos Medos qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis paruulos interficient [dicit Dominus Deus exercituum] cui scilicet, sicut dicit. *Greg.* militat etiam id quod per malitiã voluntatis obstat [& cõtrarios vos] in personis scilicet, & rebus. *Isa.*10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum] ab introitu Emath] quæ est Antiochia, & est principium terræ promissionis ex parte Aquilonis [vsque ad torrentem deserti] hoc est, riuum, qui Riuorucula dicitur, & inter Pelusium montem & desertum Ægypti cadit in mare vbi est finis terræ promissionis ad Meridiem, hoc est, vastabit à fine vsque in finem. *Luc.*21. Missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit.

CAPVT VII.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus.

Hic incipit ostendere per similitudines malum captiuitatis futuræ. Et diuiditur in partes duas. Primo enim inducit similitudines. Secundo, quasi explanando eas comminatur pœnam infra, post principium octaui *ibi* [Audite hoc qui conteritis pauperem] Prima diuiditur in duas, in quarum prima sub tribus similitudinibus induxit pœnam. In secunda sub quarta similitudine attractionem pœnæ in ciuitatem infra, octauo *ibi* [Hæc ostendit mihi Dominus, & ecce vncinus pomorum] Adhuc prior diuiditur in duo. Primo enim metaphoricè pœnam describit futuram. Secundo, in prophetando ostendit prophetæ constantiam *ibi* [Et misit Amasias] Prior harum in tres diuiditur. Primo enim ostendit pœnam ex parte vastatoris: secundo, ex parte vastati: tertio, ex parte remotionis auxilij diuini. In prima tria sunt, scilicet, pœnæ comminatio, Sanctorum intercessio, pœnæ suspensio.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus] qui solus nouit futurorum dispositionem, *Psal.*50. Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi [& ecce fictor locustæ] Fictor locustæ Deus est creator omnium, qui in specie formantis locustas apparuit Prophetæ. Locustam vero vocat regem Assyriorum Sennacherib, qui longo saltu de Assyria exiliuit in Iudæam, & vastauit eam. *Psal.*104. Venit locusta & bruchus, cuius non erat numerus [In principio germinantium serotini imbris] Alius est serotinus imber simpliciter, qui super maturandos fructus descendit, & alius est serotinus imber in principio germinantium, qui fit postquam semina iam verno tempore pullulare incipiant, & virere, & ad illum virorem venit locusta, vt scilicet recentia deuoret. Vnde in *Psal.*104. Comedit omne fœnum terræ eorum. De imbre autem dicitur. *O.*c.6. Veniet vobis quasi imber temporaneus, & serotinus terræ [& ecce post serotinum] hoc est, ecce apparuit serotinum in virore & herba [tonsor] siue tonsura regis, hoc est, postquam apparuit serotinum viride quod relictum fuerat à locustis, scilicet, ab Assyriis, statim apparuit Nabuchodonosor tonsor siue tonsura regis, qui sicut falce quadam omnia præcidit, sicut dixerat *Isa.*7. Radet Dominus in nouacula acuta, in his qui trans flumen sunt in rege Assyriorum, caput & pilos pedum & barbam vniuersam. Et subdit de supplicatione Sanctorum.

Et factum est cum consummasset comedere herbam terræ] locusta scilicet; & tonsor, hoc est, tollere omne quod viroris erat in populo [dixi] ego scilicet, & alij Sancti intercedendo. *Iacob.* 5 Orate pro inuicem vt saluemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua [Domine Deus propitius esto, obsecro] populo, scilicet 2. *Machab.*2. Deus qui liberauit populum suum, & reddidit hæreditatem omnibus, & regnum, & sacerdotium, & sanctificationem, sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur [quis suscitabit Iacob] hoc est, suscitare poterit? duodecim tribus scilicet [quia paruulus est] viribus scilicet, & opibus, & numero. *Abdia.* Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis es valde. Et quia Deus audit desideria Sanctorum, propter hoc tunc temporis liberati sunt, & comminatio suspensa est.

Sanctorum intercessio non est abiicienda.

Misertus est Dominus super hoc] *Psalm.*76. Aut obliuiscetur misereri Deus [non erit] supple, hoc tempore malum istud [dixit Dominus Deus] 3. *Reg.*21. Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Hæc locusta significat adulatorem qui super viride cadit, quia in apertis bonis blanditur, & mala tegit, & excusat. *Exod.*10. Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos quæ operiet superficiem terræ, ne quidquam eius appareat. *Isa.*16. Vitor omnis interiit. Hæc locusta venit in principio germinantium, quia cum homo florere incipit & germinare, tunc apparet adulator & blanditor. *Prou.* 1. Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Venit etiam tempore serotini imbris, quia quem Deus compluit gratia ad augmentum virtutis vel boni alicuius, illi statim insident adulatores. *Osea* 12. Oleum in Ægyptum ferebat Ephraim. Tonsor autem qui serotinum tondet & abradit, diabolum significat, qui per mortale peccatum omne tollit quod speciem habet virtutis. *Psalm.* 136. Dixerunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. Sed intercessione Sanctorum aliquando tales conuertuntur. 2. *Machab.*3. Onias summus sacerdos salutem impetrauit Heliodoro, & propter hoc ibi dicitur; Oniæ sacerdoti gratias age; nam propter eum tibi Dominus vitam donauit.

Adulator blanditis vitia tegit, & virtutes perimit.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus] Describit hic pœnam ex parte vastati, & dicit tria sicut in præcedenti [Et ecce vocauit iudicium] damnationis scilicet [ad ignem] vt scilicet mœnia Iudææ incendantur [Dominus Deus] qui potens scilicet est, & prudens ad iudicandum vbi debet. *Thren.*2. Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro [& deuorabit abyssum multam] Ignis scilicet. Abyssum vocat multitudinem & profunditatem peccatorum. *Iere.* 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile. *Isa.*10. Succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna, & gloria saltus eius, hoc est, multitudo populi eius [& comedet] supple, ignis [simul] cum populo, supple [partem] in Dei culmen, scilicet, templum & Ierusalem. *Isa.*64. Domus sanctificationis, & gloriæ nostræ vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis. Et subdit de supplicatione.

Et

Et dixi] orando scilicet pro populo. 2. *Machab. vltim.* Hic est qui multum orat pro populo, & pro vniuersa ciuitate sancta Ierusalem. [Domine Deus quiesce, obsecro] à vindicta scilicet, quam exercere cœpisti. *Isa.*64. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis nostræ [quis suscitabit Iacob] hoc est, suscitare poterit? supple, nisi tu [quia paruulus est] amissa scilicet gratia, & vulnerato bono naturali. 1. *Cor.*13. Si charitatem autem non habuero, nihil sum. *Matth.*14. Modicæ fidei quare dubitasti [Misertus est Dominus super hoc] supple malo. *Sap.*12. Sed & his tanquam hominibus pepercisti. Et hoc est quod sequitur [Sed & istud] scilicet, malum [non erit, dixit Dominus Deus] Et hoc factum est, quando Iechonia transmigrato suspensa est captiuitas vsque ad Sedechiam. Hic ignis tribulationem significat, vt populum conuertat per tribulationem; quia ignis peccatoribus adhibetur ad pœnitentiam, Sanctis vero ad probationem ac meritum. *Thren* 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Et oratione Sanctorum aliquando aufertur tribulatio, sicut *Num.*11. & *Sap.*18. Aaron per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem necessitati imposuit.

Oratio Sanctorum ira Dei resistit, & placat.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus] Describit hic auxilij diuini destitutionem, & duo dicit; auxilium quod quondam exhibuit, & eiusdem subtractionem [& ecce Dominus stans] vt scilicet paratus sit iuuare. *Habac.* 2. Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem [super murum litum] hoc est, linitum per syncopen. Murus dicitur populus ex viuis lapidibus coadunatus, quem semper cæmento obseruationis legis, & glutino charitatis, & temperamento virtutis liniuit Dominus, ne caderet. *Gen.*7. Bitumine lineis intrinsecus & extrinsecus. *Isa.*26. Saluator ponetur in ea murus & antemurale [& in manu eius] Domini scilicet [trulla cæmentarij] Significatur auxilium gratiæ, quo semper complanauit quicquid asperitatis ortum fuerit, sicut cæmentarius cum trulla planat murum & componit. *Gen.* 15. Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.

Et dixit Dominus ad me] vt scilicet intus instrueret me. *Isa.*50. Dominus mane erigit mihi aurem vt audiam quasi magistrum [quid tu vides Amos?] Non quærit ex ignorantia, sed vt ex responsione occasionem accipiat instruendi. Simile *Iere.*1. Quid tu vides Ieremia? [Et dixi] respondens scilicet [Trullam cæmentarij] video, supple 1. *Cor.* 3. Dei ædificatio estis [& dixit Dominus] instruens scilicet intus [ecce ego ponam] hoc est, deponam & auferam [trullam] hoc est auxilium meum [in medio populi mei Israel] hoc est, quæ est in medio populi, hoc est, abstraham auxilium, & exponam eos tribulationibus, vt saltem per tribulationes ad me redeant. *Osea* 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me [non adiiciam vltra] sicut, supple, feci antiquitus [superinducere eum] multum scilicet, qui trullam superinducendo complanatur & politur. Dicit enim se non præstitturum auxilium populo. *Psal.*62. Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Item *Psal.* 76. Deus deseruit eum, persequimini & comprehendite.

Et tunc, supple [demolientur] Assyrij scilicet, vel dæmones [excelsa idoli] hoc est, excelsa loca, in quibus stant idola, sicut Bethel, & Dan, & Galgal, & Bersabee. Vel excelsa idoli dicuntur montes superbiæ, in quibus miser homo idola spectaculorum mundi colit. *Psal.*77. In via concitauerunt Deum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt [& sanctificationes Israel] quibus scilicet sanctificari se putat in idolis, quæ potius prophanationes dici deberent [desolabuntur] hoc est, in solitudinem redigentur. 1. *Machab.*2. Templum eius sicut homo ignobilis. Et 2. *Machab.*6. Templum luxuria erat plenum, & scortantium cum meretricibus [& consurgam super domum Ieroboam] pronepotis scilicet Iehu 4. *Reg.*14. [in gladio] hoc est, interficiendo omnes. *Isa* 14. Consurgam super eos, dicit Dominus Deus exercituum, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen.

Et misit Amasias] Hic tangitur de Prophetæ constantia, qui etiam propter mortis periculum prophetare non desistit. Et diuiditur in partes duas. Primo enim ponitur Prophetæ increpatio. Secundo Prophetæ ad increpantes responsio *ibi* [Et respondit Amos] Prima, tria continet, scilicet, Prophetæ apud regem accusationem, & obiectionem, & Sacerdotum contra Prophetam intectionem [Et misit Amasias] timens scilicet, ne regno perdito ipse amitteret Pontificatum [Sacerdos] scilicet, summus [Bethel] hoc est, idoli quod fuit in Bethel [ad Ieroboam] pronepotem scilicet Iehu, de quo 4 *Reg.*14. [regem Israel, dicens] hoc est, decem tribuum. Hoc competit nominis interpretationi; quia Amasias indignans Dominus, vel fortor Domini interpretatur. Et subdit accusationem.

Rebellauit contra te Amos] Falsum dicit, quia non bellum instruxit, sed solum verba dixit [In medio domus Israel] ac si dicat, vbi potentior es, & ideo vitupertum tuum maius est. Et aggrauat rebellionem [non poterit terra sustinere vniuersos eius sermones] quia, supple, non tantum loquitur contra te, sed contra omnes habitantes in terra. Hoc autem intendit quod tota terra insurgat contra eum. Simile quid factum est Domino, & fit adhuc suis à Pontificibus. *Adam.* 11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium. *Et post pauca.* Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem. Similiter Prædicatores veritatis à Pontificibus, ne in suis episcopatibus prædicent, eiiciuntur. 2. *ad Thess.* 2. eadem passi estis à contribulibus vestris sicut & ipse Dominus à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos loqui Gentibus vt saluæ fiant, vt impleant peccata sua semper, peruenit enim ira Dei in eos vsque in finem. Et subdit descendendo ad speciem.

Veritatem annuntiantibus obstitunt pseudopiscopi.

Hæc enim dicit Amos] Attribuit homini quod Deus dixerat, vt minus timeatur; contra quod dicitur 1. *ad Thess.*2. Cum accepisteis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei. *Ezech.* 3. Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me [In gladio morietur Ieroboam] interficiar. Dixit enim; consurgam super domum Ieroboam in gladio, quod fuit comminatio in pœnitentiam; interminatio autem mortis pœnitentiam abstulisset. Et aggrauando subdit de populo [& Israel captiuus migrabit de terra sua] Hoc iustum fuit, vt

scilicet

scilicet colentes deos alienos ad terras illorum deorum transferentur. *Iere.16.* Vnusquisque ambulat post prauitatem cordis sui mali; vt me non audiunt, & eiiciam eos de terra hac, in terram quam ignoratis vos & patres vestri, & seruieris ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem, Chaldæis scilicet, vel dæmonibus. Rege autem non curante accusationem, nec respondente, ipse Pontifex inuehitur in Prophetam.

Et dixit Amasias ad Amos] Semper enim propiores fuerunt Pontifices ad persequendum bonos quam principes seculares [Qui vides] hoc est, ô Propheta. *1.Reg.9.* Qui nunc Propheta dicitur, olim videns vocabatur [gradere] hoc est, à loco recede [in terram Iuda] hoc est, in regnum duarum tribuum. *Amos* 2. Mandabatis Prophetis, dicentes, Ne prophetetis. Quod & modo fit; Prædicatores enim veritatis eiiciuntur. *Matth.10.* Persequentur vos de ciuitate in ciuitatem [& comede ibi panem] Despectiue dicit, ac si prædicatione veritatis panem quæreret, sicut mercenarij; cum non prædicarèt vt comederet, sed potius comederet vt prædicaret. Et hoc est quod sequitur [& ibi prophetabis] pro pane scilicet: & retorquet in eum auaritiam falsorum prophetarum, de quibus *Ezech.13.* Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis. Contra quod dicitur *1.Cor.9.* Quæ est merces mea, vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam illud, hoc est, gratis. *Matth.10.* Gratis accepistis, gratis date [in Bethel non adiicies vltra vt prophetes] Quasi dicat, Istud quod modo fecisti, parce; sed si vltra feceris, malo tuo feceris [quia sanctificatio regis est] qui scilicet ibi vitulum posuit. Et hoc explanat subdens [& domus regni est] in qua scilicet rex ad regnandum consecratur, sicut Babylon domus regni fuit. *Dan.4.* Et sicut Susis domus fuit regni Assueri *Esther* 2. Sensus est, quod reus sit criminis læsæ maiestatis, qui contra sedem & domum regis loquitur. *Iere.20.* Percussit Phassur Ieremiam Prophetam & misit eum in nerum. Phassur enim etiam erat sacerdos qui constitutus erat in domo Domini. Et *Iere.36.* Combustus est liber *Ieremiæ* Prophetæ ab iniquo rege. *Iere.38.* Rogamus vt occidatur homo iste; de industria enim dissoluit manus virorum bellantium qui remanserunt in ciuitate hac, & manus vniuersi populi, loquens ad eos vniuersa verba hæc; siquidem homo ille non quærit pacem populo huic, sed malum.

Ieremias propter veritatem cæditur.

Et respondit *Amos*] 1. *Petr.5.* Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe. *Prou.26.* Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur [& dixit ad Amasiam] constanter scilicet, stans pro veritate *Ezec.4.* Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos [non sum Propheta officio scilicet, vel parentela, vel educatione inter Prophetas. Sunt officio Propheta fuit *Eliseus*, qui in Propheta vnctus fuit ab Elia 3. *Reg.* 19. Generatione autem, sunt natalibus Prophetæ fuit *Isaias* & alij multi, quorum patres Prophetæ fuerunt, à quibus ad filios quasi per hæreditatem gratia deceuit prophetalis; educatione vero sunt, Prophetæ multi qui erant cum *Eliseo 4. Reg.* 13. Et hoc subdit exponendo [&] id est [non sum filius Prophetæ] *Glossa* tamen aliter exponitur, dicens; Non sum Propheta nunc, quia iam in isto instanti non habeo reuelationem. Humilis iste magna de se negans, & humilia confitens, imitator est Ioannis Baptistæ, de quo dicitur *Ioan.1.* Confessus est & non negauit, & confessus est quia non sum ego Christus. *Greg.* Cum tantus esset vt Christus credi potuisset, elegit magis solide subsistere in se, quam inaniter eleuari supra se [sed armentarius ego sum] *Glossa.* Hoc veritatis est, bubulcus enim vel pastor alienorum pecorum fuit. *Rom.12.* Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Et inter pastores dicit se minimum subdens [vellicans Sicomoros] quia scilicet propria prata non habeo in quibus pascam, sed vellico sine discerpo folia Sicomorum & aliarum arborum ad pascua pecorum. Simile *1. ad Cor.15.* Ego enim sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus 1. *Reg.25.* Ecce [famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Negando autem de se quod non fuit, & confitens humiliter quod fuit; refert gratiam quæ humilibus semper præsto est.

Humilitas semper Deo est grata.

Et tulit me Dominus Deus] hoc est, Spiritu suo sustulit. Simile in *Psalm.77.* Sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum [cum sequeret gregem] more scilicet bubulci. 2. *Reg.2.* Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem [& dixit ad me] supple, Dominus interiorem illuminationem infundendo. *Iac.3.* Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Isa.vlt.* Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? [vade & Propheta ad populum meum Israel] Quod dicit, Vade, intelligitur de profectu virtutis. *Iob 38.* Nunquid emittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus. *Ezec.* 1. Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis, tonantia scilicet verbis, ac coruscantia exemplis.

Et nunc] quia scilicet prohibes prophetare [audi verbum Domini] comminationis scilicet [Tu dicis] temere scilicet contra Dominum, dicens [Non Prophetabis super Israel] & sic prohibes, ne verbum Dei loquar. *Isa.30.* Dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, nolite aspicere nobis, ea quæ recta sunt [& deo stillabis super domum idoli [Bethel scilicet, & Dan. Stillare vocat loqui ordinate, vt pœna determineur ad culpam, Vnde *Glossa.* Non annuntiabis iram Dei cultoribus idolorum. *Iob* 29. Verbis meis nihil addere audebant, sed stillabat super eos eloquium meum. *Deut.32.* Fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. Ros enim verbum est Dei, dulcia promittens bonis; imber autem doctrinam exhibens simplicibus; stillæ vero, comminationes malis inferens; quia stillæ secundum Philosophum sunt magnæ guttæ, quæ cum impetu cadunt. *Iob* 26. Cum vix paruum stillam sermonis eius audiuimus, cognitum magnitudinis eius quis poterit intueri? [Propter hoc, hæc dicit Dominus hoc est, propter hanc culpam. *Isa.30.* Pro eo quod reprobasti verbum hoc, & speraßti in calumnia & in mendacio, & innixi estis super eo, proptereà erit vobis iniquitas hæc, sicut interceptio casuris, & requisita in muro. Et subinfert quinque pœnas. Prima est.

Vxor tua in ciuitate fornicabitur] Bethel scilicet, vbi tu es fanatus sacerdos. *Deut.28.* Accipies vxorem, & alius dormiet cum ea. Fornicationem vocat

vocat adulterium & pollutionem per hostes *Iob* 31. Scortum sit alterius vxor mea, & super illam incurrentur alij. *Thren.5.* Mulieres in Sion humiliauerunt & virgines in ciuitatibus Iuda.

Et filij tui] quæ præclarior tibi natio est [& filiæ tuæ] per quas generos tibi acquirere cupiebas [In gladio cadent] hostium scilicet. *Ezech.9.* Senem adolescentulum & virginem, paruulum & mulieres interficite vsque ad internecionem. Et hæc est secunda pœna. Si obiiciatur quod hoc est contra iustitiam diuinam vt innocens occidatur. *Ezech.18.* Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. *Hieronymus* respondet, quod loquitur de illis qui iam imitatores paternæ malitiæ fuerunt & si aliqui alij occisi sunt, bene actum est cum eis, ne malitias parentum imitarentur, sicut dici consueuit de infantibus Sodomorum. *Sap.4.* Ex iniquis omnes filij qui nascuntur testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. Et subdit pœnam tertiam.

Filius non punitur pro peccato patris.

Et humus tua [supple, quam possides [in funiculo metietur] ab hostibus scilicet, vt æqualiter inter eos diuidatur. *Thren.vlt.* Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. *Psal.108.* Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Et subdit quartam.

Et tu in terra polluta morieris] pollutam terram dicit Gentilium, propter idola quæ colebant. *Isaia* 22. Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam. Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, & ignominia domus Domini tui. Et subdit quintam.

Et Israel] populus scilicet decem tribuum [captiuus] scilicet ab hostibus, Chaldæis, & Assyriis [migrabit de terra sua] scilicet, vel in Babylonem, vel ad montes Persarum & Medorum. *Isaia* 51. Filij tui profecti sunt; dormierunt in capite omnium viarum, sicut Orix illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. Hæc sub eisdem auctoritatibus dicuntur de malis Prælatis, quorum vxores, hoc est, Ecclesiæ pollununtur hæresi & peccatis, & filij & filiæ qui significant subiectos, gladio diaboli trucidantur; & ipsi inter pollutos polluti moriuntur, & possessiones Ecclesiæ à tyrannis distrahuntur, & populus eis commissus à diabolo captiuus & illaqueatus ducitur. *Isa.5.* Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.

Ecclesia perit Prælati negligentia.

Ego visionem multiplicaui eis; & in manu Prophetarum assimilatus sum [& ecce vncinus pomorum] *Hieronymus.* Per vncinum intelligitur abbreuiatum tempus captiuitatis. Sicut enim vncino post excussionem arboris modici fructus attrahuntur, remanentes in summitatibus ramusculorum; ita post tot concussiones & comminutiones non restat, nisi vt attrahantur reliqui, & de arbore naturali abrupti in valis ponantur hostium, & ad terram hostium transportentur. *Psal.20.* Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum.

Et dixit] instruens scilicet me [Quid tu vides Amos?] Hoc est, considera, vt intelligas quid significet quod vides. *Dan.10.* Intelligentia opus est in visione [Et dixi] vt occasionem dartem instruenti [vncinum pomorum] supple, video. Per poma enim significatur fructus vanitatis huius mundi. *Sap.5.* Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquàm nuntius præcurrens, & tanquàm nauis quæ pertransit fluctuantem aquam. Sicut enim pomum odore suo resoluitur; sic pompa mundi & vanitas, dum in auras spargitur, dissipatur.

Quam fuxa sit vanitas mundi.

Et dixit Dominus ad me] instruens scilicet me de significatione. *Isa.50.* Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico [venit finis super populum meum Israel] captiuitatis scilicet, vel interfectionis. *Ezech.7.* Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. Et ille est finis consumptionis, non consummationis. *Isa.16.* Finitus est pulsus, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram [non adiciam vltra] sicut feci, supple [vt pertranseam eam] dissimulando scilicet, ne percuterem. *Iob* 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia. Ad tempus enim Deus dissimulat, sed peccatorem non transit quin feriat; non enim pertransit nisi eos qui signum Thau habent in fronte. *Ezech.* 9. Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis. *Exod.12.* Transibit Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque postes, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi, & lædere domus vestras. Effectum autem subiungit significationis vicini.

Deus dissimulat peccata aliquando, tamen non obliuiscitur.

Et stridebunt cardines templi in die illa dicit Dominus Deus] Cardines templi in quibus volutatur ostium templi ad intrandum & exeundum, vocat principes & pontifices, & reges, per quos est introitus vel exitus in Synagogam, vel Ecclesiam: & hi tunc stridebunt, eò quod lugebunt. *Thren.2.* Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius; reges eius, & principes eius in gentibus. Et hæc dicit Dominus, quem nihil latet. *Hebr.4.* Omnia nuda & aperta sunt oculis eius; ad quem nobis sermo. Et hoc explanat, subdens [multi morientur] propter peccatum scilicet. *Rom.6.* Corpus quidem mortuum est propter peccatum. Mortuus enim est qui principium vitæ (quod est Deus) in se non habet [in omni loco proiicietur hoc est parcetur] silentium [vt scilicet nihil in quo vita est audiatur. 1. *Reg.* 1. Incipit in tenebris conticescent. *Osee* 4. Nocte tacere feci matrem tuam, & conticuit populus meus, eò quod non habuit scientiam.

Cardines templi, principes sunt Ecclesiæ.

Audite hoc] Explanat hic similitudinis inductionem per tria; per peccati scilicet exprobrationem,

CAPVT VIII.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus.

TAngit hic similitudinem attractionis supplicionum. Et habet partes duas. Primo enim ostendit, qualiter continuo attrahantur supplicia. Secundo, qualiter ipsa destructio fiet, infra octauo *ibi* [Vidi Dominum stantem super altare] Prima diuiditur in duas. Primo enim ponit similitudinem, secundo similitudinis explanationem *ibi* [Audite hæc qui conteritis pauperem] In prima duo dicuntur, similando scilicet, & instructio Prophetæ ad similitudinis intellectum.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus] *Osee* 12.

nem, per prosperitatis & consolationis ablationem *ibi*]Occidet sol in meridie]& per defectus & mortis inductionem *ibi* [Ecce dies veniunt] In prima harum duo dicit, scilicet, peccati exprobrationem, & condemnationem *ibi* [Iurauit Dominus]

Audite hoc] id est, quid significet hoc audite. *Iob* 12. Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem[qui conteritis pauperem]bona scilicet pauperum diripiendo. *Isa.* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis[& deficere facitis egenos] Deficiunt enim egeni quando sua subtrahuntur, sicut dicit *Hieronymus*. Hoc faciunt clerici nostri temporis, qui bonas consuetudines vocant inuentiones ad extenuandos pauperes. *Prou.* 30. Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus[dicentes]per auaritiam scilicet[Quando transibit messis]Messis hic non dicitur tempus messium, sed fructus; & optant vt fructus messium transeant, vt sua carius vendant, quæ scilicet de anno in annum propter caristiam reseruauerunt; contra hoc quod dicitur *Leuit.* 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum, quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias ab eo vsuras, nec amplius quàm dedisti. Time Deum tuum vt viuere possit frater tuus apud te, pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, nec frugum superabundantiam exiges ab eo. Frugum autem superabundantiam quærit qui multo maioris vendit quàm emit. Et hoc est quod sequitur.

Vsura interdicitur.

Et venundabimus merces]hoc est, ad voluntatem nostram vendemus, quando pauperes scilicet necessitate famis compulsos emere oportet, sicut illi volunt qui habent granum, vel vinum[& sabbatum]supple, quando transibit. Et intelligit de sabbato terræ, quando terra non seminabatur; tunc enim sequenti anno caristia fuit. *Leuit.* 25. Et hoc est quod sequitur [& aperiemus frumentum]vt scilicet carius vendamus. Vnde *Prouerb.* 11. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Frumenta abscondit in tempore, qui antea nouum bono foro emit; & vsque ad tempus caristiæ abscondit. In tempore autem vendit qui frumenta requirentibus vendit, non elevato vltra communem ac iustam æstimationem pretio. Et hoc subdicit.

Maledictus qui frumenta abscondit in tempore.

Vt imminuamus mensuram]hoc est, mensuram paruam pro maiori quam videlicet magnam eximus, vendamus[& augeamus siclum] maius scilicet pretium in pondere accipiendo. Contra quod dicitur. *Leuit.* 19. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta & æqua sint pondera, iustus modius æquusque sextarius[& supponamus stateras dolosas]Maiori scilicet emendo & minori vendendo. *Prouerb.* 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius. *Michea* 6. Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Et quod intentione auaritiæ hoc fecerint, subdit.

Abominabilis est Deo statera dolosa.

Vt possideamus in argento egenos] necesse est enim vt & seipsos consumpta substantia vendant in seruos & ancillas. *Gen.* 47. Non celamus Dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus & terra nihil habemus. Cur ergo moriemur te videntè? & nos & terra nostra tui erimus[& pauperes pro calceamentis] supple, possideamus. Calceamentum autem vocat conculcationem ab vsu, quia conculcatur calceamentum. Et sensus est, Vt possideamus pauperes ad conculcandum. *Mich.* 6. Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa? In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum[& quisquilias frumenti vendamus?]*Sap.* 2. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ. Quisquiliæ enim sunt paleæ immixtæ frumento quas pauperes emere coguntur, propter famis necessitatem. *Luca* 16. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis. Cuius peccati subiungit detestationem.

Auaritia inducit ad vendendum.

Iurauit Dominus] hoc est, in sua veritate statuit[in superbiam]hoc est, contra superbiam [Iacob]hoc est, decem tribuum. *Glossa* inducit illud 1. *Petri* 5. Deus superbis resistit [Si oblitus fuero] supple per indulgentiam[vsque in finem] hoc est, vsque ad vltimum[omnia opera eorum] peccatorum scilicet. *Iob* 14. Signasti quasi in sacculo delicta mea. *Sap.* 1. In cogitationibus impij interrogatio erit, & sermonum illius auditio ad] Deum veniet[Nunquid non super isto] supple, peccato tam crudeli, & tam nefando[non] supple, merito [commouebitur terra] hoc est, terreni conuertientur commotione conturbulationis. *Isa.* 24. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Et hoc explanat subdens.

Et[id est]lugebit omnis habitator eius] Habitator terræ est qui mente inhabitat terram. *Isa.* 24. Propter hoc maledictio vorabit terram, ideoque insanient cultores eius; & peccabunt habitatores eius, & relinquentur homines pauci [&] id est [quia ascendet quasi fluuius vniuersus]supple, habitator terræ, hoc est, Sicut Nilus obstructus in ostiis cumulis arenarum, super ripas ascendens, operit terram: ita isti cumulis diuitiarum quasi ascendentes inundant super pauperes. *Isaia* 8. Ibit per Iudam inundans & transiens vsque ad collum veniet. Multos enim suffocant pauperes, quasi ad collum stringentes sicut dicitur *Matth.* 18. Abiit & misit eum in carcerem, donec redderet vniuersum debitum. Hoc enim malus seruus fecit conseruo. Et dicitur *ibidem*, quod tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes [& eiicietur]de diuitiis scilicet, per captiuitatem, vel mortem, sicut eiiciuntur cumuli arenarum, obstruentes Nilum. *Isa.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te; & defluet quasi riuus Ægypti] hoc est, Sicut Nilus remotis cumulis arenarum defluit in mare: ita isti per mortem ablatis diuitiis, defluent in amaritudinem æternam. 1. *Reg.* 14. Ea omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. *Psal.* 57. Ad nihilum deuenient tanquàm aqua decurrens.

Auari pauperum sunt suffocatores.

Et erit] Tangit hic lætitiæ in tristitiam conuersionem[Et erit]certitudinem notat futuri quod prædicitur[in die illa dicit Dominus]claræ scilicet iustitiæ [occidet sol in Meridie] hoc est, quando clarius deberet lucere. Sol autem est vel intelligentia veritatis, vel splendor prosperitatis. *Sap.* 5.

Sol

Sol intelligentiæ non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis[& tenebrescere faciam terram [hoc est, terrenos [In die luminis] quando scilicet lumen lætitiæ & veritatis magis desideraretur. *Isaia* 13. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. *Iael*, 2. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem [Et conuertam festiuitates vestras] hoc est, lætitias mundanas [in luctum] temporalis, vel æternæ captiuitatis. *Malachia* 2. Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum & [omnia cantica vestra] quæ de vanitate scilicet mundi sunt [in planctum]supple, conuertam. *Thren.* 5. Versus est in luctum chorus noster. *Amos* 5. Auferè me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Et subdit de signis tristitiæ.

Et inducam super omne dorsum, saccum] qui scilicet asper, & humilis est. Tali enim habitu tempore tristitiæ vtebantur antiqui. *Iob* 16. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt [& super omne caput calnitium]supple, inducam eunlsis pilis pro tristitia. *Ezech.* 29. Omne caput decaluatum est. *Isaia* 7. In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his qui trans fluuium sunt, in rege Assyriorum caput & pilos pedũ & barbam vniuersam. 1. *Esdræ* 9. Cum audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam meam, & euulsi capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens[&] sic, supple[ponam eam] terram scilicet[quasi luctum vnigeniti] scilicet, vt vnusquisque tam amare lugeat, sicut consueuit lugeri vnigenitus. *Iremie* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum [& nouissima eius]scilicet in Romana captiuitate, vel inferni, supple, ponam [quasi diem amarum] propter scilicet pœnæ temporalis, vel æternæ amaritudinem. *Sophonie* 1. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Hæc pœnitentibus conueniunt sub eisdem auctoritatibus, qui gaudia peccatorum in luctum conuertunt, suauitatem deliciarum in sacci asperitatem, caput mentis radunt à pilis malarum cogitationum, & ponunt suæ fundant se in luctum, quasi vnigenitum lugeant, hoc est, spiritum suum, & nouissimam mortis, vel inferni amaritudinem quotidie præ oculis habent. *Ecclesiast.* 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Quæ conversio sit pœnitentibus necessaria.

Ecce dies veniunt] Hic tangit responsionis & consolationis diuinæ ablationem, sub methaphora famis. Et ideo ponit methaphoram, secundo explanationem, tertio defectum consequentem [Ecce dies veniunt] claræ scilicet iustitiæ [dicit Dominus] qui non mentitur [& emittam famem] Verbum emissionis notat, quod ipsa fames quantum ad demeritum eorum diu venire debuerat [in terram] terrenos scilicet Iudæos. *Psalmo* 104. Vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit. *Genes.* 41. Crescebat quotidie fames in omni terra. Et explanat methaphoram [non famem panis] materialis scilicet [neque sitim aquæ] materialis scilicet [sed audiendi verbum Dei] hoc est, responsa & oracula facta per Prophetas, quos modo contemnitis. 1. *Reg.* 3. Sermo Domini erat pretiosus, hoc est, rarus. *Iosephus* enim dicit, quòd in vltima captiuitate responsum per Prophetas habere non poterant. Nec mirum, quia Dominum prophetarum occiderunt. *Isa.* 29.

Clauder oculos vestros, Prophetas & principes vestros qui vident visiones, operiet. *Ezech.* 14. Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam. Nunquid interrogatus, respondebo eis? Quasi diceret, Non. 1. *Regum* 18. Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia.

Et commouebuntur]pressi scilicet hac fame & siti [à Mari] orientali scilicet, mortuo [vsque ad Mare] magnum scilicet occidentale [& ab Aquilone] quod est aliud latus terræ coniunctum Occidenti[vsque ad Orientem]hoc est, ad latus meridionale, quod coniungitur Orienti [circuibunt] ignorantes scilicet quid agant[quærentes verbum Domini] responsa scilicet Prophetarum. *Psal.* 58. Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem [& non inuenient] responsum scilicet. *Amos* 5. In gregibus suis, & in armentis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient; ablatus est ab eis. *Thren.* 2. Prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino. Hæc sub eisdem auctoritatibus ad laicos referuntur, quærentes à pastoribus Ecclesiæ verbi Dei pabulum, & sapientiæ potum, & non inuenientes. *Thren.* 4. Paruuli petierunt panẽ, & non erat qui frangeret eis. Et subdit de consequente defectu, dicens.

In illa die] scilicet cum misero famem [deficient virgines pulchræ] à pulchritudine propter inedian famis. *Thre.* 1. Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine[& adolescentes] supple deficient [in siti] *Thr.* 4. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in vijs; & qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. *Iob* 18. Exardescet contra eum ira. *Et ibidem post pauca*: Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas eius, deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat bracchia illius primogenita mors.

Qui] hoc est, quia [illi iurant in delicto Samariæ] hoc est, in idolo, quod est causa delicti. *Sapient.* 14. Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis [& dicunt] supple, iurantes, & ad modum antiquorum iuramenta formantes [Viuit Deus tuus Dan] in Dan vnum vitulorum Ieroboam posuit. Vnde sensus est: Iuro per vitam idoli quod est in Dan, à cuius vita tuam vitam pendere putabant. *Sapient.* 13. Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est, & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita iogat mortuum [& viuit via Bersabee] Hoc dicit propter duas tribus, Bersabee enim est in tribu Iuda, vbi duæ tribus idola coluerunt, sicut in antehabitis dictum est. Vnde sensus est: Iuro per vitam idoli, quod est in Bersabee, pro cuius deuotione viam hanc ad ipsum eundum suscepi, secundum quod dicitur. *Iremie* 5. Filij tui dereliquerunt me, & iurauerunt in his qui non sunt dij [& cadent] à statu scilicet libertatis in captiuitatem. *Isaia* 64. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos [& non resurgent vltra] *Amos* 5. Domus Israël cecidit, non adijciet vt resurgat.

Idolatria causa est omnis malitiæ.

Iste defectus spiritualiter est, quando virgineæ mentes ex defectu pabuli spiritualis & gratiæ defitiuntur, & iuuenes in quibus ætas robusta deberet esse, eadem causa infirmantur. Et ad hoc auctoritates inductæ sufficiunt. *Thren.* 1. Omnis populus eius gemẽs, & quærẽs panem, dederunt quæ-

que pretiosa pro cibo ad refocillandum animam. *Zacharie* 9. Quid bonum eius est, aut quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?

CAPVT IV.

Vidi Dominum stantem.

Hic inducit duarum tribuum destructionem, & habet partes duas. Primo enim dicit, qualiter destruentur. Secundo, falsam remouet consolationem, qua sibi blandiebantur *ibi* [Nunquid vt filij Aethiopum] Primm diuiditur in tres. Primo enim ponit destructionem: secundo, fugæ impossibilitatem *ibi* [Non erit fuga eius] Tertio, ne se putent posse resistere, percutientis Dei describit maiestatem *ibi* [Qui tangit terram] Dicit ergo.

Vidi Dominum stantem] vel Angelum in specie Domini, assumpta specie corporali. Stantem autem dicit [super altare] quasi paratum ad recessum sicut describitur *Ezechiel* 10. Egressa est gloria Domini à limine templi, & stetit super Cherubim. Super altare autem stat, quasi dissipaturus cultum & religionem propter idololatriam. *Isaiæ* 3. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos [Et dixit Dominus] supple, Angelo, vel Prophetæ [Percute] id est, percutiendum nuntia [cardinem templi] hoc est, Sacerdotes, in quorum potestate est introitus & exitus in templum [& commouentur superliminaria] hoc est, superædificata. *Isaiæ* 6. Commota sunt super liminaria cardinum, à voce clamantis, & domus repleta est fumo Quod proximum significabat templi incendium. Et subbdit causam.

Auaritia enim] Glossa, cupiditas rerum temporalium, supple, est [In capite omnium] supple, & singulorum. Summus enim princeps & inferiores, non studebant, nisi auaritiæ; similiter etiam mens singulorum (quæ caput animæ est) nil nisi auaritiam meditabatur. Quod magis verum est de principibus Ecclesiæ, quam Synagogæ. *Ieremiæ* 6. Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Isaiæ* 56. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt: vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. Contra quod dicitur *Isaiæ* 33. Qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitat [& nouissimum eorum] hoc est, minimum qui etiam auarus est [In gladio interficiam] Chaldæorum scilicet, vel iudicij mei. *Isaiæ* 1. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos. *Iob* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est. Nouissimum etiam auarorum mors est, quando finiuntur gladio æternæ condemnationis. *Matthæi* 12. Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. *Ieremiæ* 17. In nouissimo erit insipiens. Propter hoc dicitur *Deuteron.* 32. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Et subdit de impossibilitate fugæ.

Prælatorũ execranda auaritia.

Auaritia suis mortis perpetua.

Non erit fuga eis] Manum enim Dei omnipotentis nemo effugere potest. *Amos* 2. Peribit fuga à veloce. 2. *Machab.* 6. Manum Omnipotentis neque viuus neque defunctus effugiam [& qui fugerit ex eis] hoc est, fugere voluerit [non saluabitur] sicut *Ie. vltimo.* Sedechias & sui fugere voluerunt, & non potuerunt, comprehensi in campis Iericho, & adducti in Reblatha, vbi exoculatus est Sedechias & filij eius, & principes interfecti. Et *Ie.* 43. vbi fugientes in Aegyptum, ibidem interficiendi prophetantur. Quod autem in vniuersali dixit, exequitur per singula, subdens.

Manum Dei nemo potest effugere.

Si descenderint vsque ad infernum] Hyperbole est, hoc est, si possibile esset quod in infernum se mergerent [inde manus mea educet eos] Ad iudicium scilicet, & ad vindictam. *Iob* 34. Non sunt tenebræ & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem [& si ascenderint vsque ad cælum] si hoc possibile, supple, esset [inde detraham eos] Simile *Abdia.* Si exaltatus fueris vt Aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

Et si absconditi fuerint] si hoc possibile esset [in vertice Carmeli] Carmeli montis est valde condensa sylua, vbi multi absconduntur, sicut & Dauid cum viris suis ibidem absconditus fuit 1. *Reg.* 25. [inde scrutans] eos, supple, sicut feras [auferam eos] *Ierem.* 16. Mittam eis venatores multos: & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Quia oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditæ à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis [& si celauerint se] hoc est, celare voluerint [ab oculis meis] qui tamen intuentur in abyssum *Dan.* 3. [In profundo maris] si hoc possibile esset [ibi mandabo serpenti] Leuiathan scilicet [& mordebit eos] hoc est, absorbebit. *Iere.* 51. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea.

Et si abierint in captiuitatem] Vel literaliter, vel spiritualiter [coram inimicis suis] Chaldæis scilicet, vel dæmonibus [ibi mandabo gladio, & occidet eos] *Ezech.* 5. Gladium euaginabo post eos. *Deut.* 32. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis. Et subiungit generaliter [& ponam] hoc est, figam [oculos meos] quibus scilicet se subducere non possunt [super eos in malum] inducendum super eos [& non in bonum] vt scilicet aliquid boni fiat. *Deut.* 28. Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria, & imponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat [ait Dominus Deus exercituum] Confirmatio est omnium inductorum.

Secundum sensum spiritualem, in infernum fugiunt, qui ad desperationem vel præsumptionem confugiunt. In cælum autem ascendunt qui fortitudine superbiæ contra Deum tument, & resistere se posse Deo putant. In Carmelo latitant, qui in dignitate & in condenso familiæ & parentum, subducere se iudicio putant: in profundo maris, qui fluctuant in amaritudinibus seculi. *Psal.* 138. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero ad

ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. *Iob* 11. Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari. Et subdit de maiestate percutientis.

Qui tangit terram] hoc est, terrenos [& tabescit] hoc est, in tabem resoluitur. Tabes enim est lues, vel putredo sanguinis mortui. 1. *Machab.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria eius stercus & vermis est, hodie extollitur, & cras non inuenietur [& lugebunt omnes habitantes in ea] *Isa.* 24. Luxit & defluxit terra, & infirmata est [& ascendet sicut riuus] Dominus dicitur sicut riuus Ægypti ascendere, quando maiestate omnes opprimit, sicut Nilus egrediens ripas, tegit Ægyptum. *Isa* 8. Ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet. Et intelligitur de transitu fluuij iudicialis, de quo dicitur *Dan.* 7. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius. Hic riuus dicitur consummationis, quia iudicium illud omnia ad summam iustitiæ deducet [& defluet] inuoluens, & trahens omnes malos [sicut fluuius Ægypti] defluit in amaritudinem maris; ita defluent isti in amaritudinem æternæ mortis. *Iob* 21. Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles. Cocytus fluuius infernalis est, qui antea in vita ista, in pœna & peccato trahit omnes, & post vitam istam in infernum trahit innumerabiles. *Eccl.* 1. Stultorum infinitus est numerus.

Tyrannorũ ratione non sunt anxiandæ.

Qui ædificat in cælo ascensionem suam] hoc est, in cælestibus, qui virtutibus in cælum ascendunt, in quibus continuo exaltatur Deus. *Psal.* 8. Eleuata est magnificentia tua super cælos Deus. *Ephes.* 4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia [& fasciculum suum] hoc est, paruulum gregem credentium bonorum [super terram fundauit] fide scilicet, & religione ne pereat. *Glossa.* Iste fasciculus vna Dei religione collectus est. Vnde & ipsa religio à religando, ac velut in fasce Deo vniciente colligando nomen accepit. *Cant.* 3. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. *Isa.* 45. Post te vincti manibus pergent, téque adorabunt, & te deprecabuntur.

Qui vocat] *Glossa*, in aera per nubes [aquas maris] *Glossa*, dulcoratas calore solis [& effundit eas] per pluuias [super faciem terræ] *Iob* 38. Nunquid eleuabis vocem tuam in nebula, & impetus aquarum operiet te? Istæ aquæ vel significant doctrinam quam pluunt Doctores, vel significant tribulationem quam pro tempore immittit Deus peccatoribus in pœnitentiam [Dominus nomen eius] *Psal.* 76. Dominus nomen illi. *Exod.* 15. Omnipotens nomen eius.

Nunquid non?] Excludit hic falsam præsumptionem. Dicebant enim populum cui Deus tot beneficia impendit in eductione de Ægypto, & in templi sanctificatione, & in aliis non debere à Deo derelinqui. Et hoc elidit hic [Nunquid non vt filij Æthiopum] quibus scilicet similia beneficia impendi, creando scilicet, & ab hostibus liberando, & de seruitute educendo [Vos estis mihi filij Israel, dicit Dominus Deus] ac si dicat: Aliis similia beneficia impendi, sicut vobis, & creando, & de diuersis periculis ac seruitute educendo. *Sap.* 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. *Psalm.* 18. Non est qui se abscondat à calore eius. Et specificat subdens [Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti] *Michæ* 6. Memento quòd eduxerim te de terra Ægypti & de domo seruitutis liberaui te [& Palæsthinos] hoc est, Philistæos, supple, eduxi [de Cappadocia] Vnde & Cappadocia manus tortoris interpretatur, & in hoc, suple, sunt similes vobis [& Syrios] *Glossa*, qui modò habitant in Damasco, supple, eduxi [de Cyrene] quæ est ciuitas Libiæ vltra Ægyptum. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter est ei cura de omnibus. Æthiopes à consuetudine significant peccatores, qui aliquando ad Deum adducuntur. *Psal.* 67. Æthiopia præueniet manus eius Deo. Palæsthini dicuntur potione cadentes, & significant in delectatione mundi submersos, quos de Cappadocia, hoc est, de manu tortoris, aliquando adducit Deus, *Psalm.* 43. Liberasti nos ex affligentibus nos. Syri sublimes vel altos significant in gratia, quos de Cyrene, hoc est, de semine maledicto, aliquando adducit Deus. *Sap.* 12. Erat semen maledictum ab initio.

Diligit Deus cunctæ quæ fecit.

Ecce] hoc est, per hoc in euidenti patet [oculi Domini super regnum peccans] ad puniendum scilicet: & regnum dicitur, aquando in potestate peccati regnat. *Rom.* 9. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. *Eccl.* 10. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias ac diuersos dolos [& conteram illud] scilicet regnum [à facie terræ] *Psal.* 2. Reges eos in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringes eos. Ab hac tamen contritione finali excipit electos, subdens [Veruntamen conteres] supple, in præsenti [non conteram] in æterna scilicet damnatione [domum Iacob] hoc est, familiam Iacob [dicit Dominus] *Isa.* 1. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. 3. *Reg.* 19. Et derelinquam mihi in Israel septuaginta millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. Permittit enim Dominus suos tribulari, sed non destruit. 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Qualiter autem fiat, hoc subdit.

Ecce enim] quasi in euidenti est [ego mandabo] per occultum instinctum. *Glossa*, ministris meis Antiocho Epiphane & successoribus Alexandri, & regi Assyriorum & Chaldæorum, & etiam ipsi dæmoni licentiam dando tentandi [& concutiam] hoc est, sinul quatiam, sine quassabo [in omnibus gentibus] malis scilicet [domum Israel] hoc est, familiam Israel. 2. *ad Timotheum* 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur [sicut concutitur] hoc est, sicut concussio fit [triticum in cribro] Concussio enim in cribro fit, apprehenso cribro ambabus manibus, & quassando ad omnem partem granum, donec palea & pulus exeant. *Luce* 22. Simon ecce Satan expetiuit vt cribraret vos sicut triticum. *Eccl.* 27. In percussura cribri remanet pulus cadens scilicet de cribro [& non cadet lapillus super terram] sed pulus, scilicet, & palea. Lapillum dicit granum solidum per charitatem, & graue per maturitatem virtutis, quod vento tentationum exuflari non potest. *Septuaginta* habent, ventilabro. *Luce* 3. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam Quid autem fiat de paleis, subdit.

Deus ostendit hic suos non perdit.

In gladio morientur] sententia scilicet diuini iudicij[omnes peccatores]*Glossa*,vsque ad mortem in peccatis perseuerantes[populi mei]numero scilicet,& non merito immixti populo meo. *Psal.*7. Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit[qui] hoc est,quia illi contradicentes,supple, Prophetis [dicunt,Non appropinquabit]supple, nobis malum.Et hoc est quod subdit[&]id est [non veniet super nos malum] & sic promittebant impunitatem peccatoribus, quod esset contra diuinam iustitiam.*Iere.*7.Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij,qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, & iurare mendaciter, libare Baalim,& ire post deos alienos, sperando, supple, impunitatem in istis, cum scriptum sit in *Psal.* 58. Non misereris omnibus qui operantur iniquitatem.

In die illo] Tangit hic consolationem duarum tribuum,in tribus,scilicet,regni restitutione, terræ fertilitate *ibi* [Ecce dies veniunt] & ciuitatum reædificatione *ibi* [& ædificabunt ciuitates desertas]

In die illo]claritatis scilicet,& lætitiæ.*Psal.*117. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea[suscitabo]quasi de mortuis. *Rom.*5. Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt [tabernaculum Dauid]hoc est,regnum, quod non legitur esse factum nisi per Christum. Per Zorobabel enim qui reversus est de captiuitate, regnum suscitatum non est, sed destructum & translatum ad Sacerdotes. Per Christum autem natum de semine Dauid,spiritualiter est suscitatum, *Iere.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex. *Luca* 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, *Ezech.*37. Ego ero eis Deus, & seruus meus rex Dauid super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. *Apocal.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus,& habitabit cum eis [quod cecidit]per peccatum scilicet,& idololatriam,& negationem, qua Christum regem esse negauerunt. *Dan.*9.Non erit eius populus, qui eum negaturus est.*Isa.*9.Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Qualiter autem hoc fiat, subdit,

Zorobabel transtulit regnum Israel ad sacerdotes

Et]id est[reædificabo aperturas]hoc est, scissuras & ruinas[murorum eius] de viuis scilicet lapidibus. *Isa.*58. Ædificabuntur in te deserta seculorum, fundamenta generationis & generationis suscitabis.*Ephes.*2.In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto, 1. *Pet.*2. Tanquàm lapides viui superædificamini in domos spirituales[& ea]loca scilicet, vel ædificia quæ corruerant propter causas prius dictas [instaurabo]de Iudæis scilicet, & Gentibus, restituendo ruinam Synagogæ.*Isa.*51.Consolabitur Dominus Sion,& consolabitur omnes ruinas eius. Et ponet desertum eius,quasi delicias[& reædificabo eum]tabernaculum scilicet[sicut in diebus antiquis] tempore scilicet Salomonis & patrum, ad eandem scilicet gloriam & fidem. *Aggei* 2. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquàm primæ. *Malach.*3.Placebit Deo sacrificium Iuda, & Ierusalem,sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. In vna enim fide & patres sunt & successores.

Vtriusque testamenti vna est fides.

Vt possideant reliquias Idumææ]quod literaliter nunquàm accidit, quamuis Iudæi fabulentur, quod hoc in aurea Ierusalem futurum sit. Vnde reliquiæ Idumææ sunt carnales secundum carnem & sanguinem viuentes, qui ab Ecclesia possidentur, quando ad vitam ecclesiasticam formantur. 2.*Petr.*2. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam.*Rom.*2. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. *Galat.*5. Si spiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis[& omnes nationes] supple, possideant. *Act.*2. Erant in Ierusalem habitantes viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est, hoc est,in Ecclesia. *Isa.*60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur[eo quòd inuocatum sit] in sanctificatione scilicet sacramentorum [nomen meum super eos] *Ieremie* 14. Tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos. Est autem inuocatum, id est, intus vocatum quantum ad intellectum & affectum, sicut dicit *Augustinus. Num.*6. Inuocabunt nomen meum super filios Israel, ego autem benedicam eis [Dicit Dominus faciens hæc] Dictum enim Dei factum est. *Psalm.*148. Dixit & facta sunt.

Ecce dies veniunt] Tangit de terræ fertilitate, quam diem vocat.*Rom.*13.Nox præcessit, dies autem appropinquauit[dicit Dominus] qui lux est faciens diem,*Ioan.*1.Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [& comprehendet] opere, scilicet [arator messorem] ita scilicet quod non interueniet raptor qui messem auferat. *Iacob.*5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ,patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum. Arator autem est, qui vomere prædicationis, scindit corda auditorum. Messor autem qui fructum boni operis colligit in vitam æternam [& calcator vuæ] supple, comprehendet [mittentem semen]raptore non interueniente. Calcator vuæ est qui comprimit ad vinum compunctionis; mittens autem semen, qui semina virtutum concipit ad initium bonæ conuersationis.*Isaia* 62.Iurauit Dominus in dextera sua,& in brachio fortitudinis suæ, Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: & si biberint filij alieni vinum tuum in quo laborasti. Quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabunt Dominum;& qui comportant illud,bibent in atriis sanctis meis.

Prædicator similis est arratori.

Et stillabunt montes] hoc est, terra montosa [dulcedinem] per quos significantur Doctores, dulcedinem verborum in alios distillantes[& omnes colles] inferiores in partem solicitudinis vocati [culti erunt] cultu scilicet iustitiæ. *Isaia* 32. Erit cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum *Ioelis vltimo*. In die illa stillabunt montes dulcedinem,& colles fluent lacte & melle [Et]supple, in his & taliter [conuertam] ad me, supple[captiuitatem populi mei Israel] 3. *Reg.*18. Discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum sterum. *Isaia* 55. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ.

Et ædificabunt] Tangit hic de ciuitatum spiritualium reædificatione [Et ædificabunt ciuitates desertas] vel literaliter, vel Ecclesias in ædificiis virtutum. *Isa.*58. Vocabitur in te ædificator sepium, conuertens semitas in quietem [& habitabunt in eis] hoste scilicet eos non eiiciente. *Psal.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. *Ezechielis vltimo*. Nomen ciuitatis à die illa Dominus

Dominus ibidem.*Isai.*62. Non vocaberis vltra derelicta,& terra tua non vocabitur amplius desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea,& terra tua inhabitabitur; quia complacuit Domino in te[Et plantabunt vineas] literaliter, vel spiritualiter Ecclesias de viris germinantibus gaudium Spiritus sancti [& bibent] per consolationem de profectu subditorum[vinum eorum]*Psalmo* 106.Seminauerunt agros,& plantauerunt vineas,& fecerunt fructum natiuitatis. *Canti.*7. Dabo tibi vinum conditum, dignum delicto meo ad potandum, labijs que & dentibus eius ad ruminandum [& facient hortos] ab oriendo dictos,eis quod omnes stirpes oriuntur in eis, qui significant Ecclesias collegiatas, & religiones. *Cantic.*6. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt ibi pascatur in hortis,& lilia colligat. Et hoc est quod sequitur [& comedent fructus eorum] hoc est, in profectibus virtutum reficientur. *Cantic.*5. Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructus pomorum suorum.*Isaia* 58.Eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ. *Cantic.* 4. Hortus conclusus, fons signatus.

Et]supple, taliter[plantabo eos super humum suam] quæ stabilem & pretiosum fundum Ecclesiæ significat. *Ieremie* 12. Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum. *Exodi.* 15. Introduces & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo, quod operatus es Domine [& non euellam eos vltra] scilicet sicut feci antea per captiuitatem: quod significat Ecclesiam non esse euellendam. *Ieremie* 31. Sanctum Domini non euelletur, & non destruetur in perpetuum vltra [de terra sua quam dedi eis] in promissionibus scilicet patrum.*Isaie* 58.Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui [dicit Dominus Deus tuus]Confirmatio est omnium prædictorum. *Tit.*1. Quam promisit qui non mentitur Deus.

Ecclesia nunquam subuertetur.

***

D. Alberti Magni in Amos Proph.

D. ALBERTI MAGNI,
EPISCOPI RATISPONENSIS,
DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM

IN ABDIAM PROPHETAM ENARRATIO.

PROLOGI DIVI HIERONYMI IN ABDIAM Propheram Explanatio.

IACOB *patriarcha*] *Iste prologus in duas partes diuiditur. In prima ostendit contra quem & propter quid Abdias Prophetat. In secunda merita describit prophetantis* ibi [*Hebrei hunc dicunt esse*] *In primo dicit quatuor, scilicet, quod contra Esau propter odium, & contra similes Esau in odio, & contra Gentes iudicium diuinum processurum Prophetas Abdias* [*Iacob patriarcha*] *Patriarcha est princeps patrum, eo quod totum semen eius in benedictione fuit.* Genes. 49. [*Fratrem habuit Esau*] Genes. 27. [*qui*] *scilicet Esau* [*ob ruborem corporis sui Edom hebrea lingua appellatus est*] Genes. 25. *Qui primus egressus, rufus erat & totus in morem pellis hispidus, vocauique nomen eius Esau. Cognomen autem ab accidente impositum fuit Edom* [*quod*] *scilicet Edom* [*latine sanguineus dicitur*] *eoquod sanguis rubeus est. Et subdit propter quid Prophetat contra illum.* *Esau cur Edom dictus sit.*

Is] *scilicet Edom* [*memoratum Fratrem suum*] *Iacob scilicet* [*qui*] *scilicet Iacob* [*Israel nomen acceperat*] Genes. 32. *Nequaquam vocaberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum* [*grauis odio commotus*] Gregor. *Odium inueterata ira est* [*interimere conatus est*] Genes. 27 *Venient dies luctus patris mei, & interficiam fratrem meum. Et subdit, quomodo nomen Edom in alios similes sibi in odio propagatur.*

Qua de causa omnes qui populum Israël] *spiritualem scilicet* [*id est, filios Iacob patriarchæ prædicti*] *& intelligit de filijs spiritualibus* [*Esau odium imitati*] Genes. 37. *Oderant eum, nec poterant ei quicquid pacifice loqui* [*persecuti sunt*] 2. Timo. 3. *Omnes qui in Christo pie volunt viuere, persecutionem patientur* [*Esau & Edom*] *propter similitudinem odij scilicet* [*appellati sunt*] Exo. 1. *Oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitã eorum* Genes.

27. *Oderat*

27. *Oderat ergo semper Esau Iacob, pro benedictione, qua benedixerat ei pater. Et descendit ad speciale, subdens.*

Et quia populus Israël [*hoc est, filiorum Israël*] *de captiuitate Chaldæorum* [*facta scilicet per Nabuchodonosor*] *per Cyrum regem Persarum* [*de quo* Isa 45. *Christo meo, Cyro, cuius apprehendi dexteram* [*nutu*] *hoc est, instinctu* [*Dei reuocatus in Ierusalem*] 2. Para. *vltimo: Suscitauit Dominus spem Cyri regis Persarum, qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus* Deus *cæli, & ipse præcepit vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis ex vobis est in omni populo eius, sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.* Hoc idem continetur 1. Esdræ 1. [*ab alio regno*] *quòd scilicet Alexandro successit in Antiocho Epiphane, sicut dicitur,* 1. Macha. 1. [*grauiter afflictus atque oppressus est*] *Afflictus bello, oppressus seruitute & tributis* [*ideò hoc regnum*] *persecutorum scilicet* [*quod more Esau*] *primi inimici & inuidentis* [*prædictum populum*] *Israël scilicet* [*persecutus est*] Psal. 108. *Persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare* [*per denuntiationem Abdiæ Prophetæ*] *prophetiam scilicet* [*increpatur*] 2. *ad* Timo. 4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina* [*quod non Dei indignatione*] *hoc est, pro Dei indignatione* [*sed sua*] *propria scilicet* [*virtute*] *hoc est, fortitudine* [*populum*] *scilicet Dei* [*superatum gloriabatur*] Isa 10. *Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorum depredatus sum* [*de quo regno*] *persequente scilicet Ecclesiam* [*olim*] *diu ante* [*per Dauid in* Psalmo 136. *dictum est*] *Istud scilicet* [*Memorare Domine filiorum Edom*] *ad vltionem scilicet* [*in die Ierusalem*] *hoc est, in die lætitiæ Ierusalem.* Michææ 7. *Aspiciet me inimica mea, & operietur confusione. Et subdit de iudicio processuro in Gentes.*

Nam reliqua à] *præinductis scilicet* [*lectione comprehensa*] *Abdiæ scilicet* [*futurum in Gentes*] *hoc est, contra Gentes* [*iudicium*] *hoc est, vindictam* [*ob causas*] *hoc est, propter causas* [*lectione comprehensas*] *in textu scilicet.* Ioelis 3. *Congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat & disceptabo cum eis* [*& regnum Dei*] *supple, futurum esse* [*in populo Israël significant*] *vltimum enim verbum prophetiæ est* 3. *Erit Domino regnum.*

Hebrei hunc] *In hac secunda parte meritum tangit Prophetæ in quatuor, in eleemosyna scilicet, in gloria sepulturæ, in honore exaltationis, & in nomine* [*Hebrei hunc, dicunt esse*] *quamuis per Scripturam confirmari non possit* [*qui sub rege Samariæ Achab*] *de quo* 3. Regum 18. [*& impiissima Iezabel*] *quæ fluxus sterquilinij interpretatur* [*pauit centum Prophetas*] *latitantes scilicet propter persecutionem Iezabel* [*in specubus*] *Hoc ideo creditur: quia* 3. Reg. 18. *Achab Abdiam misit pro Elia, qui ibidem dixit Eliæ: Nunquid non indicatum est tibi Domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod absconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pauerim eos pane & aqua. Sed quod idem sit iste Abdias & ille non est probatum* [*qui non curuauerunt genua ante Baal*] *hoc est idola non adorauerunt* [*& de septem millibus erant*] *quantum ad meritum* [*quos Elias*] 3. Re. 19. [*arguitur ignorasse*] *cum enim diceret Elias, Ego relictus sum solus, & opinaretur se solum esse superstitem inter seruos Dei arguens eum, respondit Dominus: Relinquam mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Et idem inducitur* Ro. 11. *Et subdit de sepulchro.* *Abdias cum centum Prophetas pauit in specubus.*

Sepulchrum quoque eius] Isa 11. *Erit sepulchrum eius gloriosum* [*vsque hodie*] *per*

 successiones

successiones scilicet generationum [cum Mausoleo Elisei Prophetæ] Mausoleum sepulchrum ædificatum & ornatum est, in quo defuncti præclara facinora, ac res memoria dignæ sunt descripta. Dicitur autem à Mausolo Cariæ rege, cui Artemisia vxor sepulchrum ædificauit ita egregijs operibus, vt inter septem orbis miracula numeretur. Attollitur in altitudinem 25. cubitis. Cingitur columnis 36. A quo sepulchro omnia pretiosa sepulchra ex nomine eius Mausolea dicuntur [Et Baptistæ Ioannis] supple, Mausoleo [in Sabaste] ciuitate scilicet Samariæ [venerationi habetur] sicut dignum est ossibus Sanctorum venerationem impendi [quæ] scilicet Sebaste [olim Samaria dicebatur] vt dicit Chrysostomus *à quodam Samer qui montem quem possedit, & ciuitatem quam ibi ædificauit, Samariam vocauit, quæ cum metropolis facta esset terræ, ab ipsa tota terra nomen accepit [hanc] scilicet ciuitatem [Herodes rex] qui alienigena in Iudæa regnauit [Antipatris filius] qui de successoribus Antiochi fuit [in honore Augusti Cæsaris] sub quo tempore regnauit [græco nomine vocauit augustam] Augustus enim in græce, latine sonat solenniter stans, vel solennitatis additio; propter quod etiam scriptores solennizati, auctores dicuntur, & Deus auctor boni dicitur potius quam actor, quia solennis est in boni profusione. Et subdit de profectu honoris.*

Sebaste olim dicta Samaria.

Alias, Augustum dicitur vel ab augendo vel quasi rite a populo sacerdotibus quam dicatum.

Hic igitur qui centum Prophetas pauerat] merito, supple, illius eleemosynæ & pietatis [accepit gratiam prophetalem] 1. Timo. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* Ecci. 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere [& de duce exercitus] corporalis scilicet [sit dux Ecclesiæ] sicut Petrus de piscatore piscium factus est piscator hominum* Mat. 4. Psal. 67. *Principes Iuda duces eorum.* Isa 32. *Princeps quæ sunt digna principe cogitabit, & ipse super duces stabit [tunc in Samaria] quando dux erat Achab.* 3. Regum 18. *[parum gregem pauerat] centum scilicet viros tantum [nunc] factus, supple, dux spiritualis [in toto orbe Christi pascit Ecclesias] pabulo scilicet verbi Dei, & mysteriorum.* Deute. 18. *&* Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Sap. 16. *Non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conseruat. Et subdit de nominis dignitate.*

Anima pabulum, est verbum Dei.

Et sicut Stephanus] corona interpretatur secundum congruentiam sui nominis [coronam meruit passionis] primus scilicet & præcipuus. Psal. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine [Sic hic] Propheta scilicet [seruitutis Dei] interpretatione scilicet nominis [cum Paulo Apostolo] qui in prima sua epistola ad* Rom. 1. *scribit: Paulus Iesu Christi seruus [nomine] hoc est, nominis interpretatione [gloriatur] Pythagoras enim vult, quod nomen qualitatem indicet personæ Et subdit renuntiationem [quia Abdias seruus Domini in nostro] hoc est, in latino [sonat eloquio]*

Abdias

In Abdiam Prophetam Cap. I.

Abdias Propheta.

CAPVT I.

Visio Abdiæ] Ista prophetia diuiditur in titulũ, & in tractatum, Titulus duo continet, certitudinem scilicet veritatis, & confirmationem auctoritatis. Certitudo veritatis importatur per hoc quod dicitur Abdiæ. Qua cum sint tres modi reuelationis, scilicet, sensibilis, imaginabilis, & intellectualis: in sensibili & in imaginabili multæ sunt illusiones, hæc autem prophetia sola intellectuali visione reuelata est, propter quod certissima est, & nulli ludificationi exposita. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem. Quod dicit Abdiæ, significat auctorem qui sicut instrumentum auctor est, qui seruitute Domini meruit gratiam prophetiæ. *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. *Sap.* 9. Mitte sapientiã de sede magnitudinis tuæ. Et post pauca dicit: Quoniam ego seruus tuus sum & filius ancillæ tuæ. *Psal.* 118. Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum Domine. Et subdit de auctoritate [Hæc dicit Dominus Deus] Pronomine notat sermonis auctoritatem. Si enim hæc Dominus dicit, habent auctoritatem, quia omnis sermo Dei auctoritas est. *Iob* 29. Verbis meis nihil addere audebant. Dicit, notat reuelationem: dicere enim est per reuelationem intellectum rerum in animam Prophetæ ponere. *Psal.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Dominus, potestatem notat implendi per opus omne quod dicit. *Psal.* 134. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Deus autẽ dicit, vt notetur in eo esse omnis scientia, quia θεὸς græce à θεᾶσθαι deriuatur quod est video. Dictũ ergo Dei & ex scientia veritatis est, & plenitudine potestatis. *Deu.* 13. Deus qui absconditorũ es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant [ad Edom] hic notat materiã. Totius enim prophetiæ materia Edom est in pœnis & in peccatis acceptis: improperantur enim ei peccata, & comminantur pœnæ. *Isa* 34. Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Et attendendum est quod cum dicitur: Visio Abdiæ, non determinatur, nec per locum, nec per tempora regum; cuius causa potest esse, quia ad populum suum iste Propheta non prophetauit, & ideo tempora regum suorum in titulo ponere noluit.

Reuelatio diuina fit tribus modis.

Auditum] Hic incipit Prophetia. Et diuiditur in partes duas. Primo comminatur pœnam superbiæ contra Deum. Secundo, comminatur pœnam inuidiæ contra proximum *ibi* [Propter interfectionem & propter iniquitatem] In prima tria sunt; superbiæ deiectio, diuitiarum spoliatio *ibi* [Si fures] & auxilij destitutio *ibi* [& omnes viri fœderis tui] In prima harum adhuc tria sunt, scilicet, hostium contra Edom missio & concitatio, superbiæ præsumptio, & superbiæ deiectio.

Auditum] materialiter hoc est, rem per oraculum diuinum acceptam [audiuimus] ego scilicet, & alij Prophetæ. *Isa* scilicet 34. *Iere.* 49. vbi fere tota ista prophetia continetur, & *Ezech.* 35. *Deu.* 18. In ore duorum vel trium testium stat omne verbum [à Domino] cuius sermo non excidit. *Tobiæ vlt.* Non excidit verbum Domini *Iob vlt.* Auditu auris audiui te *Ecci.* 45. Audiuit eum & vocem ipsius, & induxit illum in nubem. *Lu.* 11. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Quid autem audierint, subdit [& legatum] Nabuchodonosor [ad Gentes] hoc enim, contra gentes [misit] Ista missio facta est per instinctum qui tangitur *Iudith.* 2. Dixit Nabuchodonosor cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio; hoc enim in corde suo Deus posuit vt peccata Gentium digna vltione vindicarentur. Et subdit de exhortatione ducum [Surgite] hoc est, robur sursum agite, vt scilicet audacter inuadatis. *Isa* 13. Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum. *Isa.* 21. Comedentes & bibentes surgite principes & arripite clypeum [& consurgamus] vnanimiter omnes scilicet [aduersus eum] hoc est, Edom in prælium] *Psal.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? Mystice iste legatus Christus est cum Apostolis ac coetu toto Prædicatorum. *Isa* 9. Secundum translationem *Septuaginta.* Vocabitur magni consilij Angelus. *Iere.* 49. Auditum audiui à Domino, & legatus ad Gentes missus sum. His dicit Deus: Surgite, hoc est, ad cælestia sursum vos agite: & isti respondent, Consurgamus per obedientiam, vt scilicet in obsequium Christi debellent Gentes gladio prædicationis. *Iere.* 49. Congregamini & venite contra eum, & consurgamus in prælium. Et subdit de præsumptione superbiæ.

Ecce parulum dedi te in Gentibus] non virtute humilitatis, sed numero bellatorum: in quo à cæteris gentibus superabantur. Et hoc est quod sequitur [contemptibilis tu es valde] etiam, supple, ex rerum paupertate. Simile 1. *Reg.* 9. Nunquid non filius Gemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Et cum habeas occasionem humiliandi te, tunc [superbia cordis tui extulit te] quod est vnum eorum quæ odit Deus. *Ecci.* 25. Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum, pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuum & insensatum. *Iob* 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Et *ibidem*: Quid te eleuat cor tuum? [habitantem in scissuris petrarum] despectiue legendum est, hoc est, cum nec tecta habeas, sed in cauernis & in scissuris petrarum cogaris habitare. *Iere.* 49. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis [exaltantem solium tuum] regnum enim suum præferre voluit aliis, cum esset omnibus humilius. *Isa.* 14. Super astra cæli exaltabo solium meum [qui dicit in corde suo] Metaplasmus, & mutat secundam in tertiam personam, vt ostendat quod in hoc cor alienum est ab ipso. *Iob* 15. Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium [quis deraher me in terram] Quasi dicat, Nullus potest hoc facere. *Isa.* 10. Dixit, in fortitudine manus meæ ego feci, & in sapientia mea intellexi. Simile *Apo.* 18. Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Sed quia Deus superbis resistit. *Iac.* 4. ideo sequitur [Si exaltatus fueris vt aquila] continua scilicet cordis elatione, sicut aquila altius volat [& si inter sydera posueris nidum tuum] Hyperbole

Hominum tres sunt conditiones detestandæ.

perbole est. *Iere 49.* Cum exaltaueris quasi Aquila nidum tuum [inde detraham te , dicit Dominus. *Isa.14.* In profundum detraheris vsque ad fundamenta laci. Poeta.

Frangit Deus omne superbum.

Spiritualiter superbi in scissuris petrarum habitant, quia & in duritia cordis , & in scissura charitatis. *Iob 8.* Super acerum petrarum radices eius densabuntur , & inter lapides commorabitur.

Si fures] Tangit hic de spoliatione ; primo tres similitudines ponens de spolio particulari, & subinferens de vniuersali [si fures intrassent ad te] in furno, hoc est, in nigro , siue in occulto rapientes, supple, non omnia abstulissent, sed quædam [Si latrones] qui domos nocte fodere , & quæ in domibus sunt , rapere solent [quomodo conticuisses?] Quasi dicat, Non conticuisses, sed repulisses. *Iere. 49.* Si fures in nocte, supple , venissent super te, rapuissent quod sufficeret sibi. Et hoc est quod hic sequitur [Nonne furati essent sufficientia sibi ? Si vindemiatores introissent ad te] violenter scilicet, materiam gaudij diripientes [nunquid non saltem racemos] supple, aliquos [reliquissent tibi?] *Iere.49.* Si vindemiatores venissent super te , non reliquissent racemum. Gregorius dicit , quod diabolus fur est in negotio perambulante in tenebris : quando scilicet, insidiando circumuolat , vel promittendo decipit , vel suadendo blanditur. *Ioan.10.* Fur non venit, nisi vt furetur , & mactet, & perdat. Latro autem est, quando violenter facit, & aperte, scilicet, quando minando terret, vel opprimendo rapit , vel desperando frangit. *Osea 7.* Fur ingressus est spolians , latrunculus foris. *Prouerb. 23.* Insidiatur in via quasi latro : & quos incautos viderit ,interficiet. Vindemiator autem est, quando materiam gaudij tollit, & in tristitiam perpetuam deiicit. *Iob 24.* Maledicta sit pars eius in terra , nec ambulet per viam vinearum. Tales sunt qui interficiunt seipsos, gaudij scilicet materiam in seipsis non inuenientes. *Prouerb.25.* Sicut tinea vestimento & vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi. *Eccl.14.* Felix qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua. *Eccl,25.* Omnis plaga tristitia cordis est. *Eccl.30.* Tristitiam non des animæ tuæ , & non affligas temetipsum in consilio tuo. Iucunditas cordis , hæc est vita hominis. Et subdit de spolio vniuersali.

Diabolus fur est & latro ac vindemiator.

Tristitia valetudinem hominis ledit.

Quomodo scrutati sunt Esau] Et hoc subdit, explanans [&] id est [inuestigauerunt abscondita eius] *Glossa*, cauernas & foramina, vt scilicet in antris nihil absconditum retinere possent. *Iob 24.* Nudis & incedentibus absque vestitu , & esurientibus tulerunt spicas. Et ideo sequitur [vsque ad terminum] supple, denudatum [emiserunt te] extra terram tuam, scilicet, in captiuitatem. Hoc significat scrutinium dæmonum , ad auferendum à peccatore omne bonum. *Psalmo 108.* Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius ; & hoc vsque ad terminos emittitur. De tribus enim terminis huius vitæ ad quos seculares vitam futuram terminare cupiunt, scilicet, diuitiis, deliciis, & honoribus, in tres terminios inferni proijcitur , dolorem scilicet, penuriam, & ignominiam. *Iob 21.* In puncto ad inferna descendunt.

Et omnes viri fœderis tui] Tangit destitutionem auxilij : primo exterioris, & postea interioris [Omnes viri fœderis tui] hoc est , quos confœderatos habebas , Ammonitæ scilicet & Moabitæ [illuserunt tibi] per hoc scilicet quòd rupto fœdere additi sunt inimicis tuis [inualuerunt aduersum te] ducendo scilicet te in captiuitatem [viri pacis tuæ] hoc est, in quibus pacem sperabas. *Iere. 9.* Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre non habeat fiduciam; quia omnis frater supplantans supplantabit. *Mich.7.* Nolite credere amico , & nolite confidere in duce [qui comedunt tecum] vt amici, supple [ponent insidias subter te] vt scilicet te euertant & supplantent, de quibus dicit *Eccl. 6.* Est amicus qui odium & rixam & conuicia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. *Threno. 1.* Omnes amici eius spreuerunt eam , & facti sunt ei inimici. *Psal. 40.* Etenim homo pacis meæ, in quo speraui , qui edebat panes meos , magnificauit super me supplantationem. Et subdit de destitutione auxilij interioris , primo in consilio, secundo in virtute.

Non temere cuilibet amico fidendum.

Non est prudentia in Edom] scilicet : quia sibi consulere nescit. *Isaie 19.* Stulti facti sunt principes Thaneos , emarcuerunt principes Memphes , deceperunt Ægyptum , angulum populorum eius , hoc est , principes. *Ibidem.* Consilium Ægypti præcipitabo. 1. ad *Corinth.* 3. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Et hoc probat, subdens [Nunquid non in illa die] iudicij mei scilicet [dicit Dominus] quando scilicet tibi prouidere non poteris [perdam sapientes de Idumæa] Philosophos, scilicet & mundi consiliarios. 1. ad *Corinth.* 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et hoc est quod hic additur [& prudentiam de monte Esau] supple, perdam. *Baruch 3.* Confabulatores & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ viam sapientiæ nesciunt. Mons autem Esau superbiam significat carnalium , qui licet in secularibus prudentes sint , tamen in spiritualibus sunt insipientes. *Iaco. 3.* Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Iob 5.* Qui apprehendit sapientes in astutia eorum , & consilia prauorum dissipat. *Iere. 49.* Nunquid non vltra est sapientia in Themam? Periit consilium à filiis Esau, inutilis facta est sapientia eorum. Et subdit de destitutione virium & virtutis.

Non est sapientia nec robur adversus Dominum.

Et timebunt fortes tui] *Eccle. 12.* Nutabunt viri fortissimi [à Meridie] supple, habitantes ; quia tota terra Esau à Meridie est, & ardori solis intantum exposita, quod in cauernis habitant [vt] non est causale, sed est consecutiuum ; & est sensus. Vt deficiente consilio & viribus [intereat vir] per Chaldæos [de monte] hoc est , de montosa terra [Esau] *Iere.46.* Vidi ipsos paudos & terga vertentes, fortes eorum cæsos ; & fugerunt conciti, nec respexerunt ; terror vndique , ait Dominus. Non fugiet velox, nec saluari se poterit fortis.

Propter interfectionem] Tangit hic causam destructionis Esau ; & habet duas partes, scilicet, inuidi destructionem, & pij constructionem *ibi* [Et in monte Sion erit saluatio] In prima duo dicuntur, scilicet, qualiter Esau destruetur, & quomodo *ibi* [Quoniã est iuxta dies domini] Adhuc prima harũ habet tria Primo enim in genere causam dicit destructionis: secundo in specie *ibi*] In die cum stares] Tertio subiungit pœnam *ibi* [Et non despicies]

Propter

Propter interfectionem] qua scilicet vel voluntate , vel consilio , vel facto , vel fauore fratrem, vel proximum occidisti, vel vitam scilicet auferendo , vel res subtrahendo de quibus viuere debuit. *Dan. 13.* Innocentem & iustum ne interficias. *Eccl. 34.* Panis egentium vita pauperis est ; qui de fraudat illum, homo sanguinis est [& propter iniquitatem] in oppressionibus scilicet & persecutionibus [in fratrem tuum] hoc est, contra fratrem tuum [Iacob] contra enim æquitatem naturæ est persequi fratrem. *Psalmo. 78.* Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde ; & timor notis meis. Vnde inter ea in quibus beneplacitum est Deo, & sunt probata coram Deo & hominibus *Eccl. 25.* est concordia fratrum , & amor proximorum [operiet te confusio] captiuitatis scilicet temporalis, vel æternæ. *Iere. 31.* Confusus sum & erubui, quoniã sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Mich. 7.* Aspiciet me inimica mea , & operietur confusione. *Psal. 68.* Operuit confusio faciem meam [& peribis in æternum] hoc est , æterna captiuitate damnatus. *Psalmo 36.* Iniusti punientur , & semen impiorum interibit. *Isa.14.* In iniquitate patrum suorum non consurgent, nec hæreditabunt terram. Et quod dixit in genere, tangit in specie.

Fratrem prosequi est contra naturam.

In die] captiuitatis scilicet, & iudicij Iudæorum [cum stares] armis scilicet accinctus [aduersus eum] Iacob scilicet. *Iob 16.* Collegit furorem suum in me , & comminans mihi , infremuit dentibus suis contra me: hostis meus terribilibus oculis intuitus est me. Hic est versus [Quando capiebant alieni exercitum eius] hoc est, Chaldæi alieni à sanguine Iudæorum. Et tangit hoc quod dicitur 4. *Regum vltim.* 2. *Paralip. vltimo*, *Iere. vltim.* quod cum fugeret de ciuitate Sedechias cum filiis & nobilibus suis , & vagarentur in deserto versus Idumæam; Idumæi iuuerunt Chaldæos ad capiendum regem, & exercitum eius [& extranei] Gentiles scilicet [ingrediebantur portas eius] ciuitatis scilicet Ierusalem. *Prouerb.3.* Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam [& super Ierusalem] ciuitatem scilicet , & pertinentia ad ciuitatem [mittebant sortem] Sicut enim dicit *Ierem. vltim.* Duces Babyloniorum intrantes ciuitatem, primò sederunt in portis , vt iudices & Domini: postea comportaris rebus , sortiebantur quid quis tolleret. *Prou.1.* Sortem mitte nobiscum , marsupium vnum sit omnium nostrum. Et debet legi, suspensiue mittebant sortem [tu quoque eras quasi vnus ex eis] ex hostibus scilicet ; adiunctus enim eras in sua captiuitate. Plus enim nocet falsus amicus quam manifestus inimicus. *Eccl.6.* Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende. Hæc sub eisdem authoritatibus de inuidis & falsis amicis dicuntur. *Psal.37.* Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.

Et non despicies] Tangit hic pœnam , & quia maxima pœna est inuidi, non posse persequi eum cuius inuidet prosperitati aut successibus , ideo tangit illam primo in octo. Primum est quod dicit [& non despicies] Iacob scilicet in die fratris sui] hoc est, quando iudicabitur frater tuus in sequenti scilicet Romana captiuitate [In die peregrinationis eius] hoc est, quando peregrinabitur de terra ductus in Romanam captiuitatem. *Isaie 33.* Væ qui spernis, nonne & ipse spernetis? Et paulo post: Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. Et est sensus, quod filij Israel de Babylonica captiuitate restituentur , quamuis postea per Romanos captiuandi sint : filij autem Esau non restituentur, sed manentes in captiuitate , filios Israel in secunda captiuitate deridere non possunt. Significat autem eos qui iustos derident in casu suo *Psal.21.* Omnes qui videbant me , deriserunt me , locuti sunt labiis , & mouerunt caput. Et apponit secundum [Et non lætaberis super filios Iuda] In captiuitate scilicet Romana [In die perditionis eorum] hoc est, captiuitatis *Prou.2.* Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. *Iob 31.* Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat , & exultaui quod inuenisset eum malum. Et subinfert tertium [& non magnificabis os tuum] dilatando scilicet in risum , vel aperiendo ad deuorandum [In die angustiæ] Romanæ scilicet captiuitatis : tunc enim tu gemes in captiuitate. *Psal.21.* Aperuit super me os suum , sicut leo rapiens & rugiens. *Thren.2.* Aperuerunt super te os suum , omnes inimici tui sibilauerunt, & fremuerunt dentibus suis, & dixerunt : Deuorabimus , en ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus. Et addit quartum [Nec ingredieris portam populi mei cum hostibus scilicet, sicut fecistis in die ruinæ eorum] per Romanam scilicet captiuitatem. *Thren.4.* Non crediderunt reges terræ & vniuersi habitatores orbis , quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem. Portæ istæ significant quinque sensus, vt dicit *Hieronymus* : hostis ingressus delectabilia, & incitamenta peccati significat. *Ierem.9.* Ascendit mors per fenestras nostras , ingressa est domos nostras. Ridentes autem de hoc ex inuidia sunt dæmones. Et subdit quintum.

Quinque sensus porta sunt animæ.

Neque despicies & tu] Despectiue legendum est , quasi & tu qui parvulus & contemptibilis es [in malis eius] quæ scilicet patietur Iacob [In die vastitatis illius] per Romanam scilicet captiuitatem, sicut, supple, fecisti in ista captiuitate Babylonica *Iob 30.* Nunc autem derident me iuniores tempore , quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei ; quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo , & vita ipsa putabatur indigni. Et supponit sextum [Et non emittêris aduersus exercitum eius] Tangit illud *vltim. Iere.* quod Idumæi bellatores à Chaldæis emissi sunt ad persequendum regem Sedechiam [In die vastitatis illius] Romanæ scilicet captiuitatis. Tunc enim hoc facere non poteris , eo quod in captiuitate relinqueris. *Mich.7.* Visitatio tua venit , nunc erit vastitas eorum. Et subdit septimum [Nec stabis in exitibus] sicut , supple, fecisti [vt interficias eos qui fugerint] Et tangit quod obsessa ciuitate exitus obseruabant Idumæi , & fugientes occiderunt. *Psal.36.* Gladium euaginauerunt peccatores, vt trucident rectos corde. Et subiungit octauum [Et non concludes reliquos eius] qui effugere scilicet potuerunt Romanam captiuitatem, sicut, supple, fecisti in Chaldaica captiuitate [in die tribulationis eius] per captiuitatem scilicet Romanam. In omnibus autem his sensus est, quod tot malis pressus erit in captiuitate propria , quod pressus proprio gemitu non potest inferre aliis malum. Simile *Exod.14.* Ægyptios quos nunc videtis , nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis ; & vos tacebitis. *Psal.131.* Peccator videbit & irascetur , dentibus

suis

Deus propugnator est iusterii.

suis frenet & tabescet, desiderium peccatorum peribit. Quando autem & qualiter hoc fiet, subdit.

Quoniam iuxta est dies Domini] vindictæ scilicet [super omnes gentes] gentiliter scilicet viuentes. *Isa.* 26, Visitabit iniquitatem habitatoris terræ contra eum. *Ioël.*3. Congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat,& disceptabo cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israel [sicut fecisti, fiet tibi] *Luc.* 6, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.*21. Malos male perdet [retributionem tuam] hoc est, dignam meritis tuis [conuertet in caput tuum] *Ioël.*3. Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Et *ibidem post pauca.* Retributionem vestram conuertam in caput vestrum. *Malach. vlt.* Calcabitis impios cum fuerint velut cinis sub planta pedum vestrorum. Et hoc deducit ad speciem, subdens [quomodo enim bibistis] in lætitia scilicet deorum vestrorum [super montem sanctum meum] captum scilicet à Chaldæis. *Dan.*5. Allata sunt vasa decoris domus Dei coram ea, & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ bibistis vinum in eis. *Psal.*68. In me psallebant qui bibebant vinum [bibent & omnes gentes iugiter] supple, super montem tuum captum & desolatum in lætitia scilicet captiuitatis tuæ. *Apocal.* 18. In poculo quo miscuit vobis, miscete ei duplum [& bibent] hoc est, in delectatione absumet possessiones tuas [&] id est [absorbebunt] *Iere.*51. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea. *Osea* 5. Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis [& erunt quasi non sint] erunt enim socij eius qui non est, hoc est, diaboli. *Iob* 18. Habitent in tabernaculo eius socij illius qui non est. Aspergatur in tabernaculo illius sulphur. Et post pauca. Memoria illius pereat de terra.

Et in monte Sion] Tangit hic consolationem Sanctorum in duobus, scilicet, subiectione inimicorum, & in distributione possessionum *ibi* [Et hæreditabunt [Et in monte Sion erit saluatio] vel post Babylonicam captiuitatem, vel in Ecclesia, quod melius est. Mons enim Sion eminentia speculationis est, quæ est Ecclesia in contemplatione fidelium. *Isaia* 46. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam [& erit sanctus] hoc est, in sanctitate confirmatus. *Isa.*4. Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita, in Ierusalem. *Iere.*31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus [Et possidebit domus Iacob] dicit quantum ad duas tribus [eos qui se possedeant] Quod si ad literam dicatur, factum est post captiuitatem Babylonicam 1. *Machab.*5. vbi dicitur, quod Iudas Machabæus occupauit ciuitatem Gentium, & occidit omne masculinum in ore gladij, & accepit omnia spolia eorum. Melius tamen intelligitur spiritualiter, quod domus Iacob Ecclesia est, quæ possidet possessiones tyrannorum, qui aliquando possederant eam. *Isa.*11. Et volabunt in humeros Philisthijm per mare, simul prædabuntur filios Orientis; Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt, *Isa.*14. Erunt capientes eos qui ceperant & subiicient exactores suos.

Et erit] supple tunc [domus Iacob] hoc est, duæ tribus [ignis] hoc est, causa incendij [& domus Ioseph] hoc est, decem tribus, supple, erunt [flamma] hoc est, causa inflammationis [& domus Esau stipula] supple, erit, quæ scilicet ira Domini facile succendatur. *Isa.*62. Egrediatur vt splendor Iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. De stipula 1. *ad Corinth.* 5. Si quis ædificauerit supra fundamentum hoc, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, probabit ignis. Et ideo sequitur[& succendentur in eis]domus scilicet Iacob, & domus Ioseph, sicut in stipulis. *Isaiæ* 5. Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit [Et deuorabunt eos] direptione scilicet possessionum & occisione gladij. *Esther* 11. Sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos [& non erunt reliquiæ domus Esau] *Isaia* 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen. 2. *Re.*21. Virum qui attriuit nos & oppressit inique, ita delere debemus, vt nec vnus quidem relidnus sit de stirpe eius [quia Dominus locutus est] Hæc literaliter nunquam sunt impleta, vnde spiritualiter melius intelliguntur, quod domus Iacob sint perfecti in virtute, qui sunt velut ignis per charitatem: & domus Ioseph perfecti in scientia veritatis quæ accrescit virtuti: qui sunt ceu splendor claritate doctrinæ, & ignis feruore prædicationis. *Cantic.*8. Lampades eius, vt lampades ignis atque flammarum. Domus autem Esau sunt carnales peccatores, vacui sicut stipula, & aridi à gratia; qui cum succenduntur à charitate, fiunt non stipula, & à sanctis deuorantur, hoc est, incorporantur, sicut dictum est Petro *Act.* 10, Occide, manduca, Et subdit de distributione possessionum.

Stipula peccatores significat.

Et hæreditabunt hi] Iudæi scilicet [qui ad Austrum sunt] hoc est, versus Meridiem [montem Esau] hoc est, montosam terram. *Hieronymus.* Reuerso Iuda de Babylone in regnum, hi qui in Meridie habitabant & angustos terminos habebant, occupabant montem Esau ad dilatandum terminum suum [& qui in campestribus] hoc est, de duabus tribubus qui in planis habitabant, supple, possidebunt [Philisthim] hoc est, quinque ciuitates Philisthinorum ad dilatandum terminum suum. *Isaia* 49. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi vt habitem [& possidebunt regionem Ephraim] supple, duæ tribus, hoc est, vbi habitabat quondam Ephraim [& regionem Samariæ] supple, possidebunt. Iudas enim dilatauit terminum suum in terras decem tribuum. *Isaia* 54. Longos fac funiculos tuos & clauos tuos consolida: ad dexteram enim & lævam penetrabis, & semen tuum Gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit [& Beniamin] cuius scilicet terminus est contra Septentrionem [possidebit Galaad] hoc est, terram vltra Iordanem; quæ prius Galaad, nunc Arabia dicitur, vbi ante captiuitatem Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse habitauerunt.

Et transmigratio exercitus huius] ductus scilicet in Babylonem [filiorum Israel] hoc est, illi qui de decem tribubus captui ducti sunt in Babylonem [reuertentur cum eis] &, supple, possidebunt [omnia loca Chananæorum] hoc est, vbi quondam Chananæi habitauerunt, quam promisit Deus Abrahæ *Genesis* 12. *Psalmo* 104. Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ [vsque Sareptam] quæ angustia panis interpretatur, vbi

tur, vbi vidua pauit Eliam 3. *Regum* 17. [& transmigratio Ierusalem] hoc est, transmigrati de Ierusalem [quæ in Bosphoro est] hoc est, iuxta mare Bosphoruin; *Et* eum ponit eos Nabuchodonosor. Et interpretatur abundans increscens, vbi secundum fabulas Pergamum (vt dicit *Hieronymus*) bos, hoc est, in tranquillum. Ita (inquam) transmigratio possidebit ciuitates Austri [sibi scilicet vicinas], & quia hæc nunquam literaliter facta sunt, spiritualiter intelligunt, quod Ecclesia possidet montem Dei in deuotione carnali, & campestria Philisthim in contrariis populari, quæ Ecclesiæ obedit, & regionem Ephraim in vberitate temporali, & regionem Samariæ in custodia pastorali, & Galaad in studio Scripturarum, quia Galaad acerruus testimonij interpretatur. Hæc Ecclesiæ transmigratio est, quæ dicit cum *Apostolo*, *Hebræ.*13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et possidet omnia loca Chananæorum, hoc est de peccatis ad gratiam transmigratorum. Transmigratio autem Ierusalem hæc est ad supernam ciuitatem pertinens. Possidet ciuitates Austri, hoc est, religiones lumini diuino, & calori sancti Spiritus expositas. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & Gentes solitudine vastabunt. *Psalmo* 2. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Et subdit de populi optima in regimine dispositione.

Ecce hic locupletationem Ecclesiæ.

Et ascendent saluatores] Zorobabel scilicet, & Iesus sacerdos magnus, & Esdras, & Nehemias, & cæteri qui de captiuitate Babylonica redierunt & saluabant populum [in montem Sion] hoc est, in Ierusalem, sicut præcepit Cyrus *Esdræ* 1. iudicare montem Esau [quia scilicet terra deserta fit. Hi saluatores Apostolos, & successores Apostolorum significant, in quibus est salus Ecclesiæ. *Isa.* 19. Mittet eis saluatorem, & propugnatorem qui liberet eos. Hi ascendunt de virtute in virtutem. *Psal.*83. Ibunt de virtute in virtutem. Et iudicabunt in monte Sion, hoc est, in potestate Ecclesiæ & dignitate, & iudicant montem Esau, hoc est, de secularibus, superbis, & timidis. *Sap.* 3. Iudicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis [&] sic, supple [erit Domino regnum] *Psal.* 21. Surge Deus & judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. 1. *ad Corinth.* 15. Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum sub pedibus suis, *Psalmo* 111. Regnum tuum, regnum omnium seculorum. *Daniel.*7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur.

D. Alber. Magni in Abd. Proph.

D. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI RATISPONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

I

In Ionam Prophetam Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI *in Ionam Prophetam explicatio.*

SANCTVM Ionam] In hoc Prologo ostendit, *Hieronymus*, quis sit iste Prophetæ, cui, quando, & qualiter prophetauit. Et secundum hoc diuiditur prologus [Sanctum Ionam] Sanctum dicit, ne propter fugam quæ Dominum fugit, peccator videatur [Hebræi affirmant] siue asserunt, cum tamen sit opinio potius quam assertio [filium fuisse mulieris viduæ Sareptanæ] de qua 3. *Re.* 17. [dicitur, quod filius illius viduæ Elias suscitauit: sed non dicitur quod filius ille Ionas fuerit [quem Elias Propheta suscitauit] sicut ibidem legitur] [mater ipsius] dicente ad eum] hoc est, ad Eliam [Nunc cognoui] facto scilicet suscitationis [cognoui, quia vir es tu] strenue scilicet te habere in obsequio domini. *Iob* 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales [& verbum Dei in ore tuo est veritas] Ibidem 3. *Re.* 17. sic habet: Et verbum Domini in ore tuo verum est [ob hanc causam etiam ipsum puerum] suscitatum, supple [vocauit] mater scilicet [Amathi] hoc est, filium Amathi. Et secundum hoc intelligitur de secunda natiuitate, qua suscitatus est à mortuis, quòd fuerit filius Amathi: & non intelligitur de prima, qua natus est ex matre. Et hoc est quod sequitur [Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat] & nominis subiungit rationem [ex eo quod verum locutus est Elias] *Iann.* 17. sermo tuus veritas est [ille qui suscitatus est] & sic quodammodo secundam natiuitatem habuit [filius dicitur esse veritatis] formam veritatis habens in spiritu prophetico, sicut filius formam habet patris [ideo de veritate] diuina scilicet [columba nascitur] donum scilicet Spiritus sancti: quia Spiritus sanctus de Verbo quod veritas est procedit. *Act.* 10. Loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum [quia Ionas columbam sonat] & ideo Ionas fuit nomen proprium, sed Amathi cognomen. Et cum dicitur Ionas Amathi, Amathi genitiui casus est, & intelligitur filius Amathi secundum consuetudinem quarundam gentium, qui filios ex patribus cognominant, vt Petrus Eliæ. Hæc ergo de nomine & gente dicta sunt. Et subdit quibus prædicauit.

Ionæ filius fuit viduæ Sareptanæ.

In condemnationem autem Israel] quæ sit iudicio comparationis [Ionas ad Gentes] hoc est, ad Gentiles Ismittitur] *Ieremiæ* 49. Legatus ad Gentes missus sum [quod Ninive agente pœnitentiam] quæ ciuitas est Gentilium illi] hoc est, filij Israel [in malitia perseuerant] *Luce* 11. Viri Ninniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plusquàm Ionas hic. Et subdit quando prophetauit [Temporibus quipe Ieroboam regis Israel] qui pronepos fuit Iehu, [quo etiam *Osee, Ioel & Amos* prophetauerunt secundum regulam Hebræorum, qui dicunt quod Prophetæ in quorum idolis tempora prophetiæ non ponunt, sed quem regum temporibus prophetauerunt. Ob quibus illi qui ante eos in titulis prædixerunt, prophetauerunt [qui] scilicet Ieroboam [Deo vero derelicto cum populo suo] decem tribuum scilicet [in Samaria idolis sacrificabat] hoc est, vitulis aureis in Dan & in Bethel positis [Ionam Propheram fuisse] hoc est, vixisse [quartus liber Regum indicat] octauo capitulo scilicet. Et subdit qualiter se habuit in prophetando.

Is] scilicet Ionas [cum prophetia] hoc est, prophetica illuminatione illuminante ad scientiam scilicet futurorum [peccatores ciuitatis Ninive] qui tunc scilicet peccatores erant [Dei misericordiam, cum eam videret] per pœnitentiam [ne falsa videretur prædicare] suas prædicere de futura scilicet ciuitatis euersione [ad denuntiandum interitum

ritum eiusdem ciuitatis ire nolebat] hoc est, volebat non ire, ne scilicet derogatio fieret veritati. Et attende quod voluntas cadit super antecedens absque consequente, & super affirmationem & negationem simul; & cadit diuisim super ea, quæ secundum rem diuidi non possunt: & ideo possibile est, quod volebat non ire cum præiudicio veritatis, & volebat ire cum ædificatione charitatis, tamen prælegit non ire in actu ad ostensionem humilitatis, sperans quod per alium à Deo missum, essent conuertendi. Quare autem iussus ire, subdit.

Nam sicut Deus ad Abraham] *Genesis* 18. de impietate Sodomorum & Gomorrhæorum locutus est] Hæc verba scilicet: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum peruenit ad me [ita & de Ninive] *Ione* 1. [dicitur eo quòd ascendit clamor malitiæ eius] hoc est, Ninive [ad eum] hoc est, ad Deum. [Et quia sententia Dei] quam scilicet [de] subuertenda dedit] Sodoma minime reuocata est] precibus Abrahæ scilicet [ita & Ionas aduersus Ninniten prolatam sententiam] de subuersione [reuocari nolebat] hoc est, volebat non reuocari cum præiudicio veritatis. Et ideo factum fecit, hoc est, fugam, ne veritas in ore suo labem pateretur, sperans quod peccatores aliter conuerterentur [diuinæ dispensationis ignarus] dispensationem vocat rigoris per misericordiam relaxationem qua cedens seueritati iustitiæ misereri potius eligit quàm condemnare. Et hoc est quod sequitur [qui] relatio simplex est ad intellectum, per hoc quod dicitur diuinæ [salutem hominum ad se conuertentium] supple, se [magis vult quàm interitum] *Ezechielis* 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.

Hoc illi acciderat] eodem scilicet modo ignorantiæ [quod & sancto Eliseo] 4. *Reg.* 4. [qui filium Sunamitis mulieris] cum esset in Carmelo [mortuum] esset domi, sup. [ignorauit]. Vnde dicit *Ibidem*: Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Et subdit de causa fugæ, ideo scilicet propter verecundiam si verum non diceret [à conspectu Dei] hoc est, à Iudæa, in qua conspectus Dei fuerat [Ionas fugere se putabat] sperans quod in alia terra Dominus sibi non appareret [humanum aliquid passus] *Augustinus*. Falsa pro veris approbare humana temeritas est [dicente Dauid (in *Psal.* 138.) Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?] & sic nullus potest effugere Deum. *Augustinus*. Domine vbique es, & qui à te recedit quo it, nisi à te placido ad te iratum? Vnde & Ionas fugiens ex ira Dei tempestatem inuenit.

ARGVMENTI DIVI HIERONYMI *in Ionam Prophetam Explicatio.*

gnum interpretatur columba & dulcis.

IONAS columba] Illud videtur esse signum, de omnibus enim dictis in textu mentem aperit. Ionas] supple, interpretatur [columba & dulcis] Duas enim habet interpretationes [filius Amathi] hoc est, veritatis [qui] scilicet Ionas [fuit de Geth] natus scilicet [quæ] scilicet Geth [est in Ophir] prouincia. Et hoc dicitur ad differentiam illius Geth, quæ est in terra Philisthiim [ad Gentium præconium mittitur] hoc est, ad Niniuen quæ Gentium ciuitas est. Et sicut dictum est, temporibus Ieroboam pronepotis Iehu, 4. *Regum* 14. Ieroboam restituit terminos Israel ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth in Ophir [missus contemnit] hoc est, negligit dissimulando, mandatum contemnens siue negligens [fugit] à Iudæa scilicet [fugiens dormit] in naui [propter quem periclitatur nauis] per tempestatem à Domino emissam [sed sors] hoc est, explorario diuini iudicij [latentem] supple, in naui [reperit] & hoc totum in 1. c. continetur [eiectus] supple, à pisce in terram [prædicauit subuersionem] supple, Niniue. Et hoc in 3. cap.

Sed contristatur in pœnitentia vibis] hoc est, contristatur de facto quod sequebatur ex pœnitentia vibis, quod fuit apparens lapsus veritatis [& saluti Gentium inuidet] Inuidia duo habet; vnum ex genere, quod est contristatio: alterum ex specie, quod est non velle bonum proximo, & hoc Ionas non habuit, nisi quoad quid, scilicet, quoad consequens ex pœnitentia vibis. Diximus enim quod voluntas cadit super antecedens absque consequente, & super affirmationem & negationem simul; quæ tamen simul esse non possunt: & propter hoc vera inuidia non fuit, sed verecundia quædam aliquid simile habens inuidiæ. [Gaudet etiam in hederæ virentis vimbraculo] sub qua scilicet sedit euersionem vibis expectans [& dolet subito arescente] supple, hederæ vimbraculo. Et hoc totum continetur in 4. ca. [Cuius] scilicet Ionæ [sepulchrum in quadam vibium Geth] hoc est, pertinentium ad metropolim quæ dicitur Geth [in viculo] quodam. Viculus vocatur parua villa [demonstratur] his scilicet, qui venerationis causa adeuniunt [in secundo milliario Sephorim] hoc est, à ciuitate Sephorim, quæ, vt dicit *Hieronymus*, hodie appellatur Diocesaria [itinere quo pergitur Tyberiadem] quæ est super mare Tyberiadis in Galilæa, & ab eodem vico dicunt quidam beatam Annam matrem gloriosæ Virginis fuisse natam.

Ionas sepultus in chrum.

Anna Mater Virginis ubi sita.

Ionas Propheta.

CAPVT. I.

ET factum est] Propheria ista diuiditur in titulum & tractatum. In titulo sex continentur, scilicet, diuinorum studium, & meditatio, quod notatur in copulatiua coniunctione [Et] Cum enim non copulet aliquid ante in sermone, necesse est quod copulet ad id quod præcessit in mente, Vnde *Glossa*. Multa in spirita videns, de multis in hac verba prorupit. Simile *Ezech.* 1. Et factum est. *Psal.* 1. In lege eius meditabitur die ac nocte. Secundo notatur efficacia sermonis & potestas, cum dicit [factum est] sermo enim Dei Domini est eorum quæ loquitur. *Matth.* 7. Erat docens sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Phari

Verbum Dei auctoritatem habet non hominis.

Pharisæi. *Psal.* 140. Audient verba mea, quoniam potuerunt. Tertium est illuminatio quod notatur per [verbum] *Eccl.* 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. *Augustinus in libro de Trinitate ostendo.* Verbum quod insinuare intendimus cum amore notitia est. Quarto notatur auctoritas per hoc quod dicitur [Domini] verbum enim Domini auctoritatem habet: verbum autem hominis non. 1. *ad Thess.* 2. Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominem, sed sicut est vere verbum Dei. *Luca* 10. Qui vos audit, me audit. Quintum est appropinquatio verbi ad rationem prophetæ, quod notatur in prepositione [ad] *Deut.* 30. Non longe est verbum à te. *Rom.* 10. Prope est verbum in ore & in corde tuo. *Iaco.* 1. Suscipite insitum Verbum quod potest saluare animas vestras. Sextum est, auctor cum dicit [Ionam] quem describit nomine & genere. Ionas autem columba, vel dolens interpretatur, & à columba, hoc est, à Spiritu accepit reuelationem; dolens autem annunciauit, sicut & omnis Prædicator facere debet; quod enim haurit in contemplatione, cum gemitu debet effundere in prædicatione. *Act.* 20. Vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim seruiens Domino, cum omni humilitate & mansuetudine & lacrymis. *Cant.* 2. Vox turturis audita est in terra nostra. Turtur enim gemitum habet pro cantu. In his figura Christi est, dicit *Glossa*, super Christum enim quieuit Spiritus in specie columbæ *Matth.* 3. & *Mar.* 1. & *Luca* 3. & *Iohan.* 1. Et pro nobis doluit. *Isa.* 53. Vere langores nostros ipse tulit. Et describit per genus [filium Amathi] hoc est veritatis. Quamuis enim literaliter fuerit filius Amathi; tamen etiam verum est quod æterna veritate Prophetæ formantur in filios veritatis. *Sap.* 7. Sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit [dicens] Per hoc notatur processus à Deo in cor Prophetæ: ab eo enim qui dicit verbum formatum procedit. 2 *Reg.* 23. Mihi locutus est Deus fortis Israel, dominator hominum iustus, dominator in timore Dei.

Prædicator annuntiet verbum Dei, cum gemitu.

Surge] Ista propheria diuiditur in duas partes. Prima continet primum præceptum missionis cum suis adhærentiis secunda, secundum cum pertinentibus ad ipsum *infra* 3. *ibi* [& factum est verbum Domini ad Ionam secundo dicens] Prima in duas diuiditur. Primo enim tangitur præceptum, quod est causa fugæ: secundo fuga ipsa. In præcepto tria sunt, scilicet, præparatio Prophetæ ad obediendum, opus præceptum, & causa. In prima horum tria sunt, scilicet, eleuatio ad cælum quod notatur per [surge] *Colos.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Componitur enim surge à sursum & age. Vnde sensus est, Sursum te age; qui enim in imis est nebulis phantasiarum, tenebris errorum inpeditus, claricatem incircumscripti luminis videre non poterit] & vade] profectu virtutis & veritatis. *Psal.* 88. In lumine vultus tui ambulabunt. *Pro.* 4. Semita iusti, quasi lux splendens & crescens in perfectum diem [in Niniuen] quæ speciosa interpretatur, & mundum significat, qui propter quod pulcher est græce cosmos dicitur, quod latine sonat ornatus, & latine dicitur mundus (vt dicit *Boetius*) quia à mundissimo exiuit exemplari. Vnde in consolatione philosophiæ dicit: *Mundique mente gerens pulcherrimus ipse.*

Mundus a quo dicitur si.

Psal. 49. Pulchritudo agri mecum est [ciuitatem] quæ dicitur quasi ciuium vnitas; quia vno consensu ferebantur ad mala. *Gene.* 6. Omnis caro corruperat viam suam [grandem] propter peccati scilicet deformitatem. 1. *Re.* 2. Fiat peccatum puerorum grande. *Eze.* 22. Sordida, nobilis grandis interitu] & prædica in ea] opus præceptí est. Et dicit *Chrysostomus super Matth.* 4. quod prædicatio est de his quæ sunt fidei, & supra rationem; doctrina autem de his quæ sunt bonorum morum, sub ratione. 2. *ad Timoth.* 4. Prædica verbum, insta opportune importune. Et subdit præcepti causam & necessitatem [quia ascendit] per superbiam & incrementum. *Psal.* 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. 1. *ad Thessa.* 2. vt impleant peccata sua semper [malitia eius] Non dicit peccatum quia peccatum est deformis actus, qui aliquen ex infirmitate vel ignorantia procedit; malitia vero hic dicitur peccatum quod procedit ex mala radice, scilicet, ex delectatione in malo. *Psal.* 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. *Sap.* 5. In malignitate nostra consumpti sumus [coram me] clamat scilicet vt vindicem in eos. *Gene.* 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. *Gen.* 18. Clamor Sodomorum & Gommorrhæorum venit ad me.

Et surrexit Ionas] Tangitur hic fuga, & reductio fugientis *infra* 2. *ibi* [Et præparauit Dominus piscem] In prima duo sunt, scilicet, lamatio fugientis, & deprehensio *ibi* [Et tunc dixit vir ad collegam suum] In primo tangitur fuga, & fugientis persecutio *ibi* [Dominus autem misit ventum] In prima duo sunt, scilicet, præparatio ad fugam, & fuga.

Et surrexit Ionas] de loco scilicet quietis & contemplationis, in quo melius seruatum fuit. *Luce* 2. 4. Sedete in ciuitate, quousque induamini virtute ex alto. *Philosophus in septimo physicorum.* In sedendo & quiescendo fit anima sciens & prudens [vt fugeret in Tharsis] *Glossa*: Tharsis vna est ciuitas Ciliciæ, vt dicit *Iosephus*; alia est ciuitas Indiæ, vt dicitur 2. *Paral.* 9. Neutro modo sumitur hic, sed Hebraeis consuetudo est quilibet mare Tharsum vocare. Vnde *Psal.* 47. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis, hoc est, maris [à facie Domini] hoc est, à præsentia apparentis Domini, quem putabat non apparere, præsentialiter nisi in Iudæa; quia in *Psal.* 75. dicitur: Notus in Iudæa Deus. Et ideo subduceus se Iudæa, putabat se subducere præsentiæ Domini apparentis. Moraliter, Tharsis exploratio gaudij interpretatur, fuga vero recessum à Domino significat; qui enim à Domino recedit, terrena explorat gaudia. *Ie.* 17. Recedentes à te, in terra scribentur. Et subdit de fuga.

Tharsis hic mare significat.

Et descendit Ioppem] Ioppe portus Iudææ est, in quo vsque hodie monstrantur saxa, in quibus Andromeda ligata, Persei est auxilio liberata. Interpretatur autem pulchritudo, ad pulchritudinem enim mundi fugit, qui Deum deseruit. *Prouer.* 31. Fallax gratia & vana est pulchritudo [& innenit nauem euntem in Tharsis] hoc est, in mare; non enim curauit quo iret dummodo Iudææ, & præsentiæ Dei se subduceret. Nauis hic curiositatem significat, in qua naugant pulchritudinem seculi cupientes experiri. *Act.* 27. Cum incidissemus in locum diuisum impegerunt nauem, & prora

Persius Andromedam liberauit.

quidem fixa manebat immobilis; puppis vero solubatur à vi maris. Prima enim pars curiositatis lucrorum humanorum aliquandiu maner, vltima vero pars in dithalasso, mortis amaritudine absorbetur [& dedit naulum eius] pretium scilicet subuectionis [& descendit in eam] de litore scilicet in nauem [vt iret cum eis in Tharsis] hoc est, in latitudine maris [à facie Domini] supple, se subducens. Et significat eos qui magna pretia dant eis, qui aduehunt eos ad lucra mundi & vanitates. *Ezech.* 16. In hoc quod dedisti mercedes, & non accepisti, factum est in te contra consuetudinem mulierum. Istud significatum est 2. *Mach.* 4. vbi impius Iason pro principatu obtulit 360. talenta & alia 150. si potestatem acciperet gymnasium & ephebiam in Ierusalem constituendi. Et subdit de persecutione fugientis, & dicit quatuor: ortum, scilicet tempestatis, clamorem turbæ nauigantis, soporem Ionæ dormientis, & excitationem gubernatorum.

Dominus autem misit ventum magnum in mari] *Psal.* 134. Qui producit ventos de thesauris suis [Et facta est tempestas magna in mari] Tribulatio scilicet exorta ex tentatione & persecutione. Nahum, Dominus in tempestate & turbine viæ eius. *Psalmo* 68. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me [& nauis] ex concussione scilicet procellarum, & ventorum [periclitabatur conteri] hoc est, vt contereretur. *Eccl.* 43. Qui nauigant mare, enarrant pericula eius. Ventus iste persecutionem significat, vel tentationem. *Matth.* 8. Motus magnus factus est in mari.

Et timuerunt nautæ] qui scilicet magis nouerunt maris pericula; propter quod necesse fuit omnes alios magis timere. *Act.* 27. Nauis vero quærentibus fugere de naui, cum mississent scapham in mare sub obtentu quasi incipierent à prora anchoras extendere, dixit Paulus Centurioni, & militibus: Nisi in naui mansserint isti, vos salui fieri non potestis, isti enim significant gubernatores Ecclesiæ. *Psal.* 16. Ascendunt ad cælos & descendunt vsque in abyssum, anima eorum in malis tabescebat [& clamauerunt viri ad Deum suum] ita scilicet: quod quilibet Deum suum inuocabat. *Matth.* 14. Videns ventum validum venientem, timuit, & cum cœpisset mergi, clamabat, dicens; Domine saluum me fac. *Matth.* 8. Domine salua nos, perimus [& miserunt vasa sua] hoc est, merces in quibus sicut in vasis continebantur lucra eorum [quæ] scilicet vasa [erant in naui, in mare] supple, mittentes ea [vt alleuiaretur ab eis] supple, nauis, vt scilicet populus plus de rate habens ex leuitate oneris, non facile submergeretur. Et significat eos qui omnibus relictis nudi euadunt. *Act.* 27. Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt, & tertio die suis manibus armamenta nauis proiecerunt. Sicut videmus aliquos in principio tribulationis iactum facere per aliquam eleemosynam: & cum increuerit tribulatio, tunc proiciunt omnia, & nudi euadunt. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

Tristitia somnum parit.

Et Ionas descendit ad interiora nauis] vt scilicet periculum suum non videret [& dormiebat sopore graui] hoc est, profundo somno ex graui tristitia causato. Tristitia enim est motus secundum sistolem cordis, & in tali motu calor & spiritus & sanguis ab exterioribus organis sensuum retrahuntur ad interiora, quibus retractis, organis sensuum subrepit frigiditas, quæ somni causa est. *Luce* 22. Cum surrexisset ab oratione & venisset ad Discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Significat autem Ionas ignauos in pœnitentia vel religione, qui semper dormiunt somno dissimulationis boni. *Pro.* 6. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum consetes manus tuas, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Quædam *Glossa* dicit, quod cæteris timentibus, eo quod misericordiam Dei ignorauerunt, Propheta solus sciens Deum esse misericordem, dormiuit securus. Sed hoc non est probabile; quia talis somnus non fuisset grauis, sed leuis.

Et accessit ad eum gubernator] cui scilicet nauis cura incumbebat [& dixit ei; Quid tu sopore deprimeris] *Prou.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Hoc enim significat Prælatos excitantes subditos ad bona opera. *Hebr.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. *Iohan.* 11. Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum [surge] hoc est, ad Deum euigila. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Eccl.* 19. Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Deum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Et hoc est quod sequitur [Inuoca Deum tuum] hoc est, in te voca, quoniam in quo Deus est periclitari non potest. *Num.* 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israel; ego autem benedicam eis [Si forte recogitet Deus de nobis] si forte dicit, quia in arbitrio Dei est. Simile *Ioel.* 2. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus. Recogitare autem Deus dicitur, quando post dissimulationem iuuat; quando autem dissimulat, à corde abiecisse videtur. *Psal.* 43. Exurge, quare obdormis Domine? *Deu.* 9. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac [& non peremus] *Ioel.* 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, salus erit.

Et dixit vir ad collegam suum] Tangitur hic modus quo deprehensus est Ionas per sortem. Et dicuntur duo, scilicet, missio sortium, & timor sortientium *ibi* [Et dixerunt ad eum; Indica nobis.]

Dixit vir] Vnusquisque scilicet [ad collegam suum] Collegas vocat qui communicabant in eadem nauigatione. Et dicitur hic collega à con & lego, quod est eligo, quia tales eodem lucro vel artificio communicantes, se mutuo eligunt in socios. Hi ergo vt dicit *Hieronymus*, videntes quod ex causis naturalibus geni non eluibantur, quærebant explorare per indicium diuinum, & hoc hic sortem vocant. Et hoc est quod dicit [Venite & mittamus sortes] *Prouerb.* 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Simile *Act.* 1. Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. *Eccl.* 14. In diuisione sortis da & accipe & iustifica animam tuam. Cuiusmodi autem sortes fuerint, non legitur. Similiter quo iudicio manifestatum sit, non legitur. Vnde non creditur quod fuerit aliud nisi per orationem exploratio iudicij diuini. Et in hunc sensum concordat *Beatus Damascenus* [& scimus sorte hoc est, iudicio sortis [quare hoc nos]

lum]tempestatis scilicet[sit nobis] ex quo non est ex causis naturalibus. Et videntur velle quod concorditer in hoc consentiant quod pro reo habeatur, quemcumque sors deprehenderit, sicut 1. Reg. 14. Mittite sortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas, scilicet, sorte & habitus pro reo; nisi precibus populi liberatus fuisset. Similiter *Esther* 3. & 9. Missa est sors in vrnam. Et *ibidem*. Duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei; & aliam cunctarum gentium, venitque vtraque sors in statutum.

Et miserunt sortes] ex quo facto intelligitur quod orantes miserunt eas, & idcirco creditur quòd fuerit exploratio voluntatis diuinæ, sicut & orantibus Apostolis *Act.* 1. Dixit Petrus, tu Domine qui nosti corda hominum, ostende quem elegeris ex his duobus [& cecidit sors super Ionam] cadere dicitur sors, quia causam ordinatam non habet; sed casu accidit, propter quod etiam sortiariæ scientiæ in Ecclesia prohibitæ sunt. *Num.* 23. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israël. Et hæc incertitudo eventus sortis potuit etiam esse causa, quare post sortis missionem timuerunt. Et hoc est quod sequitur.

Sortiariæ scientiæ, illicitæ censentur in Ecclesia.

Et dixerunt ad eum] ad Ionam scilicet [indica nobis] quia sors non sufficit, nisi tu confitearis [cuius] operis tui scilicet [causa malum istud nobis sit] Simile *Iosue* 7. Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, atque indica mihi quid feceris. Et descendunt ad specialia [Quod est opus tuum? hoc est officium. De illis enim qui de turpibus officiis sunt, facilius mala creduntur; de Prophetis autem & Doctoribus non præsumitur quod aliquid mali tractent. *Luc.* 6. Vnaquæque arbor ex fructibus suis cognoscitur [quæ terra tua? hoc est, patria. Ex consuetudinibus enim patriæ, malum vel bonum præsumitur de homine. De quibusdam enim dicitur *Sap.* 12. Semen erat maledictum ab initio, & naturalis malitia eorum immutari non poterat [vel ex quo populo es tu?] *Glossa*, hoc est, de cuius ciuitatis populo. Et hoc quærebant vt cultum explorarent. Sciebant enim, quod Iudæi populus Dei dicebatur. *Deut.* 7. Te elegit Dominus, vt sis ei in populum peculiarem.

Et dixit ad eos] Tangitur hic responsum veritatis, timor iudicij, inquisitio consilij, determinatio ipsius deprehensi quid agendum sit [Hebræus ego sum] & sic satisfacit de terra & populo. *Eccli.* 4. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Et satisfacit de opere subdens [& Dominum Deum cæli ego timeo] hoc est, timore ego fugio. Et est, ac si dicat, Non deos quos vos colitis, qui ab hominibus facti sunt. *Esther* 13. Tu fecisti omnia, cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur [qui fecit mare] *Glossa*, in quo fugio [& aridam] *Glossa* à qua fugio. Et est confessus permixta prædicatione; quia & reprehendit illos de de cultura falsorum deorum, & seipsum quod ad mare fugiens putabat euadere eum qui mare creauit. 2. *Mach.* 6. Manum omnipotentis Dei neque viuus neque mortuus potero effugere.

Et timuerunt viri timore magno] audientes scilicet, quod Deum coleret. *Psal.* 54. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ [Et dixerant ad eum] non statim condemnantes. 1. *Cor* 4. Nolite ante tempus iudicare [Quid hoc fecisti?] reprehensio est. *Gal* 6. Quod si præoccuparus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis [Cognouerunt enim viri, quod à facie Domini fugeret] Antipophora est. Posset enim quæri, quare reprehenderent eum quem ignorarent. Et respondet, quod hoc sciuerunt, quod Deum fugeret. *Iere.* 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius [quia indicauerat eis] Ionas scilicet. Voluit enim magis, quod peccatum suum in eum solum redundaret, quam quod alij innocentes in peccato suo perirent. 2. *Reg.* 24. Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, ira tua contra me. *Psal.* 31. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.

Vnius delicto non numquam plures periclitantur.

Et dixerunt] In dubiis recurrunt ad consilium eius, qui sibi conscius est, vt potius ex eo, quam ab ipsis sententia procedat. *Luca* 19. Ex ore tuo te iudico [Quid faciemus tibi?] quo scilicet Deus placatus iram auertat [& cessabit mare à nobis] ac si dicant. Periculum omnibus imminet in tui solius delicto. Exemplum autem huius est *Iosue* 7. vbi propter solum Acham omnibus imminebat periculum, & illo punito omnes salui facti sunt. 1. *ad Corinth.* 5. Auferte malum ex vobisipsis. Quàm necessaria autem fuerit huiusmodi inquisitio consilij, subdit [quia mare ibat] motu scilicet fluctuum [& intumescebat] per vaporem de fundo surgentem eleuatum. *Psalm.* 92. Mirabiles elationes maris [super eos] ita scilicet, quod fluctus iam operiebant eos. *Thren.* 3. Inundauerunt aquæ super caput meum, dixi, Perij.

Et dixit ad eos] confidens de Dei ordinatione, quod saluus conseruaretur ad prædicandum [Tollite me] de naui, supple [& mittite in mare] Præsumpsit enim de misericordia & ordinatione Dei, quod seruandus esset ad vitam, & quædam *Glossa* dicit hoc sibi fuisse reuelatum, & ideo non se commisit periculo. *Isa.* 43. Cum transieris per aquam, flumina non obruent te [& cessabit mare à vobis] Remota enim causa, remouetur effectus. Et attende quod consilium Dei fuit, quod sua voluntate & non violentia vel necessitate proiicientium mitteretur in mare. Missio enim Ionæ in mare, missionem significabat Christi in amaritudinem Passionis, quam voluntate & non necessitate assumpsit. *Isa.* 53. Oblatus est, quia voluit. Et sicut nauigantes cum Iona liberati sunt, ita fideles in Passione Christi. *Ioan.* 18. Si me quæritis, sinite hos abire, vt sermo impleretur quem dixit Iesus: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Et hoc est quod sequitur [Scio enim ego, quoniam propter me] comprehendendum scilicet, & reducendum ad obedientiam [hæc tempestas grandis venit super vos] *Nahum* 1. Dominus in tempestate, & turbine viæ eius. Per hoc enim quod dicit, Scio, notatur, quod reuelationem habuit. Et hoc dicit *Hieronymus*. Per hoc autem quod dicit, Grandis venit super vos, notatur necessitas eorum qui eum in mare miserunt. *Ioan.* 11. Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

Christus sua sponte passus est.

Et remigabant viri] Videtur, quod propter impetum ventorum vela submiserint, & timentes dubium euentum sortis, formidabant committere, quod Ionas constituit, & ideo impulsione remorum, laborabant Ionam ad terram ponere; vt & ipsi saluarentur à tempestate, & Ionas à periculo maris [vt reuerterentur ad aridam] in portum scilicet

scilicet [& non valebant] & ex hoc videtur, quod ventus à terra nauem impulit in mare, propter quod ad terram remigare non poterant. *Roman.* 9. Voluntati eius quis resistet? Et subiungit causam [quia mare ibat] refluxu scilicet [& intumescebat] super eos à fundo scilicet ebulliens, quæ ebullitio æstus maris interpretatur, & significat tribulationem mundi, quæ in Christum & in membra eius irruit. *Isaia* 57. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem.

Et clamauerunt ad Dominum] 2. *Para.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te [& dixerunt; Quæsumus Domine] supplicantium signum est, & valde timentium, ne peccent in sanguinem innocentem [ne pereamus in anima] hoc est, pro anima siue vita perdita [viri istius] videntur cognouisse, quod dicitur *Gen.* 9. Sanguinem vestrum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius. Et paulo post: Quicunque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis eius: ad imaginem quippe Dei factus est homo [& ne des super nos] in pœnam scilicet [sanguinem innocentem] *Psal.* 9. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est [quia tu Domine] qui corda scilicet nosti omnium [sicut voluisti, fecisti] scilicet & sorte prodendo quem voluisti, & nos impediendo ne ad terram nauigaremus. 1. *Reg.* 3. Dominus est, quod vult faciat *Esther.* 13. Non est qui possit resistere voluntati tuæ.

Et tulerunt Ionam de naui & miserunt in mare] *Psal.* 76. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis [& steterunt mare à feruore suo] *Iob* 38. Huc vsque venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. *Matth.* 8. Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

Et timuerunt viri] quia viri fuerunt & cordati in intellectu veritatis, & virtute operis. *Iob* 34. Viri cordati, audite me. Timuerunt autem, propter dubietatem sortis, timore, propter reuerentiam religionis, quia dixit se Deum cæli colere, magno, propter innocentiam sanguinis, Dominum, quia requirit sanguinem innocentem. *Dan.* 13. dicente Domino: Iustum & innocentem ne interficias [& immolauerunt hostias Domino] hoc est, promittebant se immolaturos; quia ibi in naui non habebant. Vel melius dicitur, quod hostiæ dicuntur spiritus contribulatus & sacrificium laudis. *Psalmo* 26. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis. Item *Psal.* 49. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et hoc est quod sequitur [& vouerunt vota] votum est conceptio melioris boni, de liberatione & promissione firmata. *Isa.* 19. Vota vouebunt Domino, & soluent. *Psal.* 21. Reddam vota mea quæ distinxerunt labia mea.

CAPVT II.

Et præparauit Dominus.

TAngitur hic de salute Ionæ ad prædicandum, & diuiditur in duplicem causam salutis, & effectum. Prima causa est instrumentalis. Secunda meritoria *ibi* [Et orauit Ionas ad Dominum] Effectus autem est *ibi* [Et dixit Dominus pisci.]

Et præparauit Dominus] vel tunc scilicet creando, vel creatum de pelago ad nauem adducendo [piscem grandem] cetum scilicet. Vnde *Iob* 3. vbi nos habemus, qui parati sunt suscitare Leuiathan, *Septuaginta* habent, qui parati sunt suscitare magnum cetum [vt deglutiret Ionam] Simile *Tob.* 6. Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me.

Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus] Hoc esse potuit per Dei miraculum; per naturam enim, quicquid descendit in ventrem animalis, statim calore digestiuo decoquitur, dissoluitur, exuritur, & subtile à grosso in diuersa loca separatur: quæ quatuor opera caloris naturalis (vt dicit *Auicenna*) in sedecim horis complentur, & in octo residuis nutrimentum deputatum per venas membris infunditur. Mysterio autem congruit istud; quia piscis grandis, infernum significat, quem Deus præparauit, vt multos propter peccatum absorbeat. *Isa.* 30. Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, dilatata, vt tandem etiam Christum significetur per Ionam deglutiret, quem cum reuomuerit, omnes Sanctos reuomere cogeretur. *Iosue* 11. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum voluptatibus meis. *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit, euomet, de ventre ipsius extrahet eas Deus. Hic tribus noctibus in corde terræ fuit. *Matth.* 12. & *Luc.* 11. qui qualiter per synecdochen computentur, super *Oseam* dictum est & super Euangelium. Hic autem *Hieronymus* satis rationabilem inducit computum, dicens, quod prima nox fuit subductio lucis in Meridie, quando sol obscuratus fuit. Prima autem dies succedens lux post Nonam vsque ad noctem. Secunda nox fuit inter parasceuen & Sabbatum, & secunda dies sabbatum. Tertia nox fuit inter sabbatum & Dominicam. Tertia dies aurora Dominicæ quæ terminata est in plenam lucem, cui nox nulla succedit. *Osee* 6. Viuificabit nos post dies duos, & in die tertia suscitabit nos. *Luc.* 24. Tertia dies est, quod hæc facta sunt. Et subdit de causa meritoria salutis, quæ est oratio Ionæ, & habet duo, scilicet, modum orandi, & orationem. In modo dicit quid orauit, quis, ad quem, vnde, & qualiter.

Caloris naturalis quadruplex est operatio.

Et orauit] hoc est, totum affectum mentis in Deum direxit. 1. *Corinth.* 14. Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente [Ionas] columba scilicet, quæ fraudienda erat; quia gemitum pro cantu habet. *Cant.* 2. Vox turturis audita est [ad Dominum Deum suum] qui solus iuuare poterat. *Esther* 13. Si decreueris liberare nos, continuo liberabimur de ventre piscis, vbi necessarium fuit adiutorium. Tunc enim delectabile est adiutorium, quando necessarium est. *Eccli.* 34. 21.

Solus Deus iuuare potest.

Oculi

Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, teginen ardoris, firmamentum virtutis [& dixit]hoc est, taliter orauit [Clamaui de tribulatione]In ista oratione primo ostendit spem, secundo fidem, tertio veritatis confessionem, quarto fortitudinem spei contra desperationem, quinto desperationis rationem, sexto spem omnia vincentem, septimo causam spei ex conscientia boni operis [Clamaui ad Dominum] clamor notat intentionem deuotionis[de tribulatione mea] *Psal.* 117. Ad Dominum cum tribularer clamaui. *Baruch* 3. Spiritus anxius, & cor in angustijs clamat ad te Domine [& exaudiuit me] ecce spes. *Ioan.* 11. Pater gratias ago tibi, quia exaudisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis. Et subdit de fide [de ventre inferi] qui, supple, me gluriuit [clamaui] *Psal.* 129. De profundis clamaui ad te Domine. *Psal.* 29. Eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus ad lacum [& exaudisti vocem meam] Ecce fides. *Isa.* 65. Antequam clament, ego exaudiam. Et subdit de confessione veritatis.

Proiecisti me] supple, sicut vilem & mandata contemnentem. *Isa.* 2. Proiecisti populum tuum domum Iacob [in profundum in corde maris] vbi scilicet mare est in virtute submersionis & amaritudinis, *Psal.* 45. Transferentur montes in cor maris, hoc est, qui montes videntur;illi enim ad amaritudinem deducuntur, vt gemant. *Mat.* 17. Dicetis monti huic. Tollere & mittere in mare [& flumen circundedit me] hoc est, aqua vndique affluens, quod mortalitatem huius vitæ significat. *Mat.* 7. Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam [omnes gurgites tui] gurgites sunt ortus tentationum & tribulationum [& fluctus tui] hoc est, persequutionum inundationes [super me] supple, opprimendum [transierunt] *Habac.* 3. Fluuios scindes terræ, viderunt te & doluerunt montes, gurges aquarum transiit. Et subdit de spei magnitudine: primo ponens causam desperationis, vt maior spes videatur.

Et ego dixi] supple, considerans inferiores causas [Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum] *Iob* 7. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam. Intelligit enim de abiectione ab oculis quantum ad lumen gratiæ præsentis. *Isa.* 38. Non aspiciam hominem vltra & habitatorem quietis [Veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum] *Roma.* 4. Qui contra spem in spem credidit. *Glossa*, contra spem naturæ in spem gratiæ. Templum autem maxime illud est, in quo plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter. *Colos.* 2. *Psal.* 137. Adorabo ad templum sanctum tuum. Hoc vidit omnis sanctus per gratiam redemptionis. *Ioan.* 8. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Et subdit sex causas confortantes rationem desperationis. Prima est,

Circundederunt me aquæ multæ] quæ tribulationem significant [vsque ad animam] supple, peruenientes. *Psal.* 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Secunda est [abyssus vallauit me] Abyssus dicitur ab a, quod est sine, & byssus, quod est candor luminis, & significat tenebrositatem inferni & mortuorum, *Gene.* 1. Tenebræ erant super faciem abyssi. *Thren.* 3. Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Ad hæc enim loca descendit Christus in Iona significatus. *Iob* 38. Nunquid ingressus es in profundum maris, & in nouissimis abyssi deambulasti? Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, an ostia tenebrosa vidisti? Quasi dicat. Non tu, sed ego. Tertia est [pelagus operuit caput meum] Pelagus dicitur profundum maris, & significat generalem & profundam tribulationem. *Thren.* 3. Inundauerunt aquæ super caput meum. Dixi: Periit finis meus, & spes mea à Domino. Quarta est [Ad extremum montium descendi] Extremum montium vocat literaliter concauitates in radicibus montium, in quibus aqua recipitur ad principia fluminum & fontium. *Eccli.* 14. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes. Quinta est [terræ vectes concluserunt me] vectes terræ vocat inferiora retinacula terræ, ne ab infimo loco decidat. *Iob* 38. Posui vectes & ostia, & dixi: Hucusque venies, & non procedes ampliùs. Hi vectes clausuras inferni significant, ad quas Christus descendit & fregit. *Psal.* 106. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis suæ. Sexta est [in æternum] non enim erat remedium subuentionis ex parte hominis. *Mich.* 1. Desperata est plaga eius. *Iere.* 15. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis? Et subdit de victoria spei omnia deuincentis. *Vectes terræ qui sint.*

Et subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus] *Psal.* 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, notas mihi fecisti vias vitæ. *Isa.* 38. Tu autem eruisti animam meam vt non periret. Et subiungit tantam spei causam esse memoriam diuinæ liberalitatis [cum angustiaretur in me anima mea] & viderem me scilicet vndique destitui [Domini recordatus sum] *Isa.* 26. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. *Psal.* 76. Memor fui Dei, & delectatus sum [vt] scilicet ex beneficentia liberalitatis tuæ [veniat ad te] per exauditionem [orario mea] *Psalm.* 101. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat [ad templum sanctum tuum] oblata scilicet oratio, quod templum humanitas est suscepta à filio. *Psal.* 17. Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. *Daniel.* 3. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Et quia spes non innititur tantum liberalitati, sed etiam conscientiæ meritorum; ideo subdit.

Qui custodiunt vanitates] *Glossa* innuit distinctionem, quod omnes quidẽ sunt vani. *Ecclesiaste* 1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Sed quidam faciunt vanitates, & quidam custodiunt; faciunt, qui opera vana sectantur, in quibus nullum est lucrum, sicut peccatorum opera. *Psal.* 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Custodiunt autem vanitatem qui thesaurizant eam. *Psal.* 39. Non respexit in vanitates & insanias falsas. *Roma.* 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ [frustra] hoc est, sine fructu. *Roma.* 6. Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? [misericordiam suam] sibi paratam, à Deo scilicet [derelinquunt] gratia enim Dei nullum derelinquit. *Hebræ.* 6. Videte ne quis desit gratiæ Dei.

Ego autem] Quasi dicat, illi sic, sed ego non sic, quinimo [in voce laudis immolabo tibi] Vox enim laudis sacrificium est, quod placet Deo. *Psal.* 49. Immola Deo sacrificium laudis. Item *ibidem.* Sacrificium laudis honorificabit me [quæcunque voui] spontanea scilicet promissione [reddam]

dam] solutione scilicet per effectum [pro salute] pro qua scilicet consequenda voui [Domino] *Psalm.* 65. Reddam vota mea quæ distinxerunt labia mea. *Augustinus.* Vouere voluntatis est, reddere necessitatis. [Et dixit Dominus pisci] per instinctum scilicet, & est effectus orationis [& euomuit Ionam in aridam] accessit enim ita prope ad litus, quod saluus de mari exire poterat, sicut infernus & mors euomuerunt Christum. *Osea* 13. O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne. *Solutio. Vota sunt*

CAPVT III.

Et factum est.

TAngitur hic secundum præceptum cum sibi adiunctis, & ideo habet partes duas, in quarum prima agitur de pœnitentiæ prædicatione: in secunda de Ionæ contristatione *infra* 4. *ibi* [Et afflictus est Ionas] Prima in duas. Primo enim ponitur prædicatio, secundo prædicationis fructus *ibi* [Et crediderunt] In prima duo sunt, præceptum scilicet, & exequutio.

Et factum est verbum Domini] quod verbum veritatis & authoritatis est. *Psal.* 32. Verbo Domini cæli firmati sunt [ad Ionam secundo] scilicet mandato [dicens] Simile 1. *Regum* 3. Adiecit Dominus secundo vocare Samuelem [Surge] per mentis intentionem & obedientiam surgam se age [& vade] profectu virtutis [in Ninuen ciuitatem] quæ (sicut diximus) mundum significat. *Cant.* 3. Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas. *Matth.* 4. Circuibat Iesus per ciuitates & castella docens & prædicans Euangelium regni. Et hoc est quod sequitur [& prædica in ea] vt scilicet prædicatio in eam tendat, & non tantum auditum exteriorem pulset. *Isa.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem [prædicationem quam ego loquar ad te] *Ioan.* 12. Ego à meipso non loquor. *Iere.* 1. Quæ mandauero tibi, loqueris ad eos. Et subdit de mandati exequutione tria dicens, scilicet, obedientiam, obediendi velocitatem, & obedientis deuotionem.

Et surrexit Ionas] *Philip.* 3. Nostra conuersatio in cælis est [& abiit] à seipso, scilicet, voluntatem propriam relinquens [in Ninuen iuxta verbum Domini] *Cant.* 1. Egredere & abi post vestigia gregum Et subdit de velocitate obediendi [Et Ninue erat ciuitas magna] hoc est, ampla [itinere trium dierum] *Glossa* dicit, ad circuiendum: & hoc potuit esse, si tota ædificatio erat, ita quod quiliber in suo prædio habitaret [& cœpit Ionas] velocitatem scilicet à præterita pœna concipiens [introire in ciuitatem] ad prædicandum, supple [itinere diei vnius] *Hieronymus*, Ionas memor præcepti & naufragij; iter trium dierum festinatione vnius diei complenit. *Tobiæ* 12. Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Quidam tamen dicunt, quod in tertiam partem ciuitatis intrauit, & ad alias prædicatio sua per famam peruenit.

Moraliter, tres dicitur ciuitatis mundi sunt, auaritia diuitiarum, concupiscentia deliciarum, & ambitio honorum. 1. *Ioan.* 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Dicta vita quam facit Ionas, confessio est simplicis veritatis, & instructio. 1. *Corinth.* 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. *Luc.* 2. Venerunt iter diei vnius requirentes Iesum inter cognatos & notos. Et subdit de deuotione.

Et clamauit] clamor intentionem notat deuotionis. *Isaie* 58. Clama, ne cesses [& dixit, Adhuc quadraginta dies] qui numerus pœnitentiæ est; quia partibus suis quinquaginta constituit, qui numerus est remissionis. *Iob* 24. Dedit illi Deus tempus in pœnitentiam [& Ninue subuertetur] Glossa. Non est prophetia descendens de præscientia, hoc est, de prædestinatione, vbi omnia sicut sunt præordinata, ita permanent; sed est comminatio ad correctionem. *Iere.* 18. Repente loquar aduersus regnum & gentem, vt eradicem & destruam & dispergam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa de malo suo propter quod loquutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui facere ei. Alibi tamen distinctum est, inter prophetiam prædestinationis & præscientiæ. Et subdit de prædicationis fructu.

Et crediderunt viri Niniuitæ] Et habet partes duas. Primo enim ponit pœnitentiam populi; secundo regis & principum [Et crediderunt viri Niniuitæ Deo] verbis scilicet Domini per Ionam propositis. *Roma.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem [& prædicauerunt ieiunium] hoc est, voce præconis indixerunt. *Ioëlis* 1. Sanctificare ieiunium, ieiunium indicite, prædicauerunt vt fomenta libidinis subtraherent. *Psal.* 34. Humiliabam in ieiunio animam meam [& vestitu sunt sacco] vt scilicet delicias mutarent in asperitatem. *Iob* 16. Saccum consui super cutem meam. Illic habitus fuit Prophetarum & pœnitentium. Vnde *Isaie* 20. dicitur: Solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta de pedibus tuis. Et fecit sic, & ambulabat nudus & discalceatus. *Apoc.* 11. Dabo duobus testibus meis: & prophetabunt diebus mille ducentis; & sexaginta amicti sacco. Et subdit de pœnitentia populi [a maiore vsque ad minorem] vt sicut omnes peccauerunt, sic generaliter pœnitentiam. *Roma.* 3. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. *Sapiens.* Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Et subdit de pœnitentia regis & principum. *Habitus Prophetarum & pœnitentium.*

Et peruenit verbum ad regem Niniue] *Act.* 9. Vas electionis erit mihi iste, vt portet nomen meum coram regibus & gentibus. Iustum enim est, vt hi qui sunt causa peccati aliis, vel exemplo malo, vel dissimulatione, primi sint in exemplo pœnitentiæ. *Sap.* 6. audite ergo reges & intelligite, discite iudices finium terræ. *Psalm.* 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram [& surrexit] corde scilicet, & corpore. *Cantic.* 5. Surrexi vt aperiam dilecto meo [rex] vt regula esset pœnitendi. *Philip.* 3. Ambulate sicut habetis formam nostram [de solio suo] Glossa. Humiliauit se deponens altitudinem. *Isa.* 47. Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium vltra filiæ Chaldæorum [& abiecit vestimentum suum] deposuit scilicet, & glorie: quod significat pristinæ conuersationis depositionem. *Ephe.* 4. Deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris [& induitus est sacco] humilitatis scilicet. *Isa.* 61. Induit me vestimento salutis

lauris [& sedit in cinere] suam scilicet recognoscens mortalitem. *Iob* 10. Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. De omnibus his simul *Esther* 14. Cumque deposuisset Esther vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis variis cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis, omniáque loca in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit. Et vt aliis esset causa pœnitendi, sequitur.

Et clamauit & dixit] hoc est, clamari & dici fecit [in Niniue] in tota scilicet ciuitate [exore regis & principum eius] vt firmius esset verbum. *Ioel.* 1. Vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ. *Psalm.* 101. In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino] dicens] scilicet voce præconis [Homines, & iumenta] equi scilicet, muli, & asini; quæ ad adiumentum laboris facta sunt [& boues] qui ad terræ culturam [& pecora] minuta scilicet iumenta, quæ ad esum & vestimentum habentur[non gustent quicquam] vt scilicet macerata & fœda facta per maciem, concupiscentiam carnis in se non prouocent [nec pascantur] ne in pascendis animalibus occupati à luctu pœnitentiæ retrahantur [& aquam non bibant] ne scilicet etiam cibus iam sumptus melius influere possit, & sic magis fœda appareant. *Glossa* tamen vult, quod per homines intelligantur rationales rationabiliter viuentes: per iumenta autem brutales sensibilibus inseruientes, & inducit illud *Psalm.* 35. Homines & iumenta saluabis Domine. Et illud. 72. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Per boues intelligit seculi prudentes & maturos, per pecora simplices. *Psal.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Omnibus his interdicitur gustus libidinis, & ne pascantur in peccati delectatione. *Iob* 6. Numquid gustari potest quod gustatum affert mortem? Prohibetur etiam ne aquam bibant, insipidam scilicet huius mundi delectationem. *Iob* 34. Qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum veris impijs.

Et operientur saccis homines & iumenta] in signum scilicet humilitatis & asperitatis. *Baruch* 4. Exui me stola pacis, induit autem me sacco obsecrationis & clamabo ad Altissimũ in diebus meis. Et hoc est quod sequitur [& clament ad Dominum in fortitudine] vt scilicet clamor orationis operetur virtutis confortetur. *Psal.* 68. Laborauí clamans, rauca facta sunt fauces meæ. Vt labor sit fortitudinis & virtutis, clamor orationis, & raucedo afflictionis [& conuertatur vir] viriliter scilicet agens [à via sua mala] hoc est, à cogitationibus; quia cogitationes viæ sunt ad opera [& ab iniquitate] operis scilicet [quæ est in manibus eorum] hoc est, in operibus, quæ maxime fiunt per manus. *Isa.* 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Et subiungit de spe veniæ.

Quis scit si conuertatur] ad conuersos scilicet. Dicunt autem, Quis scit; quia quamuis sit liberum Deo facere vel non facere; tamen certum est de benignitate Dei, quod si fecerimus quod in nobis est, ipse faciet quod in se est. Simile *Ioelis* 2. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? [& ignoscat Deus, & reuertatur] supple, Deus [à furore iræ suæ] hoc est, à pœna comminata. *Exod.* 32. Quiescat ira tua. *Psalm.* 6. & 37. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me [& non peribimus] scilicet, propter peccata nostra. *Ioan.* 3. Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et subiungit de acceptatione ipsius pœnitentiæ [& vidit Deus] oculo scilicet approbationis [opera eorum] pœnitentiæ scilicet, & satisfactionis [quia conuersi sunt de via sua mala] *Gene.* 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Isaiæ* 38. Audiui orationem tuam, vidi lacrymas tuas [Et misertus est Deus] *Psal.* 29. Audiuit Dominus & misertus est mei [super malitia] afflictionis scilicet] quam loquutus fuerat vt faceret] eis, supple, si permanerent in peccato. *Osee vlt.* Diligam eos spontanee, quoniam auersus est furor meus ab eis [& non fecit] hoc est, mala non induxit quæ comminatus fuit. *Mich.* 7. Non immittet vltra furorem, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur & miserebitur nostri.

Bacchanti quod in se est, placatur Deus

CAPVT IV.

Et afflictus est Ionas.

TAngitur hic de contristatione sequente, & habet duas partes, contristationem scilicet, & instructionem contristati *ibi* [Et præparauit Dominus Deus hederam] In prima tria sunt, oratio scilicet contristati, quædam modica reprehensio Domini, & expectatio quid accideret ciuitati.

Et afflictus est Ionas] discursu scilicet, & clamore [afflictione magna] de eo scilicet, quod vidit non impleri statim quæ dixit. 2. *ad Corinth.* 1. Supra modum grauati sumus, & supra virtutem, ita vt etiam tæderet nos viuere [& iratus est] hoc est, conturbatus [& orauit ad Dominum, & dixit] *Psalm.* 37. Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea [Obsecro Domine] obsecrare est per obtestationem sacramentorum diuinorum aliquid petere [Numquid non hoc est verbum meum?] videtur] quod Ionas quadraginta diebus prædicauerit, & quum post quadraginta dies videret ciuitatem non euerti, quod tunc in hanc orationem prorupit; nimis verecundatus, quod verbum Dei in ore suo falsum indicaretur, vt veritatis amicus, *Eph.* 4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem. *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. *Iob* 13. Numquid indiget Deus vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? [cum adhuc essem in terra mea] Iudæa scilicet, quæ terra fuit veritatis & diuinæ cognitionis 3. *Regum* 17. Vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est [propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis] hoc est, vagando per mare, ne scilicet falsus testis inueniret 1. *ad Corinth.* 15. Inuenimur autem & falsi testes contra Deum. Mendacium enim in ore omnis hominis peccatum est, in ore autem Doctoris veritatis sacrilegium est. *Prou.* 19. Testis falsus non erit impunitus. *Deu.* 19. Præcipitur] quod testis mendax occidatur. Vnde autem tantam timoris habuerit, subdit.

Scio enim] experimento scilicet; & fide [quia tu Deus

Obsecrare, quid sit.

Religionis causa non esse mentiendum.

tu Deus clemens] in suscepcione peccatoris [& misericors es] in remissione scilicet [& patiens] in expectatione ad pœnitentiam [& multæ miserationis] in effectibus scilicet gratiarum. *Psal.* 50. Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. *Thren.* 3. Non defecerunt miserationes eius [& ignoscens super malitia] malitia hic dicitur pœna inducenda pro peccato, quam sæpe ignoscit Deus. *Isa.* 56. Conuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. *Ioel* 2. Benignus, & misericors, & patiens, & multæ miserationis, & præstabilis super malitia [& nunc Domine] quando videor esse testis falsitatis [tolle quæso animam meam à me] Simile *Tob.* 3. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam viuere. Et hoc est quod subditur [quia melior est mihi mors quam vita] virtuoso enim & honestatis amico, multo tolerabilius est mori quam labem pati in virtute. Vnde *Aristo. in tertio Ethicorum* de forti dicit qui fortiter exponit se periculo gratia boni, quod est ei mors turpi salute eligibilior. *Mors scelestis vitæ est* 2. *Mach.* 6. Prompto animo ac fortiter pro grauissimis & sanctissimis legibus honesta morte perfungar.

præferenda.

Et dixit Dominus] modesta reprehensio est contra [Putasne bene iraceris tu?] hoc est, rationabiliter, & hoc modo dicendo reuocat eum ad propriæ rationis iudicium; quia & rationabile fuit vt peccatoribus dura comminarentur, & pœnitentibus per pœnitentiam peccata remitterentur; & ideo non bene irascebatur Ionas; propter quod etiam reprehensus, nihil respondit Domino. *Iob vlt.* Qui semel loquutus sum, respondere quid possum?

Egressus est Ionas de ciuitate] Tangitur hic expectatio euentus quid accideret ciuitati: & iste egressus egressum significat de mundo. *Apoc.* 18. Exite ab ea populus meus, & ne participes sitis delictorum eius [& sedit] quiescens scilicet in spiritu: omnis enim Doctor veritatis aliquando sibi vacare debet. *Matt.* 6. Venite seorsum in desertum locum, & quiescite paululum [contra Orientem ciuitatis] vt videret scilicet, quid ab ortu solis ex sententia Dei veniret. *Zach.* 6. Ecce vir oriens nomen eius, & subter ipsum orietur [& sibimet fecit vmbraculum] ibi forte de virgultis ibidem natis, quod vmbraculum corporale solatium significat seruis Dei debitum. *Heb.* 11. Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena in casulis habitando, cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. *Iere.* 35. Non ædificauimus domos ad habitandum, & vineam & agrum & sementem non habuimus, sed habitauimus in tabernaculis. *Didimus Brachmanorum rex in epistola ad Alexandrum.* Antra nobis domus sunt, quæ dum viuimus proficiunt in hospitium: dum morimur in sepulchrum [& sedebat] hoc est, quiescebat [subter illud in vmbra] hoc est, in refrigerio. *Can.* 2. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi [donec videret quid accideret ciuitati] adhuc enim hæsitabat, quem euentum res sortiretur, eo quod de hoc expresse à Domino non fuerat instructus. Simile *Luc.* 19. Videns Dominus ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu. *Psalmo* 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.

Et præparauit] Tangitur hic Prophetæ instructio, & habet duas partes. Primo enim ponit factum per quod instruit, secundo [illegible] [Et dixit Dominus ad Ionam] Dicit ergo [Et præparauit Dominus hederam] quæ vel statim ibidem nata fuit per miraculum, vel forte antea nata per verbum Domini super vmbraculum repere cœpit, & rependo vndique & foliis operiendo densam fecit vmbram, quæ & radios solis resistere, & impetum ventorum & maxime venti vrentis excludere. *Isa.* 4. Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & in abscondionem à turbine & à pluuia [& ascendit super caput Ionæ] *Glossa*, iubente Dei virtute, vt esset vmbra supra caput eius] hoc est, refrigerium. Hedera enim significat virorum temporalium, seruis Dei & Ecclesiasticis personis collatum, in cuius vmbra necesse est aliquando quiescere. *Genesis* 18. Lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis [Et protegeret] ne scilicet vento, vel pluuia, vel æstu læderetur. *Isaiæ* 32. Erit vir sicut [illegible] abscondit à vento & velat se à tempestate [laborantem enim] & ideo, supple, refrigerio indigebat. *Matth.* 10. Venite ad me omnes qui laborastis & onerati estis, & ego reficiam vos [& lætatus est Ionas super hedera] hoc est, hederæ refrigerio [lætitia magna] necesse est enim etiam in corporali consolatione lætari laborantem, quia spiritualia sine temporalibus non subsistunt. *Psal.* 106. Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. *Isa.* 55. Gaudebitis & exultabitis in sempiternum, in his quæ ego creo.

Et percussit Deus vermem] quem necesse fuit rependum esse, quia radix dentis non ita subito auulsit hedera [ascendit diluculi in crastinum] vt scilicet ortu solis iam percussa esset hedera. *Isa.* 40. Repente sufflauit in eos, & arefecerunt [& percussit hederam] vermis scilicet [& exaruit] *Iacob.* 1. Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit.

Et cum ortus fuisset sol] cum scilicet vapores monet & elenat [præcepit Dominus vento cæsido] australi scilicet [& venti] hoc est, exiccauit, per quem scilicet hedera exiccaretur penitus, & auferretur vmbraculum. *Iob* 27. Tollet eum ventus vrens [& percussit sol] ablato scilicet vmbraculo, super caput Ionæ] quod aliquando mortiferum est, sicut patet *Iudith* 8. vbi Manasses vir Iudith mortuus est; quia venit æstus super caput eius [& æstuabat] Calor enim solis etiam aliquando interimit. *Apoc.* 16. Datum est illi [illegible] in igne homines, & igni [illegible] æstu magno [& petiit animæ suæ vt moreretur] Simile 3. *Reg.* 19. vbi Elias petiit animæ suæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. Et hoc est quod sequitur [& dixit: Melius est mihi mori quam viuere] *ad Corinth.* 5. Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum. Sancti enim, vt dicit *Augustinus*, in patientia habent vitam, & mortem in desiderio. *Philip.* 1. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multo magis melius.

Et

Et dixit Dominus ad Ionam] instruendo scilicet eum. Et habet duas partes, scilicet, reprehensionem, & instructionem [Putasne bene] hoc est, rationabiliter [irasceris tu super hederam] ablata scilicet, supple, cum non præstiterit nisi vmbram, quod parum refrigerium est. *Psal.* 4. Irascimini & nolite peccare. *Iacob.* 1. Ira viri iustitiam Dei non operatur.

Et dixit Ionas] Hic respondet: quia videtur sibi quod rationem turbationis habeat: superius conticuit vbi rationem non habuit [bene irascor ego] hoc est, rationabiliter [vsque ad mortem] 2. *ad Corinth.* 1. Ita etiam vt taderet nos viuere, sed & ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus.

Et dixit Dominus] instruens eum. *Isaie* 48. Ego dominus docens te vtilia [Tu doles] Arguit hic à minori Dominus: quia si Ionas rationabiliter dolet de amissione parui, rationabilius est Deum dolere de amissione magni. Et hoc est quod in paruo præmittit [Tu doles super hederam] paruo scilicet refrigerio [in qua non laborasti] plantando scilicet, vel rigando [neque fecisti vt crescere] hoc enim solus Deus potest. 1. *ad Corinth.* 3. Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus [quæ sub vna nocte nata est, & vna nocte periit] & ideo temporale & breue quid fuit. *Isa.* 19. Auferetur quasi tabernaculum vnius noctis. Et ex hoc arguit, subdens [& ego] cuius natura est bonitas, substantia dulcedo, proprium misereri & parcere [non] hoc est, nonne [parcam] hoc est, parcere debeo [Niniue ciuitati magnæ] & ponit consequens pro antecedente. Sicut enim doluit Ionas destructione hederæ, sic Deus de destructione ciuitatis: & quia doluit, parcere debuit ne destrueretur. Vnde *Gen.* 6. Cum delere vellet mundum dixit, quod tactus esset dolore cordis intrinsecus. *Isa.* 1. Heu ego consolabor de hostibus meis. *Michea* 7. Non immittet vltra furorem suum, quoniam voluntaria misericordiam est. [In qua] scilicet ciuitate sunt plusquam [centum viginti millia hominum] paruulorum scilicet [innocentium, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam] quos scilicet iniustum esset interficere cum aliis. *Gene.* 18. Non est hoc tuum qui iudicas omnem terram vt occidas iustum cum impio, sitque iustus sicut impius. *Iob* 4. Recordare, obsecro, quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti sunt? Nescire autem autem distantiam inter dexteram & sinistram, est nescire discretionem inter bonum & malum 1. *ad Corinth.* 13. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus, sapiebam vt paruulus [& iumenta multa?] quæ cum propter hominem facta sint & peccatoribus digne auferantur, pœnitentibus tamen iuste conseruentur. In signum huius *Iob vlt.* Cum Iob purgatus esset, reddidit ei Dominus omnia duplicia. *Iob* 1. Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius impleuit terram.

Deus natura misericors est.

Deus innocentem non perdit.

Glosse dicunt, quod Ionas naufragio Christum significat in mare huius mundi missum, cetus glutiens & reuomens Ionam mortem significat & infernum, quæ & glutierunt & reuomuerunt Christum. *Osee* 13. Morsus tuus ero inferne. Prima missio Ionæ significat primam Christi missionem ad Iudæos: & in illa ad Gentes ire noluit, quod fuga Ionæ significat. *Matth.* 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Secunda missio, secundam ad Gentes significat missionem in Apostolis. *Isa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Tristitia Ionæ tristitiam significat Apostolorum de excæcatione Synagogæ. *Roman.* 9. Tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo pro fratribus. Hedera Synagogam significat, quæ ante solis ortum viruit, & post ortum aruit: quia [illam] oriretur sol iustitiæ, Christus Deus noster *Malac. vltimo.* Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ: viridis erat Synagoga. Orto autem lumine gratiæ in prædicatione Apostolorum tota exaruit. *Matth.* 13. Sole orto æstuauerunt: & quia non habuerunt radicem aruerunt. Recepto Niniue ad gratiam introitum significat Gentium in Ecclesiam. *Roman.* 13. Cæcitas contigit ex parte in Israel, donec plenitudo Gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret. Et *ibidem.* Iudæorum delicto salus est Gentibus, vt illos æmulentur. Quæ autem de pœnitentia Niniuitarum dicta sunt per se moralia sunt, nec ad aliam trahenda expositionem.

Ionas Christi typum gessit.

***

D. ALBERTI,

D. ALBERTI MAGNI,
EPISCOPI RATISPONENSIS,
DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM

In Michæam Prophetam
Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI in Micheam Prophetam explanatio.

Temporibus] In hoc Prologo *Hieronymus* tria facit: scilicet, tempora prophetæ describit, qualitates regum distinguit, tertio causam suscepti operis concludit: quæ patent in litera.

Temporibus Ioathæ] de quo 4. *Regum* 15. [Et Achaz] de quo 4. *Reg.* 16. [Et Ezechiæ] de quo 4. *Regum* 18. [& regum Iuda] hoc est, duarum tribuum [Michæam Prophetam] qui simpliciter Propheta dicitur, quia parum Prophetam non habuit [ob hanc propheriam] enunciandam, supple. *Deuter.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis [Spiritu sancto repletum fuisse] In hoc notatur Scripturæ auctoritas, quæ de fonte veritatis procedit. 2. *Petr.* 1. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquti sunt Sancti Dei homines. Repletio etiam impletionem talem Ionæ quæ pectus premit, & signat, quod de abundantia interioti eructatio istorum sermonum procedit. *Psal.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum. *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis [lectio ipsa demonstrat] hoc est, principium prophetiæ. Et subdit de regum istorum qualitate.

Sed de supradicto numero regum] tratum scilicet [Ioatham] primum scilicet [& Ezechiam] tertium scilicet [Deo ob religionem placuisse] qui scilicet idola detestati sunt [historia quarti libri Regum] De Ioatha quidem 15. De Ezechia vero 18. [& secundi Paralipomenon indicat] de Ioathan quidem 27. vbi sic dicitur: Fecit Ioatham quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater eius. De Ezechia vero 2. *Paralip.* 29. sic dicitur: Fecit Ezechias quod erat placitum in conspectu Domini iuxta omnia quæ fecerat David pater eius. [Achaz vero dereliquo Deo] hoc est cultu Dei [idola Samariæ] supple, constat coluisse. Vnde 4. *Re.* 16. Non fecit Achaz quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sed ambulauit in viis regum Israel. Insuper & filium suum consecrauit, transiens per ignem secundum idola Gentium, quæ distinguit Dominus coram filiis Israel. Et hoc est quod sequitur [quibus etiam filios suos] vt scilicet factum Abrahæ imitaretur. *Gen.* 22. vt ficut patriarcha Deo, ita ipse idolis carnosa sua pignora sacrificaret [in sacrificium igni concremandos obtulerat] sed Abraham obtulit, & non occidit: ille autem interfecit, quia carnones in sanguine detestantur 2. *Paralip.* 28. Ipse Achaz est qui adolebat incensum in valle Gehennon, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum Gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Ex his concludit causam suscepti operis, dicens.

Deum suum suos pignora delitiae.

Quamobrem Deus Samariam] terram scilicet decem tribuum [quæ reges Israel] omnes scilicet à Ieroboam vsque ad Oseam [& Iuda] hoc est, reges Iuda, non omnes, sed multos, quia etiam tempore Ioatha populus immolabat in excelsis. *Eccl.* 49. Omnes reges peccatum commiserunt præter David & Ezechiam & Iosiam [memoratorum simplachtorum superstitione fefellerat] Superstitio est (vt dicit *Augustinus*) religio supra modum ferata. Et hoc fit, quando religio turpibus & falsis imiscetur articulis. Hoc autem attribuitur Samariæ propter hoc quod error vitulorum aureorum primo à Samaria processit [incepam] scilicet Deus per Prophetam *Zacha.* 3. Increpet in te Dominus Satan, & increpet Dominus in te qui elegit Ierusalem [indignationem suam] Dei scilicet [in eam] hoc est, in Samariam per exercitum scilicet Assyriorum [processuram commanducundi Paralipomenon indicat] de Ioathan quidem 27. vbi sic dicitur: Fecit Ioatham quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater eius. De Ezechia vero 2. *Paralip.* 29. sic dicitur: Fecit Ezechias quod erat placitum in conspectu Domini iuxta omnia quæ fecerat David pater eius. [Achaz vero dereliquo Deo] hoc est cultu Dei [idola Samariæ] supple, constat coluisse. Vnde 4. *Re.* 16. Non fecit Achaz quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sed ambulauit in viis regum Israel. Insuper & filium suum consecrauit, transiens per ignem secundum idola Gentium, quæ distinguit Dominus coram filiis Israel. Et hoc est quod sequitur [quibus etiam filios suos] vt scilicet factum Abrahæ imitaretur. *Gen.* 22. vt ficut patriarcha Deo, ita ipse idolis carnosa sua pignora sacrificaret [in sacrificium igni concremandos obtulerat] sed Abraham obtulit, & non occidit: ille autem interfecit, quia carnones in sanguine detestantur 2. *Paralip.* 28. Ipse Achaz est qui adolebat incensum in valle Gehennon, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum Gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Ex his concludit causam suscepti operis, dicens.

Superstitio.

Deum suum suos pignora delitiae.

tus est] *Thren.1.* Effudit quasi ignem indignationem suam [Populo etiam Israel] plebeio scilicet [peccatorum] *Isa. 48.* Quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te [& principibus eius] populi scilicet prævaricatoris. *Isai 1.* Principes tui infidelis, [sed] Iacob [qui] scilicet principes [eiusdem populi] Samariæ scilicet [Israel fraudione] 3. *Reg.* [illegible] scilicet populus sedit ad Deum suum [illegible] Ierusalem] ad colenda idola impulerant. *Osee 9.* In malitia lætificauerunt regem, & in mendaciis suis principes [verbis, in sequentibus] hoc est, in sequentibus verbis prophetiæ [capitulatim] per Assyrios [& interitum] pestis, & fame, & gladio [futurum] ordinatione, supple, Dei [denuntiatur] Propheta scilicet *Osee.6.* Dolaui in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.

Michæas Propheta.

CAPVT I.

VErbum Domini] Michæas iste qui contra duas & decem tribus prophetat, vt dicit *Hieronymus*, secundum Hebraicam veritatem, sextus est in ordine Prophetarum, & quasi in medio sue in corde positus profundiora continet mysteria. Diuiditur autem in partes duas, titulum scilicet, & tractatum *ibi* [Audite populi omnes] Titulus tria continet, scilicet, ad quem & à quo facta est reuelatio, quorum regum temporibus, & contra quos.

Verbum Domini] quod quamuis ad intelligentes ipsum multa verba sint, tamen quantum ad fontem primum vnum est; sicut obiectum vultus vnum est, formæ autem in speculis multis multæ apparent; & quia auctoritatem habet à fonte veritatis, & secundum quod vnum est, propter hoc dicit verbum Domini [quod factum est] Hoc ideo dicit, quia seipsum ad effectum deducit, sicut dicit *Psal.* 118. Dixit, & facta sunt [Ad Michæam] præpositio hic notat appropinquationem verbi ad rationem hominis. *Deu.30.* & *Ro.10.* Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Auctorem autem instrumentalem describit nomine, & patria; nomine Michæam, quod interpretatur humilitas. *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Iacob.* 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. A patria cum dicit] Morasthitem [Morasthis autem parvulus viculus est Palestinæ iuxta Eleutheropolim vrbem, & interpretatur hæreditas. *Ro.* 8. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Hiero.* Humili cohæredi Christi sit reuelatio. Et subdit quorum temporibus.

Michæas interpretatur humilitas.

In diebus Ioatham] qui bonus fuit [Achaz] qui malus [Ezechia] qui inter tres optimos regum Iuda hoc est, duarum tribuum, de quibus satis in prologo dictum est. *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum. Et subdit contra quos.

Quod vidit] scilicet verbum, vidit, id est, intellexit. *Exod.* 20. Cunctus populus videbat voces. *Dan.* 10. Intelligentia opus est in visione. Quamuis enim in omnibus sensibilibus viribus animæ, sensibile vocis differat à sensibili visus; tamen hæc duo ad intellectum relata nihil differunt: in intellectu enim ad rem referuntur; vna autem res est ostensa sub forma propria, & significata in nomine proprio designata [super Samariam] et Ierusalem. *Psal.* 37. Sicut onus graue grauatum sunt super me [Samariam] terram scilicet decem tribuum quasi laicos significat. *Osee 14.* Peccat Samaria quoniam [illegible] & amaritudinem [illegible] Deum [illegible] id est, [illegible] decem tribubus [illegible] *Isai.* [illegible] Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? Hæc ergo dicta sunt de titulo. *Hieron.* Sub Ozia cœperunt prophetare Osee, Amos, Isaias. Sub Ioatham filio Ozæ incepit prophetare Michæas, prophetauit etiam sub Achaz, & sub Ezechia, sub quo decem tribus captiuatæ sunt ab Assyriis. Et quia primum Samaria, metropolis decem tribuum captiuata est, deinde Ierusalem, prophetiæ imponitur titulus, primum de Samaria, secundo de Ierusalem. Item *Hieron.* Quomodo apud nos quasi ad virtutis auspicium imponuntur vocabula, verbi gratia, victoris, casti, pij, probi: sic & apud Hebræos Michæas, & Abdias, & Zachatias, cæterorumque similia ex virtutum vocabulo liberis à parentibus imposita sunt.

Audite populi omnes] Hic incipit prophetia, quæ in duas partes diuiditur, in quarum prima inclinat ad timorem & spem; quæ duæ virtutes pœnitenti necessariæ sunt. In secunda contestatione iudicij diuini inducit ad pœnitentiam *infra 6. ibi* [Audite quæ Dominus loquitur] Prima in duas; primo enim commainando inducit ad timorem, secundo pœnitendo eleuat ad spem. *infra 4. ibi* [Et in nouissimo dierum] In primo tria sunt; primo enim exaggeratur malum, comminatum in comparatione ad culpam idolatriæ, secundo comminatur malum, in comparatione à violentia iniuriæ contra proximum. *infra 2. ibi* [Væ qui cogitatis inutile] Tertio comminatur pœnam malum in comparatione ad violentiam principum & calumniam iudicum. *infra 3. ibi* [Audite principes Iacob] Ista autem cap. in duas partes diuiditur; primo enim exaggerat malum, quantum ad culpam & pœnam, secundo magnitudinem mali quantum ad planctum. *ibi* [Super hoc plangam & vlulabo] In prima tria sunt; primo enim ex magnitudine dicendorum reddit attentos, secundo pœnam refert ad culpam *ibi* [In scelere Iacob] Tertio exaggerat pœnam *ibi* [Et ponam Samariam.]

Audite populi omnes] quod enim ad omnes pertinet, ab omnibus est audiendum. *Sap.6.* Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus [& attendat] corde scilicet [terra] hoc est, terræ per metonymiam. *Deu.32.* Audite cœli quæ loquor, & audiat terra verba oris mei [& plenitudo eius, terra scilicet, hoc est, omnes qui sunt in terra. *Septuaginta.* Audite populi omnes, & auscultet terra, & omnes qui sunt in ea] & sit Dominus Deus potestate scilicet eminens, & diuino intellectu cuncta dispiciens [vobis hoc est, contra vos] in testem] *Psalmo 49.* Testificabor tibi, quoniam Deus tuus ego sum. Ipse enim est testis & iudex. *Apoc.3.* Hæc dicit, Amen testis fidelis & verus qui est principium creaturæ Dei.

Dominus de templo sancto suo] Refert hic pœnam & culpam, primo offendens Dei iudicium in pœnam, secundo subinferens culpam [Dominus de templo sancto suo] supple, egredietur, in quo scilicet

scilicet, in propitiatu gratiam faciens hactenus quieuit: modo autem extra templum extendens maiestatem, idololatrias & idola opprimet. *Isa.27.* In prælio gradiar super eam, succendam eam pariter. *Ezech.22.* Gladium inducam super vos, ait Dominus. Et hoc est quod sequitur [Quia ecce Dominus] Aduerbium demonstrandi vicinitatem temporis significat. *Isa.14.* Prope est vt veniat tempus eius [egredietur de loco suo] Locus secundum *Hieron.* immensitas bonitatis & dulcedinis eius est: extra quem locum egreditur, quando peccatis pronocatur. *Isa.26.* Egredietur Dominus de loco suo vt visitet iniquitatem habitatoris contra eum. *Zach.14.* Egredietur Dominus, & præliabitur contra Gentes [& descendet] visitando scilicet, singulorum opera discutiens. *Gen.18.* Descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint [& calcabit super excelsa terræ] vel loca eminentia idolorum conculcando, conterens, vel excelsa mundi deiciens & pedibus Assyriorum vel dæmonum conculcans. *Amos 4.* Gradiens super excelsa terræ Dominus Deus tuus. *Isa.28.* Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim. Et hoc est quod sequitur.

Quando, Deus *Iac.* [illegible] *suum egredietur.*

Et conuuientur montes] altiores scilicet principes [subtus eum] hoc est, sub pondere pedum iudiciorum eius. *Mala. vlt.* Calcabitis impios cum fuerint velut cinis sub planta pedum vestrorum. *Iudic.5.* Conculca anima mea robustos [& valles scindentur] plebeij scilicet, & inferiores. *Glossa*, vt nihil maliliateat in eis; vnde scindi et corda aperiri. *Dan.13.* Angelus Domini accepta sententia ab eo, scindet te medium [sicut cera] quæ esca ignis est, à facie hoc est, à præsentia ignis. *Isa.64.* Vtinam diruperes cælos & descenderes: à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent. *Psalm.67.* Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei [sicut aquæ quæ decurrunt in præceps] supple, deficient. 2. *Reg.14.* Et omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram. Vnde signi comparatur ira iudicis, aqua autem mortalis infirmitas hominis. Et refert pœnam ad culpam subdens.

Hæreticorum conuenticulis sunt subuertendæ.

In scelere hoc est, pro scelere [Iacob] hoc est, decem & duarum tribuum [omne istud] supple fiet. *Isaia 1.* Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs scelerates [& in peccatis] hoc est, pro peccatis [domus Israel] *Glossa*, qui Deum se videre mentiuntur. *Tit.1.* Confitentur se nosse Deum, factis autem abnegant. Et hoc probat commicens eos proprio testimonio [Quod scelus Iacob] hoc est, quod posset esse apertius & maius scelus [nonne Samaria?] hoc est, idololatria vitulorum positorum in Dan & in Bethel, quæ sunt loca Samariæ. Et Samaria quæ custodia interpretatur; Prælatus significat, qui per malum exemplum alijs fuit causa sceleris. *Osee 5.* Laqueus factus estis speculationi [& quæ excelsa Iudæ] duarum scilicet tribuum [nonne Ierusalem?] à qua scilicet per malum exemplum Sacerdotum & principum deriuatum est peccatum in totum populum. *Ezech.9.* Vniuersa depicta erant in pariete idola domus Israel. Sicut & nunc à retro peccatum deriuatur in populum. *Isa.24.* De Sobna præposito templi, qui per malum exemplum ruina fuit populi cui dicitur: Ecce Dominus alportari te faciet sicut alportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic sublenabit te. Et subdit de pœna.

Et ponam Samariam] Et tangit pœnæ dilatationem per ruinas ciuitatum & villarum, & ignis eruptionem, subdens causam quæ est turpe lucrum idololatriæ [ponam Samariam] terram decem tribuum [quasi acerum lapidum in agro] vt scilicet muris ruentibus, non ædificia, sed acerui lapidum apparent; sicut in loco vbi plantanda est vinea, primo colliguntur lapides in acerues magnos, vt in fundo libero vites plantentur. Et hoc est quod sequitur [cum plantatur vinea] *Isa.* 25. Posuisti ciuitatem in tumulum, & vrbem fortem in ruinam, domum alienorum vt non sit ciuitas [& derelinquam invallem lapides eius] ciuitates in montibus ædificatæ erant, & ruentibus ciuitatibus lapides murorum non in cacumine montium remanserunt, sed ad præcipitia vallium submissi sunt, ne de facili mons posset reædificari [& fundamenta eius reuelabo] *Hieronymus*, Tanta erit subuersio vrbis, vt non solum ædificia corruant, sed etiam fundamenta vsque ad extremum lapidem euertantur. *Isa.14.* Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem & germen, dicit Dominus. *Psalm.136.* Dixerunt, Exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea] & omnia sculptilia eius] Samariæ scilicet [concidentur] Auaritia enim auri & metalli quod erat in idolis, cupidos fecit hostes vt concidentur idola & diuidentur raptoribus. *Eccli.27.* Conterentur cum delinquente delictum. Et subdit de ignis combustione.

Hæreticorum conuenticulis sunt subuertendæ.

Et omnes mercedes eius comburentur igni] mercedes vocat opes, quas vt putabant idola conferebant pro mercede hominibus, vt colerentur ab eis: sicut dixerant, Cereres conferre fruges, & sculpatum herbas, Bacchum vinum, & cæteros huiusmodi. *Osee 2.* Conuertam vineam eius & ficum eius, de quibus dixit. Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei. Hæc enim igni comburentur, vel æterno, vel temporali ab hostibus. *Iob* 18. Ignis deuorabit tabernaculum eorum qui libenter munera accipiunt. *1. ad Corin.* 3. Vniuscuiusque quale sit opus ignis probabit [& omnia idola eius ponam in perditionem] hostibus scilicet omnia conflantibus. *Isa.* 2. Exaltabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur. Et post pauca: In die illa proiicet homo idola argenti sui & simulachra auri sui quæ fecerat sibi. Et subdit causam turpis lucri.

Quia de mercedibus meretricis congregata sunt] Meretricem vocat terram decem tribuum, fornicationi idolorum se exponentem pro opibus quas idola conferre putabant. *Isa.* 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis? *Ezech.16.* Diuisisti pedes omni transeunti [& vsque ad mercedem meretricis reuertentur] Hic meretricem vocat Ninuen, vbi fuit sedes regis Assyriorum, quæ etiam spe mercedis temporalis cum idolis fornicabant. Et est sensus, quod diuitiæ quas congregauerint colentes idola, ad terras idolorum illorum cum prædis hostes deducentur. *Iere.* 16. Sicut seruistis diis alienis in terra vestra, sic seruietis diis alienis in terra non vestra.

Hæc moraliter ad malos vel hæreticos referuntur, quorum diuitiæ quas custodiunt quotidie ruunt, sicut dicitur *Apoc.* 18. de Babylone. Cecidit cecidit Babylon. Et ipsi quasi vt cum cor de in præceps in vallem inferni deprimuntur. *Mich.3.* Ierusalem in acerum lapidum erit, isti lapides de Ecclesia

clesia abiiciuntur, ne alios scandalizent. *Isa.62.* Planum facite iter, & eligite lapides *Eccl.21.* Via peccantium complantata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ & pœnæ. Et loco illorum plantatur vinea de viris sanctis & virtuosis, quia, sicut dicit *Boetius*, prius extirpanda sunt vitia vt inseratur virtutes. *Iere.2.* Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum. Fundamenta malorum per confessionem reuelanda sunt, assertiones hæreticorum, diuitiæ auarorum, deliciæ libidinosorum, & honores ambitiosorum. *Iob 20.* Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus. Hæc est domus fundata super arenam, cuius ruina facta est magna. Sculptilia figmenta cordis sunt ad venerationem idolorum confictæ, quæ in morte conterentur. *Sap.13.* Infelices sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum. Mercedes horum igni comburentur vel charitatis in pœnitentia, vel inferni in pœna. *Isa.1.* Erit fortitudo vestra vt fasilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. Idola horum perdiuntur: quia vanitates eorum, quas pro diis dilexerant, pro nihilo reputabuntur. *Iere.10.* Falsum est quod conflauit & non est spiritus in eis. Vana sunt & opus risu dignum, in tempore visitationis suæ peribunt. Quæ habent, de mercede meretricis sunt; quia nisi à Deo fornicati essent, talibus non inhærerent. *Psal.72.* Perdes omnes qui fornicantur abs te. Hæc ad prostibulum meretricis reuertuntur; quia mortuis dominis aliorum concupiscentiis ea quæ relinquunt, exponuntur. *Iob 19.* Habitent in tabernaculo illius socij eius qui non est, scilicet, diaboli. Socij eius sunt ambitiosi, & vani, & auari, qui in ruinis hominum habitant, vt ea quæ relinquunt, possideant. Propter hoc præcipitur *Deut.23.* Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui ad omne votum.

Super hoc plangam] Exaggerat hic magnitudinem mali per planctum, & habet tres partes. Describit enim primo habitum plangentis, secundo quid plangat *ibi* [Et transite vobis] Tertio, qualiter *ibi* [In Geth] In prima quatuor sunt, scilicet, quod plangat, quod habitum plangentis assumat, & quod modum planctus exponit, & causam planctus subiungit [Super hoc] hoc est, propter hoc malum [plangam] Sancti enim plangunt miserias peccatorum: sicut Dauid, Saul, & Ionathan 2. *Reg.1. Iere.9.* Plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei [& vlulabo] quod canum vel luporum est, & magnitudinem planctus significat. *Isa.61.* Præ dolore cordis clamabitis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et subdit de habitu plangentis.

Miseria peccatorũ plangitur à sanctis.

Vadam spoliatus] vestibus scilicet, vt significem terram in proximo spoliandam opibus & rebus [& nudus] vt significem terram cito denudandam. *Ezech.12.* Quomodo feci, sic fiet illis: in transmigrationem ibunt & in captiuitatem. Et *ibidem.* Portentum dedi te domui Israel. *Isa.20.* Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus, erunt annorum signum & portentum erit super Ægyptum & super Æthiopiam; sic minabit rex Assiriorum captiuitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, iuuenem & senem, nudam & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. Et subdit explanationem modi planctus per metaphoram.

Faciam planctum velut draconum] Draco hic intelligitur magnæ longitudinis & magnitudinis in corpore, qui (vt dicunt naturales) non veneno, sed fossura dentium interficit, de quo dicit *Hieronymus*, quod dum vincitur ab elephante, præ magnitudine doloris sibilum magnum, & stridorem emittit. Et est sensus: Tantum plangam, quod præ magnitudine doloris, acumine vocis potius sibilum draconis & stridorem, quam humanam vocem videar emittere. *Thren.1.* Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius [& luctum quasi struthionum] Struthio, vt dicitur *Iob 39.* in puluere ponit oua sua, & obliuiscitur quod pes hominis vel bestia conculcet ea. Et est sensus, quod sicut struthio derelicta oua perdit, ita ego plangam filios derelictos & perditos. *Septuaginta* sic: Propter hoc planget atque lugebit, ibit discalceata & nuda, faciet planctum quasi draconum, & luctum quasi filiæ Syrenarum. *Isa.13.* Syrenæ in delubris voluptatum. Et subdit causam.

Quia desperata est plaga eius] hoc est, quia desperatio & impœnitentia non permittunt redire ad pœnitentiam *Iere.10.* Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. *Iere.30.* Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. Et signum huius subdit [quia venit] per exemplum scilicet, & imitationem peccatum Samariæ [vsque ad Iudam] hoc est, vsque ad duas tribus [tetigit portam populi mei] Hic si per portam intelligantur sensus corporis, per quos velut per portam intratur ad interiora spiritus, notatur idololatriæ crimen tam fuisse commune & publicum, vt omnium sensui esset expositum & obuium. Vnde & videtur ad literam, quod idola iuxta portas ponebant, quæ intrantes & exeuntes de ciuitate venerarentur. 2. *ad Timoth.2.* Multi enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit [vsque ad Ierusalem] ita scilicet, quod etiam in templo idola colerentur, sicut dicitur *Ezech.8. Isa.* 57. Iuxta me discooperuisti, & susceptisti adulterum. Hanc malitiam Prælatorum in Ecclesia videmus dilatatam etiam vsque ad religionem, vt verum sit quod dicitur *Isa.1.* A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas. Et subdit de habitu timentis, qui præ timore mutire non audebat.

In Geth nolite annuntiare] Geth metropolis est Philisthinorum, vnde fuit Goliath Gethæus, quem Dauid interfecit 1. *Reg.* 17. Et est sensus: Philisthæi nesciant malum nostrum, ne lætentur: derisio enim inimici pœna sustinentis est 2. *Reg.1.* Nolite annuntiare in Geth, ne forte exultent filiæ incircumcisorum. Plagæ enim occultandæ sunt, ne per exemplum ad alios derigentur [lacrymis ne ploretis] aperte scilicet, ne hostes lacrymis ad deteriora promocentur. *Psal.* 38. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, dum consisteret peccator aduersum me. *Isa.* 29. Humiliaberis, de terra loqueris; & erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo mussitabis eloquium tuum. Et est hoc argumentum, quod peccata Prælatorum, vel Cleri, nec nuntiandæ nec plangendæ sunt in publico, ne alij scandalizentur [in domo pulueris] hoc est, minoli & in puluerem redacta, in quibus potius aurea quædam quàm domus remanent [puluere vos conspergite] hoc est, cinere ignorantiæ.

Peccata Prælatorũ non sunt temere publicanda.

Et est sensus: In plateis & in publico, conspersione pulueris

pulueris signa tristitiæ non ostendite propter causas supradictas, sed in occulto. *Isa.2.* Intrabunt in specus petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. Moraliter autem in domo pulueris, hoc est, huius terrenæ habitationis, se puluere conspergit, qui se semper puluerem fore meditatur. *Iob 7.* Ecce nunc in puluere dormio. *Gen.3.* Puluis es, & in puluerem reuertieris. Et subdit quid plangat.

Et transite vobis] hoc est, tali habitu timoris & tristitiæ transite vobis, hoc est ad vtilitatem vitæ, in captiuitatem, quia melius est vt saltem captiui viuatis, quam ab hostibus interficiamini. *Iudith 3.* Melius est vt viuentes seruiamus regi Nabuchodonosor, & subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi seruituris nostræ damna pariamur [habitatio Saphir] quod pulchra interpretatur. Samaria enim quondam in pulcherrimo fuit loco habitationis [confusa ignominia] nunc, supple, 1. *Machab.2.* Secundum gloriam eius ita & ignominia eius. *Osee 4.* Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Hoc de transitu pœnitentis planum est exponere. Et ne causari possent, quod duæ tribus sic non transeunt in captiuitatem, subdit.

Non est egressa quæ habitabat Saanan] quod interpretatur in exitu; & secundum *Hieronymum* intelligitur de Samaria, quæ iam in foribus captiuitatis habitabat, & propria voluntate transire noluit. Posset tamen dici, quod intelligitur de duabus tribubus, hoc est, de Iudæa quæ propter simile peccatum etiam in exitu habitabat, licet tunc cum decem tribubus, non egrederetur. *Iere.15.* Eiice eos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint ad te: Quo egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem [planctum domus Asel] quod interpretatur vicinæ vel ex latere: & est domus Asel genitiui casus, & singularis numeri [accipiet ex vobis] vt sicut fuistis primi in culpa, quæ ex vobis transiit in Iudam; ita sitis priores in pœna. Vnde planctus domus vicinæ planctus est decem tribuum, quæ vicinæ per generationem vnius patris, & per vicinitatem loci sunt ad duas tribus, & similem causam planctus ab eis & post eos acceperunt. Et hoc est quod sequitur [quæ steterit sibimet] hoc est, tum vos per idololatriam cadetis. 3. *Reg.* 14. Illa in culpa & præsidio Dei steterit ad vtilitatem suipsius. *Deut.4.* Vos qui adhæretis Domino, viuitis vniuersi. *Iere.* 17. Recedentes à te in terra scribentur. Et bene dico, quod accipiet planctum ex vobis.

Quia [supple, licet aduersus stare vt fortis, tamen modo per peccatum] infirmata est in bonum [hoc est, ad bonum faciendum. 1. *Reg.2.* Quia multos habebat filios, infirmata est. Quod signatum est in *Paralip.* 16. vbi dicitur, quod Asa multa fortia & bona fecit in iuuentute, in senectute autem doluit pedes, & ægrotauit quæsiuit Dominum. *Gal.3.* Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini [quæ habitat in Maroth] quod interpretatur amaritudo, & intelligit de Iuda, quæ in singulis fuerat captiuitatis iam tunc habitabat. *Thren.3.* Replenit me amaritudine, inebriauit me absynthio. Et bene dico, quod planctum accipiet ex vobis, quia per ordinationem Dei, supple [descendit] ad vos malum captiuitatis, [à Domino] omnia disponente [in portam Ierusalem] hoc est, ita vt etiam portæ Ierusalem obsideantur ab hostibus. *Amos 3.* Si est malum in ciuitate quod Dominus non fecerit. *Isa.* 31. Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit. Quod autem sit illud malum explanat, subdens.

Tumultus quadrigæ stuporis] hoc est, sonitus quadrigarum exercitus Babylonis stuporem inducens. *Isa.5.* Rotæ eius quasi impetus tempestatis, rugitus eius vt leonis. Quadrigæ autem fuerunt ad arma & victualia portanda exercitui [habitanti Lachis] ibi enim fuit Sennacherib antequam veniret Ierusalem, sicut dicitur *Isa.37.* Reuertus est Rapsaces, & inuenit regem Assyriorum prælianteni aduersus Lobnam: audierat enim quod profectus esset de Lachis. Quare autem præcipuè Lachis timuerint, subdit [principium peccati est filiæ Sion] ipsa scilicet Lachis. Qualiter autem hoc sit, subdit [quia in te] ô Lachis [inuenta sunt scelera Israël] hoc est, decem tribuum. *Hieronymus.* Quia ab Israël venit idololatria ad Lachim, & à Lachis in Iudam. *Isa.3.* Ruit populus vir ad virum, vnusquisque ad proximum suum. 2. *ad Timoth.3.* Mali homines proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Et subdit, quod propter hoc panientur authores culparum.

Aurea interpretatio hæreditas.

Propterea dabit] hoc est, dari disponet Dominus per Assyrios [emissarios] hoc est, latrunculos & vastatores [super hæreditatem Geth] hoc est, territoria possessa à ciuitate Geth, quæ metropolis est Philisthinorum. Ex illa enim vrbe propagata dicitur esse idololatria in Israël. Et hoc est quod sequitur [domos mendacij] hoc est, super domos mendacij suæ idoli, quod mentitur diuinitatem. *Iom.8.* Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est & pater eius [in deceptionem regibus Israël] Ex Allophylis enim reges Israël decepti, idololatriam induxerunt. *Galat.3.* O insensati Galatæ, quis vos fascinauit veritati non obedire? 3. *Reg. vlt.* Dixit, spiritus mendax. Ego decipiam Achab, quia ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et quia sic deceptoribus consenserunt, idem subdit.

Adhuc hæredem adducam tibi hostem] scilicet qui tuam hæreditatem tuam fecit [quæ habitas in Maresa] quæ ciuitas est Samariæ, & hæreditas interpretatur, eo quod illa primo consensit in idololatriam. *Thren. vlt.* Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. *Ezech.* 11. Scalpe hac nocte repetent animam tuam, & quæ præparasti cuius erunt? *Ecclesi.1.* Est & alia infirmitas pessima quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui, pereunt enim in malo pessimo [vsque ad Odollam venet] quæ ciuitas est decem tribuum, & semper inter prædam, vt dicit *Hieronymus*, eo quod ibi gloria fecit in primo fuit. Et hoc est quod sequitur [gloria Israël] *Hieronymus.* Quia gloriosa est in vitibus Israël. Et notea quod falsa est litera, quæ dicit vsque ad Odollam, quia tabernaculum interpretatur. *Abac.* 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et subdit qualiter plangendum sit.

Decalua te] eunuchi scilicet, qui vt significes quosdam de populo penitus spoliandos à crine [& tondere] vt significes aliquos spoliandos

decurtandos. *Ezech.* 5. Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum & duces per caput tuum, & per barbam tuam [super filios deliciarum tuarum] Filij deliciarum sunt nutriti in deliciis, & ad vltimam infelicitatem & miseriam deuenerunt. *Thren.* 4. Qui vescebantur voluptiose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora [dilata caluitium tuum sicut aquila] quæ mutando se, pennam post pennam abiicit, donec tota depluminetur [quoniã captiui ducti sunt ex te] supple, filij tui leuiter sicut pennæ cadentes. *Baruch* 4. Nemo gaudeat super me viduam & desolatam; à multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum. *Isa* 51. Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut orix illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.

CAPVT II.

Væ qui cogitatis inutile.

IN parte ista comminatur malum in comparatione ad studium Niniue contra proximum. Et habet duas partes, mali scilicet exaggerationem, & Prophetæ compassionem *ibi* [Vtinam non essem vir] Prima in tres. Primo enim malum exaggerat, secundo quæstioni populi respondet *ibi* [Quomodo recedet à me] Tertio, exaggerato malo, pœnam comminatur *ibi* [Desuper tunicam] In prima tria sunt, scilicet, culpæ exaggeratio, pœnæ interminatio *ibi* [Idcirco hæc dicit Dominus] Et magnitudinis pœnæ descriptio *ibi* [In die illa assumetur super vos parabola] In prima tria sunt, scilicet, peccati maledictio, ad peccatum perpetrandum studiosa cogitatio, & omnium peccatorum in auaritia radicatio.

Væ qui cogitatis inutile] Inutile vocat nocium, hoc est, peccatum. *Rom.* 6. Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. *Psalm.* 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Isa* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis [& operamini malum] quod ante scilicet cogitastis [in cubilibus vestris] notat peccata libidinis, quæ mente primo tractantur, & postea in stupris & adulteriis committuntur. Vnde *Hieremy.* Cubilia ad quiescendum data, stupris polluistis. *Gene.* 49. Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. *Apoc.* 2. Permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetare, seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis. *Amos* 6. Lasciuitis in stratis vestris. Hoc est cubile meretricis. *Prou.* 7. Aspersi cubile meum myrrha & aloe & cynamomo, quæ scilicet libidinem inciant. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupiris amplexibus, donec illucescat dies. Et subdit de studio perficiendi.

In luce matutina faciunt illud] hoc est, in publico & mane. *Iob* 24. Mane primo consurgit homicida, & interficit egenum & pauperem; in nocte faciunt qui ad scandalum plurimorum peccant. *Isaiæ* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. *Iere.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere [quoniam contra Deum est manus eorum] hoc est, tota potestas qua possunt malignari. *Iob* 15. Cucurrit contra Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus est. Et subdit de peccatorum in auaritia radicatione.

Et concupierunt agros] alienos, supple. 1. ad *Timoth.* 6. Radix omnium malorum est cupiditas. Contra quod dicitur *Exo.* 20. Non concupisces rem proximi tui. *Iac.* 4. Vnde bella & lites in vobis, nonne ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? [& violenter tulerunt] hoc est, abstulerunt. *Iob* 24. Agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserunt, vindemiant. Simile factum est 3. *Regum* 21. vbi Naboth interfecto, Achab vineam eius possedit [& domos rapuerunt] alienas scilicet per rapinam suas esse dixerunt. *Isa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci [& calumniabantur virum] hoc est, per calumniam oppresserunt. *Gene.* 43. Introducti sumus vt deuoluat in nos calumniam, & violenter subiiciat seruituti & nos, & asinos nostros. *Isa.* 52. Assur absque vlla causa calumniatus est eum [& domum eius] hoc est, familiam eius; vt non tantum subiiceret patremfamilias, sed etiam filios & filias eius acciperent in seruos & ancillas. 4. *Regum* 4. Ecce venit creditor vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi [virum] supple, calumniabantur [& hæreditatem eius] quæ scilicet extra domum ad sustentationem filiorum pertinebat. 3. *Regum* 19. Propitius sit mihi Deus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. *Thren. vlt.* Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Et subdit pœnam, & magnitudinem pœnæ exaggerat per parabolam & modum vastationis.

Idcirco hæc dicit Dominus; Ecce ego cogito] disponendo scilicet, & adducendo. *Isa* 31. Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit [super generationem istam] pessimam, supple [malum] pœnæ. *Deut.* 32. Generatio perversa est, & infideles filij. *Isa.* 21. Consurget contra domum pessimorum [vnde non auferetis colla vestra] hoc est, auferre non possitis, Hoc maxime videtur intelligi de captiuitate Romana. *Eccli.* 14. Superborum & subimorum colla propria virtute calcauit. *Eccl.* 40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam. Et ex sermone isto videtur quod liberandi non sint, sed condemnati ad perpetuam seruituteni. *Osee* 11. Iugum imponetur eis simul quod non auferetur. Et *ibidem.* Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum [& non ambulabitis superbi] pœna scilicet captiuitatis, vel pœnitentiæ vos humiliante. *Isa.* 2. Incurvabitur altitudo virorum, & exaltabitur Dominus solus in die illa [venient tempus pessimum est] propter scilicet pœnæ magnitudinem. *Matth.* 24. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque nodo. *Danie.* 12. Veniet tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud. Et exaggerat per parabolam subdens.

In die illa sumetur super eos parabola; vt scilicet ex pœna vestra illis fiat parabola correctionis. *Psal.* 68. Factus sum illis in parabolam. Sic *Isaias* parabolam sumpsit super regem Babylonis, *Isa.* 14.

Radix omnium malorum est cupiditas.

Iudicium perpetuum est captiuitatem.

Isa. 14. Sic Ezechiel contra regem Tyri *Ezech.* 28. [& cantabitur canticum] miseriæ vestræ, supple [cum suauitate dicentium] qui scilicet lætabuntur in pœnis nostris. *Thren.* 1. Omnes inimici mei audierũt malum meum; lætari sunt, quoniam tu fecisti. *Iob* 30. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium. *Psal.* 78. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio iis qui in circuitu nostro sunt. Et subdit de modo vastationis in se & in signo. Et est sermo prophetæ recognoscentis pœnam iudicis.

Depopulatione vastari sumus] Tyrannus enim rapiens, aliquid relinquit, depopulatio populi nihil. *Iere.* 4. Vniuersæ vrbes derelictæ sunt, & non habitat in eis homo; tu autem vastata quid facies? Et huius ponit signum [pars populi mei commutata est] *Hiero.* hoc est, templum meum quod in vobis & non in aliis gentibus habebam, mutabitur in ruinam. Posset tunc dici, quod intransitiua constructio est, inter obliquum & rectum, & est sensus. Pars quod est populus meus, commutata est & cultu, & moribus, & dominatu; quia ad alienos dominos transiuit. *Thren. vlt.* Serui dominati sunt nostri, non fuit qui redimeret de manu eorum. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati.

Quomodo recedet à me] Remouet hic falsas rationes & consolationes populi, & sunt duæ: vna, quod transitorium sit flagellum: secunda quod tanta sit misericordia Dei, quod malum non immittet. Prima tacita est, & est ac si dicat. Vos dicitis quod transitoria est tribulatio, & quod recedet tribulator; ego vero per affectum connumerans me populo, respondeo [Quomodo recedet à me?] hoc est, à sorte mea, Assyrius scilicet vel Romanus, vel diabolus [cum resecratur] iterata tyrannide [qui regiones nostras diuidat] hoc est, suis satellitibus sorte distribuat. Simile *Isa.* 28. Dixistis enim; Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos. Et post paucã respondet: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & peccatum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. *Isa.* 1. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili [propter hoc] scilicet quia talem falsam consolationem tibi promittis [non erit tibi mittens funiculum sortis] in restituenda tibi hæreditate [in cœtu Domini] hoc est, in cœtu reuertentium de captiuitate. Hoc significatum est *Esdræ vlt.* vbi qui non inuenerunt genealogiam scripturæ suæ, separati sunt ab hæreditate Domini.

Ne loquamini loquentes] Secunda consolatio, vbi sibi impunitatem ex misericordia Dei promittebant [Ne loquamini loquentes] *Isa.* 3. Populi meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant [Non stillabit super istos] ira Dei, supple per temporalem pœnam; quia, sicut stilla post stillam, sic pœna post pœnam ordinate inducitur. *Iob* 29. Stillabat super illos eloquium meum. Et quod dixit, exponit subdens [non comprehendet confusio] per pœnam scilicet: hoc est enim contra hoc quod dicitur *Matth.* 22. Malos male perdet [dicit domus Iacob] impunitatem scilicet in peccatis sibi promittens, quod est lactare peccatores, *Prouer.* 1. Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Peccatores spe impunitatis non sunt lactandi.

Nunquid abbreuiatus est spiritus Domini? Ratio est populi ad confirmandam falsam consolationem, & est sensus. Nunquid spiritus Domini omnibus largus in bonitate, breuis & restrictus erit nobis? Quasi dicat; Non: & ideo saluabit nos. Fundatur super illud *Isa.* 59. Ecce non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neque aggrauata auris eius vt non exaudiat. Et addunt aliam rationem [& tales sunt cogitationes eius] quales scilicet hominum, vt antiquam retineat iram. *Isa.* 55. Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et subdit responsionem Domini contra præsumptionem eorum.

Nonne verba mea] per Prophetas scilicet dicta [bona sunt?] hoc est, consolatoria, & multa bona promittentia [cum eo] bono scilicet viro [qui recte graditur] *Hieremy* Bonus quidem sum, sed non malis, sed eis qui recte gradiuntur. *Zach.* 1. Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, consolatoria. *Psalm.* 17. Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde [Et è contrario] contra me scilicet sæuiendo [Populus meus] quondam, supple [in aduersarium consurrexit] contra me scilicet. Propter quòd *Iere.* 5. dicitur: Aduersatrix filia Iuda, quia aduersatur Deo suo. *Iere.* 12. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem. In quo autem aduersetur, subdit, peccata improperando.

Desuper tunicam pallium substulistis] tunica à tegendo dicta operimentum nuditatis est; pallium vero exterius vestimentum, quod tollebant solum tegimen nuditatis propter confusionem relinquentes. *Iob* 24. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. *Cant.* 5. Tulerunt pallium meum custodes murorum. Quod etiam prælatis conuenit per calumniam populum spoliantibus. Et subdit.

Et eos qui transibant simpliciter] hoc est, sine dolo & fraude negotia sua agentes [conuertistis in bellum] per aduocatos scilicet, & cauillationes. *Psal.* 67. Dissipa gentes quæ bella volunt. Aduocati enim sunt qui omne rectum pertertunt. *Amos* 5. Conuertitis in absynthium iudicium, & iustitiam Domini in terra relinquitis. *Isa.* 5. Iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferetis ab eo. Nec hoc solum, sed [& mulieres populi mei eiecistis] vel in captiuitatem mittendo propter peccatum, vel à viris suis separando per calumniam. Et hoc est quod sequitur [de domo deliciarum suarum] hoc est, ad quos quondam delicatos videbant cum matre & pueris. *Matth.* 2. Clamantur Iudei in adificationem Domini quasi filios, hoc est, mansionarios, & habent alium Deum alienum. Deinde Dominus vitam qui fecerit hoc, magistrum & discipulum in Israel. Hoc est lingua aduocatorum, de qua dicitur. *Iob* 18. Lingua certa mulieres viratis eiecis & priuasti illas laboribus suis. Prima enim lingua suspicio veritatis est in conquerente. Secunda lingua responsio veritatis est in iudice. Tertia lingua iustitiæ peruersio est in cauillatore] à

Aduocatorum vitia.

Lingua veritatis duplex.

paruulis earum] quos scilicet nutriendos ad laudem meam susceperunt [tulistis] hoc est, abstulistis [laudem meam] hoc est, materiam laudis meæ [in perpetuum] eiecti enim & spoliati beneficiis, Deum iam non laudant, sed potius murmurant & blasphemant. *Isa* 52. & *Roma.* 2. Iugiter tota die blasphematur nomen meum per vos inter Gentes. Econtra autem de bonis dicitur in *Psal.* 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. *Hierony.* Per matronas, vrbes Iudæ metaphorice captæ intelliguntur. Ex omnibus his infert comminationem, subdens.

Surgite] supple, ergo [& ite] in captiuitatem [quia non habetis hic] in domibus & in terra vestra [requiem] *Iere.* 16. Seruietis diis alienis qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. *Thren.* 5. Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies. Quare autem non sint hic habituri requiem, subdit, supple, quia [propter immunditiam eius] populi, scilicet in peccatis & idololatriis [corrumpetur] supple, terra, fœtore scilicet cadauerum [putredine pessima] per gladium scilicet regis Babylonis, vel extremæ condemnationis. *Amos* 4. Percussi in gladio iuuenes vestros vsque ad captiuitatem equorum vestrorum, & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras. *Isaiæ* 34. Inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium; quia dies vltionis Domini est. *Septuaginta* sic. Duces populi mei proiicientur de domibus deliciarum suarum, propter malas ad inuentiones suas eiecti sunt *Hierony.* Ecclesiæ principes qui deliciis affluunt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiam se seruare credunt, propheticus sermo describit, quod eiiciendi sint de spatiosis domibus, lauriisque conuiuiis & multo labore epulis conquisitis, & eiiciendi propter malas cogitationes & opera sua. Et si vis scire quo eiiciendi sint, Euangelium lege *Matth.* 25. In tenebras scilicet exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium. An non confusionis & ignominiæ est, Iesum crucifixum magistrum pauperum atque esurientem fartis prædicare corporibus, & iuuenum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre?

Pudicitiã inter epulas seruare difficile.

Vtinam non essem vir] Tangitur hic compassio Prophetæ in tribus, affectu scilicet compassionis, prædicatione veritatis, & promissione consolationis [Vtinam non essem vir] scilicet non fractus mollitie falsitatis, sed viriliter stans veritatis vigore. 1. *ad Timoth.* 2. Vir non est seductus, sed mulier seducta in præuaricatione fuit [habens Spiritum] *Hieronymus.* Vbicunque in veteri vel nouo testimento, spiritus sine additamento ponitur, in bonam partem accipitur [& mendacium potius loquerer] hoc est, vtinam spiritu meo, qui falli potest, hoc diceretur, & non à Spiritu veritatis. Et sic excluditur obiectio quorundam, dicentium non debere sanctum virum optare se spiritum Dei non habere. Cum verbis enim ad animam peruenientibus non valet huiusmodi processus, volo hoc, ergo non volo poenitentiam eius; quod tum ipso stare non potest. Vnde voluit & Spiritum Dei habere, & tamen hoc quod dixit, à Spiritu Dei non dicere. Simile *Roman.* 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis *Iorem.* 28. Cum Ananias pseudopropheta diceret, Contriti sunt iugum regis Babylonis, & quod referenda essent vasa Domini in Ierusalem, ait Ieremias ad

Nota regulam de verbis prophetarum.

Ananiam, Amen, sic faciat Dominus, suscitet Dominus verba tua quæ prophetasti; vt referantur vasa in domum Domini. Et subdit de prædicatione veritatis.

Stillabo tibi in vinum] ac si dicat, infra *Mich.* 3. Ego repletus fortitudine Spiritus Domini, qui est Spiritus veritatis, stillabo, hoc est, ordinate prophetabo, in vinum compunctionis scilicet & amaritudinis. *Psalm.* 59. & 79. Potasti nos vino compunctionis, & potum dabis nobis in lachrymis [in ebrietatem] *Hieronymus.* Quia Propheta sum & Spiritu Dei loquor, & à diuinitate missus prædico veritatem, propterea stillabo tibi sermonem meum in meracum, vinum quod te inebriet & corruere faciat. *Iorem.* 25. Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, & nolite consurgere à facie gladij, quem ego mittam inter vos [& erit super quem stillatur] siue, supple, velit siue nolit [populus iste] 2. *Corinth.* 13. Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed omnia pro veritate. Et subdit de promissione consolationis.

Congregatione congregabo Iacob] Vocatiui casus est [totum in te vnum] hoc est, ô Iacob totum te qui verus luctator es virtutis, totum te congregabo congregatione. Congregatione congregatur, in quo est aliqua forma congregationis, sicut est forma charitatis vel spiritus, & ordo ecclesiasticus vel virtutis; in vnum autem congregatur, qui non disparí cultu, sed vni Deo coniungitur. *Psal.* 105. Congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini tuo *Ezech.* 34. Congregabo eos de terris inimicorum suorum. Et post pauca. Quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in vocationes, & congregauerim eos super terram suam, & non reliquerim quenquam ex eis ibi. Et hoc est quod sequitur.

Conducam reliquias Israël pariter] in cor vnum scilicet & animam vnam. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. *Isa vij.* Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino [Ponam illum quasi gregem in ouili] hoc est, sub vnius pastoris custodia in Ecclesia. *Ioan.* 10. Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor [quasi pecus in medio caularum] supple, ponam eum. *Glossa* inducit hoc *Psal.* 22. In loco pascuæ ibi me collocauit. Caula ouium est, in qua pabula reponuntur. *Gene.* 24. Palearum quoque plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. *Ezech.* 34. In pascuis vberrimis pascam eos, in montibus excelsis Israël erunt pascua eorum, ibi requiescent in herbis virentibus & in pascuis pinguibus pascentur [Tumultuabuntur à multitudine hominum] *Hieron.* Tumultus est clamor nimiæ multitudinis pari aspiratione emissus. *Isaia* 60. Tunc videbis & afluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.

Ascendet ipsis] pastor scilicet & dux, per verbum scilicet & exemplum [pandens iter ante eos] hoc est, planum iter faciens & patulum. *Ioan.* 10. Cum propria oues emiserit, ante eas vadit & oues illum sequuntur [diuidam & transibunt portam] hoc est, diuident greges, scilicet, hircos ab ouibus, & malos à bonis, & transibunt portam sacramentorum & virtutum, quæ inducit in Ecclesiam. *Ezech.* 34. Ecce ego iudicio inter pecus & pecus, arietem

arietem & hircum. *Matth.* 25. Separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hœdis [& egredientur per eam] portam Ecclesiæ, pastorem, scilicet, qui est ostium & ostiarius. *Ioan.* 10. Ego sum ostium, per me siquis introierit, saluabitur. & ingredietur & egredietur & pascua inueniet [Et transibit rex] hoc est, prælatus [eorum coram eis] in verbo scilicet & exemplo. 1. *Pet.* 2. Forma facti gregis ex animo [& Dominus in capite eorum] supple, transibit, tanquam omnium princeps. 1. *ad Corin.* 11. Caput Christi, Deus. 1. *Pet.* 2. Conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum,

---

CAPVT III.

Et dixi.

IN hoc capitulo exaggerat pœnam sub differentia peccantium. Et diuiditur in tria, in peccata scilicet tyrannorum, pseudoprophetarum *ibi* [Hæc dicit Dominus super Propheras] & prælatorum *ibi* [Audite hæc principes domus Iacob] Prima in duas, primo improperat peccata, secundo interminatur pœnam *ibi* [Tunc clamabunt] In prima attentos reddit, & explanat circa quid attendant.

Et dixi] authoritate scilicet Domini. *Ezech.* 2. Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant & quiescant [Audite principes Iacob] duodecim scilicet tribuum. Et nominat Iacob, vt pudeat eos tantum patrem non imitari. Moraliter autem, per Iacob qui luctator interpretatur, seculares significantur, in lucta mundi viuentes; & principes Iacob, principes tribuum & familiarum dicuntur [& duces domus Israël] hoc est, sacerdotes & reges & præfecti, qui non tantum super familias, sed super totum populum vel magnam partem constituti sunt. *Psal.* 67. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, & principes Nephthalim. *Sap.* 6. Audite reges & intelligite, discite iudices finium terræ. *Psal.* 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Et subdit quid audiant, scilicet, quod impedimentum boni & impedimentum veritatis est apud eos, eo quod informati sunt contrario boni & contrario veri. Et hoc primo dicit in vniuersali, secundo demonstrat in particulari.

Consueta relinquere difficile.

Nunquid vestrum est scire iudicium?] quasi diceret. Non est. Quia quamuis ex officio scirent, tamen prauitas mentis scire cum affectu non permittit. *Hierom.* Non estis digni scire iudicium Dei, quod est abyssus multa, nec prauæ mens vestra penetrat profundam eius iustitiam. Simile *Iere.* 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam: poteritis & vos bene facere cum didiceritis malum. 1. *Regum* 2. Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, nec officium sacerdotum ad populum. *Sap.* 1. In malenolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et subdit quod obstat contrarius habitus & affectus [qui odio habetis bonum] neutraliter vel masculine. Si neutraliter bonum in actibus & effectibus odio habuerunt, sed non bonum vtide omne bonum, quia hoc (vt dicit *Dionysius*) nemo odisse potest. Si masculine, tunc bonos & sanctos odio habuerunt. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. *Psal.* 49. Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum [& diligitis malum] neutraliter vel masculine. *Psal.* 49. Si videbas furẽ currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. *Isa* 59. Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum, pedes eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem innocentem. Et descendit ad specialia.

Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis] Per pelles exteriora bona significantur, quæ in regumentum & defensionem mortalitatis data sunt. Ideo sub metaphora leonis vel latronis crudelitas principum Israël describitur, qui subditis tanquam pecoribus vtuntur, excoriantes oppressionibus angariarum & perangariarum rapinis. Animal enim cui tota pellis auertur, moritur. *Isa* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt, & effeminati dominati sunt eis [& carnem desuper ossibus eorum] supple, violenter tolliris. Per carnes significantur mollia & delicata ad fomentum teneritudinis humanæ concessa, tam in vestitu quã in lectulo & esculento & poculẽto. *Iob* 10. Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. De talibus mollibus dicitur *Ezech.* 16. Similam & mel comedisti & oleum, & decora facta es vehementer nimis. Hæc mollia vestiunt ossa ne arescant. Et exaggerando peccatum iterat.

Tyrannis principum execranda.

Qui comederunt carnem populi mei] *Psalm.* 13. Qui deuorant plebem meam sicut escam panis [& pellem eorum desuper excoriauerunt] & exteriora & teneritudini interioti contessa deuorantes. *Ezech.* 34. Facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum [& ossa eorum confregerunt] Ossa in quibus sustentatio & robur corporis est, vires corporis & virtutes animæ significantque confringunt, qui angariis & perangariis consumunt vires corporis, & lassant virtutes animæ. *Isaiæ* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum comolitis? *Psal.* 102. Ossa mea sicut cremium arueruntur [& conciderunt sicut in lebete] Scissura diuisionem notat; non etiam vnus rapuit, sed quilibet in officio. Lebes autem constrictionem significat, qua in termino suæ potestatis constrinxerunt pauperes. Et hoc est quod sequitur [& quasi carnem] supple, conciderunt eos [in medio ollæ] Olla Ierusalem significat, ciuitatem, vel Ecclesiam, in qua prædicto modo coquuntur pauperes. *Ezech.* 24. Væ ciuitati sanguinum, ollæ cuius rubigo in ea est. Et post pauca. Cuius ego grandem faciam pyram. Congere ossa quæ igne succendam; consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio. *Iere.* 1. Ollam succensam ego video. Et subdit pœnam [Tunc] in tribulatione scilicet futura [clamabunt ad Dominum] *Isa.* 65. Vos præ dolore cordis clamabitis, & præ contritione spiritus vlulabitis [& non audiet eos] *Glossa.* Iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam. *Iacob.* 2. *Petrus* 1. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me. Et hoc est quod sequitur] & absconder faciem suam ab eis] Abscondere faciem

ciem, est subtrahere gratiam. *Iob* 13. Faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum. *Isa.* 54. In indignatione mea abscondi faciem meam paululum à te [in tempore illo] quando scilicet maxime indigent. *Deu.* 32. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo [sicut nequiter egerunt]. Nequiter agere est tantum malum facere, quod nequeat plus. 1. *Reg.* 17. Ego noui nequitiam cordis tui [in adinuentionibus suis] nouos modos extortionis semper inuenientes. *Isa.* 3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum vt prouocarent oculos maiestatis eius.

Hæc dicit Dominus Deus super Prophetas] In hac secunda parte loquitur contra Prophetas, exaggerando peccatum & interminando pœnam [Hæc dicit Dominus Deus super Prophetas] opprimendos scilicet massa tribulationis [qui seducunt populum meum] hoc est, seorsum à veritate ducunt, *Rom.* 16. Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Videtur tangere eos qui nostris temporibus se fingunt visiones videre, & diuinant seducendo populum. *Ierem.* 14 Visionem mendacem & diuinationem fraudulentam & seductionem cordis sui Prophetant vobis. *Iere.* 23. multum de hoc est, & sic concluditur. Vsquequo istud in corde Prophetarum vaticinantium mendacium & prophetantium seductionem cordis sui, qui volunt facere vt obliuiscatur populus meus nominis mei? *Ezech.* 13. Vident vana & diuinant mendacium, dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perstiterunt confirmare sermonem [qui mordent dentibus suis] comminationes scilicet, & iras denuntiantes non dantibus. *Prou.* 30. Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus [& prædicant pacem] dentibus, supple. *Ezech.* 13. Deceperunt populum meum, dicentes: Pax pax, & non est pax. Et quod dixit, exponit [Et] id est [si quis non dederit in ore eorum quippiam] munus scilicet [sanctificant] hoc est, prophetali sermone confirmant [super eum prælium] futurum scilicet. *Ezech.* 13. Violabant me ad populum meum propter pusillum hordei, & fragmen panis vt interficerent animas quæ non moriuntur, & vitificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo, credenti mendaciis. Et subdit de pœna.

Propterea nox vobis pro visione erit] *Genes.* 1. Tenebras vocauit noctem. Tenebræ autem hic dicuntur occultatio veritatis. *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine [& tenebræ vobis] supple, erunt [pro diuinatione] Diuinationem vocat coniecturam de futuris per imagines, vel species sensibilium, vel alias coniecturas quæ in creaturis sunt. Quia Hieron. dicit, quod diuinatio in malum sonat. *Isa.* 59. Impegimus in meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi iporrui [& occumbet sol super Prophetas] sol dicitur lumen intellectus diuini, veritates rerum irradians, qui peccatis super Pseudoprophetas. *Sap.* 3. Sol intelligentiæ non est ortus nobis [& obtenebrabitur super eos dies] hoc est, dies claræ veritatis in effectu erit eis tenebrosus: quia tunc videbitur quod falsum dixerunt. *Sap.* 17. Totus orbis terrarum limpido illustrabatur lumine.

Contra pseudoprophetas vitia ac mendaciis nitentes.

Et confundentur qui vident visiones] Confusionem vocat ruborem. Verecundantur enim cum res contraria promissioni eorum venerit. *Psal.* 108. Induantur sicut diploide confusione sua. Visiones dicit videre, qui se iactant visiones videre; cum tamen nihil videant. *Iere.* 23. Prophetæ assumunt linguas suas, & aiunt: Dicit Dominus. Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo & in miraculis suis. Dicunt enim, quod Deus miracula cum eis facit, & quod plus est, sic stigmata eis imponit suæ passionis, vt dicunt [& confundentur diuini] diuinantes scilicet in coniecturis, vel ludificationibus dæmonum. 3. *Reg. vlt.* Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius [& operient vultus suos] omnes præ confusione. *Isa.* 29. Claudet oculos vestros, Prophetas vestros, & principes vestros qui vident visiones operiet. Et reddit causam [quia non est responsum Dei] supple, in eis, sed potius spiritus erroris decepit eos. *Ezech.* 20. Hæc dicit Dominus; Nunquid ad interrogandum me vos venistis? viuo ego quia non respondebo vobis. *Iere.* 23. In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerterentur vnusquisque à malitia sua.

Hypocrisis vitanda.

Verumtamen] Notat aduersationem & distinctionem ad falsos Prophetas [repletus ego sum] qui verus sum Propheta [fortitudine Domini] fortitudo dicitur hic virtus in quam non potest incidere falsitas, vel mendacium, vel deceptio. *Luca vltimo.* Sedere in ciuitate quousque induamini virtute ex alto. *Actu* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis; quoniam Spiritus sanctus dabit eloqui illis [iudicio] supple, sum repletus, hoc est, discreticus veritatis, vt scilicet sciam discernere quid à Spiritu Dei, vel à spiritu hominis decepibili, vel à spiritu diaboli mendaci dicatur. Hoc enim inter dona Dei (1. *ad Corinth.* 12.) nominatur, cum dicitur: Alij per Spiritum datur discretio spirituum. 3. *Ioan.* 4. Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo sunt [& virtute] supple, sum repletus, vt scilicet non terrear minis, nec flectar promissis. *Iere.* 1. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram [vt annuntiem Iacob] Datini casus [scelus suum] quod scilicet pro Deo idola coluerunt, vel Dei Filium crucifixerunt [& Israel peccatum suum] quod scilicet corruptis moribus perpetrauerunt. *Isa.* 58. Annuntia populo meo scelera eorum & domui Iacob peccata eorum.

Audite hæc principes] Tangit hic peccata Prælatorum simoniace spiritualia vendentium, & primo exaggerat culpam, secundo interminatur pœnam *ibi* [Propter hoc causa vestri] Exaggerando culpam primo facit hoc in genere, secundo in specie.

Audite hæc principes domus Iacob] hoc est duarum tribuum, vel Ecclesiæ quantum ad actiuos. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum] & iudices domus Israel] inferiores scilicet Prælati, de quibus dicitur *Isa.* 1. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos [qui abominamini iudicium] *Glossa.* Falsa iudicaris, Scripturas de prauatis. *Iere.* 23. Furantur sermones meos. Furari enim sermones, est de sermonibus verum intellectum

ctum subtrahere [& omnia recta peruertitis] pro muneribus scilicet iudicando, vt tantum quilibet iuris habeat, quantum habet muneris. *Isaie* 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Et post pauca: Qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferetis ab eo. Et descendit ad specialia [qui ædificatis Sion in sanguinibus] vel nece innocentium, vel subtractione necessariorum pauperum, vel introductione nepotulorum. *Eccl.* 34. Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Et *ibidem.* Qui effundit sanguinem & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. *Ezech.* 44. Inducitis filios alienos, incircumcisos corde & incircumcisos carne, vt sint in sanctuario meo [& Ierusalem in iniquitate] supple, hoc est, Ecclesiam, vel domos vestras in Ecclesia de acquisito per iniquitatem: vnde *Glossa.* in rapinis pauperum. *Habac.* 2. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excello nidus eius. Hoc faciunt qui aliena rapiunt & de illis Ecclesias fundare, vel eleemosynas facere quærunt. *Eccl.* 34. Immolantis ex iniquo, oblatio erit maculosa. Et hoc ostendit per singulos.

Sacrificia de alieno non faciendum.

Principes eius in muneribus iudicabant] vendendo scilicet sententias. *Isa.* 1. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones [& sacerdotes eius in mercede docebant] non attendentes hoc quod dicitur *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Act.* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, dixit Petrus Simoni Magoli & Prophetæ eius [qui locum tenent Religiosorum] in pecunia diuinabant] hoc est, responsa Dei profitebant. Vnde Eliseus laudatur (4. *Regum* 5.) quia Naaman offerenti pretium, respondit: Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam cuiquam vim facetur penitus non acquiescit. Giezi autem vituperatur ibidem quia pretium accepit, cui etiam cum pretio lepra adhæsit. Si autem obiicitur de hoc quod dicitur 1. *Regum* 9. quod puer Saul respondit: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram. Respondet *Hieron.* quod non legitur hoc Propheta accepisse, quinimo & gratis respondit, & cominium & hospitalitatem insuper exhibuit. Et potest intelligi, quod quartam partem stateris non pro diuinatione, sed pro iure hospitij exhibere cupiebat. Item si obiiciatur de illo 3. *Reg.* 14. quod vxor Ieroboam missa ad Ahiam Propheram, tulit in manu sua decem panes, & crustulam, & vas mellis. Soluit *Hieron.* quod non accepit, sed etiam eam obiurgauit. *Hieron.* Non deberent ministri Ecclesiæ propter pecuniam officia sua administrare. Nec tamen prohibentur hoc quod debetur eis ex officio accipere ad necessitatem, non ad luxuriam.

Spiritualia gratis sunt exhibenda.

Et omnia hæc facientes [super Dominum requiescebant] spe scilicet, & fiducia auxilij. *Isa.* 58. Me de die in diem inquirunt & vias meas scire volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. His respondetur *Sap.* 5. Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur, & quasi spuma gracilis quæ à procella dispergitur [dicentes] impunitatem sibi in peccatis promittendo] Nunquid non Dominus in medio nostrum] supple, est? & hoc propter templum dicebant, quod putabant defensione Dei nullo modo esse violandum. *Iere.* 7. Simile. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Et hoc est quod sequitur [non venient super nos mala] scilicet propter sanctitatem templi. Non attenderunt quod dicitur 2. *Mach.* 5. Non propter locum, gentem; sed locum propter gentem elegit Dominus. Propter hoc factus est locus particeps malorum populi. Quin potius (*Ezech.* 9.) incipit iudicium à domo Domini, & primum interficiuntur qui in templo peccabant. Et propter hoc subdit de pœna.

Propter hoc] quia scilicet falsa præsumptione vos lactatis [causa vestri] hoc est propter peccatum vestrum [Sion] arx scilicet, & domus regis [quasi ager arabitur] destructis scilicet ædificiis, & muris. *Hierem.* hoc est, hostili aratro diuidetur. Et tangit consuetudinem antiquorum victorum, qui loca expugnata aratris diuidebant, & sale seminabant [& Ierusalem quasi acerus lapidum erit] concidentibus scilicet ædificiis in ruinas. *Isaie* 25. Posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam [& mons templi in excelsa syluarum] supple, verterunt, muris destructis. *Matth.* 24. Videtis has omnes ædificationes, non remanebit lapis super lapidem qui non destruatur. *Hieronymus* dicit, quod excelsa syluarum sunt habitationes bestiarum. *Isa.* 34. Ponam eam in possessionem erinij, & erit cubile draconum, & pascua struthionum. Nunc autem videmus Sion, hoc est, contemplationem religionis in culturam gentium, hoc est, mundanorum esse conuersam: & Ierusalem, hoc est, Ecclesiam in duritiam cordium super lapidem, & montem templi indignitate cleri in excelsa syluarum, vt magis alijs syluestres sint. *Iere.* 26. Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acerus lapidum erit, & mons domus Domini in excelsa syluarum. Totum hoc fit peccatis Prælatorum, qui Sion ædificant in sanguinibus. *Hieronymus in originali.* Prælati quoscumque de asseclis suis ordinantes clericos, & vitam eorum in scandalum populi exponentes, rei sunt infidelitatis eorum qui scandalizantur.

CAPVT IV.

Et erit.

TAngitur hic consolatio in duobus, scilicet, cultu templi, & ortu Christi ducis, per quem fit consolatio *ibi* [Et tu Bethlehem Ephraim] Prima in duas. Primo enim ostendit perfectionem cultus & solutionem cuiusdam obiectionis scilicet. Quare permisit eos affligi *ibi* [Dole & farage filia Sion] In prima tria sunt, scilicet, dignitas & fructus cultus, congregatio, & multiplicatio colentium *ibi* [In die illa dicit Dominus] & perfectio potestatis ecclesiasticæ *ibi* [& turris nebulosa] In prima tria sunt; sublimitas cultus, frequentia colentium, & fructus qui est pacis securitas.

Et erit] confirmati o sequentium est. Et est sensus. Quod prophetatur, erit & absque dubio euenit. *Gen.* 41. Fiat sermo Dei & velocius impletur [in nouissimo dierum] hoc est, in vltimo statu mundi, cui alius status in cultu non succedet

1. *Ioan.* 2.

1.*Ioan.*2.Fili,nouissima hora est.*Glossa.* Vndecima hora, quando ad conducendos operarios Saluator aduenit. *Matth.*20. Hi dicuntur dies propter claram iustitiam quæ tunc fulgebit. *Isa.*60. Super te orietur Dominus,& gloria eius in te videbitur[erit mons]eminentia scilicet sanctitatis & cultus. *Iere.* 31.Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Gen.* 19. In monte saluum te fac. *Gen.*22.In monte Dominus videbit. Hic est mons in quo transfiguratur Dominus ante Discipulos. *Matth.*17. [domus Domini]habitationis scilicet Dei cum familia sua. Nam in monte excelso erat ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum, quæ est regio luminis & caloris. *Ezech.*40. Dixit ad Prophetam *Ezech.*44. Locus solij mei, & locus scabelli pedum meorum vbi habito in medio filiorum Israel.*Psalm* 67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo [præparatus] *Septuaginta.* Manifestus. Et intelligitur præparatus à Deo in ornatu & cultu.*Apoc.*21. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam[in vertice montium]vertex linea est duas diuexitates altitudinis montis in summo continuans, & intendit quod omnes mundi altitudines in se Christus continuat.2.*ad Cor.*10.Arma nostræ militiæ non sunt carnalia; sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem in se aduersus scientiam Dei. *Ioan.*12. Ego si exaltatus fuero à terra,omnia traham ad meipsum [& sublimis super colles] hoc est, super Sanctorum & Angelorum eleuationes.*Hebr.*1. Tanto sublimior Angelis factus,quanto differentius nomen præ illis hæreditauit.*Glossa* inducit illud *Philip.*2. Dedit illi nomen quod est super omne nomen.*Cantic.*2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.Et subdit de frequentia colentium.

Et fluent ad eum populi] hoc est, diuersitates populorum. Ex omnibus enim populis tribubus & linguis vidit Ioannes stantes ante thronum. *Apoc.*4.[& properabunt gentes multæ] per deuotionem scilicet fidei; non enim tantum venient populi Iudæorum, sed etiam Gentes ex præputio. *Isa.* 55.Properate,emite,& comedite. *Hebr.*3.& 4. Festinemus ingredi in illam requiem, vt non oboriatur quis ex nobis fallacia peccati. Et dicit, Gentes multæ,vt dicit *Glossa*, & inducit illud *Act.* 2.Ex omni natione quæ sub cælo est, Parthi, & Medi,& Elamitæ & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrigiam,& Pamphiliam Ægyptum,& partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & proselyti, Cretes, & Arabes. *Matth* 9.Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum [& dicent] mutuo scilicet se ad veniendum exhortantes. *Apoc.vbi.* Qui audit,dicat.Veni[venite]fidei scilicet deuotione. *Hierom.* ad vexillum patibuli se mutuo propocantes. *Iere.*51.Venite & nolite stare, recordamini procul Domini;& Ierusalem ascendat super eos vestrum. Ascendamus profectu veritatis secundum intellectum, & profectu virtutis secundum affectum. *Psalm.*63.Accedat homo ad cor altum. *Ezech.*41. Septem gradibus ascendebatur, qui septem dona sancti Spiritus significant [ad montem Domini] hoc est,ad eminentiam sanctitatis eius. *Exod.*19. Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne. Fumus deuotionem orationis, ignis feruorem charitatis significat [& ad domum Iacob]Domus Iacob familiam significat luctatorum in virtute, eo quod lucta Angelus Iacob virtutem impressit. *Isaie* 2. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Dei nostri. Et subdit profectum veritatis.

Et docebit vos de viis [suis]hoc est, de præceptis & exemplis,in quibus ambulauit.*Ioan.*13.Ego sum via,veritas,& vita.*Psal.*24. Vias tuas Domine demonstra mihi[& ibimus] hoc est, proficiemus [in semitis eius]Semita via compendij est, & consilia significat.*Isa.*26. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te, Iustum antonomastice vocat Christum. Et subdit eausam, quare eundum est ad domum Dei.

Quia de Sion exibit lex] quæ à seruitute & à peccato liberat, & hæc est lex Euangelij & charitatis.*Rom.*8. Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.*Isa.*42. Iudicium Gentibus proferet.Iudicium enim vocat legem Euangelij. *Psal.* 18.Lex Domini immaculata conuertens animas. *Isa.*33.Dominus legifer noster, Dominus rex noster,ipse veniet & saluabit nos. *Isa.*51. Lex à me exiet,& iudicium meum in lucem populorum requiescet[& verbum Domini]doctrinæ scilicet, & prædicationis[de Ierusalem] supple, egredietur, hoc est,de Ecclesia,vt scilicet in forma vna Ecclesiæ prædicetur & doceatur.*Psal.*67. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. *Marc.vlt.*Illi autem profecti, prædicauerunt vbique. *Act.*4.Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis.

Lex euangelica libertatis est.

Et iudicabit]iudicio scilicet discretionis [inter populos multos]ostendens quid verum quid falsum,quid bonum quid malum, quid dignum salute & quid indignum.*Isa.*2.Et arguet populos multos.*Ioan.*16.Ille arguet mundum de peccato.*Psal.* 42.Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta[& corripiet gentes fortes]Gentes dicuntur super generationem corruptam nihil habentes, fortes vero in defensione erroris sui pertinaces.2.*ad Timoth.*4. Argue, obsecra,increpa. *Psalm.*140. Corripiet me iustus in misericordia,& increpabit me[vsque in longinquum]hoc est, vsque in fines orbis terrarum.*Ezech.*24. Enarrabo doctrinam vsque in longinquum. *Isa* 24. A finibus terræ laudem audiuimus, gloriam iusti. Et subdit de pace quæ est effectus iustus.

Et concident gladios suos in vomeres] quanquam post multa bella, orbis ad pacem redactus fuerit sub Augusto Cæsare, quando natus est Dominus; tamen gladij qui conciduntur in vomeres conuenienter intelliguntur rationes & defensiones,quibus quilibet errorem suum defensabat,qui conciduntur acumine veritatis & conflantur calore charitatis in vomeres, hoc est, sermones exhortatiuos,quibus vnus homo alium colit ad fructum iustitiæ.Vnde *Isa.*2.Conflabunt gladios suos in vomeres. *Psal.*45. Arcum conteret & confringet,arma & scuta comburet igni [& hastas suas] *Septuaginta* Zibunas. Zibunas autem est hasta longa cuspide lanceata;significant autem dolos & circumuentiones & iras, quibus seinuicem homines pupugerunt ante Christum,[in ligones]siue in falces, vt dicitur *Isa.*2. quibus scilicet vnus alium metat in vitam æternam, & in horreum Domini

ponat.*Ioan.*4.Qui metit,mercedem accipit,& congregat in vitam æternam. *Matth* 10. Rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Et quod dixit,exponit subdens.

Non sumet gens aduersus gentem gladium]ad errores sui defensionem, omnibus in vna fide concorditer viuentibus. *Psal.* 36. Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.*Iud.*5. Noua bella elegit Dominus & portas hostium ipse subuertit [& non discent vltra belligerare] nullo scilicet resistente. *Isa.* 2. Nec exercebuntur vltra ad prælium. Et subiungit de securitate.

Et sedebit vir subtus vineam suam]vir est,vt dicit *Gregorius*, qui contra biformes fortunæ insultus vniformi constantia mentis militat præmunitus.Hic sub vinea sedet,hoc est, quiescit, quando in spe gaudiorum cælestium fructum expectat lætitiæ.*Ioan.*1.Cum esses sub ficu, vidi te [& subtus ficum suam]Subtus ficum sedet, qui dulcedines virtutum & meritorum experitur, vt dicit *Hieronymus* 1.*Mach.*14.Senes Iuda sedebant vnusquisque sub vite sua & sub ficulnea sua, nec erat qui eos terreret. Et hoc est quod sequitur[& non erit qui deterreat]1. *Machab.* 14. Defecit impugnans eos super terram.*Iob* 5. Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.*Ioan.*17. In mundo pressuram habebitis,in me autem pacem. Et subdit sermonis confirmationem [quia os Domini exercituum] quod mentiri non potest[loquutum est] *Num.*23. Non est Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Et subdit de separatione Ecclesiæ ab erroribus & errantibus.

Quia omnes populi]errantes scilicet [ambulabunt]hoc est,in peius proficient [vnusquisque in nomine] hoc est,in notitia opinata [Dei sui] hoc est,erroris sui,quem pro Deo colit.*Iere.*2. Adamauit alienos & post eos ambulo.*Isa.*53. Omnes nos quasi oues erraiimus; vnusquisque in viam suam declinauit[nos autem]ab erroribus aliorum scilicet separati[ambulabimus] profectu fidei & virtutis[in nomine] hoc est, clara notitia Dei nostri. *Isa.*60. Quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos,super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur [in æternum & vltra] Æternum hic improprie sumitur pro tempore è termino,hoc est,quod terminum non habet, quia tempus gratiæ Ecclesiæ non habebit alium terminum extra se.Vltra autem dicit profectum in gloria.*Exod.*15.Dominus regnabit in æternum, & vltra.Quidam exponunt hoc de his quæ accident in aduentu Messiæ Iudæorum; sed planum est, quod hoc in præterito nunquam accidit, sed si expectatur in futurum,non erit nisi in aurea Ierusalem,& ideo fabulam reputamus. Si enim totus fundus conuertetur in aurum, mirabile est ad quid debeant esse aratra & ligones.

In die illa] Tangit hic fidelium congregationem & multiplicationem[in die illa] quando scilicet lucebit veritas & iustitia [dicit Dominus] *Psal.*117.Hæc est dies quam fecit Dominus [congregabo claudicantem]hoc est, Synagogam quæ modo ad idola,modo ad Deum claudicabat.3.*Reg.* 18.Vsquequo claudicatis in duas partes? vel peccatores quibus statio rectum dicit, sed voluntas non obedit.*Hebr.*12.Genua soluta erigite, & gressus rectos facite pro pedibus vestris; vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur [& eam quam eieceram] propter fornicationes in idololatria & peccatis[colligam] scilicet ad thorum immaculatum. *Iere.*3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me & ego suscipiam te[& quam afflixeram],diuersis scilicet captiuitatibus, vel forte excommunicationibus tradendo diabolo, vel forte laboribus pœnitentiæ. *Isa.*54.Vt mulierem dereliqtam,& mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam. Dixit Dominus Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo.

Et ponam claudicantem in reliquias] vt non tota scilicet perdatur, sed aliqui seruentur ex ea. *Isa.*3.Nisi Dominus reliquisset nobis semen,quasi Sodoma facti essemus.*Isa.*10. In veritate reliquiæ conuertentur,reliquiæ (inquam) Iacob ad Dominum Deum fortem [& eam quæ laboranerat]diuersis scilicet captiuitatibus & oppressionibus malorum & dæmonum. *Sap.*5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles [in gentem robustam] supple, ponam. Robustus est quem nec tormenta nec promissiones separant à charitate Christi, vt dicit *Glossa. Rom.*8. Quis ergo nos separabit à charitate Christi?tribulatio,an angustia,an fames,an nuditas, an persecutio,an periculum, an gladius? Quasi dicat. Non.*Isa.*60.Minimus erit in mille, & paruulus in gentem robustissimam [& regnabit Dominus super eos]eiectam scilicet,& afflictam. Regnum autem intelligitur in omni iustitia & perfectione. *Matth.*6.Adueniat regnum tuum.*Sap.*3. Regnabit Dominus illorum in perpetuum [in monte Sion] in Ecclesia scilicet. *Isa.*46. Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam.*Psal.* 145. Regnabit Deus tuus Sion, in seculum & in seculum seculi.Et hoc est quod sequitur [ex hoc nunc] hoc est, ex hoc præsenti quod breue est, in quo scilicet tribulationes patimur, & in gratia viuimus[& vsque in seculum]æternum scilicet, in quo remuneramur.2.*ad Corinth.*4. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur,sed quæ non videntur.

Præsentis temporis signa est, breuis est tribulatio.

Et tu turris]Tangit hic de sublimitate potestatis,duo dicens,scilicet,adeptionem, & consolationem quæ est ex adeptione tali [Et tu turris gregis nebulosa] Turris dicitur Sion vel Ierusalem, eo quod gregem Domini custodiat, & per eam grex exeat & introeat.*Cant.*4. Turris Dauid ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea,omnis armatura fortium. Turris autem dicitur ab altitudine contemplationis & subtilitatis, & propter munitionem veritatis. *Isa.*5. Ædificauit turrim in medio eius.*Psal.*121. Fiat pax in virtute tua,& abundantia in turribus tuis. Sub hac turri quiescunt greges Ecclesiarum, scilicet, congregationes in defensione & pabulo. *Prou.*18. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum confugiet iustus & saluabitur. *Cant.* 8. Ego murus & vbera mea sicut turris. Hæc est nebulosa, & secundum *Septuaginta* caliginosa,secundum *Symachum* squalida:& ,vt dicit *Hieronym.* interpretatur Ophel Hebraice; quia modo angustiis premitur & turbationibus.*Thren.*3. Me minauit,& adduxit in tenebras & non in lucem [filiæ Sion] mutatis enim filiam Sion, hoc est, Ecclesiam. Et totum quod

dictum est quasi obsolutum est. Et subinfertur [usque ad te veniet] ille scilicet, qui congregabit claudicantem; venit autem ad te naturam assumendo & sanctificando, & inter homines conuersando. *Baruch* 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Ioan.* 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis [& veniet] cum eo supple[potestas prima] hoc est, maxima & dignissima. *Dan.* 7. Potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. *Matth vlt.* Data est ei omnis potestas in cælo & in terra. *Ier.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere. *Ioan.* 17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Quæ autem sit ista potestas & in quo, subdit [regnum filiæ Ierusalem] hoc est, quæ potestas est regnum filiæ Ierusalem. *Psalm.* 144. Regnum tuum regnum omnium seculorum. In Ierusalem enim, hoc est, in visione pacis æternæ primum & præcipuum regnum Dei est. *Matth.* 13. Mittet Angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala. *Hieronym.* Quod in quibusdam libris legitur. Et ingredietur principatus primus regnum filiæ Sion de Babylone, sciamus additum esse de Babylone: quia neque in Hebræo, neque apud alios habetur interpretes. *Septuaginta* enim translatio sic habet. Et ingredietur principatus, primum regnum filiæ Ierusalem. *Isa* 9. Factus est principatus super humerum eius, Et subdit consolationem.

Nunc] hoc est, in præsenti tempore [quare] hoc est, qua de causa [mœrore contraheris?] *Septuaginta.* Quare cognouisti mala, hoc est, cognosce causam, quare sis in mœrore & mala præsentia cognoscas per experientiam. Hoc enim non potest esse, nisi propter peccatum tuum. *Isa.* 54. Vt mulierem derelictam, & mœrentem spiritu vocauit te Dominus. Quod autem ex peccato proprio sit, probat subdens [Numquid rex non est tibi?] Q.d. Est, ex quo venit ad te potestas prima, ergo ex defectu potestatis regis mœrore non contraheris, *Sap.* 3. Regnabit illorum rex in æternum. *Isa.* 33. Regem in decore suo videbunt, victoriosum scilicet, & gloriosum, vt etiam Angeli mirentur. *Psal* 23. Quis est iste rex gloriæ? *Isa.* 64. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Non est ergo ex defectu regis [aut consiliarius tuus periit] Q.d. Non. *Isa.* 9. Vocabitur admirabilis, consiliarius. Non ergo potest esse ex defectu consilij. Et bene ergo dico, quod mœrore contraheris ex tuo vitio [quia comprehendit te dolor, sicut parturientem] Dolor qui comprehendit parturientem, ex concepta libidine causatur: & ipa dolor pœnarum, qui comprehendit peccatorem, ex concepto prius in libidine peccato inducitur. *Isa.* 59. Conceperunt laborem, & peperierunt iniquitatem. *Isa.* 37. Dies tribulationis & angustiæ, correptionis & blasphemiæ, dies hæc: quia venerunt filij vsque ad partum, & non erat virtus pariendi. 1. *ad Thess.* 5. Cum dixerint. Pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in vtero habentis. Peccatum enim in libidine concipitur, & in dolore parituri per pœnam: contra sanctum propositum in timore & tristitia concipitur, & in gaudio paritur ad gloriam. *Isa.* 26. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. *Hieron. in originali.* Legamus Scripturas & nunquam inueniemus sanctas mulieres cum dolore peperisse, excepta Rachel, quæ quia in via erat & hippodromo, id est, in equorum cursu, qui in Ægypto venundantur, filium peperit doloris, quem postea vocauit pater filium dexteræ. Eua eiecta de paradiso audiens. In dolore paries, peperisse scribitur in dolore *Gen.* 3. De Rachel autem *Gen.* 35. Vxor Phinees contracta, nec se erigens sicut illa quam alligauit Satanas *Luc.* 13. peperit, postquam arcam Dei captam, populique cognouisset ruinam, & vocauit puerum Ichabod, quod interpretatur inglorius 1. *Reg.* 4. Sara autem quæ sancta erat & defecerant ei muliebria, hoc est, mulieris mollities, nato Isaac, dicit. Risum mihi fecit Dominus. Ex quo ergo tuo vitio comprehendit te dolor.

Peccatum est omnis pœna causa.

Dole] per pœnitentiam & contritionem [& satage] hoc est, satis age per satisfactionem [ô filia Sion] anima scilicet pertinens ad æternam contemplationem, vt scilicet tanto beneficio fias digna. *Luc.* 23. Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete & super filios vestros. Dole, dico [quasi parturiens] cui causa doloris est conceptus in libidine, sicut iam ante dictum est. *Ioan.* 16. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius [quia] [supple, per peccatum tuum [nunc] hoc est, in proximo egredieris per captiuitatem [de ciuitate] [supple, tua. *Isa.* 6. Relinquentur ciuitates absque habitatore & domus sine homine [& habitabis in regione] hoc est, in diuersitate regionum per dispersionem captiuitatis, *Isa.* 22. Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam [& venies vsque ad Babylonem] per duarum trium scilicet captiuitatem [ibi liberaberis] à seruitute scilicet captiuitatis, per Zorobabel scilicet, & Iesum sacerdotem magnum. *Iob* 36. Libera eum ne descendat in corruptionem. Per quem autem hoc fiat, subdit *ibi* [redimet te Dominus] de quo dicitur in *Psal.* 129. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio [de manu inimicorum tuorum] hoc est, de potestate Chaldæorum & dæmonum. *Psal.* 30. Libera me & eripe me de manu inimicorum meorum. *Osee* 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Adhuc dico, Dole & satage.

Et] id est, quia [nunc] in hoc præsenti propter peccata tua [congregatæ sunt super te gentes multæ] vt te affligant, & captiuitati subiiciant. *Psal.* 2. Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. *Psal.* 3. Multiplicati sunt qui tribulant me [quæ dicunt, Lapidetur] sicut scilicet adultera quæ Deum suum dereliquit. *Exod.* 23. præcipitur adultera lapidari. *Ioan.* 8. Hæc mulier modo in adulterio deprehensa est, Moyses vero præcepit nobis huiusmodi lapidare [& aspiciat in Sion] pœnas scilicet, & afflictiones oculus noster. *Hieronymus.* Delectetur oculus videns pœnam illius. *Luca* 19. Inimicos meos qui noluerunt me regnare super se, adducite eos & occidite coram me. Vnde gloriantes dicunt. *Thren.* 2. En ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus. Et subdit de sapientia Dei hoc permittente.

Ipsi autem non cognouerunt cogitationes Domini] quare scilicet hoc cogitauit fieri, quòd sui in præsenti affligantur. Hoc enim facit, vt peccatum in eis deleatur, & magis humilientur, & virtus eorum probetur; & aliis exemplum patientiæ detur. *Iacob* 2. Beatus vir qui sustinet tentationem.

Cur Deus sinat hic iustos affligi.

Iacob. 5. Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris & patientiæ Prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini, ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt [& non intellexerunt consilium eius] Consilium Dei, diffinitio est de futuris, vt dicit *Gregorius.* Hoc enim diffiniuit profundo iudicio Deus, vt persequutores Sanctorum & fabricent eis coronas perpetuas, & sibiipsis prolongent iniquitatem ad supplicium. *Isaie* 44. Suscitans verbum serui sui, & consilium nuntiorum suorum complens. Hoc enim est consilium quod omnes Prophetæ prænuntiauerunt. *Isaie* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet [quia congregauit eos quasi fœnum areæ] *Septuaginta*, vt manipulos areæ. Fœnum est esca ignis, & cibus iumentorum, & significat eos qui ad ignem æternum parati sunt propter supplicia quæ inferunt Sanctis. *Matth.* 6. Fœnum quod hodie est, cras in clibanum mittitur. Et ex quo ad hoc congregati sunt.

Surge] hoc est, sursum te age [& tritura ô filia Sion] inimicos tuos scilicet contere, vel verbo prædicationis, vel malleo comminationis. *Isa.* 41. Triturabis montes & comminues colles, quasi puluerem pones eos, *Isa.* 25. Triturabitur Moab sub eo sicut teruntur paleæ in plaustro [quia cornu tuum] quod significat potestatem [ponam ferreum] hoc est, domans alias potestates sicut ferrum domat alia metalla. *Psal.* 131. Illuc producam cornu David. Item *Psalm.* 74. Exaltabuntur cornua iusti. Vnde *Zach.* 1. Inducuntur fabri contra cornua iniqua, Et subiungitur sic, Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo illorum leuauit caput suum; & venerunt isti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium quæ leuauerunt cornu super terram Iuda vt dispergerent eam. Hæc autem cornua significant fortitudinem virtutis & firmitatem veritatis, quæ ventilant errorem & vitium [& vngulas tuas ponam æreas] Vngulæ diuisæ discretionem significant, quibus conteruntur errores & vitia, sicut palea. Vnde *Leuit.* 11. Animal quod vngulam non findit, immundum erit. Hæ dicuntur æreæ, quia in sono mallei, quod est verbum Dei, palea peccati per discretionem conteritur. Et hoc est quod sequitur,

Et comminues populos multos] hoc est, per pœnitentiam & contritionem ad minuta deduces. Hoc enim comminuere est, quod est conterere. *Psal.* 17. Confringam illos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos [& interficies Domino] hoc est, ad honorem Domini. Et tales sunt qui gladio verbi Dei interficiuntur, vt scilicet peccato moriantur & iustitiæ viuant. *Exod.* 32. Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum [rapinas eorum & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ] [supple, consecrabis. Vnde *Septuaginta.* Vouebis Domino multitudinem eorum, & robur eorum Domino vniuersæ terræ. Rapinæ ex præda acceptæ, sunt virtutes seculares & scientiæ, quas vidis infidelibus accepimus ab eis in obsequium Christi. *Iosue* 6. Quicquid auri & argenti fuerit, & vasorum æreorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris eius. Aurum sapientiam, argentum eloquentiam, æs materiam sermonum, ferrum artes syllogisticas, quæ alia domant, significat. Et hoc quidem promitto in futurum: sed nunc vastaberis [captiuitate scilicet Babylonica & Romana] ô filia latronis, hoc est, diaboli semper ad prædandum accincti. *Hebræi* 1. Semper interficere gentes non parcit. Et subdit signum ex causa sumptum, & suppletur, quia.

Scientiæ philosophicæ in obsequium fidei sunt adhibendæ.

Obsidionem posuerunt super nos] LXX. angustiam posuerunt super nos, scilicet, filiæ latronis & ipse latro. Super nos autem dicit, quia Propheta connumerat se capiti, & quoniam obsidionem posuerunt contra Christum, contra Sanctos dixit posuisse. Obsidionem autem posuerunt contra Christum, quando obsederunt eum in domo Caiphæ & Annæ, & in prætorio Pilati. *Iob* 19. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me, obsederunt in gyro tabernaculum meum. Quid autem fecerint obsidentes, subdit [in virga percutient maxillam iudicis Israël] virgam arundinem vocat, qua percussum fuit caput Domini. Arundo enim quæ sambucus dicitur, ad modum virgæ recta est, & propter duritiam corticis exterioris dure percutit, & liuores facit, & ideo eum arundine percussum fuit caput Domini, sicut dicitur *Luc.* 23. Hieronymus dicit, Super nos, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. His contumelia facta fuit in percussione Christi. Iudex enim Israël Christus est. Quod autem dicit maxillam, propter hoc dicit quia *Matth.* 26. Seruus summi pontificis dedit Christo alapam, dicens; Sic respondes pontifici? *Thre.* 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

CAPVT V.

Et tu Bethlehem.

Tangitur hic de liberatore, & habet partes duas. Primo enim tangitur proprietates liberatoris, secundo proprietates liberationis *ibi* [Et erunt reliquiæ Iacob] In prima determinantur duo, scilicet, modus ortus sine natiuitatis, & modus pacis quam faciet *ibi* [Et erit iste pax] In prima tria sunt, scilicet, modus ortus ex patria, & modus ortus ex patre & matre, & magnificentia præsentantis.

Et tu Bethlehem Ephrata] Ephrata Bethlehem dicitur ab vxore Caleph ibi sepulta, & non ex hoc quod in sorte Ephraim fuerit, vel ex hoc, vt dicunt quidam, quod cum primo esset ibi fames, quoniam Noemi inde peregrinata est *Ruth.* 1. tanta vbertas facta est postea ibi, quod & Bethlehem & Ephrata dicta est. Bethlehem enim domus panis, Ephrata fructifera interpretatur. Bethlehem enim secundum veritatem in sorte Iudæ fuit. Vnde *Matth.* 2. Pharisæi dixerunt Herodi scificanti vbi Christus nasceretur. In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ab exemplo ergo Ephrata dicebatur [parvulus es in millibus Iuda] hoc est, parvulus viculus es quantitate scilicet [in Iuda] hoc est, in sorte, vbi tot sunt millia ciuitatum, oppidorum, & viculorum. Et licet sis parva quantitate, magna tamen eris dignitate; supple, quia [ex te mihi] hoc est, ad honorem meum egredietur] quantum ad natiuitatem terrenam [qui sit dominator

Bethlehem in sorte est Iudæ.

nator in Israël] Christus scilicet de quo dicitur in *Psal.* 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, Ille enim vere dominator est, qui per naturam diuinam authoritatem habet omnis dominij, eo quod omnibus superponitur; & per naturam humanam natus est in dominium regni, sicut Christus fuit. *Sapienti 6.* Non subtrahet personam cuiusquam Dominus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusquam. *Sapienti.* 12. Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas. Vnde etiam Dominus dominorum dicitur. 1. *ad Timoth.* 6. Rex regum, & Dominus dominantium. *Apoca.* 19. Habet in vestimento & in femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.

Hieronymus obiicit contrarietatem ex *Matth.* 2. vbi dicitur, Nequaquam minima, hic autem, Paruulus es. Soluit autem sic. Dictum est quod paruulus fuit viculus quantitate, nequaquam autem paruulus dignitate. Si tunc vellemus hoc quod hic dicitur, Paruulus es in millibus Iuda, interrogatiue legere sic. Paruulus es, hoc est, paruulusne es in millibus? Quasi diceret. Nõ. Quia ex te mihi egredietur. Tunc concordaret prophetia cum Euangelio, & in hoc sensu videtur ab Euangelista inductum esse. Et subdit de modo generationis à Patre.

Et egressus eius] per diuinam scilicet generationem, supple, est [ab initio] hoc est, à Patre qui omnium initium est, & qui principium est totius diuinitatis, vt dicit *Augustin.* In ipso enim est initium Filij per generationem actiuam, & initium Spiritus sancti per actiuam spirationem, qui sunt dies æternitatis. Sunt enim prima lux omnia illustrans, qui nec principium durationis habent nec finem. *Psal.* 109. Ex vtero ante luciferum genui te in splendoribus Sanctorum. *Eccl.* 24. Ecce feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens. *Sap.* 7. Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit vna lux trium, tamen propter distinctionem personarum & attributorum, pluraliter significantur, cum dicitur [à diebus æternitatis] Luces enim singularium personarum in Christo homine apparuerunt, Pater scilicet in potentia. *Ioan.* 5. Pater in me manens ipse facit opera, Filius ipse in sapientia. *Eccl.* 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Spiritus sanctus in distributione charismatum & gratiarum. *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. *Eccl.* 43. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exuflans. Et subiungit de ortu ex matre, & de conuersione facta ad ipsum.

Trinitatis mysterium circa Christum emicuit.

Propter hoc] quia scilicet talis est liberator [dabit Deus eos] nunc, supple, hoc est, Iudæos tradet in manus hostium & contrariorum, vt afflictis per pœnam dulcior & appetibilior sit liberatio. *Psal.* 43. Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Et hoc est quod sequitur [vsque ad tempus in quo parturiens parit] Parturiens parere dicitur Beata Virgo, vel Ecclesia, quia sola peperit perfectum; omnes autem aliæ quasi informes genuerunt. Et quia sola, sicut sine concupiscentia concepit, ita sine dolore peperit. *Isaiæ* 66. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret tempus partus, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile? *Iere* 31. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum. Hæc est generatio quarta, de qua dicitur *Gene.* 15. Generatione quarta reuertentur huc. Humanas enim generationes quatuor legimus: Adæ de terra, formante Deo: Euæ virginis de Adam virgine, item Deo formante: Abel & Cain de Adam & Eua corruptis, quæ sicut dicitur *Gene.* 5. Non fuit ad imaginem Dei perfectam, sed ad imaginem Adæ corruptam. Quarta autem fuit Christi virginis de Virgine Maria, non ad imaginem hominis, nec ad imaginem Dei, quia præposito, ad, notat distantiam & remotionem, sed fuit generatio ipsius Dei imaginis. Vnde sicut in integritate natus est ex Patre, sic in integritate natus est ex matre. *Hebr.* 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, *Coloss.* 1. Qui est imago Dei inuisibilis. Et quia quarta generatio reducit, ideo sequitur.

Beata Maria sola sine dolore perfectum peperit.

Generationis humanæ quatuor sunt gradus.

Et reliquiæ fratrum eius] hoc est, qui reliqui fuerunt, quos gladius & fames non consumet, & error infidelitatis non obtæcabit [conuertentur] Fratres autem vocat Iudæos, quia ex eis secundum carnem natus est. *Ioan.* 20. Dic fratribus meis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. *Heb.* 3. Non confunditur fratres vocare eos, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis [ad filios Israël] hoc est, ad fidem Patriarcharum & Prophetarum, qui fide & operibus præuenerunt Christum, & credendum esse in eum. Sic enim corda patrum sunt in filiis per fidei vnitatem. *Luc.* 1. Vt conuertat corda patrum in filios, & cor filiorum ad patres eorum. *Isa.* 10. In vestigio reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Dominum fortem.

Et stabit] rectitudine scilicet vitæ, doctrinæ, & iudicij *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit, quem vos nesciti. *Cant.* 4. En ipse stat post parietem nostrum. Solus enim in rectitudine stare potest corporis parietem [& pascet] conuersos scilicet ad se verbo, & exemplo, & temporali subsidio. *Ioan.* 8. Vnde ememus panes vt manducent hi? *Sap.* 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Et hoc est quod sequitur [In fortitudine Domini] Panis enim ille confortat virtute Domini. *Act.* 9. Cum accepisset cibum, confortatus est. *Psal.* 103. Panis cor hominis confirmat. In fortitudine huius cibi ambulauit Elias quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem dei Horeb. 3. *Regum.* 19. [& in sublimitate nominis Domini Dei sui] Hoc dicit, quantum ad perfectionem sapientiæ. *Matth.* 7. Mirabantur super doctrina eius; erat enim loquens, sicut potestatem habens. *Act.* 7. Non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. *Ioan.* 9. Nunquam sic loquutus est homo, vt iste loquitur [& conuertentur] Alia litera, hæreditabunt. *Isa.* 45. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ [quia nunc magnificabitur] potestate scilicet, & veneratione [vsque ad terminos terræ] vt scilicet in toto mundo sit potestas & veneratio ipsius. *Isa.* 24. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti. *Psal.* 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. *Isa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salutem vsque ad vltimum terræ. Et subdit de effectu pacis.

Et erit iste pax] hoc est, causa pacis *Ephes* 3.

Ipse

Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum [cum Assyrius venerit in terram nostram] Assyrius interpretatur sustollens vigilias, & significat diabolum qui semper vigilat ad nocendum. 1. *Pet.* 5 Aduersarius vester diabolus circuit, quærens quem deuoret. *Gregorius.* Sicut non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël; ita non dormitabit neque dormiet qui impugnat Israël. Hic intrat in terram nostram, quando potestatem accipit in nos *Iob* 9. Terra tradita est in manus impij [& quando calcauerit in domibus vestris] Domus nostræ sunt cor, conscientia, spiritus, sensus corpus, & huiusmodi: in quibus calcare diabolus dicitur, quando vestigia pedum suorum imprimunt. *Isa.* 7. Erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris. *Psal.* 55. Conculcauerunt me inimici mei tota die [& suscitabimus super eum] Conuniterar se membris Christus, & quod ipse facit, attribuit sibi in membris; & dicit se suscitaturum, quia in prælatione non viuit, sed mortuus est, qui à Deo ad prælationem non vocatur. *Deuter* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris. *Iere.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum [septem pastores] qui Sanctos significant veteris testamenti, qui hebdomadi, hoc est, septenario seruiebant. Septimum enim diem, septimam septimanam, septimum mensem, & septimum annum obseruabant [& octo principes hominum] *Septuaginta.* octo mortus hominum, hoc est, preces noui testamenti, qui octoadi, hoc est, octonario deseruiunt, vt mordeant per reprehensionem, & expellant verbo Dei Assyrium. *Hieronymus* inducit illud *Threna.* 13. Da partes septem, nec non & octo. Verbis enim & exemplis patrum veteris testamenti & noui, & pascuntur fideles, & expellitur diabolus.

Prælatio non nisi Deo vocante amplectenda.

Et pascent terram Assur in gladio] Terra Assur terra diaboli est, vbi scilicet homines diaboli, vel diabolici habitant. Gladius autem est gladius Spiritus sancti, quod est verbum Dei *Ephe.* 6. Pascere autem depascere est, hoc est, lacerare & vastare; lacerabunt enim comminationibus; & vastabunt increpationibus, sicut dictum est Petro *Act.* 10. Macta & manduca. *Osee* 6. Occidi eos in verbis oris mei [& terram Nemrod] supple pascent [in lanceis suis] Lancea zelum animarum significat, in quo zelo perfodiuntur animæ conuersorum per verbum Dei. *Iob* 16. Circundedit me lanceis suis, vulneranit lumbos meos. Vulneratur enim lanceis qui zelo animarum perfoditur. 2. *Regum* 23. Prævaricatores quasi spinæ euellentur, quæ non tangunter manu, sed siquis voluerit eas tangere, armabitur ferro, & ligno lanceato, acumine scilicet zeli. *Ioel.* 3. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Tunc enim tempus est prælianti in verbo gladij Domini, & compungendi conscientias ad pœnitentiam. Nemrod autem interpretatur tyrannus vel tentatio descendens, & significat eos qui tentationem diaboli sustinuerunt, & tyrannide eius oppressi sunt. De vna enim terra sicut dicitur *Gene.* 10. Exiuit Nemrod & Assur, quia Assur fuit de filiis Nemrod. Nemrod enim sicut ibidem dicitur, cœpit esse robustus venator coram Domino.

Et liberabit ab Assur] supple, terram nostram [cum venerit in terram nostram] conculcando scilicet & tentando. *Luc.* 1. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi 2. *ad Cor.* 1. De tantis periculis nos eripuit, & eripuit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis [& cum calcauerit in finibus nostris] Hæc est vera litera, vt dicit *Hieron.* & hæc falsa: Et conculcauerit in monte sancto nostro. Montem enim sanctum nostrum Christum non conculcauit Assur; sed nos humiles conculcat, quando vigiliarum suarum vestigia nobis imprimit in tentatione, & peccato. *Psal.* 55. Conculcauerunt me inimici mei tota die.

Christum tentatori non succubuit.

Et erunt reliquiæ Iacob in Gentibus] Tangit hic Christi successorum id Apostolis & Apostolicis viris fecunditatem & audaciam, & ideo duo dicuntur hic [Et erunt reliquæ Iacob] De Iudæis scilicet conversis [in Gentibus] ad quas scilicet ibunt conuertendas [In medio populorum multorum] Populi multi dicuntur omnes diuersitates populorum ex quibus aliqui conversi sunt ad Dominum. *Isaiæ* 1. Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus [quasi ros à Domino] hoc est, missus à Domino ad fecunditatem scilicet cordium seminatorum per verbum Dei. *Iob* 29. Ros morabitur in messione mea. *Osee* 14 Ero quasi ros, & Israël germinabit sicut lilium *Isa.* 26. Ros lucis ros tuus, & terram gigantium detrahes in ruinam. *Cantic.* 5. Caput meum plenum est rore [& quasi stillæ super herbam] Stillæ sunt ordinatæ eloquia, corda infundentia. *Psal.* 64. In stillicidiis eius lætabitur germinans. *Iob* 29. Stillabat super eos eloquium meum. Herbæ autem sunt corda recenter virorum virtutis emittentia. *Deut.* 32. Quasi imber super herbam; & quasi stillæ super gemina [quæ non expectat virum] hoc est, auxilium viri. A Deo enim accipit incrementum. 1. *ad Cor.* 3. Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus [& non præstolantur filios hominum] Non enim separat in homine, sed in solo Deo. *Iere.* 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Econtra: Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. *Psal.* 145. Nolite confidere in principibus in filiis hominum, in quibus non est salus. Omnia enim virtute Dei faciebant Apostoli. Et subdit de audacia, & determinat audaciam in idolo, atrilis & in idolis.

Et erunt reliquiæ Iacob] hoc est, Apostoli & Apostolici viri [in Gentibus] dispersi scilicet propter prædicationem [in medio populorum multorum] vt omnes scilicet diuersitates populorum ad Dominum conuertantur [quasi leo in iumentis] hoc est, in iumentis sylueſtribus. Leone enim rugiente [vt dicit *Hieronymus*] animalia sylueſtria figunt gressum; ita prædicantibus Apostolis & Apostolicis viris sylueſtres homines gradum fixerunt, & ad leonem rugientem tremebundi conversi sunt. *Amos* 3. Leo rugiet, quis non timebit? *Amos* 1. Dominus de Sion rugiet & de Ierusalem dabit vocem suam [& quasi catulus leonis in gregibus pecorum] Catuli leonis successores sunt Apostolorum qui pecorinos homines à peccatis conuerterunt. 1. *Machab.* 3. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione, & perseruans est vitos iniquos, perseruans eos [qui] scilicet leo vel catulus leonis [cum transierit] discursu scili-

Apostoli Leoni comparantur.

cet prædicationis [& conculcauerit] superbos scilicet humilitate pœnitentiæ. *Eccli.* 24. Superborum & sublimium colla propria virtute calcaui [& ceperit] tenendo scilicet per consensum fidei & deuotionem. *Isa.* 5. Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur eam [non erit qui eruat] tanta enim deuotione adhærebunt Domino, quod nec prosperis nec aduersis separabuntur ab eo. *Iom.* 10. Non rapiet eos quisquàm de manu mea. *Prouerb.* 30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Et apostrophat ad Deum conuertens sermonem.

Et exaltabitur manus tua] supple, sic ô Deus [super hostes tuos] vt manui tuæ subiiciantur, hoc est, operibus & præceptis. 1. *Pe.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exalter in die visitationis. *Isa.* 26. Domine Deus exaltetur manus tua, & ignis hostes tuos deuoret. Et hoc est quod sequitur [& omnes tui interibunt inimici] ab inimicitia scilicet & si non à natura; conuertentur enim ad amicos. *Psal.* 67. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Item: Dixit Dominus, Ex Basan conuertam in profundum maris. Quia ex confusione peccatorum, conuertit in amaritudinem pœnitentiæ.

Et erit in die illa, dicit Dominus] Tangit hic destructionem idolorum in ritu & idolis [In die illa] quando clara erit lux scilicet veritatis. *Psal.* 117. Hæc est dies quam fecit Dominus [auferam equos de medio tui] hoc est, de corde tuo quod in medio tui est. In Ægypto equis abundauerant & illos semper desideraueruntque lasciuos impetus & ad concupiscentiam significant. *Isa.* 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes. *Psal.* 31. Nolite fieri sicut equus & mulus. *Tobiæ* 6. In eos qui coniugia ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excutiant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, super eos habet potestatem dæmonium. *Osee* 14. Super equum non ascendemus. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam [& disperdam quadrigas tuas] quæ scilicet fiunt cogitatione, libidine, consensu, & opere. Vel consensu, opere, consuetudine, præsumptione peccati. Vel forte quatuor passionibus inordinatis. *Iosue* 11. Equos eorum subneruabis, & currus eorum igni combures.

Et perdam ciuitates terræ tuæ] ædificatas scilicet contra Deum, infidelium congregationes. *Iosue* 12. Ipsam vrbem peremit incendio, & omnes per circuitum ciuitates, regesque earum deleuit, sicut præceperat Dominus Moysi [& destruam omnes munitiones tuas] defensiones scilicet quibus in errore te defendas. 2. *ad Corinth.* 10. Arma nostræ militiæ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes [& auferam maleficia de manu tua] Maleficia sunt veneficia quibus homines decipiuntur in operibus nigromanticis & idolorum. *Ezod.* 23. Maleficos non patieris viuere. *Deute.* 18. Non inueniatur in te, qui sit maleficus, neque incantator, neque qui Pythones consulat; & diminationes non erunt in te, quibus scilicet per responsa dæmonum, & alias artium illicitarum coniecturas futura tibi prophetabas. *Numer.* 22. Non est augurium in Iacob neque diuinatio in Israël.

Maleficiis & diuinatio euuentur.

Et perire faciam sculptilia tua] Sculptile est est quod homo fingit ad venerandum, siue hoc sit de diuitiis, vel deliciis, & honoribus. *Exod.* 20. Non facies sculptile, nec vllam similitudinem [& statuas tuas de medio tui conteram] Statuæ sunt idola siue cordis statua, quæ sibi præponit homo ad adorandum in vita, & quæ venerantur sicut idola, sicut ille diues. *Luc.* 12. qui dixit: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos. *Genes.* 35. Abiicite deos alienos, qui in medio vestrio sunt, & mundamini ac mutate vestimenta vestra. De medio autem tui dicit; quia in corde statuuntur quod in medio est. *Osee* 2. Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum [& non adorabis vltra opera manuum tuarum] *Osee vltimo.* Nec dicetis vltra: Dij nostri opera manuum nostrarum. Opera manuum suarum adorat qui operibus suis gloriatur, & quærit honorari. *Iob* 31. Si osculatus sum manum meam in abscondito.

Et euellam lucos tuos de medio tui] Lucus dicitur quasi minime lucens, & est locus arboribus amœnis & vmbrosis consitus, vbi (sicut dicit *Vitruuius* in architectura) Veneri sacrificabatur vt amœnitate ad libidinem incitaret, & vmbrositate turpitudinem regeret. *Deutero.* 16. Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei. Lucum plantat qui amœnitatem indi diligit, & in concupiscentiis obscœnis ambulat. *Iudicum* 6. Destrues aram Baal quæ est patris tui, & nemus quod iuxta eam est, succide. *Iere.* 2. Sub omni ligno frondoso prosternebatis meretrix [& conteram ciuitates tuas] hoc est, impias impiorum congregationes. *Psalm.* 54. Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. *Iosue* 6. Sit ciuitas anathema. *Isaiæ* 25. Posuisti ciuitatem in tumultum, vrbem fortem in ruinam.

Lucus.

Et faciã in furore] Furor est in interminatione æternæ pœnæ. *Psalm.* 6. & 37. Domine ne in furore tuo arguas me [& in indignatione] quantum ad gratiæ subtractionem *Thren.* 2. Effudit quasi ignem indignationem suam. *Psalm.* 29. Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius [vltionē] vt scilicet furore puniantur & indignatione bonis priuentur. *Deuter.* 18. Ego in temporore vltor existam. *Psalm.* 94. Deus vltionum Dominus. *Ioel.* 3. Cito velociter reddam vicissitudinem in caput vestrum [In omnibus gentibus quæ non audierunt] per obedientiam scilicet vocationem meam. *Hebræ.* 2. Omnis inobedientia iustam accepit mercedis retributionem.

CAPVT VI.

Audite quæ Dominus loquitur.

HIc incipit pars illa quæ est de inclinatione ad pœnitentiam per contestationem iudicij diuini, & habet duas partes. Primo enim fit contestatio & inclinatio ad pœnitentiam. Secundo inducitur dolor & gemitus populi compuncti, infra 7. *ibi* [Verum] Prima pars diuiditur in duas. Primo enim conuincitur populus de ingratitudine in Deum. Secundo conuincitur de dolis & fraudibus

fraudibus in proximum *ibi* [Vox Domini ad ciuitatem] Prima in duas. Primo enim conuincitur populus. Secundo gemit & inquirit, qualiter satisfaciat *ibi* [Quid dignum offeram Domino?] Prima adhuc in duas. Primo enim omnes prouocat ad iudicium. Secundo allegat pro causa sua ad omnes *ibi* [Popule meus] Dicit ergo.

Audite] vox Prophetæ est [quæ Dominus loquitur] ac si dicat. Hæc enim debetis audire: quia Dominus audiendus est. 1. *Regum* 5. Loquere Domine, quia audit seruus tuus *Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus [Surge] hoc est, hoc principit mihi Deus, dicēs [surge] sursum te erige, vt scilicet iustitiam Dei consideres in omni rectitudine veritatis. Surge autem dicitur sedentibus. *Psal.* 126. Surgite postquàm sederitis. Dicitur etiam dormientibus & mortuis. *Ephe.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis [contende iudicio] conuictionis scilicet vt ostendatur iustitia, qua ego punio populum. *Isa.* 3. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui [aduersum montes] superbos scilicet, & potentes in principatibus constitutos. *Hieronymus* tamen vocat montes superiores Angelos terris præpositos, & inducit illud *Deutero.* 32. secundum literam *Septuaginta.* Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei. Potuit tamen melius induci hoc *Eccli.* 17. In vnamquamque gentem præposuit rectorem, & pars Dei Israël facta est manifesta [& audiant colles vocem tuam] iustitiam scilicet meam proponentem. Colles vocat inferiores prælatos, vel secundum *Hieronymum*, Angelos inferiores singulis hominibus deputatos. Et est sensus secundum *Hieronymum* Contende iudicio, vt non solum coram hominibus, sed etiam coram Angelis superioribus & inferioribus iustitia mea appareat. *Ezc.* 36. Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus, rupibus & vallibus.

Audiant montes iudicium Domini] conuictionis scilicet qua conuincit populum suum. Et sicut dicit *Hieronymus* magnæ humilitatis est, quòd ille qui ex authoritate iudicare habet, diiudicari vult cum seruo. *Iob* 31. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo [& fortia fundamenta terræ] hoc est, fortes principes, in quorum custodia fundantur terreni. *Iob* 9. Deus cuius iræ resistere nemo potest, sub quo curuantur qui portant orbem. *Psalm.* 17. Fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis. Et subdit causam.

Quia iudicium Domini] disceptationis scilicet & conuictionis, supple, est [cum populo suo] hoc est, contra populum suum, quod valde terribile est. *Psalmo* 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens [&] id est [cum Israël diiudicabitur] quia ille est populus suus, & tanti patris scilicet qui à rectitudine nomen accepit, deberet esse imitator. Et est sensus. Non ex potestate, sed ex iudicio vult agere vobiscum. Populus enim murmurabat, quòd non recte pro peccatis parentum punirentur, sicut dicitur *Ezech.* 18. Vnde & ibi conuincuntur, quòd æqua est via Domini & viæ illorum prauæ sunt. Ideo dicitur etiam *Isa.* 58. Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt. Et ideo dicitur ibi: Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Et proponit pro Domino beneficia & gratias quæ fecit, primo in genere, secundo in specie. In genere dupliciter, scilicet, quod bona exhibuit & in nullo molestus fuit.

Populo meus quid feci tibi] hoc est, quid in beneficiis non feci tibi? *Osee* 6. Quid faciam tibi Iuda? quid faciam tibi Israël? hoc est, Cum omnia fecerim quæ debui, quid vlterius requiris? aut quid molestus fui tibi] iniurias scilicet aliquas inferendo? Ad primum respondet *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Tobiæ* 12. Bonis omnibus per eum repleti sumus. Ad secundum respondetur 1. *Regum* 25. Homines isti satis boni fuerunt nobis, & non molesti, nec quicquam aliquando periit omni tempore quo fuimus cum eis conuersati. 2. *ad Corinth.* 7. Nos neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Et si hoc faciunt homines diuini, multo magis facit Deus [Responde mihi] Hoc remissiue legendum est; tamen Deo obiicienti non est qui respondet. *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non respondebit vnum pro mille. *Isa.* 38. Quid dicam, aut quid respondebit mihi? Et proponit in speciali.

Quia eduxi te de terra Ægypti] *Exod.* 5. & 14. & 15. Et debet intelligi: Eduxi te cum potestate magna & gloria, sicut & nos educit de peccatis & desideriis seculi. *Osee* 11. Ex Ægypto vocaui filium meum. *Isa.* 64. Sicut eduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. *Deutero.* 32. Dominus solus dictor eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. *Psalmo* 104. Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia [& de domo seruitutis] vbi scilicet in luto & latere seruiebas. *Exo.* 5. [liberaui te] hoc est, libertate donaui, vbi etiam, vt dicitur in *Psal.* 80. In cophino seruiebant. Cophinus autem est sporta qua immunditiæ plateanim exportantur. *Psal.* 80. Manus eius in cophino seruiebant, sicut & nos à seruitute diaboli liberat & operibus carnis. *Gala.* 5. Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem vestram in occasionē detis carnis. *Gala.* 4. Illa quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra. *Iom.* 8. Si manseritis in sermone meo, vere liberi eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos [Et ne lertares, supple [misi ante faciem tuam] vt videres eos & imitareris. Simile *Luc.* 1. Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ [Moysen] in ducem scilicet [& Aaron] in sacerdotem [& Mariam] in prophetissam. *Osee* 12. In propheta eduxit Dominus Israel de Ægypto, & in propheta seruatus est. Ex Moyse legem accepit in formam vitæ. *Eccli.* 24. Legem mandauit vobis Moyses in præceptis iustitiarum. *Ioan.* 1. Lex per Moysen data est, per Aaron in sacramentis sanctificationem, & pro peccatis intercessionem, *Sap.* 18. Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati. In Maria autem (quæ illuminatrix interpretatur) responsi diuini in verbo habuit illuminationem. *Exod.* 15. Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum manu, egressæque sunt omnes post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat. *Ioel* 2. Prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Hæc in Christo completa sunt, qui dux fuit per naturam diuinam, sacerdo-

Cophinus.

Christus fideles suos libertati restituit.

cerdos per naturam humanam, illuminator per verbum. Et subdit de secundo beneficio, in quo molestium machinatam à populo exclusit.

Populus meus] Vocatiui casus est, & est antiqua grammatica. Simile *Isa.* 3. Populus meus qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt [memento quæso] Humilitatis est seruum rogare, cui imperare potest. *Iob* 19. Seruum meum vocaui, & ille contempsit me, ore proprio deprecabar illum. Et subdit de beneficio liberationis à molestiis [Memento quæso quid cogitaueris contra te Balach] qui interpretatur elidens [rex Moab] Tangit historiam quæ continetur *Num.* 23. 24. & 25. Interpretatur autem Moab ex patre vel aqua paterna, & significat eos qui ex parte diabolo sunt, & infipidi sicut aqua. *Gen.* 49. Effusus es sicut aqua, non crescas [& quid responderit ei Balaam] qui vanus populus interpretatur [filius Beor] quod iniquitas iracundiæ interpretatur [de Setim vsque ad Galgalam] Tangit historiam quæ habetur. *Num.* 23. vbi Balaam sæpe mutauit locum & fecit ædificari aras septem per totam longitudinem exercitus regis Moab, qui diffusus erat de loco qui dicitur Setim, hoc est, vbi arbores spinæ albæ crescebant vsque ad Galgalam, hoc est, vsque ad locum vbi postea fundata & ædificata est Galgala. Lustrauit enim totum exercitum, semper ædificando septem aras, vt ex aliquo infausto loco aspiceret exercitum Israëlis & malediceret, & Dominus è conuerso semper vertit maledictionem in benedictionem. Vnde dixit: Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Quidam tamen dicunt, quod Setim iuxta montem Sinai est, vbi primo accepta lege, populus transgressus est, adorando vitulum *Exod.* 33. Galgala autem locus est in quo vnctus est Saul in regem 1. *Reg.* 13. qui inter reges primus præuaricatus est. A prima enim præuaricatione vsque ad vltimam semper mala operatus est populus, quibus econtra multa bona fecit Deus. *Psal.* 34. Retribuebant mihi mala pro bonis. Quidam etiam exponunt moraliter, Setim enim congelascens interpretatur, Galgala autem volutabrum. Et est sensus. A principio peccati, in quo homo congelascit & infrigidatur à charitate, vsque ad volutabrum peccati, hoc est, profundum in quo de peccato non erubescit. *Iere.* 6. Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt; in quo tamen tempore Deus bona facere non desinit. *Gen.* 32. Domine qui pascis me à iuuentute mea, vsque nunc. Indigitis etiam Deus multa bona præstat. 2. *Paral. vlt.* Indignum saluabis me, secundum multitudinem misericordiæ tuæ [vt cognoscerés iustitias Domini] Iustitiæ Domini sunt quæ Domino optime competunt, cuius substantia est bonitas, natura dulcedo, proprium misereri & parcere, vt dicit *Gregorius*. Illius enim iustitia est dissimulare mala & facere bona. *Sap.* 11. Misereris omnia quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Iustitia enim Dei semper cum clementia & bonitate iuncta est. *Psal.* 18. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda.

Quid dignum offeram Domino?] Audiens populus talem Deo esse iustitiam, compunctus est, & quærit quomodo placare possit Dominum. Quod audiens Propheta, & videns quod in legalibus nihil esset acceptum ad gratiam noui testamenti, consilium dat ibi: Indicabo tibi [Quid dignum offeram Domino?] Dignum scilicet se, vel dignum emenda, nihil enim dignum potest ei offerri, sed dignatio & bonitas sua accipit, quod offerimus, non quod dignum sit, sed quod bonitate sua facit dignum. *Psal.* 115. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et descendit ad specialia.

Curuabo genu Deo excelso?] quod quidem in adoratione bonum est & Christo debetur, qui nos à curuitate peccati eruit. *Gen.* 41. Præcepit vt omnes genua flecterent & præpositum esse sciret vniuersæ terræ Ægypti. *Isa.* 45. Mihi curuabitur omne genu & iurabit omnis lingua. *Phil.* 2. In nomine Domini nostri Iesu Christi omne genu flectatur. Bonum est ergo hoc, sed non sufficiens & dignum. 1. *ad Timoth.* 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Et subdit de reprobatione legalium.

Nunquid offeram ei holocaustomata] quæ tota scilicet incendebantur [& vitulos anniculos] qui pro peccatis offerebantur. *Psal.* 39. Holocaustum & pro peccato non postulasti. *Isa.* 1. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Holocaustum autem in memoria fiebat deuotionis. Vituli autem anniculi, hoc est, vnius anni, significant incensiones lasciuorum motuum in petulantia carnis, qui in compunctione cordis incendendi sunt. 1. *Reg.* 1. Anna adduxit filium suum Samuelem, postquam ablactauerat eum in vitulis tribus, & tribus satis farinæ, & amphora vini. Tres vituli sunt lasciuia, gula, & luxuria, & gaudiorum mundi, quæ Anna, id est, gratia, Domino offert. Tria sata farinæ, tres puritates sunt conscientiæ, scilicet, à commissione contra præceptum, ab omissione præcepti, ab impunitate erroris & ignorantiæ. *Gen.* 18. Accelera, tria sata similæ commisce. Amphora vini, mens est conscia cælestis gaudij. *Psalm.* 103. Vinum lætificat cor hominis.

Nunquid placati potest Deus in millibus arietum?] qui in veteri lege scilicet offerebantur in memoriam martyrum [aut in multis millibus agnorum pinguium] qui scilicet pro expiatione peccati offerebantur. *Hebr.* 10. Impossibile est sanguine hircorum aut taurorum peccata auferri. *Psal.* 49. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et subinfert de maiori sacrificio.

Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?] sicut scilicet Abraham primogenitum obtulit *Gen.* 22. Et prophana deuotione rex Moab primogenitum suum, qui regnaturus erat post ipsum, obtulit super murum 4. *Reg.* 3. Quasi dicat. Non. Hæc enim prophana & impia sunt: sed primum de Abraham factum est in memoriam passionis Christi: secundum autem detestabile factum fuit in honorem dæmonum, qui humanum sanguinem sitiunt. *Psal.* 105. Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan [fructum ventris mei] hoc est, nunquid dabo fructum ventris mei? [pro peccato animæ meæ] hoc est, quod ex animo feci, sicut fecit Iephthe *Iudic.* 11. qui filiam suam stulte offerendam vouit, & impie votum reddidit. Et est sensus. Nunquid sanguine animalium, aut etiam hominum, animæ à peccato lauantur? Quasi dicat. Non. *Dan.* 3. Non est in tempore hoc holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus

Balach Moab.

Balaam Beor.

Setim Galgala.

Christo debetur adoratio.

locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur à te. Populo sic quærenti obiicit se Propheta, respondens.

Indicabo tibi ô homo] qui scilicet, iam vides prophanas esse Gentilium oblationes & imperfectas esse legis cæremonias [quid sit bonum] Bonum est, vt dicit *Anselmus*, quod omni ei quod est, melius est esse quàm non esse, & hoc est quod bonum facit simpliciter, sicut est virtus, gratia, gloria, & huiusmodi, item esse & intelligere, vt dicit *Augustinus* [& quid Deus requirat à te] in opere scilicet præceptorum: hoc enim quærit Dominus vt illa seruentur. *Tob.* 14. Inquire quæ placita sunt ei in veritate, & in tota virtute tua. *Act.* 9. Domine quid me vis facere? Et determinat, subdens [Vtique facere iudicium] vt scilicet ex iudicio rationis omnia facias, rationis, dico, informatæ lege. *Psal.* 118. Feci iudicium & iustitiam. 1. *ad Corinth.* 11. Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. *Hieronym.* vt nihil sine consilio & ratione agas. *Tob.* 4. Consilium semper à sapiente require. Et hoc ordinat hominem ad seipsum. *Prou.* 20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo [& diligere misericordiam] vt scilicet opera misericordiæ in proximum ex dilectione, non ex necessitate, vel coactione facias. 2. *ad Cor.* 9. Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. *Dan.* 4. Consilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. *Prou.* 16. Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Iudicium enim inuitur veritati, misericordia autem pietati. *Proverb.* 20. Misericordia & veritas custodiunt regem. *Prou.* 21. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino quàm victimæ. Hoc ergo ordinat hominem ad proximum [& solicitum ambulare cum Deo tuo] vt scilicet toto corde cogites, qualiter cum Deo proficias, sicut dicitur *Gen.* 5. Enoch ambulauit cum Deo. Et *Gen.* 6. Noë vir iustus atque perfectus cum Deo ambulauit.

Vox Domini] Hic incipit redarguere peccata in proximum, & primo prouocat ad auditum, secundo autem dicit quid audiatur *ibi* [Adhuc ignis] Prouocat autem ad auditum dupliciter: in communi, & in speciali. In communi dupliciter; simpliciter scilicet, & sub promissione audientium.

Vox Domini] per me scilicet sonans. *Ioan.* 1. Ego vox clamantis in deserto. *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit. [ad ciuitatem] hoc est, contra ciuitatem quæ est ciuitas malorum à Cain incepta *Gen.* 5. per Nemrod munita *Gen.* 10. *Psalm.* 54. Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circumdabit eam: iniquitas & labor in medio eius, & iniustitia. Et non defecit de plateis eius vsura & dolus. [clamat] intentionem notat, & instantiam prædicationis. *Prou.* 8. O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. *Psal.* 68. Laborauí clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ. Et subdit promissionem [& salus erit timentibus nomen eius] hoc est, ex auditu concipientibus notitiam, & per timorem contingentibus se à peccato. *Eccl.* 3. Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non potest iustificari. *Malach.* 4. Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ. Et subdit de auditu in speciali.

Audite tribus] Tribus vocat genus Iudæorum. *Iacob.* 1. Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem. Istæ enim tribus specialiter audire deberent, quæ notitiam Dei acceperunt. *Isa.* 51. Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum [& quis] tam sapiens, supple, & tam commendabilis, vel tam rarus [approbabit illud] verbum scilicet auditum. *Isa.* 50. Quis ex vobis timens Deum, audiens vocem serui sui? *Psalm.* 106. Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini? Quid audiant, subdit, & ponit septem genera peccatorum, omnia ad fraudem pertinentia.

Adhuc ignis in domo impij] Ignis scilicet auaritiæ, de quo *Prou.* 30. Ignis nunquam dicit, sufficit. *Iob* 31. Ignis est vsque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans genimina. *Eccl.* 10. Auaro nihil est scelestius. Dicitur autem esse in domo: quia per auaritiam domum ædificat, & cor eiusdem suum occupatum est auaritia. Vnde *Eccl.* 5. Auarus non implebitur pecunia. Et dicitur, Impij; quia omni pietate in proximum priuatus est. *Isa.* 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium. *Habac.* 2. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ. Quis autem sit ignis, subdit [thesauri iniquitatis] Thesaurus autem abundantiam & copiam, iniquitas malam significat acquisitionem siue turpem, siue iniustam. *Prou.* 10. Non proderunt thesauri impietatis, iustitia vero liberabit à morte. *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit, euomet, de ventre ipsius extrahet eas Deus. *Iacob* 5. Aurum vestrum & argentum æruginauit, & ærugo erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras, sicut ignis [& mensura minor] Duas enim mensuras habebant, maiorem ad emendum, & minorem ad vendendum [iræ plena] *Prou.* 20. Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum. *Luca* 6. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Et hoc est quod sequitur.

Nunquid iustificabo] hoc est, iustam esse iudicabo [stateram impiam] *Hieronymus*. Cum alio pondere emitis, & cum alio pondere venditis mercimonia: hoc etiam non iustificabo, sed condemnabo. *Prou.* 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius. Et hoc est quod sequitur [& saccelli pondera dolosa] Saccellus occultum sacculum notat, ex quo pondus dolosum supponebatur incautis. *Leuit.* 19. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquisque sextarius [In quibus] supple, ponderibus & stateris [diuites eius] ciuitatis scilicet: non modo pauperes in quibus inopia forte scelus defenderet, sed diuites qui non ex inopia sed ex sola auaritia fecerunt [repleti sunt iniquitate] hoc est, ex inique acquisito. *Deut.* 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. Repletio autem [quæ implectionem prementem vsque ad vomitum. *Prou.* 1. Implebimus domos nostras spoliis [& habitantes in ea] ciuitate scilicet loquebantur mendacium. *Hieronymus*. Congregationes diuitiarum sequitur mendacium, & manus assueta thesauros condere, fraudulentam linguam possidet: veritas paupertatem, mendacium diuitias parit. *Psalm.* 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium [& lingua eorum fraudulenta in ore eorum] In ore dicitur, quia intra os mendacium

Misericordia delinquit peccata.

Timor Domini repellit peccata.

Mendacium cunei est auaritiæ.

dacium occultatur; si enim emitteretur, deprehenderetur. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites. *Psalm.* 49. Lingua tua concinnabat dolos. Et subdit huius peccati pœnam.

Et ego ergo] hoc est, propter peccata illa [cœpi] supple, primo à patuis pœnis [percutere te perditione] primo scilicet comminata per Prophetas. *Sap.* 12. Eos qui exerrant partibus: & de quibus peccant, admones & alloqueris; vt relicta malitia, credant in te Domine [super peccatis tuis] supple, quæ commisisti. 2. *Machab.* 6. Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltionem adhibere, magni beneficij indicium est. Et subdit pœnas.

Tu comedes & non saturaberis] Glossa inducit illud *Amos* 4. Dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris. Iustum enim est, quòd qui aliena rapuit, ipse in egestate sit. *Deut.* 28. Sementem multam iacies, & modicum congregabis. *Agga.* 1. Comedistis & non estis saturati. *Prou.* 13. Venter impiorum insatiabilis [& humiliatio tua] hoc est, hostes qui te humilient, & ad humum prosternant [in medio tui] supple, erunt. *Luc.* 19. Circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique. *Isa.* 29. Humiliaberis, de terra loqueris.

Et apprehendes] afflictos scilicet his plagis, fame scilicet, & peste, & gladio [& non saluabis] hoc est, saluare non poteris à plagis istis. Vnde 4. *Regum* 6. Cum mulier clamaret ad regem vt saluaret eam. Respondit rex: Non te saluet Deus, vnde te saluare potero de area, vel de torculari? [& quos saluaueris] hoc est, quos saluare putaueris [in gladium dabo] *Amos* 1. Robustus non saluabit animam suam. *Thren.* 2 Foris interficit gladius, & domi mors similis est.

Tu seminabis] spe scilicet colligendi fructus, labores, & expensas impendens [& non metes] hostes enim auferent. *Isa.* 17. Mane semen tuum florebit; ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter. *Agga.* 1. Seminastis multum, & intulistis parum [tu calcabis oliuam] oleum scilicet premendo de amurca [& non vngeris oleo] *Deut.* 28. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia defluent & deperibunt [& calcabis mustum] hoc est, laborabis ad calcandum [& non bibes vinum] *Hieronymus.* Steriles vindemiæ vinum negauerunt. *Deut.* 28. Vineam plantabis & fodies, & non bibes vinum, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. Sine fructu seminat, qui mala intentione prædicat: oliuas absque vnctione calcat, qui virtutem simulat cum vitiosus sit: mustum calcat & vinum non bibit, qui de æternis gaudiis loquitur, & dulcedinem eorum nonsentit. *Amos* 5. Vineas amantissimas plantabitis, & non bibetis vinum earum Horum omnium causam subdit.

Et id est] quia custodisti præcepta Amri] de quo legitur 3. *Reg.* 16. quod fuit pater Achab & impiissimus. Et præcepta dicuntur opera eius, quæ populus sicut præcepta custodiebat. Vnde Amri amaricans vel magisterium interpretatur: malorum enim magisterium facile diligitur. *Isai.* 3. Vos ex parte diabolo estis, & opera illius facere vultis [& omne opus domus Achab] supple, custodisti

Amri.

Achab.

Domus Achab dicitur familia, sicut Iezabel & pessimi filij eius, quos populus imitatus est: & ideo frater patris interpretatur, quia malitia frater fuit patris sui Amri 3. *Reg.* 21. Non fuit alter talis, sicut Achab qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilis effectus est.

Et ambulasti] proficiendo de malo in peius [in voluptatibus eorum] 2. *ad Timoth.* 3. Mali homines proficiunt in peius, errantes & in errorem mittentes [Vt] consecutiuum est, & non causale [darem te in perditionem] temporalem scilicet, & æternam. *Isa.* 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen [& habitantes in ea] supple, darem [in sibilum] deridentium scilicet. *Iob* 27. Stringet super eum manus suas, & sibilabit super eum, intuens locum eius. *Thren.* 2. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus suis [& opprobrium populi mei portabis] In pœna scilicet: vt sicut fuerunt authores in culpa, ita præ omnibus portent pœnæ derisionem. *Isa.* 50. De manu mea factum est hoc vobis: in doloribus dormietis. *Psal.* 79. Dedisti nos opprobrium in Gentibus, & inimici nostri subsannauerunt nos.

CAPVT VII.

Væ mihi.

IN ista parte tangit consolationem, & habet duas partes. In prima tangit paucitatem eorum, qui ad consolationem pertinent. Secundo, describit consolationem *ibi* [Dies vt ædificentur maceriæ tuæ] Prima subdiuiditur in duas, in quarum prima ostendit paucitatem, & causam paucitatis. In secunda spem erigit in Domino de paucorum multiplicatione & consolatione *ibi* [Ego autem ad Dominum aspiciam] Prima habet tres partes. Primo enim ponit per metaphoram paucitatem. Secundo explanat *ibi* [Periit sanctus] Tertio dicit quod propter hoc immissa est eis pœna *ibi* [dies speculationis tuæ.]

Væ mihi] doloris scilicet ex compassione, non mortis interminatio. *Rom.* 9. Tristitia est mihi magna & continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. *Iere.* 15. Væ mihi mater mea, vt quid me genuisti? 1. *Machab.* 2. Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ [qui factus sum] hoc est, assimilatus sum [sicut qui colligit in autumno racemos] post vindemiantes scilicet: vindemiato enim populo à Chaldæis, & decepto per diabolum, vix aliquis iustus in populo inueniebatur, qui dignus esset consolatione diuina. *Isa.* 16. Auferetur gloria Moab super omni populo multo, & reliquetur in eo, sicut racemus paucus & modicus, & non quàm multus. Dicuntur autem racemi id in quo fundantur vuæ, quod in medio botri est, quod paucum habet saporem vini. Et intelligit eos, qui etiam paucum saporem habent sanctitatis. Autumnum autem nominat, quia tempus maturitatis est, & hoc fuit tempus completæ iniquitatis ad metendum per gladium. *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam

tuam acutam & vindemia botros vineæ, quia maturæ sunt vuæ eius. *Isa.* 65. Hæc dicit Dominus, quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est; sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. Vult ergo dicere, quòd aliquos inuenit, qui gaudia cælestia saperent, sed paucos [vindemiæ] hoc est, post vindemiam scilicet, qui effugere possunt vindemiantium manus. Et hoc est quòd sequitur.

Non est botrus ad comedendum] Botrus significat aliquam bonorum congregationem, quæ non inuenitur. *Cant.* 1. Botrus cypri dilectus meus mihi. Sed tunc verificatum est illud *Deut.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. Et ideò se dicit botrum non inuenisse ad comedendum. Gustum enim fellis ingerebant ori Sanctorum: & sicut non fuit ibi sapor gaudij æterni, ita nec sapor dulcedinis virtutis. Et hoc est quòd sequitur.

Præcoquas ficus desiderauit anima mea] Præcoquæ ficus sunt grossi quos primo ficus emittit. *Cant.* 2. Ficus protulit grossos suos, Grossi autem non sunt tantæ dulcedinis, quantum veræ ficus; quos tamen desiderare Propheta se dixit; quia saltem in modico virtutis sapore aliquem inuenire cupiebat. *Iere.* 8. Non est vua in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, quoniam defluxit. Sensus autem est, quòd modica pro bono haberet, si inueniret quisquilias & aliquas saltem paleas, hoc est, vestigia bonorum, vt dicit *Hieronymus. Isai.* 34. Omnis militia cælorum defluxit, sicut defluit folium de vinea & de ficu. Bonæ enim ficus conuersæ sunt in malas, & gustanti generant vomitum & abominationem: quia in quo euanescit dulcedo virtutis, abominabilior efficitur aliis. *Ierem.* 24. Calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant eò quòd essent malæ. *Habac.* 3. Ficus non florebit, & non erit germen in vineis. Dicit autem: Desiderauit anima mea: quia medullitus hoc Sancti desiderant, multiplicationem scilicet bonorum, & in omnibus saporem gratiæ & virtutis. *Phil.* 2. Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum vt idem sapiatis. Modus iste Prophetiæ sumitur ab *Isa.* 17. In die illa attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius emarcescet, & erit sicut congregans in messe, quod restiterit, & brachium eius spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et *ibidem.* Relinquetur in eo quasi racemus, & sicut excussio oleæ, vel duarum trium olitarum in summitate rami, fructus quatuor aut quinque. Et quod dicit metaphorice subdit exponens.

Periit sanctus de terra] qui per vitam significatur. *Psalmo* 11. Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum] & rectus supple, virtute qui perfectum significatur [in hominibus non est] *Iac.* 3. Non est qui inuocet iustitiam, nec est qui iudicet recte. Et *ibidem infra.* Vidit Deus & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium, quia non est vir, & aperiatur est. *Psalm.* 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Hoc idem dicitur *Rom.* 3. Qualiter autem hoc sit, subdit.

Omnes in sanguine insidiantur] scilicet, vt vel sanguinem fundant, vel nutrimentum sanguinis subtrahant, vel in corruptione sanguinis peccata multiplicent. *Osee* 4. Sanguis sanguinem tetigit. *Isa.* 59. *Prou.* 1. & in 9 *Psalmo* 13. Pedes enim ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem innocentem. Et hoc in speciali exprimit, subdens [vir fratrem suum venatur ad mortem] Naturalis scilicet, nègato germanitatis fœdere, nec tantum casu occidit, vel ex ira, sed proditiose venatur. *Iere.* 9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam; quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem deridebit. Et intelligit de fratre, vel vterino, vel gente, vel religione: nullum enim fœdus seruatur inter homines. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Et quia plus processerunt in malo, ideo subdit.

Malum manuum suarum dicunt bonum] Malum manuum est quod totis viribus perficitur, & hoc bonum dixerunt, quando eis fuit lucrosum. *Isai.* 5. Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Hos imitantur Prælati nostri temporis, qui quantumcunque graue præcipiant vel statuant, bonum dicunt, dummodo lucrum habeant. Et hoc explanat subdens.

Princeps postulat] hoc est, iudicium exhibens, ante postulat munus quàm offeratur more filiorum Heli. 1. *Reg.* 2. Nunc diabis alioquin, tollam vi. *Isa.* 1. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones [& iudex in reddendo est] hoc est, principes qui iudicant, non liberaliter & gratis exhibent iustitiam, sed in reddendo scilicet emptum pro pretio, vel vicem reddendo ei qui non dedit. *Isa.* 5. Iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo [& magnus] quicunque Prælatus, vel perius & potens [locutus est desiderium animæ suæ] & hoc scilicet custodiri volunt pro lege, cum nec loquerentur iudicium, nec iustitiam. *Eccli.* 13. Diues locutus est superba, & omnes iustificauerunt eum. Et post pauca. Diues locutus est, omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perdiderunt. Econtra de bonis dicitur in *Psal.* 36. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Et ita supple [conuinxerunt eum] scilicet, ciuitatem, vel terram, vel ciuitatem. *Isai.* 59. Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi: quoniam facta est veritas in obliuione, & qui recessit à malo prædatus patuit. Et hoc explanat per similitudinem.

Qui optimus in eis] hoc est, minus nocens in rapinis [est quasi paliurus] Paliurus est herba vel frutex, quæ apud medicos rosa bouis vocatur. Qui autem iuxta vias spinam habens adunam, per quam transeuntes comprehendit, & trahit, & lacerat, & significat rapacitatem iudicum, qui publica via gradientes calumniantes comprehendunt, prædationibus tenent, cum dicit numerum lacerant. *Isa.* 3. Quare attritis populum meum, & faciem pauperum commolitis? Et sic rectus supple, reputatus est quasi spina de sepe. Iyr. pulsus scilicet, mulcatus, & viam transeuntibus prohibens. *Isa.* 7. In spinis & in vepres ascendit. 2. *Reg.* 23. Prævaricatores quasi spinæ euellentur. Et propter has culpas subdit pœnas. Et supple ideo.

Paliurus.

Dies

Dies speculationis tuæ]supple, venerunt, dies scilicet quibus Deus, speculando propalet iniquitatem tuam. *Psalm.*58. Intende ad visitandas omnes gentes, non misereatis omnibus qui operantur iniquitatem. *Soph.*1. Scrutabor Ierusalem in lucernis. Et quod dixit, exponit [visitatio tua venit]visitatio scilicet qua culpa luitur per pœnam. *Isa.*10. Visitabo super fructum magnifici cordis. *Isaiæ* 13. Visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum [& nunc] supple, sine dilatione [erit vastitas eorum] *Deut.*28. Disperdet te Dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius. *Isa.* 1. Derelinquetur filia Sion, sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur. *Iere.*6. Hæc est ciuitas visitationis, omnis calumnia in medio eius est. Consequenter subdit de dissipatione fœderis inter eos, & ne credant pseudopropheris, & ducibus eorum qui seduxerunt eos.

Amico fideli credendum est, non fido.

Nolite credere amico]seducenti scilicet. Vero enim amico credendum est, sed falso amico credendum non est. *Hieronymus.* Interrogatus quidam, quid esset amicus: Respondit, alter ego. Pythagorici amici vades se inuicem tyranno dederunt. *Demosthenes.* Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile obseruatur. Et Liricus Poëta pro amico precans, serues (inquit) animæ meæ dimidium. Dominus in Euangelio *Lucæ* 22. ostendens quis verus sit amicus, dixit: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Sed de talibus amicis non loquitur, sed de his qui lucra sequuntur. *Hieronymus.* Delicata est amicitia quæ amicorum felicitatem & diuitias sequitur. De talibus ergo dicit. Nolite credere amico. *Eccli.*6. Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facile credas ei ipsum. Exemplum accipe 2. *Reg.*16. vbi Achitophel decepit amicum suum Dauid. Similiter Iudas Christum *Matth.*26. *Psal.*54. Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos [& nolite confidere in duce]accipientes exemplum *Iudic.*9. de Abimelech qui cum esset dux Sichimitarum, contriuit eos & occidit. *Matth.* 15. Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Ezech.*21. Gladius factus est in populo meo in cunctis ducibus Israël [ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui]vxore scilicet volente te à Deo auertere,

Mulieri nõ sunt temere secreta aperienda.

custodi claustra oris tui, hoc est, secreta, sumens exemplum *Iudic.*16. vbi Dalila quæ secreta per blandicias extorsit à Samsone, & prodidit eum. Seneca. Leuitas fœminea hoc solum tacere scit, quod nescit.

Quia filius contumeliam fecit patri] cuius exemplum est 2. *Reg.* 16. vbi Absalom patrem regno expulit & polluit concubinas eius [filia consurget aduersus matrem suam] quod licet in Scripturis per exempla non legatur, tamen multorties factum est. *Eccl.*26. In filia non aduertente se, firma custodiam, ne inuenta occasione abutatur se]mirus contra socrum suam] supple, consurget. *Gen.*27. vbi vxores Esau contra Rebeccam surrexerunt. Vnde dixit: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth [inimici hominis domestici eius] Idem *Matth.*10. *Luc.*12. vbi sic dicitur: Veni separare filium à patre, & filiam à matre. Erunt enim quinque in domo vna: duo in tres, & tres in duos diuidentur: pater in filium, & filius in patrem: mater in filiam, & filia in matrem: nurus in socrum, & socrus in nurum: & inimici hominis domestici eius, hoc est, in eadem domo nati, & in eadem domo nutriti. *Cant.*1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.

Ego autem ad Dominum aspiciam] Tangit hic spem quam habet in Deo de consolatione, & habet duos paragraphos. Primo enim ostendit confortationem spei, secundo insultat inimicis *ibi* [ne lætetis]Ego autem]supple, non sperans in homine]ad Dominum aspiciam]fidei scilicet deuotione, 2. *Paral.*20. Cum ignoramus quid agere debeamus hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. *Iob* 16. Ecce in cælo est testis meus, & conscius meus in excelsis. Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus [expectabo Deum]*Thren.*3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Et hoc est quod sequitur [Saluatorem meum]*Gen.*49. Saluare tuum expectabo Domine. Alia translatio expectabo Deum Iesum meum. *Thren.*3. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. *Psalm.*26. Expecta Dominum, viriliter age [audiet me Deus meus]*Ioan.*11. Ego sciebam quia semper me audis. Et insultat inimicis captiuantibus, subdens.

Ne lætetis inimica mea] Babylon scilicet, vel diabolus [super me, quia cecidi]*Iob* 31. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum. *Isa.*14. Ne lætetis Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui [consurgam] Deo scilicet misereante. *Rom* 14. Suo Domino stat, aut cadit, stabit autem, potens est enim Deus statuere illum [cum sedeo in tenebris] captiuitatis scilicet, vel pœnitentiæ. *Tob.*5. Quale gaudium est mihi qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video [Dominus lux mea est]consolationis scilicet. *Ioan.*1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: quin potius, vt dicit *Chrysostomus*, lux tenebras dissipauit. *Psal.*138. Nox sicut dies illuminabitur. *Isa.*58. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. *Iob* 23. Non perij propter imminentes tenebras, nec operuit faciem meam caligo.

Correptio diuina est patienter ferenda.

Iram Domini portabo] hoc est, pœnam mihi inflictam sustinebo patienter. *Gal.*vi. Vnusquisque onus suum portabit. *Thren.*3. Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua]quoniam peccaui ei]hoc est, scio me meruisse quod patior. *Thren.*1. Euigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuolutæ sunt & impositæ collo meo. 2. *Reg.*19. Fac quod placitum est tibi: neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia Domino meo regi [donec causam meam iudicet] vt scilicet me purgatum à peccato liberet, *Iere.*11. Tibi reuelaui causam meam Domine Deus meus. Et hoc est quod sequitur [& faciet iudicium meum] Iudicium enim est pro iniqua voluntate deprimere aduersarium, & liberare punitum. *Gen.*15. Subiicient eos seruituti, verumtamen gentem cui seruierint, ego iudicabo]educet me in lucem]consolationis scilicet, peracta pœnitentia. *Tob.*3. Post tempestatem tranquillum facis, & post fletum & lacrymationem exultationem & gaudium infundis]videbo iustitiam eius] hoc est, cognoscam quod iustus est, cui peccata non placent, sed punit. *ex.*2. *ad Tim.*2. Si negauerimus, & ille

ille negabit nos: si non crediderimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non poterit.

Et aspiciet inimica mea] Babylon scilicet, vel dæmones, aspiciet me, releuatam scilicet, & consolatam. 1. *Reg.*2. Videbis æmulum tuum in templo in cunctis prosperis Israël [& operietur confusione]Videns iniquam suam voluntatem de me fieri non posse. *Psal.* 111. Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. *Sap.*5. Videntes turbabuntur timore horribili. *Psalm.*108. Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & operientur sicut diploide confusione sua [quæ dicit ad me] insultando, supple [Vbi est Dominus Deus tuus]in quem scilicet speras, quod te non liberat. *Psal.*41. Dum dicunt mihi per singulos dies. Vbi est Deus tuus? Hæc enim insultatio in blasphemiam nominis Dei vergit. *Isa.*52. Per vos blasphematur nomen meum inter gentes]oculi mei videbunt eam]punitam scilicet, & damnatam. *Psal.*57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. *Isaiæ vlt.* Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omnis carnis]Nunc] hoc est, absque mora in proximo scilicet. *Ezech.*7. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te]erit in conculcationem]sub graui pede iudicij Domini scilicet. *Isa.*22. Dies interfectionis, & conculcationis, & fletuum à Domino Deo exercituum. *Isa.*63. Calcaui eos in furore meo, & in ira mea conculcaui eos]vt lutum platearum]scilicet, sui vilitate omnibus transeuntibus calcandum exponitur. *Psalm.*17. Vt lutum platearum delebo eos. *Malach.vlt.* Calcabitis impios cum fuerint velut cinis sub planta pedum vestrorum.

Dies] Tangit hic consolationem per partes describens eam, & habet duas partes; descriptionem consolationis, & gratiarum actionem *ibi* [Quis Deus similis tui] In prima parte tria sunt, scilicet, populi ædificatio, populi reductio *ibi* [Pasce populum tuum] hostium humiliatio *ibi* [Videbunt Gentes]In ædificatione tria ponit, scilicet, ruinarum resuscitationem, à seruitute Gentium liberationem, & generalem terræ populationem.

Dies]supple, claræ lucis & consolationis. *Psal.* 117. Hæc est dies quam fecit Dominus [vt ædificentur maceriæ tuæ] macerias vocat parietina & ruinosa quæ post captiuitatem Babylonicam reædificata sunt, maxime tamen de Ecclesia. *Amos* 1.9. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo. *Isa.*60. Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Et subdit de liberatione à iugo seruitutis [In die illa] quando scilicet fulgebit consolatio diuinæ gratiæ [longe fiet lex] Symachus. Præceptum, hoc est, præceptum Chaldæorum, cui modo subiectus es, longe à te remouebitur, & maxime præceptum legis membrorum, quæ ex diabolo est in membris nostris, de quo dicitur *Rom.*7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. *Isa.*10. In die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei. *Gen.*27. Tempus veniet, cum excuties & solues iugum eius de collo tuo, & de ceruicibus tuis. Et subdit de terræ generali populatione.

In die illa]qua scilicet iuxta verbum *Malachiæ vltimo.* Timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ [ad te veniet]ô Iudæa, vel Ecclesia [Assur] hoc est, ab Assur, ita quod Assur sit ablatiui casus, & per hoc intelligit reditum de captiuitate, vel introitum infidelium ac Gentium ad Ecclesiam. *Baruch* 5. Ecce venient filij tui, quos dimisisti dispersos, venient collecti ab Oriente vsque ad Occidentem in verbo sancto gaudentes in honorem Dei. *Isa.*35. Ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti à Domino, conuertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus]& vsque ad ciuitates munitas]supple, veniet populus tuus, inhabitandas, quæ significant munimenta Ecclesiæ in custodia Angelorum & Prælatorum, circumseptione præceptorum, & statutorum, & Scripturarum. *Isa.*33. Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius. *Iere.*1. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram. *Matth.*5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita]& à ciuitatibus munitis]supple, venientes inhabitabunt terram]vsque ad flumen]hoc est, vsque ad Iordanem, infra quod spatium manebant nouem tribus & dimidia: vltra Iordanem autem duæ tribus & dimidia, ita scilicet, quod tota terra populata sit: quod fidelium frequentiam significat in Ecclesia, sicut & flumen fluenta gratiarum. *Isa.*62. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur. *Iere.* 31. Habitabunt in ea Iudas, & omnes ciuitates eius simul: agricolæ & minantes greges. De flumine dicitur in *Psalm.*45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei [& ad mare]magnum scilicet, quod ad Occidentem est [de mari]scilicet rubro quod ad Orientem est, supple, terra tota habitabitur. Quæ duo maria duas amaritudines significant, scilicet, in persecutionibus seculi, & in luctu pœnitentiæ. *Psalm.*71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum [ad montem de monte]supple, venient liberati; hoc est, de monte Medorum & Persarum ad montem Sion. *Isa.*51. Reuertentur, & venient in Sion laudantes: & lætitia sempiterna super capita eorum. Mons autem significat eminentiam virtutum, per quam venitur ad eminentiam contemplationis. *Iere.* 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Cant.*2. Ecce, iste venit saliens in montibus.

Et terra] supple, inimicorum vel peccatorum [erit in desolationem]solitudinis scilicet [propter habitatores suos]hoc est, propter peccatum habitatorum. *Isa.*24. Interfecta est terra ab habitatoribus suis. Et post pauca. Maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius]& propter fructum] hoc est, opera]cogitationum eorum] *Prou.*2. Comedent igitur fructum viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

Pasce populum tuum] Tangit hic de modo congregandi populum & educendi de captiuitate, quæ Iudæi referunt ad tempus sui Messiæ, & hoc fieri debet in aurea Ierusalem, sed quia hæc fabula est, de Ecclesia est exponendum. Et sunt verba

patris ad filium cui dicitur in se, & in pastoribus suis.

Pasce populum tuum] *Psal.* 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Pasce autem verbo & exemplo. *Psal.* 94. Nos populus eius & oues pascuæ eius. *Genes. vltima.* Nolite timere, ego pascam vos & parvulos vestros [in virga tua] pastorali scilicet, quæ rectitudinem vitæ & rectitudinem doctrinæ significat, & censuram coërtionis ecclesiasticæ. *Exod.* 4. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Istæ sunt virgæ ad quarum aspectum concipiebant oues Iacob. *Gen.* 30. [gregem hæreditatis tuæ] hoc est, cui tu hæres, & qui tibi hæret sicut hæreditas. *Ezech.* 24. In pascuis vberrimis pascam eas & in montibus excelsis Israël. *Isa.* 19. Hæreditas mea Israël. *Eccl.* 24. In Israël hæreditare, in electis meis mitte radices [habitantes solos] greges scilicet. Solos autem dicit: quia societate bonorum pastorum, qui sunt in Angelis & in Sanctis, destituti erant, quemadmodum dicitur *Osee* 3. Sedebunt filij Israël, sine rege, sine principe, sine sacrificio. *Thren.* 3. Sedebit solitarius & tacebit; quia leuauit se super se [in saltu] hoc est, in sylue-stribus quantum ad locum, & quantum ad mores. 2. *Reg.* 18. Multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quàm quos vorauerat gladius in die illa. *Isa.* 21. In saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim. Et Dodanim paternalis interpretatur, & significat eos qui in semita primi patris dormiunt, qui initium præuaricationis fuit. Et subdit de responsione Filij ad Patrem.

Dodanim.

In medio Carmeli pascentur] oues scilicet. Carmelus scientia circumcisionis interpretatur. Vera autem circumcisio est, in qua omnis superfluitas concupiscentiæ præciditur, & illa est fides Catholica. *Rom.* 2. Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis, in Spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, Sed ex Deo est. [Basan] hoc est, in Basan pascentur: & erat terra vltra Iordanem, vbi duæ tribus & dimidia habitabant, & interpretatur confusio, significans eos qui confunduntur de peccatis suis. *Eccli.* 4. Est confusio adducens gloriam. *Iere.* 31. Confusus sum & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ [& Galaad] quæ etiam est in terra trans Iordanem, & transmigratio interpretatur, & significat exilium præsentis incolatus, in quo sancti pascuntur, quasi viatico. *Ezech.* 34. In viis pascentur. *Hebr.* 11. Confitentes quoniam peregrini & hospites sunt super terram [iuxta dies antiquos] hoc est, sicut in diebus antiquis pasti sunt. Et hoc est quod exponendo subdit.

Carmelus.

Quæ sit vera circumcisio.

Basan.

Galaad.

Secundum diem egressionis tuæ de terra Ægypti] hoc est, sicut paui tunc eos pane Angelorum: ita pascam & melius. *Ioan.* 6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et *ibidem.* Hic est panis de cælo descendens; vt si quis manducauerit ex eo, non moriatur. *Sap.* 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum [ostendam ei mirabilia] mysteria scilicet noui testamenti & meipsum, qui mirabilis sum. *Iob* 9. Qui facit magna & incomprehensibilia & mirabilia quorum non est numerus.

Videbunt Gentes] Hic tangitur de confusione hostium [Videbunt Gentes] quæ prius scilicet te afflixerunt [& confundentur] peccasse se cognoscentes. *Psal.* 128. Confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion [sub omni fortitudine sua] qua scilicet Israël & Sanctos antea vastauerunt & oppresserunt. Ad hoc enim fortitudine & non iustitia vtebantur. *Sap.* 2. Sit fortitudo nostra lex iustitiæ. *Iob vbi.* Qui male locutus sum, respondere quid possum? Et hoc est quod sequitur [ponent manum super os] hoc est, mala opera quæ manibus exercuerunt, oppilabunt eis os. 1. *Reg.* 2. Impij in tenebris conticescent. *Psalm.* 106. Omnis iniquitas oppilabit os suum [aures eorum surdæ erunt] quæ scilicet prius erant parulæ ad audiendum id, quod fuit contra Deum & Sanctos, modo ad hoc surdæ erunt: nihil enim contra Dominum & Sanctos audient. *Psal.* 57. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium & venefici incantantis sapienter.

Lingent puluerem sicut serpentes] hoc est, ad modum lingentium puluerem se habebunt, iacentes ante pedes vestros, & veniam à vobis quærentes. Quædam tamen *Glossa* dicit, quod lingent puluerem, hoc est, terrena & mollia, antequam notitiam Dei accipiant, *Gen.* 3. Dictum est serpenti: Terram comedes, & super pectus tuum gradieris. Hoc enim non facit in se, sed in membris suis. *Isa.* 64. Serpenti puluis panis eius [velut reptilia terræ] hoc est, quæ repunt pro terrenis acquirendis [proturbabuntur de ædibus suis] hoc est, sicut reptilia facto sonitu, exeunt de ædibus: ita isti turbati ad pœnitentiam egredientur de occultis latibulis ad confessionem, & manifestabunt se, vt dignam accipiant pœnitentiam. *Sap.* 5. Videntes autem, turbabuntur timore horribili; & mirabuntur à subitatione inspiratæ salutis [Dominum Deum vestrum] qui non adhuc eorum Deus, eo quod adhuc non noscunt eum [non desiderabunt] Ita habet communis litera, sed translatio *Hieronymi* habet, Dominum Deum nostrum formidabunt. *Septuaginta*, Super Domino Deo nostro formidabunt. Et tunc sensus est, quod videntes Deum esse in Sanctis, formidare incipient sicut Ægyptij. *Exod.* 14. Fugiamus Israël: Dominus enim pro eis pugnat contra nos. Si autem est litera. Non desiderabunt; tunc sensus est, quod in iudicio timentes iudicem non desiderabunt eum videre, sed dicent illud *Luce* 23. Dicent montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos [& timebunt te] timore scilicet reuerentiali, videntes Deum esse in te.

Quis Deus similis tui?] Ex prædictis de conuersione Gentium os laxatur ad loquendum in gratiarum actionem, & agit grates de misericordia & veritate: de misericordia in remissione peccatorum, de veritate in impletione promissionum.

Quis Deus similis tui?] supple, est in misericordia & veritate. *Psalm.* 112. Quis sicut Dominus Deus noster? *Iere.* 10. Non est similis tui Domine, magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus Domine, magnificus in sanctitate? [qui auferes iniquitatem] per hoc enim quod punis indulges, & non punis ad interitum. *Iudith* 8. Et nos ergo non vlciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini quasi serui, qui corripimur ad emenda

Deus corripit peccatores vt emendet.

emendationem, & non ad perditionem nostram, euenisse credamus [& transfers] supple, dissimulando & non imputando, sicut exterminator transiuit domos filiorum Israël *Exod.* 12. [peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ] hoc est, eorum qui relicti sunt ex hæreditate tua, quos scilicet pestis, fames, & gladius superstites reliquit, in semen futuræ multiplicationis. *Psalm.* 31. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum *Sap.* 11. Dissimulas peccata hominum propter penitentiam Ex hoc autem confidens infert.

Non immittet vltra] supple, super nos [furorem suum] puniendo scilicet æternaliter. *Osee vltimo.* Diligam eos spontanee, quoniam auersus est furor meus ab eis [quoniam volens misericordiam est] *Osee* 6. & *Matth.* 9. Misericordiam volo & non sacrificium. *Sap.* 11. Misereris omnium & nihil odisti eorum quæ fecisti [Reuertetur] *Hieronymus*, ab ira ad clementiam, quæ est domus eius, à qua per peccatum eiicitur, ad eam per pœnitentiam reducitur. *Num.* 6. & in *Psalm.* 131. Surge Domine in requiem tuam. Requiescit enim Dominus in clementia, & in misericordia [& miserebitur nostri] *Iere.* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius *Thren.* 3. Misericordia Domini quod non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius. Qualiter autem hoc fiat subdit [Deponet] supple, à collo nostro [iniquitates nostras] quæ, scilicet nos deprimebant, sicut onus graue. *Isa.* 58. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes [& proijciet in profundum maris] hoc est, in amaritudinem pœnitetiæ conuertet. *Psal.* 67. Dixit Dominus: Ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris, hoc est confusione peccati (quod interpretatur Basan) in profundum pœnitentiæ [omnia peccata nostra] non quædam, quia sicut dicit *Ambrosius*, impium est a Deo dimidiam sperare veniam. *Exod.* 14. Aquæ apparuerunt currus & equites tunicti exercitus Pharaonis, qui sequuntur ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. Et subdit de veritate promissionum.

Peccata sunt omnia remittanda.

Dabis veritatem Iacob] hoc est, omnem promissionem quam patribus fecisti, veraciter adimplebis. 4. *Reg.* 10. Videte quòd ex omnibus sermonibus Domini non cecidit in terram *Eccl.* 36. Da mercedem tuam Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. *Ro.* 3. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. *Psalm.* 50. Iustificeris in sermonibus tuis [misericordiam Abraham] supple, dabis Abrahæ scilicet promissam. *Luc.* 1. Recordatus est misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula [quæ iurasti patribus nostris] hoc est, firmiter dare statuisti. *Hieronymus*, quòd scilicet de multitudine hominum alios saluas in veritate, alios in misericordia. *Hebr.* 6. Consilij sui interposuit iusiurandum, vt per duas immobiles res, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum habeamus solatium [à diebus antiquis] hoc est, ab æterno per prædestinationem, & à principio mundi per promissionem. *Isa.* 52. Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus seculorum.

* * *

D. Albert. Magni in Nahum Proph.

D. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI RATISPONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM

In Nahum Prophetam Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI in Nahum Prophetam explicatio.

NAHVM Prophetam] In prologo isto *Hieronymus* determinat tempus prophetiæ, & duplicem suscepti operis causam [Nahum Prophetam] non Prophetæ filium. *Sap.* 7. Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit [ante aduentum regis Assyriorum] non primum, scilicet, quando decem tribus transtulit; sed secundum, quando Ierusalem obsedit. *Isa.* 36. & *Paralip.* 19. [qui] scilicet rex Assyriorum [populum Israel] hoc est, decem tribus [captiuum in suas regiones transtulerat] 4. *Reg.* 18. [fuisse Hebræorum traditione confirmat] & hoc probat, subdens.

Siquidem] hoc est, certe [in fine huius lectionis] hoc est, prophetiæ .3. cta. infra [prædicit regis aduentum] hoc est, Assyriorum in Iudæam [idem Propheta] hoc est, Nahum [annuntiare monstratur] Nec annuntiare potuit, si tunc non fuit, & ideo oportuit eum fuisse ante aduentum ipsius; & hoc dupliciter esse potuit, scilicet, quod fuerit septimo anno Osee (vt quidam dicunt) & quarto anno Ezechiæ, sed non prophetauerit; & tunc intelligitur fuisse ante primum aduentum Assyriorum; vel quòd fuerit decimo quarto anno Ezechiæ, & quod prophetauerit, & tunc intelligitur fuisse ante secundum aduentum Assyriorum. Et subiungit de causa suscepti operis.

[Sed quia habitatores Ninive] quæ fuit metropolis Assyriorum [Ionæ] Propheta scilicet [interitum ciuitatis prædicente] *Ione* 3. Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur [ne] ipsi scilicet habitatores [diuina ira denuntiatum interitum] per Ionam scilicet [instinerent] in effectu suum denuntiatus fuit [peccatorum & impietatis pœnitentiam egissent] sicut dicitur *Ione* 3. [accepta Dei misericordia] in saluatione scilicet ciuitatis. *Iere.* 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, propter quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitauit facere ei [grauioribus se criminibus implicuerunt] 2. *Pe.* 2. Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus [Qua de causa] hoc est, propter quam causam [memoratus Propheta] Nahum scilicet [Spiritu sancto plenus] quantum ad inspirationem propheticam. 2. *Pe.* 1. Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines [iudicium Dei] hoc est, condemnationem Dei [annuntians] in eos scilicet qui relapsi sunt in peccatum [ita est locutus] in principio scilicet prophetiæ [Deus zelatus & vlciscens Dominus &c.] hoc est, ex zelo vlciscens. *Exo.* 10. & 34. Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.

Iam enim] Nahum scilicet prophetante [decem tribus ab Assyriis ductæ fuerant in captiuitatem] Oseæ scilicet anno septimo, & Ezechiæ quarto; sicut dicitur 2. *Paral.* 30 [sub Ezechia rege Iuda] hoc est, regnante Ezechia [sub quo] scilicet Ezechia [etiam nunc in consolationem populi transmigrati] hoc est, decem tribuum captiuatarum [aduersus Niniuen] quæ fuit metropolis captiuantium [visio] hoc est, certa reuelatio [cernitur] à Nahum scilicet Propheta. *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Quod autem fuerit consolatio, probat, subdens.

Nec erat parua consolatio] scilicet prophetia de destructione Assyriorum [cum his qui iam Assyriis seruiebant] hoc est, decem tribubus captiuatis [quia [illegible] tribubus non captiuatis [qui sub Ezechia rege] bono scilicet [de tribu Iuda & Beniamin] super quas ipse regnauit [ab eisdem hostibus] hoc est, ab Assyriis obsidebantur

sidebantur] in Ierusalem scilicet quando Sennacherib obsedit eam [vt auditent] per Prophetam [Assyrios quoque] se scilicet affligentis [à Chaldæis esse capiendos] quia decem tribus per hoc iugum seruitutis sperabant mitigandum, & duæ tribus sese ab obsidione liberandos [sicut in consequentibus libri huius] 3. capitulo scilicet infra [demonstrabitur]

Nahum Propheta.

CAPVT I.

ONus Ninive] Materia literalis huius prophetiæ, interfectio est regis Assyriorum, & translatio regni in regnum Chaldæorum. Spiritualis autem, eiectio principis mundi à potestate, & finali mundi condemnatione. Diuiditur autem in titulum & in tractatum.

Onus Ninive] hoc est, materia huius prophetiæ est onus, hoc est, tribulatio opprimens Niniuen metropolim Assyriorum. *Psalm.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Isa.* 58. Omne onus dissumpe. Niniue speciosa interpretatur. Mundus enim in græco Cosmos dicitur, quod latine sonat ornatum, à quo etiam latine mundus dicitur, quia de mundissimo exiuit exemplari. *Boetius in consolatione philosophiæ.* *Niniue*

Mundi mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse.

Mundi autem oppressio finalis hic describitur. Et subdit de modo [liber visionis] liber dicit propter perpetuitatem memoriæ, visionis propter certitudinem reuelationis, quia quod videtur, certum est. *Apocalyp.* 1. Quod vides scribe in libro. In hoc ergo notatur modus. Et subdit de authore, quem ex nomine describit & patria [Nahum] qui consolator interpretatur, in quo notatur finis, quia ad consolationem suæ gentis prophetat. *Isa.* 40. Consolamini consolamini populi meus. *Isa.* 51. Consolabitur dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius [Helcesæi] qui est quidam vicus Galileæ, de quo Propheta ipse ortus fuit. Nec Helcesæus fuit pater Prophetæ (vt quidam errantes dixerunt) & interpretatur aduocatus, inuiens quòd ipse Propheta pro populo suo aduocat apud Deum. 1. *Ioan.* 2. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Sic ergo scitur materia, modus, author, & finis prophetiæ. *Nahum* *Helcesæus*

Deus æmulator] Æmulator dicitur amator cum indignatione contrarij vel consortis, sicut Deus diligit homines indignans peccatis & hostibus, & non volens habere consortem in amato. 2. *ad Corinth.* 11. Æmulor vos dei æmulatione. 1. *ad Corinthios.* 12. Æmulamini charismata meliora. *Ioan.* 2. & in *Psal.* 68. Zelus domus tuæ comedit me. Zelus est quo deus zelando diligit homines, propter hoc zelus qui cum indignatione de peccatis est, à sanctis commendatur. *Numer.* 25. Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos. 1. *Machabæorum* 2. Zelanti legem sicut fecit Phinees. Inde est quòd dicitur *Luca* 6. Simon zelotes in commendationem sui [& vlciscens dominus] in eos scilicet qui *Zelus*

impœnitentes permanent; cum enim sit bonus & iustus, per bonitatem æmulatur bonos, & per iustitiam vindicat in malos. *Deut.* 18. Ego in tempore vltor existam. *Psal.* 93. Deus vltionum dominus. Diuiditur enim hæc prophetia in duas partes, in quarum prima terrorem describit iudicis in destructione Sennacherib regis Assyriorum, secundo translationem regni Assyriorum in regnum Chaldæorum propheta, *infra* 2. *ibi* [Ascender qui dispergat coram te] Prima in duas. Primo enim describit terrorem iudicis in contritione regis, secundo lætitiam populi liberati *ibi* [Ecce super montes] Prior adhuc in duas. Primo enim describitur terror iudicis, secundo quibus est terribilis & qua de causa *ibi* [Quid cogitatis contra Dominum] In prima tria sunt. Describit enim primo terrorem iudicis in se, secundo in creaturis *ibi* [Increpans mare] Tertio concludit quod nihil ei resistit in humanis *ibi* [Ante faciem indignationis eius] In prima quatuor sunt, qualis scilicet est in habitu, & hoc iam habitum est, qualis in actu, qualis in signo. In actu dupliciter, ire scilicet, & fortitudinis.

Vlciscens Dominus] hoc est, vindicans in peccatores. *Iere.* 5. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente huiusmodi non vlciscetur anima mea? Hoc idem eodem cap. dicitur infra. Simile *Iere.* 9. *Iere.* 3. Cito velociter vicissitudinem reddam vobis super caput vestrum [& habens furorem] hoc est, conceptam & ferventem in peccatores iram. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo] vlciscens Dominus in hostes suos] hostes suos reputat hostes Sanctorum. *Zach.* 1. Ira magna ego irascar super gentes opulentas. *Isa.* 1. Heu ergo consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis [& irascens ipse inimicis suis] hoc est, pœnam inimitens eis. *Psal.* 77. Ira in indignatione eius. Inimicos autem intelligit, inimicitias obseruantes. *Eccli.* 36. Extolle aduersarium, & afflige inimicum. Et attende quod dixit, vlciscens. Vlciscitur enim fame, peste, & gladio. *Ezech.* 5. & æternaliter, similiter, fame in destitutione omnis boni: peste, in conscientiæ corruptione & corrosione: gladio, in dæmonum punitione, per ignem. *Eccli.* 10. Cum moritur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Et subdit qualis sit in actu discretionis puniendorum.

Dominus patiens] hoc est, æquanimis in iudicio; ex commotione nihil faciens, sed totum ex ratione. *Sap.* 12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. *Eccli.* 5. Altissimus est patiens redditor. *Augustinus in regula.* An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? [& magnus fortitudine] cui scilicet nihil resistat. *Exo.* 15. Quis similis tibi in fortibus domine? *Iere.* 10. Magnus tu & magnum nomen tuum in fortitudine [& mundans] peccatis enim semper intendit emundare à peccato, vel ordinare peccatum, si peccator mundari non poterit. *Isa.* 27. Iste est omnis fructus, vt auferatur iniquitas. Et ideo flagellat vt pater, etiam eos qui in inferno sunt, in quibus ordinat peccatum. Vnde dicitur damnatum *Luc.* 16. Filium vocauit, & sic, ad minus mundat à peccati inordinatione. *Heb.* 12. Quis filius quem non corripit pater? *Psal.* 93. Numquid adhærebit tibi sedes iniquitatis, qui fingit laborem

gis laborem in precepto? Quasi dicat. Non. Ad hoc enim fingis in precepto laborem, vt per laborem sedem euertas iniquitatis. Et qualis sit in discretione iudicandorum, subdit [non faciet innocentem] hoc est, per acceptionem personæ non relinquet aliquid quasi innocentem qui peccauit. *Act.* 10. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. Nullus enim innocens est apud Deum. *Roma.* 3. Omnes peccauerunt & egent gratia Dei. Vnde quem Deus innocentem per gratiam non facit, innocens non est. 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Iere.* 25. Non eris innocens. Et *ibidem*: Non eritis immunes. Vnde non transit aliquem peccatorem quem non percutiat. Et ostendit signum terroris.

Sed ista Dei gratia, nulla est hominis innocentia.

Dominus in tempestate] supple, veniet. Tempestatem vocat commotionem elementorum & exercituum iudicantium hostes, sicut per multa describitur *Psal.* 49. In circuitu eius tempestas valida. *Sap.* 5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum [& in turbine viæ eius] turbo ventus est de nube egrediens, & motu involutionis conjoluens & eradicans, & significat exercitum Angelorum, dæmonum, & hominum, vndique hostes inuoluentem & eradicantem. Propter hoc *Ioelis* 2. dicitur: Dies iudicij Domini, dies nubis & turbinis [& nebulæ puluis pedum eius] quia exercitu veniente tantus fuit strepitus, quod puluis eleuatus nebula videbatur. Propter hoc *Sopho.* 1. dies iudicij dicitur dies nebulæ & turbinis. *Isa.* 28. Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis & turbo confringens. Et subdit de terrore in creaturis.

Increpans mare] sicut fecit *Exo.* 14. *Psal.* 135. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Hoc autem mare & mundum & multitudinem malorum significat, quos Deus increpat, ne tantum persequi possint quantum vellent. *Psal.* 105. Increpuit mare rubrum, & exiccatum est. *Isa.* 51. Nunquid tu non siccasti mare, aquam abyssi vehementis? Et hoc est quod sequitur [& exiccans illud] ne scilicet bonos submergere possit. *Iob* 38. Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos [& omnia flumina ad desertum adducens] Hoc literaliter factum est *Iosue* 3. In Iordane, qui siccatus est in transitu filiorum Israël. Flumina tamen significant fluxus vitiorum, & particulares exercitus malorum, sub vno magno exercitu Assyriorum vel dæmonum, quasi sub mari concurrentium; quæ omnia Dominus ad desertum adducit. *Isa.* 11. Desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui; & percutiet eum in septem riuis, ita vt transeant per eum calceati. *Isa.* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.

Infirmatus est Basan] Hoc ostenditur *Num.* 35. vbi Og rex Basan virtute Domini contritus est, qui fuit de semine giganteo. Hoc etiam in *Psal.* 135. dicitur, quod percussit Og regem Basan & omnia regna Chanaan. Basan etiam interpretatur confusio, & significat peccatum confusione dignum, vt dicit *Hieron.* quod stare non potest in iudicio Domini. *Isa.* 54. Omne vas quod factum est contra te, non dirigetur; & omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis [& Carmelus] supple, infirmatus est. Historialiter; Carmelus mons Phœnicis est pascuosus mirabiliter, in quo Nabal oues pascebantur 1. *Reg.* 25. quem Iebusæi contra virtutem Domini retinere non potuerunt in ingressu filiorum Israel. Interpretatur autem scientia circumcisionis, & significat eos qui per sapientiam & astutiam alios circumcidere & procidere cupiunt, qui infirmi sunt contra sapientiam Domini. *Iob* 5. Qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilium prauorum dissipat. 1. *ad Corin.* 2. & Abdiæ 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo [& flos Libani elanguit] Sensus est. Libanus qui flos montium est, altissimis cedris & redolentia thuris, sic elanguit, quod in introitu filiorum Israel à suis possessoribus defendi non potuit contra virtutem Domini. Interpretatur autem candidario; & hypocritas significat, qui languidi erunt in iudicio Domini. *Isa.* 2. Dies Domini super omnes cedros Libani sublimes & erectas. *Iob* 8. Viæ omnium qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.

Carmelus.

Libanus.

Montes commoti sunt ab eo] hoc est, superiores principatus [& colles desolati sunt] inferiores fortitudines. *Isa.* 2. Dies Domini super omnes montes excelsos, & omnes colles elevatos. *Iob* 26. Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius. 1. *ad Corin.* 15. Cum exterminauerit omnem principatum, & omnem potestatem [& contremuit terra à facie eius] terra dicitur per metonymiam communiter habitantes in terra, sicut qui habitabant sub regno Assyriorum, vel qui habitabant in toto mundo. *Psal.* 75. Terra tremuit & quieuit, dum exsurgeret in iudicio Deus [& orbis] supple, tremuit [& omnes qui habitant in eo] orbem literaliter vocat monarchiam Assyriorum, spiritualiter autem circuitum malorum. *Psal.* 11. In circuitu impij ambulant. *Isa.* 13. Visitabo super orbis malia, & contra impios iniquitatem eorum. Ex his concluditur, quod mali non resistent, sed boni securi erunt.

Ante faciem] hoc est, ante præsentiam [indignationis eius quis stabit?] hoc est, stare poterit. *Glossa.* Deo corripiente vel rarus vel nullus est qui non paueat ad iudicium Domini; cum astra quoque non sint munda in conspectu eius. *Iob* 4. Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. *Matth.* 3. Quis stabit ad videndum eum? Et quod dicit, subdit exponens [& quis resistet in ira furoris eius?] *Iob* 9. Deus cuius resistere iræ nemo potest. *Thren.* 49. Quis enim similis mihi, & quis sustinebit me? Et subiungit causam, & suppletur quia [indignatio eius effusa est vt ignis] *Thren.* 1. Effudit quasi ignem indignationem suam. Effusio notat quod longe latequè sententia iudicij diuini peccatores comprehendet [& petræ dissolutæ sunt ab eo] Domino scilicet iudicante, vel igne dissolutæ, hoc est, scissæ, sicut in Passione Domini *Matth.* 27. *Isa.* 64. A facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis contabescerent. 3. *Reg.* 19. Ecce Dominus transit, & spiritus grandis & forte, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum. Quod autem securi sint boni, subdit.

Iudicium Dei erit cælis formidabile.

Bonus Dominus] in substantia & effectu. *Luc.* 18. Nemo

18. Nemo bonus nisi solus Deus. *Psal.* 118. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas [& confortans in die tribulationis] *Isaiæ* 1. Confortare, & esto robustus. Necessaria est enim confortatio in die tribulationis, *Danie.* 8. Loquere quia confortasti me. *Isa.* 35. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. *Eccl.* 34. Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris & vmbraculi meridiani [& sciens] hoc est, per beneplacitum cognoscens [sperantes in se] 2. *ad Timoth.* 2. Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. Cognouit Dominus qui sunt eius. *Ioan.* 10. Cognosco meas, & cognoscunt me meæ. *Exo.* 33. Inuenisti gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine. Nouit autem vt distinguat à pœnis impiorum. 2. *Pet.* 2. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, impios autem cruciandos in iudicium reseruare. Et hoc est quod sequitur.

Et in diluuio præteriente] Diluuium vocat generalem tribulationem, quia rex Assyriorum afflixit omnes gentes. Hoc dicit præteriens: quia etsi tangeret Iudæos sive sanctos, tamen non consumpsit. *Isa.* 8. Transiuit per Iudam, inundans & transiens vsque ad collum veniet. Similiter etiam tribulatio diaboli tangit, sed non inuoluit Sanctos. *Psal.* 31. Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Propter quod quidam comparantes se Sanctis *Isa.* 28. Dicunt: Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos. 1. *ad Corin.* 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari super id quod potestis [Consummationem faciet loci eius] regis scilicet Assyriorum, vel diaboli, Consummationem autem dicit consumptionem, sicut panis dicitur consummatus quando consumptus est, vt dicit *August.* Et est sensus, in tribulatione quam inferet illis ita consumet eum quod locus eius de cætero non inuenietur. *Isa.* 30. Erit transitus virgæ fundatus quam requiescere faciet Dominus super eum. Fundatum dicit immobilitatem, vt vlterius transire non possit. Requiescere autem dicit super eum; quia pœna quam intulit aliis, tota simul coadunata manebit super eum in æternum. *Apoca.* 12. dicitur de dracone persequente Ecclesiam & sociis eius. Non valuerunt, neque locus eorum inuentus est amplius in cælo, hoc est, in Ecclesia. *Psal.* 36. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat; quæsiui, & non est inuentus locus eius [& inimicos eius] Dei scilicet, & Sanctorum [persequentur tenebræ] & huius causa est (vt dicit *Glossa*) quia tenebras elegerunt & dilexerunt. *Iob* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nesciuerunt vias eius, neque reuersi sunt per semitas eius. *Ioan.* 9. Ego lux in mundum veni, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Illæ autem tenebræ, sunt tenebræ exteriores in loco damnatorum existentes. *Matth.* 25. Proiicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Tentatio Sanctos tangit, sed non inuoluit.

Quid cogitatis] in parte ista terroris describit iudicij in iudicatis sive damnatis. Et habet partes duas. Primo enim ostendit iudicium in destructione exercitus, secundo in interfectione regis *ibi* [De domo Dei tui] Prima adhuc habet duo, scilicet exercitus destructionem, & obsessorum consolationem *ibi* [Affixi te] In prima adhuc duo sunt. Primo enim dicit iudicium. Secundo defensionis auferit præsumptionem *ibi* [Hæc dicit Dominus] In prima quatuor sunt. Primo enim ponit inuectionem, secundo spei de subiuganda ciuitate frustrationem, tertio combustionis similitudinem, & quarto causam meritoriam.

Quid cogitatis contra Dominum?] blasphemias scilicet, & subiugationem suorum? *Isa.* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Mat.* 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Et est sensus. Cogitare nihil valebit vobis. *Isa.* 8. Inite consilium, & dissipabitur; loquimini verbum, & non fiet; quia nobiscum Deus [consummationem ipse] scilicet Dominus [faciet] hoc est, consumptionem exercitus regis Assyriorum. *Isa.* 10. Consummationem & abbreuiationem Dominus ipse faciet in medio omnis terræ. Sub vnius enim noctis articulo omnes interfecti sunt, & incinerati; sicut vna nocte Ægyptiorum primogenita percussa sunt *Exo.* 12. Et sub vna nocte Ægyptij submersi sunt *Exo.* 14. Et sicut sub vna nocte Resurrectionis Dominicæ diabolus & eius exercitus deletus est amissa potestate. *Isa.* 16. Finitus est puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram. Et subdit de spei frustratione.

Non consurget duplex tribulatio] hoc est, Primam tribulationem permisi in captiuitate decem tribuum, secundam non addam vt duas tribus captiuari permittam. Quidam tamen dicunt, quod duplex tribulatio in Assyrios non surrexit; quia vno impetu Angeli, & non duobus, aut tribus omnes simul interfecti sunt. *Septuaginta* habent. Non bis iudicabit Deus in idipsum. Contra quod obijcit. *Hierom.* quod secundum hoc adultera optare debet vt temporaliter puniatur, ne in æternum cruciatur. Secundum hoc etiam in diluuio mortui in inferno non cruciarentur. Et simile est de Sodomitis. Soluit autem hoc *Hieronymus* dicens Deum sicut omnium rerum, ita pœnarum scit mensuras; & non præuenit sententiam iudicis, nec illi in peccatorem exercendæ deinde pœnæ auferri potestatem; & magnum peccatum, magnis, diuturnisque eius cruciatibus. Siquis autem punitus sit pro leui peccato, vt ille qui in lege Israeli maledixerat, & qui in sabbato ligna collegerat; tales postea non puniri, quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit. Stultus est, quod pro vno peccato sufficienter punito non intelligitur alia pœna. Peccatum autem mortale præsenti pœna non sufficienter punitur, vt pariter peccatum & veniale, & ideo hoc hic punitur & in futuro non punietur. Contra hanc tamen solutionem adhuc obiicitur. Quia ponamus quod mortale continuum sit venali in eodem homine, illi quia susceptibilis gratiæ non est propter præsentem statum nullum peccatum dimittitur, eo quod nullum peccatum sine gratia remittetur; & si non dimittitur, in futuro punietur, & sic bis iudicat Deus in idipsum. Ad hoc dicunt quidam, quod pariter peccatum de se semel punitur, sed quod in inferno iterum punitur, hoc est per accidens. Sed si sic Deus punit bis in idipsum, Scriptura falsa erit, quod nefas est dicere. Et ideo tenendum est primum, scilicet, quod intelligitur de peccatis per vnam pœnam per se & per accidens sufficienter punitis. Et quod *Hieronymus* dicit de Sodomitis & peremptis in diluuio, antiqui dixerunt intelligi de his qui in ipsis pœnis instante hora mortis ingemuerunt

ingemuerunt de peccatis & sufficienter contriti sunt; illi enim æternaliter non sunt puniti. Qualiter autem fiat consumptio, subdit per similitudinem.

Quia sicut spinæ inuicem complectuntur] hoc est, sicut spinæ complectuntur in fasciculos ad comburendum[sic conuiuium eorum]hoc est,conuiuantes [pariter potantium]& epulantium supple: comedebant enim & bibebant securi de capienda ciuitate [consumetur] hoc est,in nihilum deducetur. *Matth.* 13. Colligite primum zizania per fasciculos ad comburendum. De securitate autem 1.*ad Thess.*5.Cum dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. *Matth.* 24. Sicut in diebus Noë ante diluuium erant comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes,& non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes;sic erit aduentus Filij hominis [quasi stipula ariditate plena]id est, per ariditatem igni præparata. *Isaie* 1. Erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ,& opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. Igne enim infernali totus exercitus consumptus est vsque ad ossa. *Isa.*9. Erit in combustionem,& cibus ignis.Et subdit causam.

Aduentus Domini inopinatus erit.

Ex te enim]ô rex Assyriorum [exibit]à te scilicet missus Rapsaces [cogitans contra Dominum malitiam]hoc est,blasphemiam. *Isaie* 37. Cui exprobrasti & quem blasphemasti? & super quem exaltasti vocem, & leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israël? Hæc est malitia quæ non nisi ex radice mali procedit, & est peccatum in Spiritum sanctum, quod(sicut dicitur *Matth.* 12.& *Luca* 1.) non remittitur in hoc seculo nec in futuro [mente pertractans præuaricationem] hoc est, studiose pertractans qualiter populum præuaricari faciat,vt scilicet à Deo recedat, & regi Assyriorum se subdat,vel diabolo. *Ad Gal.*5. Nemini consenseritis; persuasio enim hæc non est ab eo qui vos vocauit. Et subdit de ablatione præsumptionis ad resistendum.

Blasphemia est peccatum in Spiritum sanctum.

Hæc dicit Dominus]confirmatio est quod absque dubio erit.*Num.*23. Non est Deus vt homo vt mentiatur[Si perfecti fuerint] Assyrij scilicet,supple,arte pugnandi,viribus corporis, armis,numero militum,& ordinatione siue instructione acierum [& ita plures]supple, fuerint quam modo sint[sic quoque]in omnibus viribus suis[attondentur]Angelo scilicet vastante. Attondentur autem dicit: quia solum caput euasit, exercitus autem totus qui sicut pilus capiti adhæret, attonsus est nouacula Angeli. *Isaie* 7. Radet Dominus in nouacula acuta capur,& barbam vniuersam, & pilos pedum [& pertransibit]Assyrius scilicet, vt &c cetero non subsistat.*Psal.* 36. Transiui, & ecce non erat. Hoc etiam de potestate dæmonis potest dici, vel de quolibet malo tortore. *Psal.* 99. Cadent à latere tuo mille,& decem millia à dextris tuis. Et subdit de consolatione bonorum.

Afflixi te]scilicet,in captiuitate decem tribuum, vel in obsidione ciuitatis,vel in quacunque tentatione[& non affligam te vltra] quia non consurget duplex tribulatio.Vnde *Luc.* 16. dicitur de Lazaro qui recepit mala in vita sua, nunc vero consolatur. *Iob*,16. Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Tob* 5. Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit: non enim delectaris in perditionibus nostris[Et]id est, quia [nunc] sine mora,supple[conteram virgam eius] hoc est, potestatem percutiendi & affligendi, siue Assyrij,siue dæmonis,siue alterius tortoris.*Isa.* 9. Iugum enim oneris eius & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian[de dorso tuo] vt scilicet non vapules virga sua amplius. *Isa.*14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili. Et *infra ibidem.* Conteram Assyrium in terra mea,& in montibus meis conculcabo eum,& vincula tua disrumpam,hoc est, angarias & perangarias quibus te vinxit ad seruiendum. *Isa.*14. Auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.*Psalm.* 115. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Item *Psalm.*124. Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.

Et]id est,quia[præcipiet super te]ô Assur [Dominus]hoc est solo præcepto te delebit, & verbo suæ virtutis. *Sap.*18. Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cælo à regalibus sedibus venit, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans,& stans repleuit omnia morte[Non seminabitur ex nomine tuo amplius] ô rex Assur, hoc est,semina tyrannidis tuæ & oppressionis vlterius non colliges, nec ministri tui nomine tuo præcepta tua seminabunt. *Iob* 4. Vidi eos qui seminant dolores & metunt eos,flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos. *Isa.* 14. Non consurget in æternum semen pessimorum.Et quod dicit, non seminabitur, impersonaliter legendum est,hoc est,seminario ex nomine tuo non fiet. Et subdit de regis interfectione, qui tantum cum decem fugerat,& cum venisset in Niniuen & adorarret in templo Nesrach Deum suum, gratias agens quod fugerat,tanta multitudine perente, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio. *Isa.*37. Et hoc est quod hic dicitur [de domo Dei tui interficiam][supple, te[sculptile & conflatile]hoc est, templum sculptilis & conflatilis [ponam sepulchrum tuum]*Isa.*22. Ibi morieris,& ibi erit currus gloriæ tuæ & ignominia domus Dei tui [quia inhonoratus es]hoc est, nullo honore dignus habitus es coram me scilicet, quod nec plangaris in exequiis,nec honeste sepeliaris. *Num.* 14. Decreuerat quidem magnifice honorare te, sed Dominus priuauit te honore disposito.

Rex Assyriorum à filiis occiditur.

Ecce super montes] Tangit hic lætitiam ortam in populo de morte regis.

Ecce super montes]supple iam videntur [pedes euangelizantis]hoc est,bonum nuntiantis [& annuntiatis pacem]destructo scilicet vastatore, hoc est, per montes & valles videntur discurrere qui hoc annuntient.*Iere.*51.Currens venit obuius currenti,& nuntians nuntianti.*Isa.*52.1 Quam pulchri sunt super montes pedes annuntiantis pacem[Celebra Iuda festiuitates tuas]Tangit hic quod dicitur 2. *Paral.*32. quod sub Ezechia quartodecimo die mensis Aprilis festum Paschæ celebrare non poterant propter obsidionem. Interfecto autem exercitu quartodecimo die sequentis mensis, hoc est,Maij, præcepit Ezechias vt celebrarent secundum præceptum legis *Exod.*12.& hoc nuntij Ezechiæ læta voce in populo nuntiauerunt [ô Iuda] hoc

hoc est,duæ tribus, celebra festiuitates tuas à Domino tibi ordinatas. *Psal.* 117. Constituite diem solennem in condensis vsque ad cornu altaris. Item *Psalm.* 75. Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi [& redde vota tua] quæ scilicet in tribulatione vouisti.*Iona* 2. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunque voui, reddam pro salute Domino. *Psalm.*65. Reddam Domino vota mea quæ distinxerunt labia mea [quia non adiiciet vltra]sicut,supple, fecit [vt pertranseat in te]hoc est,in terra tua[Belial] quod absque iugo, vel vastator interpretatur, & significat dæmonem vel tyrannum Sanctos vastantem,& iugum Dei abiicientem. *Isaie* 52. Non adiiciet vt pertranseat per te incircuncisus & immundus. *Matth.*16. Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam [vniuersus interit:]Belial,supple, *Exod.*14. Nec vnus quidem superfuit ex eis. Quod maxime completum est destructa Ninue per Chaldæos. *Dem.*33. Eiiciet à facie tua inimicum tuum,dicetque, Contere. *Rom.*16. Dominus conteret Satan sub pedibus vestris velociter.

CAPVT II.

Ascendit.

Hic agit de destructione regni Assyriorum, & habet duas partes. Primo tangitur destructio in se,secundo in comparatione ad causam ;*cap.*3. *infra,ibi* [Væ ciuitas sanguinum] Prima in duas. Primo describit vastationem quantum ad terribilitatem hostis: secundo, quantum ad impotentiam resistendi impugnantibus, *ibi* [State, state] Prima harum in tres diuiditur, in quarum prima describit obsidionem, secundo inuasionis terrorem *ibi*[Clypeus fortium] Tertio ciuitatis & populi captionem *ibi* [Portæ fluuiorum] In prima tria sunt,obsidio scilicet, ciuitatis, dissolutio ciuium,& causa mali meriti.

Ascendit]Nabuchodonosor scilicet vel diabolus. *Iere.* 49. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis,ad pulchritudinem robustam; quia subito currere faciam eum ad illam. Niniue interpretatur speciosa, & ideo robusta pulchritudo fuit. De ascensu autem diaboli super tentatum dicitur *Eccles.*10. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris [qui dispergat coram te]villas scilicet,agros, & agricolas: sicut & dæmones spiritualia bona dispergunt. *Isa.* 21.Qui depopulator est,vastat. *Iere.*1. Vt euellas, & destruas,& disperdas, & dissipes [& qui custodit obsidionem] hoc est, non tantum obsidet & recedit, sed custodit diu manens in obsidione: sicut & dæmones obsident hominem. *Eccl.*9. Est ciuitas parua,& pauci in ea viri: venit contra eam rex fortis,& obsedit eam. *Iob* 19. Obsedit in gyro tabernaculum meum. Et subdit de dissolutione obsessorum.

Et contemplare viam]ô Niniue, per quam scilicet inuadere possis hostem vel fugere. *Iere.*6. State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis,quæ sit via bona, & ambulate in ea. *Tobie* 10. Quotidie exiliens circumspiciebat & circuibat vias omnes per quas spes erat remeandi [confortat lumbos] irrisio est: dissolutio enim timidorum maxime in lumbis est, & tamen contra diabolum nimis valet confortatio lumborum. *Ephe.*6.State succincti lumbos vestros in veritate. *Hieron.* Nihil ita confortat lumbos vt veritas: cognitio enim veritatis delectationem lumborum mortificat.Alia translatio. Accinge lumbos, hoc est,restringe per castitatem *Gregor.* Lumbos præcingimus,cum carnis concupiscentiam per continentiam coarctamus. *Iob* 38. Accinge sicut vir lumbos tuos.*Prou.vlt.* Accinxit fortitudine lumbos suos,& roborauit brachium suum. Et hoc est quod sequitur[robora virtutem tuam valde] congregando scilicet exercitum,& animando milites. Et quamuis irrisio sit ad Niniuen: tamen bonum consilium est contra diabolum. *Psalmo* 17.Et præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me.1. *Machab.*3. Accingimini,& estote filij potentes.Et subdit causam.

Veritatis cognitio concupiscentiam minuit.

Quia sicut reddidit Dominus] per condignam pœnam scilicet[superbiam Iacob]& est malum à superbia illatum Iacob à Sennacherib rege Assyriorum, per hoc scilicet quod suos destruxit ante Ierusalem; Iacob autem dicit duas tribus.*Isa.* 33. Contriti sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas.Et loquitur ad literam de destructione à Sennacherib. Superbis enim Deus resistit *Iacob.* 4.& 1.*Pet.*5. *Eccl.* 10. Radices gentium superbarum arefecit Deus[sic]supple, reddet [superbiam Israël]hoc est,factam contra Israël, hoc est, decem tribus ab Assyriis.*Iere.*2. Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum eius: omnes qui deuorant eum, delinquunt.*Psalm.*27.Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum tribue illis.*Isa.*3. Væ impio in malum,retributio manuum fiet ei. Quid autem fecerint in Iacob & in Israël,subdit[quia vastatores] Assyrij scilicet[dissipauerunt eos]Iacob scilicet, & Israël. *Iere.*50.Primus comedit eum rex Assur: iste nouissimus exossauit eum rex Babylonis. *Isa.*52. Assur absque vlla causa calumniatus est eum. *Iorem.*4. Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ[& propagines eorum corruperunt]loquitur ad modum vineæ succisæ,& propagines vocat familias & cognationis sociantes: quæ omnia succisa & corrupta sunt per captiuitatem Assyriorum.Quod sub metaphora plangit *Psal.*79. Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. *Isa* 16. Vineam Sabamæ Domini Gentium exciderunt, flagella eius vsque ad Iaser peruenerunt.

Clypeus fortium]Describit hic terrorem inuadentis hostis, & dicit tria:terrorem hostis ,multitudinem,& velocitatem.

Clypeus fortium] Babyloniorum scilicet, est [ignitus] Ignitum vocat: quia propter peltas aureas circumpositas sole desuper insidente ignem clypeus videtur emittere. 1. *Machab.* 6. Refulsit sol in clypeos aureos,& æreos: & resplenduerunt montes ab eis. Nihilominus tamen fortium clypeus Christi,verbum Dei est & fides. *Proverb.*30. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se. *Ephes.* 6. In omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere[viri exercitus eius]Nabuchodonosor scilicet[in coccineis]supple, super arma sunt vestiti.Et dicit viros, quia viriles:coccino autem vestitos,vt notetur, quod sitiunt sanguinem,

Verbum Domini clypeus est.

Vnde

Vnde *Apoc.* 17. Mulier quæ Babyloniam significat, vestita dicitur esse coccino : quia ebria erat de sanguine, sicut ibidem dicitur. *Deut.* 33. Tinget in sanguine pedum suum. Ferrum & æs calceamentum eius. Vt dicit *Vegetius in libro de re militari*, Coccinis se vestiebant ; vt aspectu rubei acuerentur in prælium. 1. *Machab.* 6. Ostenderunt elephantis sanguinem vuæ & mori, vt acuerent eos in prælium.

Igneæ habenæ currus] hoc est, curruum, in quibus scilicet arma & victualia portabantur, & in quibus falcatis quidam pugnabant ; habenas, hoc est, lora quibus dirigebant tales currus colore aureo vestiebat, vt ipsi currus ad solem quasi ignem emittere viderentur ; & per hoc significaretur, quod ex ira ignem spirarent in hostes. Simile 2. *Mach.* 9. de Antiocho, qui dicitur ignem animo spirasse in Iudæos. De talibus dicitur *Osee* 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. *Iob* 41. Halitus eius prunas ardere fecit, in naribus eius procedit fumus. Et *infra*. Flamma de ore eius egrediturà die præparationis eius. Sensus est, quod non subito ita terribilis factus est, sed à prima fundatione & præparatione eius terribilis est : & ideo per antiquam experientiam bellator & vastator est. Vnde *Gen.* 10. dicitur, quod Nemrod qui cœpit robustus venator esse coram Domino, principium regni sui habuit Babylon. Deinde facit apostrophen, conuertens se ad Niniuitas [& id est, quia [agitatores eius] hoc est, Niniue [consopiti sunt] Ac si dicat : Non est mirum quod Babylonij veniunt, quia agitatores, hoc est, incitatores ad bellum Assyriorum consopiti sunt, temulenti, & ebrij, & viribus destituti. *Iere.* 25. Bibite & inebriamini, vomite & cadite, & nolite consurgere. Deinde redit ad descriptionem terroris ex multitudine.

In itineribus conturbati sunt] Babylonij scilicet præ multitudine exercitus : ita scilicet, quod vnus impedit alium, & mixtim feruntur : quilibet enim alium præcurrere nititur. *Isa* 5. Ecce festinus velociter veniet, non est deficiens neque laborans in eo [quadrigæ collisæ sunt in plateis] hoc est, quamuis platea dicitur à Græco platum, quod est latum ; tamen tot erunt quadrigæ, quod vna ad alteram collidetur in impetu veniendi. *Exod.* 14. simile. Tulit Pharao sexcentos curros electos, & quicquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus. *Psalm.* 19. Hi in curribus, & hi in equis. *Isaie* 5. Vngulæ equorum eius vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis [aspectus eorum quasi lampades] hoc est, flammæ : lampas enim Græce, latine flamma dicitur. *Hierom.* Ita vt inflammato vultu prius terreant quam ense feriant. Simile *Apoc.* 2. Oculi eius tanquam flamma ignis [quasi fulgura discurrentia] Hoc dicit, quia micabant arma hoste discurrente per homines quasi fulgura discurrentia : micabant enim arma, & tonabant increpationes, & minæ. Vnde *Ezech.* 1. vbi ferocitatem Chaldæorum describit, dicit : Erat visio discurrens in medio animalium ; splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et, supple, tunc Assur [Recordabitur fortium suorum] vt scilicet animet eos ad resistendum, sed dicetur ei illud *Amos* 2. Fortis non obtinebit virtutem suam. Et hoc est quod sequitur [ruent in itineribus suis] fortes scilicet : tantum enim expauescent quod in ipso itinere quo fugient, cadent. *Deut.* 28. Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgent aduersum te, corruentes in conspectu tuo.

Platea.

Velociter ascendent muros eius] Niniue scilicet. Et est duplex sensus, scilicet, vel cives campum relinquentes & infra muros Niniue conclusi, velociter ad defendendum ascendent muros : vel hostes exterius obsidentes, velociter ascendent murum ad capiendam ciuitatem. *Isa.* 22. Scrutans murum & magnificus super montem, supple, est inimicus [& præparabitur vmbraculum] tentoria scilicet, quæ militem ab ardore solis protegunt & à tempestate imbrium in longa obsidione. Simile *Isa.* 4. Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia.

Portæ fluuiorum] Tangit hic capturam ciuitatis [Portæ fluuiorum apertæ sunt] Portæ fluuiorum dicuntur portæ ciuitatis Niniue, per quas vndatim sicut flumina quædam, multitudo populi consueuit ingredi & egredi. Simile *Isa.* 2. Fluent ad eam omnes gentes. Hæ dicuntur apertæ : quia prostratis curribus quæ in porta erant, apertura muri liberum hosti dedit introitum. *Thren.* 2. Tradidit in manus inimici muros turrium eius. Et post pauca, Defixæ sunt in terram portæ eius, contriuit vectes eius. *Iob* 30. Quasi rupto muro & aperta ianua, irruerunt super me & ad meas miserias deuoluti sunt [& templum ad solum dirutum] *Hieronym.* dicit, quod templum erat regnum, eo quod venerabatur vt templum : tamen potest dici quod templum ad literam fuit templum Nesrach, quod Ninus in venerationem filij sui ædificauerat, quod per Chaldæos dirutum est. Simile fecit Iehu 4. *Reg.* 10. vbi interfectis sacerdotibus & prophetis Baal, destruxerunt quoque ædes Baal, & fecerunt inde latrinas vsque in diem hanc.

Et miles] hoc est militia Assyriorum [captiuus adductus est] à Babyloniis scilicet. Simile *Thren.* 1. Facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis [& ancillæ eius] ancillas vocat villas & oppida & castra subiecta Niniue [minabuntur] supple, in captiuitatem [gementes vt columbæ] hoc est, Sicut columba intra semetipsam sonat, & apertum sonum non emittit : ita & coram hoste intus gement, & aperte gemere non audebunt. *Isa.* 38. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Et hoc est quod sequitur [murmurantes in cordibus suis] ore scilicet gemere non audentes. *Isa.* 59. Rugiemus quasi vrsi omnes, quasi columbæ meditantes gememus.

Et Niniue] in talibus malis, supple, erit, & est nominatiuus absolutus [quasi piscina aquarum aquæ eius] Sensus est. Aquæ eius, hoc est, voluptates in quibus rigata fuit, erunt sicut piscina aquarum. Donatus per antiphrasim dicit ; Piscina dicitur, eo quod minime habeat pisces. Et est sensus, quod sicut in paludibus fluuiales aquæ corruptæ sunt & amaræ, ita quod pisces nutrire non possunt : ita voluptates & diuitiæ in amaritudinem conuertentur, ita quod ciues ad voluptates nutrire non possint. *Isa.* 19. Nudabitur alueus riui à fonte suo : & omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, & non erit. Et merebunt piscatores [ipsi vero fugerunt] scilicet Niniuitæ. *Isa.* 22. Omnes principes tui fugerunt simul, durique ligati sunt. Hoc facile est exponere de impetu Domini venientis ad

Piscina.

ad iudicium damnationis mundi cum exercitibus sanctorum Angelorum, & dæmonum : & sufficiunt eædem auctoritates.

State, state] Tangit hic impotentiam resistendi ; & diuiditur in partes tres, in quarum prima tangit impotentiam rebellandi : in secunda insultationem *ibi* [Vbi est habitaculum leonum] Tertio ostendit, quod hæc virtute Domini perficiuntur *ibi* [Ecce ego ad te] In prima tria sunt : irrisio scilicet, deprædatio, & resistendi impotentia [State, state] irrisio est, vel sicut dicit *Glossa*, mater ciuitas, scilicet, Niniue clamat ad filios, videns se esse destitutam : State, state ad defensionem scilicet. Et tunc est dictum gementis : mater enim gemuit non stantibus defensoribus, *Malach.* 3. Quis stabit ad videndum eum ? *Iosue* 7. Anathema in medio tui Israel, non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui contaminatus est hoc scelere. Bis autem dicit ; State, state : quia vidit cadentes per culpam, & cadentes per pœnam. Vnde Dominus in *Psal.* 93. clamat : Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem ? Ratus enim est qui stet. Et hoc est quod sequitur [Et non est qui reuertatur] ad ducem scilicet, aut vexillum ducis, cunctis fugientibus, principes tui fugerunt procul. *Isa.* 22. Contra hoc 2. *Paralip.* 20. Confidenter state, & Dominus pugnabit pro vobis contra eos. Reuerti enim est fugientem ad ducem faciem conuertere. *Cant.* 6. Reuertere, reuertere Sunamitis. Illis autem fugientibus hostibus dat licentiam diripiendi.

Diripite argentum] ad literam [diripite aurum] quod pretiosius est. *Prou.* 1. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis [& id est, quia [non est finis diuitiarum] quas, supple, ex auaritia congregauit. *Eccl.* 5. Auaris non implebitur pecunia [ex omnibus vasis desiderabilibus] quæ scilicet ad speciem anaglyphi sibi fecerant ; vel vasa dicit, tecas in quibus reposita thesauri erant. Hæc enim omnia Babylonij diripuerunt. *Baruch* 3. Qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum. *Glossa* etiam dicit, quod per hoc quod dicitur. Diripite aurum, intelligantur Prædicatores & Doctores, qui aurum sapientiæ mundi & argentum eloquentiæ diripiunt, & in thesauros Domini & Ecclesiæ conuertunt. Et vasa desiderabilia sunt animæ virorum illustrium, quas diripiunt Doctores, & templo Dei, hoc est, Ecclesiæ consecrant eas, sicut fuit Constantinus & Augustinus, & alij. Propter quod dicitur *Esai.* 50. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. *Act.* 9. Vas electionis erit mihi iste. Et subdit de impotentia resistendi : primo in ciuitate, secundo in hominibus.

Dissipata est] ciuitas Niniue, supple. Et est dissipatio per discordiam intestinam, hoc est, sepis munientis destructio, quæ fuit per fortes bellatores, sapientes consiliarios, Prælatos in vnitate populum continentes. *Isa.* 3. Auferet Dominus exercituum, validum & fortem, & virum bellatorem, & iudicem, & prophetam, & ariolum, & senem. Et post pauca : Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis ; & corruet populus, vir ad virum. *Isa.* 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem [& scilicet per sectas & inimicitias manifestas, quæ scissura signum est proximi interitus. *Luc.* 6. Percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem scissionibus. Hoc enim in omni congregatione signum destructionis est, *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Omne regnum in se diuisum, desolabitur, & domus super domum cadet [& dilacerata] per bella scilicet intestina, quibus scilicet se inuicem lacerabant : laceratio enim dilaniatio est, qua vnus alium dilaniat. Vnde *infra* 3. dicitur : Dilaceratione plena non recedet à te rapina, *Iob* 13. Quare lacero carnes meas dentibus meis ? *Zachar.* 12. Omnes qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur. Hoc etiam in Ecclesia destructionis signum est : quia scilicet dissipati sunt per inuidiam, scissi per discordias, dilacerati per aduocatos in causis & contentiones. *Psal.* 34. Dissipati sunt, nec compuncti. Scissio vero significatur 1. *Reg.* 15. vbi scissum est pallium Samuelis, apprehendente eum Saul. Et dixit Samuel ; Scidit Dominus regnum à te, & tradidit illud proximo tuo melioti te, *Habac.* 1. dicitur de dilaceratione. Propter hoc lacerata est lex, & non venit ad finem iudicium. Quia impius prævalet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum. Et subdit de destitutione hominum.

Discordia interitum affert rei p.

Et cor tabescens] Quod lues vel sanies est in viuo, sanguis scilicet putrefactus, hoc tabes est in mortuo, & significat destitutionem cordis, moribundi & intra semetipsum iam putridi & destituti. *Psal.* 111. Dentibus suis fremet, & tabescet ; desiderium peccatorum peribit. 1. *Reg.* 2. Vt deficiat & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur. Hoc enim primum est, quod cor destituitur, & pauore tabescit. *Sap.* 16. Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet quasi aqua superuacua [& dissolutio geniculorum] Quando iunctura corporis timore soluuntur, primum hoc apparet in tremore geniculorum, ita quod ctura hominem continere non possunt, *Isa.* 8. Tenebit eos dissolutio & angustia. Isti sunt claudicantes in duas partes, nescientes in quo stare velint, vel ad quid se tenere. 3. *Reg.* 18. Vsquequo claudicatis in duas partes ? *Hebr.* 12. Remissas manus & debilia genua erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris [& defectio in cunctis renibus] renes sunt, in quibus superiora inferioribus colliguntur, & sunt loca delectationum. Et sensus est, quod deficiet delectatio in eis, literaliter scilicet in Niniuitis, & moraliter in mundanis. *Psal.* 72. Renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum. Ideo dicitur de forti muliere *Prou. vlt.* Accinxit fortitudine lumbos suos. *Exod.* 12. Renes vestros accingetis [& facies omnium sicut nigredo ollæ] ex pallore scilicet in nigrorem conuersa præ nimio timore, *Thren.* 4. Quomodo computati sunt in vasa testea, opus manuum figuli. *Isa.* 13. Facies combustæ vultus eorum. Et subdit de insultatione.

Lues.

Tabes.

Vbi est habitaculum leonum ?] habitaculum leonum vocat Niniuen, vbi oppressores & prædones habitabant. *Ezech.* 19. In medio leunculorum enutriuit catulos suos, & eduxit vnum de leunculis suis, & leo factus est, didicit prædam capere, hominemque comedere. *Psal.* 9. Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Quasi dicat. Dirutum est habitaculum, *Matth.* 22. Missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit [& pascua catulorum leonum] supple, non sunt. Catulos leonum vocat ciues ciuitatis,

tatis,& officiatos regis: quia præda tunc periit ab eis,sicut à prædonibus Ecclesiæ, & prædonibus mundi peribit. *Iob* 4. Rugitus leonis & vox leænæ & dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit,eo quod non haberet prædam,& catuli leonis dissipati sunt. Tunc enim fiet quod dicitur *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit,euomet,& de ventre ipsius extrahet eas Deus,& bene dico, Vbi est [ad quam iuit leo] Nabuchodonosor scilicet, vel diabolus, expugnandam scilicet [vt ingrederetur illuc]sine scilicet aliquo resistente. *Iere*.4. Ascendit leo de cubili suo,& prædo Gentium se leuauit, vt ponat terram tuam in desolationem. 1.*Petr*.5. Aduersarius vester diabolus, circuit tanquam leo rugiens,quærens quem deuoret [catulus leonis]scilicet,Holophernes, vel alius nuntius Nabuchodonosor, vel diaboli: cui qui se sibi leones esse videbantur,resistere non poterant. Vnde Rapsaces *Isa*. 37.dicit: Quomodo sustinebitis faciem iudicis vnius loci ex seruis Domini mei minoribus?Et prosequitur metaphoram [Et non est qui exterreat]leonem scilicet. *Gen*. 49. Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna quam suscitare nullus audebit.

Leo cepit sufficienter catulis suis]hoc est, filiis suis. Spoliis enim aliorum filios ditauit. *Prou*.28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impiius super populum pauperem. *Psal*.21. Aperuerunt super me os suum,sicut leo rapiens & rugiens [necauit leænis suis]hoc est,vxoribus, vel principibus, vel ciuitatibus sibi subiectis. *Eccl*.13. Venatio leonis, onager in eremo,sic pascua diuitum pauperes. Et ad literam loquitur de rapacibus Ecclesiæ & mundi[Et impleuit præda spelunca suas] scilicet, domos suas,& suorum. *Prou*.1. Implebimus domos nostras spoliis[& cubile suum] supple, impleuit [rapina] *Isa*.3. Rapina pauperis in domo vestra. *Isa*. 5. Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum:& frendet,& tenebit prædam,& amplexabitur,& non erit qui eruat. Et subdit quod hæc omnia virtute Domini fient.

Ecce ego ad te]hoc est,contra te, supple, conuertar vt impugnem te, vt scilicet fortitudine mea fiat,quod manus ministri iniqui exequitur. *Eccl*. 36. Contere caput principum & inimicorum dicentium: Non est alius præter nos. *Iere*.51. Ecce ego ad te mons pestifer; dicit Dominus,qui corrumpis vniuersam terram, & extendam manum meam super te[dicit Dominus exercituum] cuius infinita potentia, & immutabilia sunt verba, qui determinat,quid faciendum per exercitum Angelorum bonorum,inclinat & instigat malos ad nocendum per exercitum dæmonum: & ideo ter dicitur *Isa*. 6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth,hoc est, exercituum [& succendam vsque ad summum] vt scilicet ab infimo vsque ad summum nihil remaneat [quadrigas tuas]ad literam, quæ victualia & arma portabant: quæ quadrigæ significant quatuor animi passiones inordinatas,timorem scilicet,& spem, & gaudium, & tristitiam, & (vt dicit Augustinus) consensum, opus,consuetudinem,& præsumptionem, vel desperationem. Illæ enim quadrigæ vel igne furoris Domini, vel igne charitatis succendendæ sunt. Hoc significatur 2. *Reg*.8. vbi Dauid equos Syriæ subneruauit,& currus igne combussit [& leunculos tuos comedet gladius] leunculos vocat audaces, qui se fortes reputabant: gladium vero vltionem sententiæ diuinæ.1.*Reg*.17.Leonem & vrsum ego interfeci. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam. De gladio.*Isa*. 1.Gladius meus deuorabit. vos [& exterminabo de terra prædam tuam] ne vltra scilicet alios prædari possis.*Isa*.33. Væ qui prædaris,nonne & ipse prædaberis? *Isa*.14. Quomodo cessauit exactor,quieuit tributum? [& non audietur vltra] à regnis scilicet subiectis[vox nuntiorum tuorum] exigentium scilicet tributum. *Iob* 39. Clamorem exactoris non audit.*Iudic*.1. Omnes vno ore contradixerunt & remiserunt eos vacuos, ac sine honore abiecerunt.

Dispositio diuina cuncta gerunter.

CAPVT III.

Væ ciuitas sanguinum.

Hic describitur captiuitas in comparatione ad causam. Et diuiditur in tres partes. Primo enim exaggerat pœnam per culpam. Secundo ostendit destruibilitatem & resistendi impotentiam *ibi*[Numquid melior es] Tertio insultat iam destructæ *ibi*[Aquam propter obsidionem]In prima quatuor sunt paragraphi, in quorum primo exaggerat culpam, & maxime crudelitatis & idololatriæ.In secundo determinat pœnam. In tertio ostendit, quod hæc pœna est per vltionem diuinam.In quarto ostendit, quod propter abominationem non habebit consolationem humanam. In primo duo sunt,scilicet,peccatum exaggeratum,& signum.

Væ]temporalis scilicet pœnæ, & æternæ. *Isa*.1. Væ genti peccatrici,populo graui iniquitate[ciuitas sanguinum] licet sanguis pluralem numerum non habeat secundum Grammaticos; tamen sanguinum dicit, vt significet quod multum & multis modis sanguinem fudit.4. *Reg*.24. Repleuit Ierusalem cruore innocentium vsque ad os. P*sal*.78. Effuderunt sanguinem eorum tanquam in circuitu Ierusalem. Multis modis etiam fudit,scilicet, occidendo, & nutrimenta sanguinis diripiendo, pro pecunia prodendo, & iniuste condemnando. 2.*Reg*.16.Egredere,egredere vir sanguinum, & vir Belial. 3.*Reg*.21. Occidisti, insuper & possedisti. P*sal*. 54. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos *Eccl*.34. Panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum,homo sanguinis est. *Osee* 4.Sanguis sanguinem tetigit. Sensus est. Væ tibi quæ ciuitas sanguinum es[vniuersa mendacij] hoc est,mendacio & dolis dedita. *Osee* 12. Tota die mendacium & vastitatem multiplicat. *Sap*.1. Os quod mentitur,occidit animam. Dicitur autem mendacium falsa vocis significatio cum intentione fallendi.] Et aliquando intentio fallendi refertur ad vocem tantum,vt scilicet aliud intelligatur, quam significatur in voce: & tunc mendacium est vel libidinosum,vel iocosum. Aliquando refertur ad rem significatam, & hoc dupliciter: eo quod deceptio aliquando est ad profectum, aliquando ad nocumentum: si ad profectum, est mendacium officiosum; si ad nocumentum, sic est perniciosum,& de hoc intelligitur. Et dicit vniuersa, vt intelligatur,quod nullus in tanta multitudine fuit, propter quem tantæ ciuitati misericordia Dei

Mendacia multifariam dicitur.

parceret.

parceret.*Ierem*.9. Docuerunt linguam suam loqui mendacium; vt inique agerent laborauerunt. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me.P*sal*.5. Linguis suis dolose agebant[dilaceratione pœna]dupliciter: actiua scilicet, & materiali: actiua, quia multos dilacerauit: materiali, quia quæ lacerando ab aliis distraxit ipsa possedit,& de his auaritiam suam impleuit. Vnde *Isa*. 18. De Sanctis sustinentibus hæc dicuntur, Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam.*Iere*.3. Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ [non receded à te rapina]Vel interrogatiue, vel remissiue potest legi. Et significat pertinaciam in malo. Et attendendum, quod quidam recedunt à peccato & sunt pœnitentes: & à quibusdam recedit peccatum, & sunt peccare impotentes. Auaritia vero peccatum est, quod nec recedit, nec ab ipso receditur: non recedit, quia senescente homine iuuenescit auaritia; ab ipso non receditur, quia lucrum continuum non satiat auaritiam, sed incitat. *Eccl*.5. Auarus non implebitur pecunia, *Mich*.6. Adhuc ignis in domo impij,thesauri impietatis. *Prouerb*. 30.Terra non satiatur aqua. Propter hoc dicitur *Iob* 20.de auaro,quod exardescit contra eum sitis. Et subdit de signo,decem subiiciens signa.

Auaritia sitis inexplebilis.

Vox flagelli]hoc est, Nihil auditur de Niniue nisi vox,quod flagellum sit pauperum.*Isa*.28. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.*Isa*. 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos indignatione [& vox impetus rotæ]supple, auditur. Et per rotam intelligitur circuitus nuntiorum disturrentium per terras ad tributa colligenda.*Isa*. 5. Rotæ eius quasi impetus tempestatis.*Hieronymus* inducit hoc. P*sal*.76. Vox tonitrui tui in rota, tonitruum vocans intonationes & comminationes populum pauperem ferientes. In qua rota adhuc ambulant officiari curiarum. P*sal*. 11.In circuitu impij ambulant.*Iob* 1. Circuiui terram & perambulaui eam [& equi frementis]supple,auditur vox, hoc est, quod frementibus equis terram tibi subiicis, & duris vngulis conculcas. *Habac*.3.In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes.*Isa*.5. Vngulæ equorum eius, vt silex. *Hieronymus* inducit illud *Iob* 39. Gloria narium equi terror,terram vngula fodit.Tali enim terrore quærit terrenum lucrum [& quadrigæ ferientis]supple,vox auditur. Et feruere dicitur quadriga; propter velocitatem motus. Quadrigarum autem vsus fuit ad portanda arma & victualia, his qui regi Assyriorum terras subiecerant, *Exod*.14. Iunxit currum & omnem populum suum assumpsit secum, tulitque sexcentos curros electos, & quicquid in Ægypto curruum fuit. Hæc dicitur quadriga,quia quatuor trahitur equis, & quatuor vehitur rotis.Equi sunt ambitio potestatis, libido dominandi, auaritia lucri, & crudelitas populi conterendi.De istis dicitur *Nahum* 2. Quadrigæ collisæ sunt in plateis. Vnde *Iudicum* 5. de Sisara interfecto dicitur. Quare tardauerunt pedes quadrigarum eius? Quatuor rotæ sunt(vt dicit *Hieronymus*) quatuor inordinatæ passiones curruum istum feruenter agitantes.*Iere*.47. Clamabunt homines, vlulabunt omnes habitatores terræ à strepitu pompæ armatorum & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum eius[& equitis ascendentis] supple, vox auditur,quod scilicet mittit equites, qui violenter torqueant & homines concutiant. Hoc enim officium assumpserunt sibi milites. Vnde & Ioannes dixit eis *Luc*.3.Neminem concutiatis nec calumniam faciatis,contenti estote stipendiis vestris. De his dicitur *Exod*.14.quod mare operuit currus, & equites vniuersi exercitus.

Quadriga.

Et micantis gladij]supple, auditur vox, quod scilicet euaginato gladio terribiliter hominibus superuenit.*Exod*.15.Euaginabo gladium meum,& interficiet eos manus mea. *Ezech*.21. Gladius exacutus est,& elimatus. Vt cædat victimas, exacutus est: vt splendeat, limatus est. De hoc dicitur *Matth*.26. Qui gladium acceperit, gladio peribit [& fulgurantis hastæ]supple,auditur vox, hoc est, quod ita tua etiam distantes pungis. Hæc hasta dicitur fulgurare: quia non ex ratione, sed ex impetu pungit. *Sap*.5. Acuet diram iram in lanceam. *Habac*.3.Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ [& multitudinis]interfectæ, supple, auditur vox, hoc est, vox vindictam expostulans in interfectores.*Apoc*.6. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei,& propter testimonium quod habebant: & clara voce dicebant.Vsquequo Domine sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum? *Gen*.4. Vox sanguinis fratris mi clamat ad me de terra[& grauis ruinæ]supple,auditur vox,quia scilicet te regnante,& stante omnes ruunt.*Dan*.5.Pater tuus quos volebat, occidebat: & quos volebat,percutiebat. *Prou*.28. Regnantibus impiis ruinæ hominum.Vnde *Isa*.3.Postquam de malitia principum dixit, subiunxit. Ruit Ierusalem & Iudas concidit. Et paulo ante. Ruit populus, vir ad virum, vnusquisque ad proximum suum[nec est finis cadauerum]hoc est, non ponis finem in occidendis. *Habac*.1. Semper interficere animas non cessat. *Sap*.18. Stans in terra repleuit omnia morte. Et subdit de interminatione pœnæ pro his peccatis.Et est secundus paragraphus.

Et]ideo, supple [corruent in corporibus suis] vel vitam corporalem amittendo, vel pro corporibus eorum quos occiderunt pœnam sustinendo. Dicit enim *Hieronymus*, quod multa sunt peccata etiam corpori nocentia, vt luxuria, ebrietas. *Ad Rom*.8.Corpus quidem mortuum est propter peccatum,Et hoc est quod sequitur[Propter multitudinem fornicationum]spiritualium scilicet,& corporalium. 1.*ad Cor*.6. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus suum est: qui autem fornicatur,in corpus suum peccat. P*salm*.72. Perdes omnem qui fornicatur abs te [meretricis] A merendo dicitur meretrix, eo quod omnia spe lucri temporalis faciat,sicut & isti; erant enim de illis,de quibus dicitur.*Sap*.15. Æstimabant vitam hominis compositam esse ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere [speciosæ] vt magis alliciat, delectabile enim speciosum magis tentat. *Gen*.3. Vidit mulier lignum,quod esset pulchrum visu; aspectuque delectabile [& gratæ] propter vehementiam scilicet delectationis. Et loquitur prosequens metaphoram meretricis,quarum vna magis delectabilis est quam altera.2.*Pet*. 2.Oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti,pellicientes animas instabiles[& habentis maleficia]Ad literam,maleficos siue magos habebant,qui eos in errore detinebant, sicut & Pharao in Ægypto *Exod*7. Tamen simile maleficio est delectatione libidinis, ambitione honoris, spe

Peccata quædam corpori officiunt.

Meretrix.

lucri,

lucri temporalis, in peccatis homines detineri; propter quod Sanctis dicitur in *Psal.* 57. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. De malis autem *Isa* 47. Sta cum incantatoribus tuis & cum multitudine maleficorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosint tibi. Nec tantum illiciebatur ad meretricium, sed etiam alios exposuit [quæ vendidit gentes in fornicationibus suis] in omnibus enim gentibus, in quibus potestatem habuit, subiectos sibi spe lucri ad idololatriam exposuit: similiter in moribus subiectos sibi ad libidines excitauit [& familias in maleficiis suis] supple, vendidit. Familiæ autem dicuntur domestici & propinqui. Hoc significatur 2. *Machab.* 4. vbi Simon gymnasium & ephebiam in Ierusalem constituit sub ipsa arce, & optimos quosque cepit epheborum in lupanaribus ponere. Hoc expresse videmus in Prælatis Ecclesiarum, qui sibi subiectos verbo & exemplo inducunt ad libidines. Et subdit in tertio paragrapho, quod hæc vltione diuina perficientur.

Ecce ego ad te] supple, veniam, id est, contra te [dicit Dominus exercituum] vt scilicet virtute diuina fiat, quod virtute humana non credis esse futurum. *Ierem.* 49. Quis enim similis est mei, aut quis resistere potest vultui meo? [& reuelabo pudenda tua] hoc est, de quibus verecundaris, nuditatem scilicet, & paupertatem, & infirmitatem: auxilio enim diuino destitutus & gratia, & pauper, & nudus & infirmus est. *Ezech.* 16. Nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam [in facie tua] vt scilicet & tu videas quæ ante videre nolebas. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam [& ostendam Gentibus nuditatem tuam] vt omnes scilicet videant quam turpitudinem imitantes in te decepti sunt. Turpiter enim deceptus est, qui fallaci specie mulieris, vel delectabili gulæ, vel pretio nummi deceptus est. *Eccl.* 36. Alleua manum tuam super gentes alienas, vt videant potentiam tuam [& regnis ignominiam tuam] supple, ostendam. Ignominia est quod propter sui abominationem & turpitudinem gnostica virtus, hoc est, cognoscitiua refugit accipere. *Rom.* 1. Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. *Psalmo* 82. Imple facies eorum ignominia. Regna autem maiora sunt quam Gentes; quia vnum regnum multas gentes continet. Et est sensus, quod omnibus, bonis & malis ignominia peccatorum ostendetur. *Ezech.* 16. Eris nuda & ignominia plena [& proiiciam super te] sicut onus scilicet [abominationes] quas scilicet fecisti, vt in pœna sentias, quod in culpa cognoscere nolebas. *Ezech.* 16. Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. Ergo & tu porta confusionem tuam. Abominatio autem dicitur peccatum, quod propter sui immunditiam naturæ humanæ resistit. *Rom.* 1. Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. *Psal.* 52. Abominabiles facti sunt. Idem *Isa.* 59. [& contumeliis te afficiam] hoc est, doloribus te afficiam pro contumeliosis peccatis. *Sap.* 4. Illos autem Deus irridebit, & erunt post hoc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum [& ponam te in exemplum] vt omnes scilicet suæ correctionis in te exemplum recipiant: quia ad alios corrigi nolebas, quos pro peccatis punini. *Ptolomæus in proueribiis.* Qui ad alios non corrigitur, alij corrigentur ad ipsum. *Deut.* 29. Ponet te in exemplum subuersionis Sodomæ & Gomorrhæ. 2. *Paralip.* 7. Ponam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis. Et subdit in quarto paragrapho, quod non habebit consolatorem.

Abominatio.

Alienis malis corrigi nolle periculosum.

Et erit] confirmatio prophetalis est, est enim vice aduerbij confirmandi, sicut & in Euangelio legitur vel ponitur, Amen. 1. *Reg.* 9. Omne quod loquitur, absque dubio veniet [omnis qui viderit te] sic condemnatam, supple, & depopulatam & deturpatam [resiliet à te] hoc est, compassionem retrahet, sciens quod iuste condemnata es. *Luc.* 16. Inter nos & vos chaos magnum firmatum est; vt hi qui velint illuc transire non possint, neque inde huc transmeare. *Thren.* 1. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius [& dicet] cum magno gaudio vnus alteri [vastata est Niniue] *Iere.* 51. Currens obuiam venit currenti, & nuntians nuntianti dicens: Capta est Babylon. Et sic lætitia Sanctorum erit in destructione mundi [quis commouebit super te caput?] Compatientium signum est caput mouere ad tribulatum. *Iob.* 16. Vtinam esset anima vestra pro anima mea, consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos. *Hieronymus.* Quis tuus poterit esse consolator, qui in tua potestate nullius miserebaris? *Costaben Luca in libro de spiritu & anima* dicit, quod homo in angustia vel dubio constitutus mouet caput vt facilius spiritus transeat ad logisticam, hoc est, cellam rationis, quo melius videat effugium vel medium euasionis. Et hoc est quod sequitur [Vnde quæram consolatorem tibi] quasi dicat, quæ omnes ostendisti, nullum habebis consolatorem. *Thren.* 1. Deiecta est vehementer, non habens consolatorem. Et *ibidem.* Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam: quia longe factus est à me consolator conuertens animam meam.

Tristes cur caput moueant.

Nunquid melior es] Hic ostendit, quod Niniue destructioni resistere non possit, & argumentatur per locum à maiori. Magis enim videbatur quod Alexandria resistere posset loci munitione & bellatorum multitudine, quã Niniue, & resistere non potuit quin caperetur à rege Babylonico; ergo & Niniue capietur. In hac ratione tria facit. Primo enim ostendit, quod Alexandria magis parata fuit ad resistendum, & non restitit. Secundo concludit, quod minime resistet *ibi* [Et tu ergo inebriaberis] Tertio consequentiæ ostendit rationem *ibi* [Ecce populus tuus] In primo duo sunt. Primo enim ostendit quod munita Alexandria fuerit. Secundo, quod capta sit *ibi* [Sed & ipsa in transmigratione] In prima tria sunt. In primo facit quæstionem de comparatione ciuitatum Alexandriæ & Niniue. Secundo Alexandriæ ostendit munitionem ex situs firmitate. Tertio, fortitudinem ex adiutorum & bellatorum multitudine.

Nunquid melior es Alexandria?] Obiectio est contra literam; quia temporibus Prophetæ nulla fuit Alexandria, quæ postea destructo regno Medorum ab Alexandro Macedone Alexandria dicta est. Vnde translatio *Hieronymi* habet sic; Nunquid melior es ab Amon in fluminibus? *Septuaginta* sic; Apta corda pars Amon qui habitas in fluminibus. *Hieronym.* Hebræus qui me in Scripturis erudiuit, hanc literam ita legi posse asserit. Nunquid melior es quam No Amon? Et ait hebraice dici No Alexandriam: Amon autem multitudinem

dinem siue populos, & esse ordinem lectionis; Nunquid melior est Alexandria populosa siue populorum? Ad obiectionem ergo dicendum est, quod temporibus Prophetæ non dicebatur, sed postea à translatoribus (quia nomen eius mutatum fuerat) Alexandria nominata est, vt noto nomine, melius intelligeretur. No enim nomen antiquum à memoria exciderat.

Nunquid melior es (ô Niniue) Alexandria populorum?] hoc est, populosa. Quasi dicat. Non es; si enim propter multitudinem parcendum est, illa populosior est; & cum illi non sit parcitum, nec tibi parcetur. *Roma.* 11. Noli altum sapere, sed time, quod si Deus naturalibus ramis non pepercit, forte nec tibi parcat. *Heb.* 2. Et si omnis inobedientia iustam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Simile est *Isa.* 20. vbi destructa Ægypto & Alexandria, dixerunt Iudæi: Hæccine erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberaret nos à facie regis Assyriorum: & quomodo effugere poterimus nos? Destructo enim potentiore, de resistentia desperat infirmior. Et subiungit de munitione loci [quæ habitat in fluminibus] *Hieronymus.* In vna parte super Nilum, tiuum Ægypti; in secunda munitur lacu Mareotico: in tertia & quarta cinguntur mari rubro, & sic in fluminibus vndique affluentibus habitat. Vnde *Ezech.* 29. de rege Ægypti dicitur; Draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis; Meus est fluuius. No autem siue Alexandria, metropolis fuit Ægypti [aquæ in circuitu eius] supple, sunt munientes eam, scilicet, Nilus & Mareoticus lacus, & mare rubrum. *Ezech.* 27. Quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris, quæ in exitu negotiationum tuarum de mari impleti populos multos. Et hoc est quod sequitur [cuius diuitiæ mare] nauigationibus enim mercatorum impleta fuit multis diuitiis, sicut Tyrus. *Ezech.* 27. *Gene.* 49. & *Deut.* 33. Inundationes maris quasi lac sugent, thesauros occultissimos arenarum [aquæ muri eius] hoc est, pro muro sunt ei. *Exod.* 14. Erant eis aquæ pro muro à dextris & à sinistris. Diues ergo erat & munita. Et subdit de adiutoribus & numero bellatorum.

Peccatoris certa manet correptio.

Alexandria vndique aquis cingitur.

Æthiopia fortitudo eius] hoc est, adiutrix & confortans eam [& Ægyptus] supple, fortitudo eius fuit. Et ne parum hoc videatur, addit [& non est finis] supple, adiutorum ex Æthiopia & Ægypto venientium. *Isaia* 2. Repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius [Aphrica] hoc est, Aphricani [& Lybies] hoc est de Lybia venientes [fuerunt in auxilio tuo.] ô Alexandria, supple.

Istud facile est exponere de habitantibus in mundo. Illi enim Alexandria volunt esse in mundo, scilicet lucere, Alexandria enim interpretatur tenebrarum angustias auferens; isti enim nullas angustias sustinere volunt. Et populosa est ista Alexandria; multi enim sunt qui in talibus gaudent, contra quod dicitur *Iob* 31. Si vidi solem cum fulgeret & lunam incedentem clare, & lætatum est cor meum in abscondito. Et in *Psal.* 55. Ab altitudine diei timebo. Timendum enim est, quando lux prosperitatis exaltatur. Hi habitant in fluminibus, hoc est, in affluentiis vanitatis & delectationis, quæ sunt flumina Babyloniis, super quæ Sancti plorant. *Psal.* 136. Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus. In hæc flumina (vt dicit *Hiero.*) Pharao rex Ægypti, qui diabolum significat, omne masculinum Hebræorum precipitari fecit. Masculinum enim Hebræorum perfectum est in Sanctis, quod diabolus dicitur trahere ad delicias & vanitates. Hi aquis se muniunt, hoc est, affluentibus diuitiis. *Psalm.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Horum fortitudo Æthiopia est, & Ægyptus. Ægyptus enim mœror, Æthiopia tenebrosa interpretatur. In obscuris enim peccatis viuere cupiunt, quæ ad mœrorem æternum inducunt. *Sap.* 17. Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis. Horum non est finis. *Eccle.* 1. Stultorum infinitus est numerus, horum auxiliatores sunt Aphrica quæ fertilis interpretatur, & Lybia, quæ introiens & veniens interpretatur; quia fertilitas rediuiua & semper veniens nutrit in deliciis. *Iere.* 48. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, requieuit in fæcibus suis. *Hieronymus* hæc exponit de Ecclesia, quæ tenebras excludit per lumen doctrinæ. *Sap.* 18. Sanctis tuis fuit lux maxima. Quæ in fluminibus gratiarum habitat. *Ioan.* 7. Qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Aqua in circuitu, expiationes significat sacramentorum. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam. Huius diuitiæ mare, hoc est, amaritudo pœnitentiæ & tribulationis, quæ diuites faciunt in virtute. 2. *ad Corinthios* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. *Eccl.* 44. Homines magni virtute, & prudentia sua præditi. Et *ibidem.* Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes. Aquæ muri eius; quia tribulatione munitam & turam reddunt Ecclesiam. *Gene.* 7. Aquæ inualuerunt arcam in sublime] Æthiopia fortitudo eius] hoc est, tenebrosi peccatores ad Ecclesiam conuersi. Et Ægyptus, hoc est, de mœrore seculi ad sinum Ecclesiæ conuersi. *Psal.* 67. Venient legati et Ægypto, Æthiopia præuenient manus eius Deo. Aphrica & Lybies auxiliantur ei, hoc est, fertiles in virtute, & noua deuotione semper venientes & introeuntes. *Isa.* 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo. Et post paucã. Videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum; quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Et subdit, quod hæc talis & tanta captiuata sit.

Ægyptus Æthiopia.

Aphrica.

Alexandria imago est mundi.

Prosperitas mundi est mundus.

Sed & ipsa in transmigratione] qua scilicet de patria in exilium migrauit [ducta est in captiuitatem] in patria enim captiuatum esse graue est, & multo gratius est esse in exilio captiuum. Et hoc est quod in transmigratione prima, qua transmigrauit de terra sua, postea durius ducta est in captiuitatem, sicut & homo spiritualiter per amissionem gratiæ migrat de Ecclesia, & postea à diabolo captiuatur, vt quasi vinculis trahatur ad omnem suam voluntatem. *Thren.* 1. Migrauit Iudas propter afflictionem & multitudinem seruitutis. Habitauit inter Gentes, hoc est, gentilem conuersationem imitantes, nec inuenit requiem. *Ezech.* 12. In transmigrationem & captiuitatem ibunt. Quam fœde autem in captiuitate tractentur, subdit [paruuli eius] hoc est, Alexandriæ [elisi sunt] hoc est, ad lapides & ligna elidendi trucidati] in capite omnium viarum] hoc est, in omnibus compitis. *Hieronymus.* Quæ cum pede æqui non potuerint recedentes, ne vim tenuerent, in compitis ab hostibus

ab hostibus elisi sunt; & si prægnantes fuerunt, scissæ sunt. 4. *Reg.* 9. Ciuitas eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & parunlos eorum elides, & prægnantes diuides. Dicit autem, quod hoc factum est in compitis, hoc est, vbi via patriæ à via exilij diuidebatur [& super inclytos eius] illustres scilicet & diuites [miserunt sortem] quis quem haberet captiuum. *Ioan.* 19. Sortem mittentes quis quid tolleret [& omnes optimates eius] hoc est, principes sine distinctione [confixi sunt] hoc est, simul fixi sue ligati [in compedibus] vt scilicet nullus euaderet. *Psal.* 149. Ad aligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vltioni enim diuinæ nihil resistere potest. *Ad Roman.* 9. Voluntati eius quis resistet?

Et attende, quod hoc onus super Alexandriam sub typo Ægypti (cuius metropolis fuit Alexandria) describunt. *Isa.* 19. & 19. & 20. & *Iere.* 46. & *Ezech.* 29. 30. 31. *Hieronymus* dicit, quod etiam inclyti de Ecclesia transmigrantes à gratia in captiuitatem diaboli detinebuntur, & sortem mittent dæmones quis quem tollet, vnum scilicet ad fornicandum, alium ad auaritiam, alium ad superbiam, & sic de aliis, & optimates, hoc est, præcipui in peccatis per consuetudinem peccandi, quasi compedibus duræ necessitatis ad voluntatem diaboli ligati sunt. *Isa.* 22. Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt. Et ex his arguit, subdens.

Peccator mancipium est dæmonis.

Et tu ergo inebriaberis] calice scilicet iræ Dei. Inebriatio autem notat pœnæ multitudinem, & ad intima transeuntem, & ad tantam angustiam perducentem quod sensum rationis auertat. *Thren.* 3. Repleuit me amaritudine, & inebriauit absynthio. *Iere.* 25. Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij quem ego mittam inter vos [eris despecta] quæ modo inclyta es. *Abdie.* Contemptibilis tu es valde, parunlum in Gentibus dedi te. Quantum autem deiecta sit, subdit [&] id est, quia [tu quæres auxilium ab inimico] Auxilium vocat vitæ sustentationem, quam à Babyloniis cogentur mendicare. Vel auxilium vocat; quia alios inuocabunt ad auxilium contra Babyloniios, & non inuenient. *Thren.* 4. Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat. Quam facile autem capienda sit, subdit.

Omnes munitiones tuæ] hoc est, nobilitas, diuitiæ, amici, in quibus te munitam esse confidis, supple, sunt [sicut ficus cum grossis suis] qui propter raritatem plus desiderantur, & citius excutiuntur; & ita tuæ munitiones plus desideratæ ab hostibus facile capientur. Vnde *Iudicum* 9. dicit ficus; Non possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos. *Mich.* 7. Præcoquas ficus desiderauit anima mea. Et subdit quam facile cadunt quo magis ab hostibus desiderantur [si concussæ fuerint] tempestate scilicet inuadentis hostis [cadent in os comedentis] suę deuorantis hostis scilicet qui auditate prædæ dentes exacuit ad deuorandum. *Apoc.* 6. Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno mouetur. Hoc autem ostendit, subdens [Ecce populus tuus vt mulieres] hoc est, vt efferminati sunt nihil virilitatis habentes respectu Alexandrinorum [in medio tui] vbi fortior esse deberet. *Isa.* 3. Dabo pueros principes eorum, & efferminati dominabuntur eis. Et ideo, supple [inimicis tuis] hominibus, supple, & dæmonibus [ad apertionem pandentur] vt vndique possint ingredi [portæ terræ vestræ] hoc est, omnium ciuitatum quæ sunt in terra vestra. *Iere.* 9. Ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras [deuorabit ignis] libidinis quidem in peccatis, & iræ Dei in pœnis [vectes tuos] hoc est, Prælatos qui repagula contra hostes esse deberent. *Isa.* 45. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Prælatus præceptis & comminationibus sonans, ostium æreum est; officio autem, quod tamen non exercet, vectis ferreus est, præcipue quando rigidus & inflexibilis est. *Psal.* 106. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Aquam] Hic quasi captam deridet. Niniuen. Et habet duas partes. Primo enim insultat ciuitati, & postea regi *ibi* [Dormitauerunt pastores tui] In primo duo sunt. Insultat enim ciuitati quantum ad munimenta ædificiorum, & quantum ad congregationes bellatorum *ibi* [Congregare vt bruchus]

Aquam propter obsidionem hauri tibi] ne scilicet potus desit hominibus & animalibus obsessis *Isa.* 22. simile: Lacum fecistis inter duos muros, & aquam piscinæ veteris, supple, congregastis. Simile *Isa.* 7. vbi dicitur, quod Achaz erat ad extremum aquæductus piscinæ superioris. Considerabat enim qualiter piscina superior ciuitati influens, abundantiam aquæ præberet ciuitati obsessæ [extrue munitiones tuas] in turribus scilicet & pinnis muri, & propugnaculis, vt scilicet hosti resistere possint, & tu in pace intus reseruenis. *Psal.* 121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *Isa.* 5. Ædificauit turrim in medio eius. *Cant.* 4. Turris Dauid ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Qualiter autem hoc facere possit, subdit [intra in lutum] ex quo scilicet fiunt lateres [& calca] hoc est, commisce & apta lutum vt glutinosum & tenax sit [& subigens] hoc est, manus in partes luti subinferens [tene] hoc est, comprehende [laterem] hoc est, lutum formatum in laterem, ex quo scilicet ruinosa murorum reparare possis. *Gen.* 11. Habebant lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento. *Isa.* 16. His qui lætantur in muro cocti lateris, loquimini plagas suas. Et innuens, quod irrisio sit, scilicet, ac si dicat, Cum hæc omnia feceris, nihil valebit, subdit.

Ibi] hoc est, in illis munitionibus [comedet te] hoc est, deuorabit te [ignis] scilicet iræ Dei, & Nabuchonosor. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo. Simile. *Thren.* 2. Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro [& peribis] in corpore scilicet [gladio] regis scilicet Babylonis. *Iob* 19. Fugite à facie gladij; quoniam vltor iniquitatum gladius est. Et modum deuorandi subdit [deuorabit te vt bruchus] *Hieronymus.* Sicut humus à brucho, ita in gladio furentis exercitus deuoraberis. Bruchus enim nihil relinquit viroris. *Isa.* 1. Gladius meus deuorabit vos, quia os Domini loquutum est. *Deut.* 32. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis. *Hierom.* dicit, quod hæc spiritualiter miseræ

miseræ animæ dicuntur, cui propter obsidionem tentationum à diabolo emissarum aqua Scripturæ hauriendæ est. *Gene.* 24. Da mihi aquam de hydria tua vt bibam. Hydria enim hauritur aqua, & significat studium Scripturarum. In lutum, per propriæ vtilitatis considerationem intrandum est. *Iob* 20. Memento quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Lutum hoc calcandum est per castigationem carnis. 1. *ad Corinthios* 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Manus huic luto subigenda est vt formetur ad virtutem. *Iob* 10. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Later corporis denudandus & restringendus est, ne lubricitate & mollitie fluat in vitia. *Psal.* 31. In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Et nisi hæc fiant, gladius vltionis diuinæ deuorabit eam, vt bruchus, qui significat vermem conscientiæ. Et subdit de irrisione quantum ad congregationem bellatorum [Congregare ergo vt bruchus] congregatio bruchi significat congregationem plebeij populi [multiplicare vt locusta] Locusta quæ salit & longius volat, congregationem significat adiutorum longe [illegible] Residuum locustæ co[illegible]chus [illegible] dem facere poteris, si[illegible]

Peccatrici vitia quæ sint necessaria.

Plures fecisti nego[illegible] agebas super subiec[illegible] sunt stellæ cæli] Hyp[illegible] rabiles fecisti sicut lo[illegible] *chie.* 28. In exitu ne[illegible] implesti populos mu[illegible] tis & finitimis ad la[illegible] Et hoc quidem quod sic te congreg[illegible] valebit [Bruchus expansus est [illegible] chus natis alis expansus [illegible] lus tuus propter peccata [illegible] grandum [& auolauit] [illegible] tiuitatem abiit. *Psal.* 54. Ecce elongauit fu[illegible] & mansi in solitudine.

Custodes tui quasi locustæ] supple, sunt [illegible] custodes vocat inferiores prælatos, quibus [illegible] missæ erant villæ ciuitatis circumquaque. *Prouer.* 30. Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas [& paruuli tui] filij scilicet consumunt enim omne quod viride est. *Psal.* 104. Dixit, & venit locusta & bruchus, cuius non erat numerus [quasi locustæ locustarum quæ confident] hoc est, simul sedent [in sepibus] hoc est, ruinosis & vilibus munitionibus & citò capiendis. *Isa.* 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem [in die frigoris] hoc est, præsentis necessitatis vt ab hoste defendantur [sol ortus est] hoc est, claritas & ardor zeli Dei ad vindicandum. *Iaco.* 1. Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum [& auolauerunt] in captiuitatem scilicet [& non est cognitus locus earum] destructis scilicet illis, & ædificiis [vbi fuerint] destructi enim sunt sine spe reædificationis. *Psalm.* 36. Transiui, & ecce non erat; quæsiui, & non est inuentus locus eius. *Eccli.* 41. Sicut locusta demergens descensus eius. Hoc (vt dicit Hieronymus) de voluptuosis dicitur, qui omne viride consumunt sicut locustæ, & in sepibus, hoc est, in beneficiis ecclesiæ resident tempore frigoris, quo infriguit charitas, & inualuit carnalitas. Prælatorum [dormitauerunt] insultat hic regi & principibus, & improperat eis duo, scilicet quod voluptatibus detenti in vigilantia curæ pastoralis dormitauerunt, & quod populus eorum negligentia dispersus sit. Et subiungit quod adeo maxima plaga percussi sunt.

Voluptuosi locustis sunt similes.

Dormitauerunt pastores tui] hoc est, principes qui cura & vigilantia pascere debebant populum, dormitauerunt per incertiam voluptatibus consopiti. *Matth.* 25. Dormitauerunt omnes, & dormierunt. *Prouerb.* 5. Vsque quo piger dormis? Rex Assur] hoc arguit regem quod tales Prælatos negligentes instituit. Et hoc videtur in Ecclesia Prælatis qui tales instituit. Contra quod dicitur *Luc.* 2. Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Rex autem Assur magnus rex fuit super alios regnans. *Isa.* 10. Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur. Et ideo, supple [sepelientur principes tui] interfecti scilicet à Babyloniis vel à diabolo. Principes enim tales causa sunt peccati populi, sicut dicitur *Osee* 7. Coeperunt principes furere à vino, erroris scilicet & insaniæ. Et statim sequitur, Extendit manum suam cum illusoribus, supple, populus. Vnde ibidem dicitur, In malitia sua lætificauerunt regem & in mendaciis principes. Hinc est quod *Numer.* 25. præcipitur, [illegible] mali principes suspendantur contra solem, vt [illegible] pœnarum clare visa, populus emende[illegible] autem principibus, populum dis[illegible] *Et* hoc est quod sequitur [latitaverunt populus tuus] fugiens scilicet [in montibus] [illegible] scilicet pertarum. Et simile *Matth.* [illegible] pastorem, & dispergentur oues gre[illegible] & nunc videmus quod pastoribus inter[illegible] in peccato, grex per syluestria dispergitur, [illegible] *Regum vi.* Non habent isti dominum, reuer[illegible] vnusquisque in domum suam [& non est qui congregat] populum scilicet sicut oues errantem, [illegible] bonus pastor dicitur congregare. *Isa.* 40. Si[illegible] gregem suum pascet, in brachio suo con[illegible] agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse [illegible] *Zacha.* 11. Pasce pecora occisionis, quæ [illegible] possederant, occidebant, & non dolebant, & [illegible] dicentes; Benedictus Dominus, diuites facti sumus. Non enim quærebant salutem [illegible] sed lucra; propter quod sequitur, quod plagati sunt plaga manifesta.

Principes in terra plebi delinquit.

Non est obscura contritio tua] nota enim est per totum mundum. 2. *Regum* 12. Ego faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis huius. Quæ confusio illos potissimum manet, qui non abscondentes peccata sua alios scandalizant. *Isa.* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec abscondunt [pessima est plaga tua] *Glossa*, quæ manu medici non potest curari; non quidem ex impotentia medici, sed quia infirmus contraria facit medicinæ. *Iere.* 10. Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. *Iere.* 30. Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua, Non est qui iudicet iudicium tuum, ad alligandum curationem tuam vtilitas non est tibi [omnes qui audierunt auditionem tuam] hoc est, famosum interitum tuum & durum. *Isa.* 21. Horrui cum audirem, turbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ obstupefecerunt me [compresserunt manum super te] admirantes scilicet & plaudentes super interitu tuo. *Ezechie.* 21 Plaude super femur fili hominis, quia gladius factus est in populo meo. Et post pauca: Percute manum ad manum, & duplicetur ac tripliceturur gladius inter-

Tyrannorum iura semper sunt parentelis.

fectantur. *Isa.* 55. Omnia ligna regionis plaudent manu, Ligna regionis vocat populos prius oppressos, qui de morte gaudent oppressoris. Et subintulit causam, Ac si dicat, Nec est mirum.

Quia *super* quem non transiit] opprimendo scilicet [malitia tua semper] *Hieronymus.* Nullus suo vulneri donavit lacrymas, quia nullus est super quem non fuerit malitia tua, quæ non est permanens, sed transitoria; hoc enim consolatio est. *Jer.* 22. Non plangent eum, væ frater, væ soror, non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte, Simile *Isa.* 14. Conquiescit & siluit omnis terra, gaudia est & exultavit, abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani, ex quo dormisti non ascendet qui succidat nos. Vnde. *Titus Livius* narrat quod in morte Neronis, qui multos offenderat & rempublicam pessime rexerat, cum multi lætarentur, & sperarent ex morte eius ad meliora proficere, cornicula sedens in turri montis Tarpeij conpertens se ad civitatem, clara voce clamavit, Semper erit bene. Quod versu comprehendens Ovidius, dixit:

Mentis Tarpeij qui fulet culmine cornix,
Est bene non parcis dicere, dixit, erit.

Ac si dicat, Ablato omnis boni obstaculo, in summum ad meliora proficiet respublica.

D. ALBER TI.

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISPONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

In Habacuc Prophetam Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI in Habacuc Prophetam explicatio.

Vatenus Prophetæ [In hoc prologo] ait dicit Hieronymus. Primum est de principio; quod est onus, secundum de nomine, quod est Habacuc *ibi* [Qui vel ex eo] Tertium de intellectu prophetiæ contra Montanum hæreticum *ibi* [Necnon & hoc animadvertendum] Quartum de materia *ibi* [Illud quoque disce] Quintum de tempore prophetiæ *ibi* [Et vt scias eo tempore fuisse Habacuc] Sextum de modo conversionis prophetiæ *ibi* [Interim secundum literam credimus]

Quæsitus Prophetæ] non simpliciter inter omnes [sed duodecim Prophetarum volumine sunt] supple, qui obera ponunt; extra autem hos & Isaia multa ponit onera. Quidem autem illi quatuor quos nominat, subdit [quibus] scilicet duodecim [ceteris in principio librorum suorum supple [lemma] Hebraicum *ibi* [id est proprium latine] titulum habent, hoc est, in principio libri cuiusvis illi ponunt prophetiæ suæ titulos, qui quasi significant quod oppressionem & tribulationem [illegible] gentis prophetant. Pondus enim & onus & massa & assumptio tribulationis significant, sicut sancti interpretes sic tradiderunt; sicut & ad vs. dicunt: Nunc quoque apprehendit me dolor meus, & ad vs. 8. [illegible] arma vel. Et non solum illi, subdit [Nahum] qui onus Assyriorum [Habacuc] qui onus Chaldæorum [& Malachias] qui onus Israel & sacerdotum. Et subdit de quarto [Porro Zacharias in medio hoc est, nono cap.] & circa finem hoc est ante finem cap. 12. [duos huiusmodi ponit titulos onus scilicet [ex quibus scilicet titulis vnus est cap. 9. [Onus verbi Domini in terra Adrach & Damasci requiei eius] quia ibi contra Assyrios prophetat [alter in fine] hoc est, 12. scilicet [Onus verbi Domini super Israel] scilicet prophetat; quia ibi prophetat contra Israel & Sacerdotes. Et subdit de expositione horum [De Nahum sectionibus tractatus Paula Liber editus est expositionis scilicet [de Zacharia & Malachia, si vita comes fuerit propositum scilicet [dilatetur] per expositionem faciendum. Zacharias enim & Malachias Eusebio Episcopo exposuit [nunc Habacuc. Hoc est, expositionem Habacuc habemus in manibus] hoc est, in operationibus: quam tamen expositionem non Paulæ, sed Chromachio dicunt. Et subdit de nomine Prophetæ.

Qui scilicet Habacuc [vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur] hoc est interpretatur [amplexatio] amantium enim est amplexari *Deut.* 33. Benjamin, amantissimus Domini [in eo quasi in thalamo ingiter morabitur. *Cant.* 1. Lævæ eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me] vel [supple, dicitur amplexatio] quod in certamen verborum scilicet & luctam [ut enim scilicet infirmitas & vt ita dicam [illegible] supple amplexatio] hoc est, apprehensio cum Deo, sic si manus ad manum cum Deo se apprehendat; sicut fecit Iacob cum Angelo. *Gen.* 32. & *Osee* 12. [Deo congrediens disputando scilicet *Job* 13. Ad Omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio] In hoc duabus rationibus amplexantis id est, habentis fortitudinem id nomen. Et subdit rationem [Nec hoc quasi] supple, Propheta non [non audet vocare] hoc nomen non prohibemus, non [illegible] tamen, sed [illegible] [illegible] non intendens, sicut sancti et [illegible] [illegible] quod non intendentes audaciter loquuntur [quia est Deum

Habacuc.

Audacia Prophetæ.

ad disceptationem]hoc est, disputationem[iustitiæ prouocare.]

Contra hoc videtur esse instantia; quia dicitur *Iob* 21. Quare impij viuunt,sublimati sunt, confortatique diuitijs? *Iere.*12. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prædantur & inique agunt? *Gen.*18. Non est hoc tuum qui iudicas omnem terram. Et *ibidem.* Absit à te, vt rem hanc facias,& occidas iustum cum impio. Ad hoc dicendum,quod singuli de reuerentia aliquid præmiserunt,antequam in talia verba prorumperent. Abraham quidem, Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. *Iob* 21. Ego quando recordatus fuero,pertimesco, & concutit carnem meam tremor. *Iere.*12. Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum. Iste autem in prima disputatione nihil præmittit de reuerentia; sed statim prorumpit in vocem querelæ,dicens: Vsquequo Domine, &c. In secunda vero disputatione iam instructus à responso Domini, antequam prorumpat in disputationem, præmittit: Mundi sunt oculi tui ne videas malum. Et ideo solus in hac audacia esse dicitur.

Et dicere ei]Domino scilicet per sensum, non per verba[cur in rebus humanis]publicis scilicet [& mundi istius pompæ] quia iudices magis pompa quam iuris ordine præsunt[tanta rerum versetur iniquitas] qua scilicet bonus opprimitur, & malus exaltatur; hoc enim innuitur his verbis, Vsquequo Domine clamabo cum bonis, & non exaudies? Cum dicatur in *Psal.*9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. *Prouerb.*10. Desiderium suum iustis dabitur[vociferabor] hoc est, querulis vocibus scilicet[ad te vim patiens]cum bonis[& non saluabis?]*Isa.*53. Sicut pullus hirundinis sic clamabo,meditabor vt columba. Et iterum, [supple[Quare ostendisti iniquitatem & laborem]bonorum scilicet[videre]hoc est, annuntiare præuisam? Libentius enim fausta quàm infausta prænuntiaret. Et hæc fuit causa quare fugit Ionas, ne scilicet ex comparatione pœnitentiæ Niniuitæ, condemnationem populi sui non pœnitentis annuntiare videretur. Et iterum, audacter dicit, [supple [lacerata est lex] iusta scilicet conuersa in abusum tyrannidis [& non peruenit vsque ad finem iudicium]hoc est, vsque ad debitam causæ decisionem. Et huius subiungit causam esse Domini dissimulationem [quia impius prævalet adversus iustum] te scilicet dissimulante [Ideo egreditur iudicium peruersum]in causarum scilicet decisione. Dicit enim *Glossa ad Rom.*1 super illud: Non solum qui faciunt ea, sed & qui consentiunt facientibus, quod consentit,qui non contradicit. Positis exemplis,arguit,quod audacter dicta sunt; subdens[Videslo Paula vel Chromachi [quam temeraria vox sit]hoc est, esse videatur [& quodammodo blasphemantis[supple, sit vox hæc [Creatorem suum ad iudicium]disceptationis scilicet[prouocare]*Iob* 15. Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit. Et *post paucas* Imitaris linguam blasphemantium. Blasphemia enim est impositio falsi criminis in Deum, quod facit qui vias Domini æquas non esse dicit. *Ezech.*18. Dixistis,Non est æqua via Domini & vas fragile] terreum scilicet[adversus figulum] qui potestatem habet luti. *Iere.*18.[cui tale vel tale factum sit] vrceus vel amphora,sordum vel pulchrum [disputare] *Rom.*9. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui fecit eum, quid fecisti me sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud autem in contumeliam? [*Montani hæretici.* *Damasc. lib. 4. cap. 19.* subdit de intellectu Prophetæ [opera Dei] ut ostendit.

Nectum & hoc animadvertendum [supple, quod assumptis vel potius sumo bonum, quo scilicet intitulatur prophetia [quæ grauia iam esse diximus]hoc est,gravitatem significare [Prophetæ] scilicet Habacuc]visio est]hoc est, certa per intellectum comprehensio[& aduersus Montani hæretici[dogma peruersum]qui dixit, quod Prophetæ arreptitio,spiritu in extasi mentis nescientes quid loquerentur,loquuti sunt[intelligit]iste Propheta [quod videt]*Dan.*10. Intelligenti a opus est in visione[nec vt amens]loquitur, id est, qui in mente non habeat quod dicit.1.*ad Corinth.*13. Malo quinque verba loqui sensu meo, quam decem millia verborum in lingua [hec mente insanientium fœminarum] quæ facilius quam viri gaudio vel tristitia insanunt[dat sine mente sonum] hoc est, sine intellectu. *Psalm* 84. Audiam qui loquatur in me Deus Dominus. Hoc autem probat per Apostolum,subdens [Vnde & Apostolus] 1.*ad Corinth.*14.scilicet[iubet]hoc est,præcipit [vt si prophetantibus aliis] hoc est, aliis quibusdam in Ecclesia[alij]prius scilicet non prophetanti [fuerit reuelatum] à spiritu scilicet prophetico [taceant qui prius loquebantur]& dent locum ei qui reuelationem accepit, supple [Et statim subiunxit] Apostolus scilicet [Non est (inquit]dissensionis Deus,sed pacis]& intelligitur,quod non est dissensio inter Spiritum reuelantis Dei, & spiritum hominis cui fit reuelatio : vt scilicet, quando spiritus Dei mouet ad loquendum, spiritus hominis loqui nolit : sed concordia est inter vtrumque spiritum. Et ex hoc arguit,subdens [Et qui]scilicet,dicto Apostoli[intelligit, cum quis hoc est, aliquis[ex voluntate]libera,[recte] agendo vel [& alij locum dat ad sequendum]pro libera voluntate,talem,supple [posse & loqui & facere non velit; qui autem in extasi]hoc est,in excessu mentis vt arreptitij[id est,inuitus]alio scilicet cogente [loquitur, nec tacere in sua potestate habet nec loqui]Et subdit quarto de materia.

Illud quoque disce]ô Paula vel Chromachi[quia semel à me violenter exigis] hoc scilicet tibi exponi[vt quasi quosdam gradus]hoc est, per quosdam gradus[& scalas]hoc est, per quasdam scalas [ad altiora nitenti]eo quod per historiam ascenditur ad allegoriam, & per historiam & allegoriam ad tropologiam, & per hæc tria ad anagogiam, per nisum siue conatum studenti; [historiam tibi] qui primus gradus est[interpretem] hoc est, exponam.Et alludit ei quod est *Gen.*28. vbi Angeli ab inferioribus ascenderunt; in cælum per scalas; sicut & exploratores ascenderunt ad superiora domus Raab *Iosue*2. Sic Iudith in superiora domus ascendit *Iudith*,8. Sic gradibus ascenditur ad templum *Ezech.*40.Scias,iniquam [propheriam]hanc, supple, esse [contra Babylonem] historialiter [& Nabuchodonosor regem Chaldæorum] de quorum scilicet onere prophetat. Et ex hoc elicit ordinem ad immediate præcedentem Prophetam, subdens[vtquomodo prior Propheta Nahum]de quo habitum est[quem Habacuc sequitur]decinudum

dum ordinem Hebræorum [vaticinium habuit contra Niniuen]metropolim scilicet, vbi erat sedes regni[& Assyrios]id est, regnum Assyriorum [qui vastauerunt decem tribus]4.*Reg.*17. [qui vocantur Israel] eo quod plures tribus filiorum Israel habebant[ita & Habacuc]iste scilicet Propheta[propheriam habeat] historialiter[aduersus Babylonem]metropolim scilicet, & sedem regni [& Nabuchodonosor]regem scilicet Chaldæorum [à quibus]rege & regno Chaldæorum[Iudas]hoc est, duæ tribus[& Ierusalem] metropolis duarum tribuum[templumque subuersa sunt]4. *Reg.vlt.* Et subdit, probans hoc esse tempus istius prophetiæ.

el.

Et vt scias eo tempore fuisse Habacuc] Quia enim reges non habet in titulo, per coniecturas oportuit probari tempus prophetiæ eius[quo iam duæ tribus, qui Iuda vocabantur] quamuis enim essent Iuda & Beniamin & Leui; tamen quia Leui sacerdotium habuit, & ideo regibus non subiacebat, & Beniamin principatum non habuit, sed Iuda, ideo à Iudá regnum denominatur [ductæ erant in captiuitatem]à Chaldæis scilicet[Daniel] hoc est,liber Danielis [docere te poterit] cap.14. [ad quem] scilicet Danielem [in lacum leonum Habacuc cum prandio mittitur] quod non fieret, nisi Daniel cum duabus tribubus in Babylonem fuisset translatus. Et quia infirmitatem habet hæc probatio,ideo subdit [Quanquam apud Hebræos] apud quos primus fons veritatis esse deberet [hæc ipsa non legatur historia] de Habacuc scilicet, & lacu leonum. Et ideo aliter confirmat, subdens [Igitur siue quis recipit scripturam illam] Danielis scilicet 14.[siue non recipit]eo scilicet quod in canone Hebræorum non est [vtrunque pro nobis est]hoc est,contra nos non est. Et hoc probat,subdens subdiuisionem[aut enim recipit, &]supple, sequitur,quod[iam post factam rem]hoc est,translationem duarum tribuum [liber Habacuc texitur] & sic habetur propositum [aut non recipit] alia pars diuisionis[&]supple,tunc sequitur, quod [quasi Propheta scribit] onera scilicet Babyloniorum[quæ ventura cognoscit]& sic,supple, iterum habetur propositum; quia tunc onus Babylonis describit propter afflictionem duarum tribuum, quæ iam præteriit. Sexto subdit excusationem quorundam quæ ponuntur in litera, quæ primo narrat, secundo excusat, tertio excusationem per auctoritatem Apostoli confirmat. Narrando quinque ponit.

Iuda.

Habacuc prandium affert Danieli.

Interim secundum literam causatur] hoc est querulatur[aduersus Deum Propheta]hoc est, aduersus Dei dispositionem [cur Nabuchodonosor] prophanus scilicet[templum vastet & Iudam]hoc est, regnum duarum tribuum vastare permittatur. Secundo[cur Ierusalem vrbs Domini]quondam à Domino electa[destruatur]hoc est, destrui permittatur. Tertio[quare clamet populus Iudæorum] scilicet oppressus[& non audiatur] hoc est, exaudiatur à Domino. Et hoc vlterius exponit, subdens,supple,cur[vociferetur ad Dominum] populus scilicet[oppressus à Chaldæis] impiis scilicet, & iniustis [& non saluetur] Et quarto [quare & ipse Propheta]Habacuc scilicet [vel populus, ex cuius persona loquitur,ad hoc vixerit]hoc est, ad hoc permissus sit viuere[&] id est[huc vsque productus sit]in vita,supple[vt iniquitatem hostium] opprimentium scilicet[& suum] hoc est, suorum Iudæorum scilicet[viderit laborem] hoc est, oppressionem Et quinto [cur iniustitia prævaleat aduersum se]hoc est,suos. Chaldæi enim iustitiam non habebant aduersum Iudæos. Et horum subdit tres excusationes per ordinem.

Et hæc dicit præ mentis angustia]Mens autem improprie sumitur: mens enim Sancti non premitur,cum perturbatio non cadat in sapientem,vt dicit Socrates[nesciens]hoc est, formam nescientis assumens. Simile 1.*Cor.*4. Hæc autem fratres transfiguraui in me & Apollo, propter vos[aurum in igne conflari]hoc est,depurari.*Sap.*3. Tanquam aurum in fornace probauit eos [& tres pueros] *Dan.*3.[de camino ignis]hoc est, de fornace Babylonis [puriores exisse] inquantum iam probati erant [quam intrauerant] tunc enim non erant probati.Secunda excusatio.

Cur Deus permittat iustos affligi ab impiis.

Sed & hoc generaliter accipere possimus] hoc est,intelligere,quia acceptiua virtus est intellectus [quod ex persona humanæ impatientiæ loquatur] Impatientia hic dicitur à priuatione actus patientiæ, non à priuatione habitus. Et cum duplex sit actus patientiæ, vnus substantialis, & alter accidentalis: substantialis quidem(vt dicit *Tullius*)est æquanimis aduersariorum perpessio sue toleratio: accidentalis autem est in turbatione (quæ propassio est)dissimulatio doloris, & hanc secundum actum priuat, cum dicitur Humanæ impatientiæ,& non primum. Conceditur enim Sanctis, cum in turbatione passionis sunt, interna animi dolorem per querelas non excedentes ostendere: sicut & Dominus fecit.*Matth.*26. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et hoc est quod sequitur [vt in querulam vocem & plenam doloris] hoc est, plenum dolorem significantem [erumpat] vi scilicet doloris cogente. *Baruch* 3. Anima in angustiis & spiritus anxius clamat ad te Domine[dicens, Quare respicis contemptores?] respectu scilicet prosperitatis[& taces]hoc est, dissimulas[conculcante impio iustiorem se?]Et subiungit excusationem tertiam.

Patientia duplex est actus.

Hoc autem loquitur nesciens]hoc est, nescientis siue non aduertentis figuram assumens[iudicia Dei inuestigabilia]supple, esse[& profundum diuitiarum sapientiæ] in ordine scilicet diuinorum [& scientiæ]in dispositione humanorum [eius]id est Dei.*Rom.*11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius,& inuestigabiles viæ eius! [quod non ita videt Deus]hoc est, videndo dispensat[vt videt homo]*Iob* 10. Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? [homo tantum præsentia respicit]1. *Regum* 16. Homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor[Deus futura & æterna cognoscit]&, supple, præsentia ad æterna obtinenda dispensat[Et quomodo si ægrotus]inducit simile ad declarandum quod dixit[& æstuans febribus]æstus enim febris sitim prouocat & desiderium contrarij, frigidi scilicet, & humidi [aquam frigidam postulet] quæ tunc in præsenti æstum febris extinguat, quamuis in posterum augeat,& dicat ad medicum] rationes scilicet assignans quare postulet aquam[vim patior]à dolore scilicet. *Isa.*38. Domine vim patior, responde pro me[securior]febri scilicet[examinor]æstu scilicet [vsquequo medice clamabo & non exaudies?] Quasi dicat. Videris esse durus[& respondeat ei sapientissimus]in consideratione circumstantiarum

febris

febris[& clementissimus] ad ægrotum [medicus, Scio quo tempore debeam, quod postulas dare]sanitatem scilicet[non misereor modo] quia modo obesset [quia misericordia ista crudelitas] supple, esset[& voluntas tua] quæ scilicet ex æstu febris facta est[contra te petit]hoc est , contra sanitatem tuam Et simile adaptat , subdens [ita & Dominus noster] facto , supple,facit , & si non verbo dicit [sciens clementiæ suæ pondera] quid scilicet & cui dispenset[atque mensuras[scilicet, quando dispenset. *Sap.*11. Omnia in numero & mensura & pondere disposuisti]interdum non exaudit clamorem]secundum scilicet præsentem subuentionem. Et huius subiungit duas causas.

Vt eum probet] hoc est probatum ostendat[& magis prouocet eum ad rogandum] Ex hoc enim quod differtur exauditio,deuotius orat. Et hoc explanat,subdens [& quasi igne exercitum iustiorem & puriorem faciat] *Psal.*16. Igne me examinasti,& non est inuenta in me iniquitas. Ad hæc confirmãda inducit auctoritatem Apostoli[Quod intelligens Apostolus secundum id quod misericordiam consequutus est à Domino] 1.*ad Timoth.* 1.Misericordiam consequutus sum , quia ignorans feci[ait]2.*ad Corinth.*4. [sed non defecimus] supple,in tribulatione. Litera nostra sic habet , Iuxta quod misericordiam consequuti sumus , non deficimus,sed abdicamus occulta dedecoris. Et tunc quod sequitur [& benedicimus Dominum in omni tempore]est de *Psal.*33. [& scit] supple , illud *Matth.*10.& 24. [quia qui perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit ; & gloriatur] supple , Apostolus[in labore & dolore]2.*ad Corinth.*12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis [& cum *Iere.* 20.]secundum *Septuaginta*[dicit,Tribulationem & misericordiam inuocabo]quod explanans , subdit [vt quomodo alius inuocat Deum] supple , pro prosperis[sic sanctus vir & bellator inuictus]*Sap.* 10.Certamen forte dedit illi vt vinceret[ad exercendum se]supple,in virtute [& comprobandum] hoc est , probatum ostendendum[tribulationem] in corpore[& miseriam] in paupertate [inuenire desiderat]*Psal.*114.Tribulationem & dolorem inueni,& nomen Domini inuocabo.

Habacuc Propheta.

CAPVT I.

ONus quod vidit Habacuc] Ista prophetia in duas partes diuiditur : titulum scilicet , & tractatum. Titulus continet tria : materiam scilicet,modum reuelationis, & auctoritatem. Materia intelligitur per hoc quod dicit.

Onus] quod significat massam tribulationis opprimentem,quam prophetat super Babylonios. *Iere.*23.Vos estis onus ,proiiciam quippe vos, dicit Dominus *Psal.*37. Sicut onus grauis grauatæ sunt super me. *Thren.*1. Euigilauit iugum iniquitatum earum in manu eius , conuolutæ sunt & impositæ collo meo[quod vidit]hoc est,certitudinaliter per intellectum accepit *Isa.*1. Visio Isaiæ. Ab hac visione Prophetæ videntes dicebantur 1.*Reg.*9. *Dan.*10,Intelligentia opus est in visione. *Eccl.*48. Spiritu magno vidit vltima [Habacuc Propheta] describit seipsum à nomine & dignitate, vnde certitudinem veritatis ostendit : amplexans enim Deum,tangit eum & tactu certificatur & apprehensione : quam apprehensionem sequi se dicit *Apostolus Philip.* 3. Fratres ego me non arbitror apprehendisse , sequor autem si quo modo comprehendam in quo comprehensus sum. *Cant.*8. Dilecte mi apprehendam te [Propheta] dicit dignitatem & certificat spiritum reuelantem. *Sap.*8. Spiritus sapientiæ per nationes in animas sanctas se transfert , amicos Dei & Prophetas constituit.

Prophetæ cur videntes sint dicti.

Vsquequo Domine] Hic incipit prophetia , & habet tres partes. Primo enim proponit querelas populi impatientis.Secundo contemplatur, vt audiat responsiones consolantis,*infra 2.cap.ibi* [super custodiam meam stabo] Tertio gratias agit pro beneficio liberationis,*infra 3 ibi* [Domine audiui]Prima in tres diuiditur.Primo enim proponit querelas. Secundo ex responso Domini describit querelarum causas *ibi* [Aspicite in gentibus]Tertio rogat vt temperentur causæ dolorum,*ibi*[Nunquid non tu à principio Domine] Quereræ tres habent diuersitates. Primo enim querulatur,quod per præsentem liberationem non exauditur : secundo,quod Sancti à malis opprimuntur : tertio, quod ordo omnis iustitiæ confunditur.

Vsquequo Domine clamabo?]supple , ad te per cordis deuoti intentionem. *Psal.*12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem , auertis faciem tuam à me?[& non exaudies]hoc est, vt ita audias quod extra tribulationem me ponas. *Iob* 30. Clamo ad te, & non exaudis me : sto , & non respicis me : mutatus es mihi in crudelem , & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. *Thren.*3. Et cum clamauero & rogauero,excludit orationem meam. Sed quia anxius,non tantum corde , sed etiam ore clamat,subdit[vociferabor ad te]hoc est , diuersis vicibus querelam ostendam [vim patiens]& ideo necessitatem querulandi habens. *Isa.*38. Domine, vim patior,responde pro me.*Psal.*16. Circuibo & immolabo in tabernaculo tuo hostiam vociferationis[& non saluabis] *Iere.*14. Quare futurus es velut vir vagus & fortis qui non potest saluare? [Quare ostendisti mihi?]Secunda diuersitas querelarum[iniquitatem]malorum scilicet opprimentium[& laborem]bonorum scilicet oppressorum. Sensus est. Quare permisisti me tamdiu viuere vt ista viderem,Simile 3.*Regum* 19. vbi Elias exagitatus à Iezabel,petiuit animæ suæ vt moreretur, *Tob.*3. ad exprobrationem vxoris dixit Tobias: Fac mecum misericordiam , & præcipe in pace recipi spiritum meum.1. *Mach.*2. Væ mihi,vt quid natus sum videre contritionem populi mei , & videre contritionem ciuitatis sanctæ?Et post pauca,Ecce sancta nostra & pulchritudo nostra desolata est : & coinquinauerunt,eam gentes , quo ergo nobis adhuc viuere ? Quid autem sit videre iniquitatem & laborem , subdit [videre prædam] quo scilicet Sancti deprædati sunt. *Isa.*59. Qui recessit à malo,prædæ patuit. Et hic fuit labor[& iniustitiam]contra me,supple,factam. Et hæc fuit iniquitas. *Eccl.*4 Vidi calumnias quæ sub cælo geruntur], & lacrymas innocentium , & neminem consolatorem,nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos : & laudaui magis mortuos quam viuentes. Et subdit tertiam diuersitatem

[Quare respicis contemptores ?] respectu scilicet prosperitatis & felicitatis temporalis. *Iere.* 12.Quare via impiorum prosperatur,bene est omnibus qui præuaricantur & inique agunt ? *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum. Et *ibidem* 21. Quare ergo impij viuunt sublimati confortatique diuitiis?[& taces]hoc est,dissimulas , cum iudicare possis [conculcante impio] rege Babyloniorum, vel diabolo [iustiorem se] Quamuis enim coram te nullus sit iustus.*Isa.*64. Facti sumus vt immundi omnes nos,quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Tamen conculcatus iustior est conculcante coram hominibus. *Isa.* 57. Non cogitasti in corde tuo,quia ego tacens & quasi non videns. Quod autem ex hoc confundatur omnis ordo iustitiæ,ostendit subdens[& facies]per hoc , supple, videre[homines]ad imaginem tuam factos [quasi pisces maris]supple,esse, hoc est , quod non aliam vel maiorem curam habeas de hominibus quam de piscibus , in quibus maior deuorat minorem, quasi ex lege. 1.*ad Corinth.*9. Nunquid de bobus cura est Deo : an propter nos hoc vtique dicit? *Glossa.* Quamuis Deus curam habeat de omnibus; tamen de irrationabilibus curam non habet vt ponat eis legem sicut hominibus[& quasi reptilia non habentia ducem]hoc est, legem iustitiæ , qua ducantur & regantur;sed feruntur secundum concupiscentias & iras suas. *Prou.*30. Regem locusta non habet,& egreditur vniuersa per turmas[& factum est iudicium]scilicet, peruersum. Et hoc exponens,subdit[& contradictio potentior] supple, quam iustitia.Et est sensus , quod iudicio recto & iustitiæ contradicitur , & contradicens potentior est,inualescit & obtinet.*Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta , & loquentem perfecte abominati sunt.Quod plangit *Ieremias* cap.15.Væ mihi mater mea , quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra ? Bellum enim irreconciliabile est(vt dicit *Augustinus*)inter veritatem & errorem , dum se & veritas tenet & impietatis error obnititur. Et quod ex hoc ordo rerum confundatur,subdit [propter hoc lacerata est lex]omnis,scilicet,naturalis, diuina , & positiua,& breuiter omnis regula iudicij. *Isa.*24. Transgressi sunt leges , mutauerunt ius , dissipauerunt fœdus sempiternum ; propter hoc maledictio vorabit terram.Et bene dicit,lacerata,quia lex iustitiæ plena est & clara , nisi per interpretationem violentam laceretur ad iniustitiam. *Isa.*10. Væ qui condunt leges iniquas,& scribentes iniustitias scripserunt,vt opprimerent in iudicio pauperes , & vim facerent causæ humilium populi mei [&] quia, supple, lacerata est lex[non peruenit vsque ad finem]debitum,supple[iudicium]*Glossa.*Finis iudicij est iuste iudicare,hoc est, per sententiam ius suum vnicuique tribuere ; cuius oppositum fit *Isaie* 59. Propter hoc elongatum est à nobis iudicium , & non apprehendet nos iustitia. Et repetit causam, vt sciatur hunc sequi effectum [propterea egreditur iudicium peruersum] per iniquas scilicet sententias,per quas(sicut dicit *Glossa*)innocens Christus occiditur,& Barrabas latro dimittitur *Matth.* 27.*Isaie* 1. Pupillo non iudicant , & causa viduæ non ingredietur ad illos. *Iob* 9. Terra data est in manus impij,vultum iudicum eius operit.

Veritatis & falsitatis bellum irreconciliabile.

Aspicite in Gentibus]responsio Domini est respondentis ad querelas inductas. Respondet autem primo in vniuersali , secundo determinando ad particulare *ibi*[Quia ecce ego.]

Aspicite] Ac si dicat. Tu miraris quod impius prævalet aduersus iustum , sed tu & alij Prophetæ nolite mirari ; quia aspicite , supple , ea quæ fiunt [in Gentibus] quod scilicet nulli parco iniquo. *Hebr.*2. Omnis inobedientia iustam accepit mercedis retributionem[& videte]hoc est , considerate,& meas vindictas & iniquitates illorum. *Isa.*34. Accedite Gentes,& audite,& attendite populi orbis,& omne germen eius : quia indignatio Domini super omnes gentes[& admiramini] opera scilicet mea,& illorum [& obstupescite] Admiratio est suspensio in magnitudine facti : stupor autem cordis,insensibilitas & motus sistolem, eo quod nec causam nec modum nec rationem facti potest inuenire. *Iere.* 5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra.*Eccl.*43. Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Quid autem mirantur , subdit [quia opus factum est in diebus vestris]tam grande,supple,in potentia,tam profundum in sapientia [quod nemo credet cum narrabitur] præ magnitudine scilicet ipsius.Simile *Ioel.*1. Audite hæc senes,& auribus percipite omnes habitatores terræ ,si factum est istud in diebus vestris &in diebus patrum vestrorum. Hoc autem est quod vna gens præualet ad orbis castigationem , quæ statim propria iniquitate ruitura sit.*Isa.* 10. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi,vt auferat spolia & diuidat prædam : & ponam illum in conculcationem vt lutum platearum.Ac si dicat. Primo quidem omnes spoliabit, postea conculcabitur vt lutum. Hoc autem opus determinat in quinque,patientia scilicet ferocitatis,regimine propriæ voluntatis , impetu nocendi, & ad rapinam velocitatis auiditate , & vniuersalitate spoliationis , crudelitate inspectionis & vniuersalitate subiectionis orbis.

Deus peccatori non parcit.

Admiratio Stupor.

Quia ecce ego suscitabo Chaldæos] hactenus quiescentes & quasi dormientes, qui interpretatione nominis vicem dæmonis habent. Chaldæi enim feroces interpretantur. Simile. *Isaie.*13. Ecce ego suscitabo super vos qui argentum non quærant, nec aurum velint,sed sagittis paruulos interficient [gentem amaram] hoc est , ad amaritudinem perducentem. *Ruth.* 1. Vocate me Mara,hoc est, amaram , quia amaritudine valde repleuit me. Omnipotens. *Thren.* 3. Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio [& velocem] *Glossa* ad implenda præcepta Dei. Ex quo videtur , quod memerunt , sed ad hoc dicendum, quod hoc quod præcepit Deus , veloces erant ad implendum, sed non ea intentione , qua Deus hoc præcepit. Deus enim ad correctionem præcepit Gentium castigationem ; illi autem auiditate prædæ,& ambitione dominandi exeuti sunt. *Isa.* 10. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit; sed ad conterendum erit cor eius,& ad internecionem gentium non paucarum. *Proverb.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant innoxium sanguinem [ambulantem super latitudinem terræ] hoc est , non contentam finibus suis , sed volentem occupare totam terræ latitudinem. *Iob.* 1. Circuiui terram , & perambulaui eam. *Isa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis,vsque ad terminum loci ; Nunquid vos soli habitabitis in medio terræ ? Quod autem intentione prædandi hoc faciant,subdit [vt possi-

Chaldæus.

dear

Merito destruitur sui, qui destruit.

deat tabernacula non sua] rapiendo scilicet & eijciendo alios à possessionibus suis. Hoc autem iuste permisit Deus & voluit; quia qui suis abutitur, iustum est vt à suis deiiciatur. *Isa.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Sic angelus domicilium cæli, Adam verò paradisi perdidit habitaculum. *Psal.* 51. Propterea Deus destruet te in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Et subdit, quod incredulitate propriæ voluntatis sequetur sententiam.

Horribilis] hoc est, horrendas pœnas inferens [& terribilis est] minis scilicet & inclamationibus. *Isa.* 21. Hominem audiens, turbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum. *Iob* 16. Collegit furorem suum in me, comminans mihi infremuit contra me dentibus suis, hostis meus terribilibus oculis intuitus est me [ex semetipsa iudicium eius] de faciendis, scilicet, hoc est, nullius consilio sapientis, sed propria regetur voluntate. 2. *Machab.* 10. Hi ducem belli animum habent. Imperium enim propriæ malitiæ exequuntur [& onus eius] scilicet, quod imponunt aliis grauissimæ seruitutis [egredietur] & ideo, scilicet, nec consilio sapientium, nec prece bonorum, nec mansuetudine vel misericordia propria flectetur. Simile. 3. *Reg.* 12. Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. *Act.* 15. Hoc est onus, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Et subdit, quàm de facili inducantur ad malum.

Leuiores pardis equi eius] Equus hic preceps in malum & efficacis impetus dicitur, quo mali facile inducuntur ad mala; quod significat per pardum qui velox est, & varius; velox precipiti voluntate, & varius dolositate. *Dan.* 7. Ecce alia bestia quasi pardus, & alas habebat auis, propter scilicet velocitatem, & doli varietatem. *Osea.* 13. Bestia agri scindet eos [& velociores lupis vespertinis] lupus in die occultatur, & de vespere famelicus egreditur, ideo propter famem prædæ tyranni huius seculi lupi vespertini dicuntur. *Sopho.* 3. Principes eius in medio eius quasi leones rugientes, iudices eius non relinquebant in mane. De omnibus his simul. *Iere.* 5. Percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos, pardus vigilans super ciuitates eorum: omnis qui egressus fuerit, capietur. Sunt ergo leones crudelitate, lupi prædæ auiditate, pardi insequendi velocitate [& diffundentur equites eius] vt scilicet vbique rapiant. *Iere.* 50. Effusi estis sicut vituli super herbam. Vituli enim per totum effusi, vndique viride decerpunt: & hoc faciunt tyranni in temporalibus, & dæmones in spiritualibus. Et quod implacabiles sint, subdit.

Lupus vespertinus tyrannus in subditos.

Volabunt] auiditate prædæ scilicet [quasi aquila festinans ad comedendum] de qua dicit *Aristoteles*, quod ad quingentas leucas odoratur cadauer & prædam. *Deuter.* 28. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu; cuius linguam intelligere non poteris, Gentem procacissimam, quæ non deferat senij, nec misereatur paruuli, quæ deuoret fructum iumentorum tuorum, donec intereas. Et subdit de auaritia.

Omnes ad prædam venient] *Iere.* 6. A maiore vsque ad minorem omnes auaritiæ student [facies eorum] hoc est, præsentia [ventus vrens] per effectum scilicet. Omnia enim sicca & arida relinquunt, sicut ventus vrens. Hoc *Ioel.* 1. per multa describitur, & in fine concluditur sic cap. 2. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. Et subdit de multitudine captiuorum, & subiugatorum diabolo & tyrannis.

Et congregabit quasi arenam captiuitatem] hoc est, multos captiuos, hyperbolice per multitudinem arenæ significatos. Vnde gloriando dicit *Isa.* 10. Sicut colliguntur ouа quæ derelicta sunt, sic congregaui vniuersam terram. Et ne credatur, quod aliquis resistat ei potentia, subdit de effectu potentiæ eius, vt verum sit quod dicitur *Eccli.* 48. In diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum [& ipse de regibus triumphabit] & non tantum de regibus [sed & tyranni] de viribus propriis scilicet præsumentes [ridiculi eius erunt] hoc est, derisibiles faciet superando eos. Vnde *Isa.* 10. gloriatur dicens: Abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes. *Isa.* 45. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Et ne confidat aliquis de munitionibus, subdit.

Ipse super omnem munitionem ridebit] siue sit terrea munitio, siue spiritualis in scientiis & opibus. Has enim non curat; astutior enim est & fortior omni munitione. *Thre.* 2. Dissipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam. *Isaia.* 36. Ascendit super omnes ciuitates Iudæ munitas & cepit eas [& comportabit aggerem hoc est, terram ad implenda fossata [& capiet eam] Munitio enim spiritualis cito capitur per [terrenorum appetitum, & per comportationem diuitiarum. *Ezech.* 26. Circundabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro.

Tunc mutabitur spiritus eius] supple, in superbiam, sicut mos superborum est, quod in prosperis eleuantur. 2. *Thess.* 2. Extollitur super omne quod nominatur aut quod colitur deus. Et reatu superbiæ spiritus humanus, qui in ipso est, mutabitur in spiritum feræ, sicut est mos superborum, quod ferales efficiuntur. *Daniel.* 4. Cor eius ab humano mutetur, & cor feræ detur ei. *Psal.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus [& pertransibit] à gloria scilicet in ignominiam Deo condemnante. *Psalm.* 36. Transiui, & ecce non erat. *Psal.* 102. Pertransibit spiritus in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum [& corruet] in mortem scilicet & in infernum. *Isa.* 13. Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris, corruisti in terram qui vulnerabas gentes? *Apoca.* 18. Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum. Nec est mirum quod corruit, quia nullus stat in pede superbiæ. *Psal.* 35. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt, &c. Et causam ruinæ subdit per ironiam [hæc est fortitudo eius] falsa scilicet & metallax. *Iere.* 9. Non glorietur fortis in fortitudine sua. *Amos* 2. Fortis non obtinebit virtutem suam [Dei sui] hoc est, quam (vt credit) dat sibi Deus suus Bel vel draco; sicut & fortes seculi ab his quos colunt, putant se habere fortitudinem, sicut diuitiis, pompa, potentia, & huiusmodi: sed quo fortiores sunt, eo citius cadunt. *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Si fortior illo superuenerit

Superbia feroces facit.

Superbia instabilis.

peruenerit, intrabit in domum fortis, & alligabit eum. *Isaia* 1. Erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat.

Nunquid] instructus à Domino, de his de quibus, quærebatur, humiliter redit ad confessionem veritatis, & sub modo & habitu humilitatis mitigationem petit dispensationis. Et ideo tria dicuntur hic, scilicet, veritatis confessio, liberationis petitio; & publicæ iustitiæ per dissimulationem confusio.

Nunquid non tu à principio] supple, es. *Prouerb.* 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. *Hebræ.* 1. Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli [Domine Deus meus] supple, qui me creasti. *Glossa.* cuius clementia subsistimus. *Hebræ.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. *Act.* 17. In ipso viuimus, mouemur & sumus [sancte meus] hoc est, fortis meus. *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus Domine, magnificus in sanctitate *Iere.* 15. Non est similis tui Domine, magnus tu & magnum nomen tuum in fortitudine [& non morientur] te protegente scilicet sub tanto hoste. *Ezech.* 18. Quare morietur domus Israël, quia nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat? *Sap.* 1. Nolite zelare mortem merore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum: quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Exposita fide, & elenata spe, confitetur dispensationis veritatem subdens.

Domine in iudicium] correptionis [posuisti eum] Nabuchodonosor scilicet, vel diabolum, vel quemcumque tyrannum: vt scilicet iudicium correptionis per eum facias, sicut per instrumentum vltionis tuæ. *Isaia* 10. Virga furoris mei & baculus ipse est. Et post paucа. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi. Et hoc est quod subdit exponendo [&] id est [fortem] cui nullus possit resistere [vt corriperes] supple, per eum alias gentes [fundasti eum] diabolum scilicet, vel Nabuchodonosor. Dicit autem fundatum, ne facile subuertereturà potestate: quia si potestatem amisisset, corripere non posset. *Amos* 2. Altitudo cedrorum, altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus. *Iere.* 12. Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt & faciunt fructum. Et in hoc confitetur, intentionem Domini disciplinantis filios. *Hebr.* 13. Quis filius quem non corripit pater? *Psal.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. *Sap.* 12. Eos qui delinquunt partibus, corrigis & admones, vt relicta malitia credant in te Domine. 2. *Machab.* 6. Non multo tempore sinere peccatoribus ex sententia agere; id statim vindictam exhibere, magni beneficij indicium est. Et ideo subdit ex parte Dei ordinantis, veræ fidei confessionem [Mundi sunt oculi tui] *Glossa*, quibus nihil placet immundum [nec videre malum] per opprobrationem scilicet. In signum huius *Gen.* 4. dicitur. Ad Cain & ad munera eius non respexit [& respexit ad iniquitatem non poterit] & bene dicit, inspicere. Respectus enim est ad ea quæ retro sunt post Deum autem sunt peccatores & peccata. In signum huius *Gen.* 19. Vxor Lot respiciens retro conuersa est in statuam salis. *Philip.* 3. Posteriorum obliuiscens, ad anteriora me extendo. Hæc vertatis confessione posita, omni humilitate reuertitur ad quæstionem & admirationem dispensationis mundi.

Deus peccata non probat.

Quare non respicis super iniqua agentes] respectu scilicet illo, de quo dicitur *Exod.* 14. Factum est in vigilia matutina, & respexit Dominus super castra Ægyptiorum, & subuertit rotas curruum eorum, ferebantur què in profundum. *Psal.* 24. Respice inimicos meos: quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me [& taces] hoc est, dissimulando ad modum tacentis te habes [deuorante impio iustiorem se] Quamuis nullus sit iustus apud te, *Psal.* 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Tamen deuoratus secundum humanam iustitiam, iustior est deuorante; & tu ad hoc taces, quod mirum videtur. *Prouerb.* 25. Dens putridus & pes lapsus, qui spera: super infideli in die angustiæ. Et post pauca. Fons turbatus pede & vena corrupta, iustus cadens coram impio. Et cum videantur esse mutabilia coram [illegible], & iniusta coram homine, ex his videtur turbari ordo & regimen humanæ vitæ.

Et facies] in ordine rerum scilicet [hominis] rationabiles [quasi pisces maris] in lagenam, scilicet, impiorum congregandos. *Ezec.* 16. Mittam eis piscatores multos, & piscabuntur eos [& quasi reptile non habens principem] supple, facies hominis, quod scilicet non habet ordinem, nisi conculcandi & proiiciendi. *Psal.* 21. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Et qualiter hoc fit, subdit [Omnia in hamo suo subleuauit] Hamus est aculeus habens latens, & significat eos qui per mercedis temporalis vel falsæ promissionis inducuntur. *Eccle.* 9. Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut laqueo comprehendimur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supeneuerit. Nota autem quod hamo capiuntur vnus & vnus, quia & Nabuchodonosor & diabolus trahunt vnum & vnum, & postea plures. Et hoc est quod sequitur [traxit illud in sagena sua] Sagenam vocat magnam extensionem acquisitionis & variam. *Eccle.* 7. Sagena cor eius, vinculum sunt manus illius [& congregauit in rete suum] Rete significat varias implexiones tentationum & occasionum peccandi. *Iob* 18. Immisit in rete pedes suos, & in maculis illius ambulat. Ambulare autem est quotidie magis ac magis inuolui.

Hamus.

Super hoc lætabitur] corde, supple [& exultabit] corpore etiam. *Prouerb.* 2. Lætantur cum maleferunt, & exultant in rebus pessimis [propterea immolabit sagenæ suæ] *Glossa* vult, quod sagenam vocat deum suum, cuius stultio putabat multiplicari sibi subiectos & capiuos [& sacrificabit rete suo] hoc est, parer dabit militibus & ministris suis alios capere. *Ezech.* 17. Comprehendam sagenam meam, & expandam super eam retè meum. Causam autem delectationis subdit [quia in ipsis] sagena scilicet, & rete [incrassata est pars eius] hoc est, dilatatus est regnum eius, Nabuchodonosor, vel diaboli. *Deut.* 32. Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus [& cibus eius electus] electos eum dimittes & potentes & nobiles deuorat. *Iere.* 51. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum voluptatibus meis. *Iob* 41. Absorbuit fluuium & non miratur, & habebit fiduciam, quod Iordanis influat in os eius [Propter hoc ergo] supple

ple, quia delectatur in talibus [expandit sagenam suam] hoc est, latam & diffusam ministrorum & exercituum expansionem, quod tam diabolo quàm Nabuchiodonosor competit. *Matth.* 13. Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti [& semper interficere gentes non cessat] crudelitate scilicet propria semper sanguinem sitiens. *Isaiæ* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum.

CAPVT II.

Super custodiam meam stabo.

TAngitur hic plena revelatio quæstionum inductarum, & habet duas partes. Prima est descriptio revelationis, & eius cui fit revelatio. Secunda descriptio rei revelatæ *ibi* [Et quomodo vinum] Prima duos paragraphos habet: descriptionem scilicet Prophetæ, cui fit revelatio *ibi* [Et respondit mihi Dominus] & descriptionem revelationis. In primo sex dicuntur, scilicet, custodia ab impedimentis contemplandi, &c.

Super custodiam meam stabo] hoc est, mei; stabo, hoc est, stans erectus in virtute, custodiam me ne phantasiis errorum decipiar, ne peccatis ob nubiler, ne pondere corporis opprimar. De primo *Gene.* 15. Descendentes volucres super cadavera sacrificiorum Abrahæ, hoc est, mulcæ & vespæ: sed abigebat eas Abraham. Mulcæ illæ & vespæ significant phantasias errorum contemplanti se ingerentes. *Eccle.* 10. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, denotionem enim perdunt huiusmodi phantasiæ. De secundo *Sap.* 1. In maleuolã animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. De tertio *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Secundum est.

Et figam gradum meum] hoc est, pedem meum, affectus scilicet, & intellectus [super munitionem meam] Duo muniunt Prophetam: veritas scilicet, & virtus: gradus intellectus stat super veritatem, gradus affectus super virtutem. Sic Salamon 3. *Regum* 8. Vtrumque gemi fixerat, vt firmiùs coram Domino oraret. Sic Esdras & Nehemias super gradum ligneum stabant quem fecerant ad loquendum. *Nehemiæ* 8. Sic *Daniel* 10. dicitur: Sta in gradu tuo. Et subdit tertium.

Prophetæ duo lumina fidelium.

Et contemplabor] hoc est, virtutes contemplativas extendam & erigam. *Isaiæ* 21. Contemplare in specula. Specula enim alte est, & erectionem virtutum contemplativarum significat. *Baruch* 5. Sta in excelso & vide. *Luce* 21. Respicite & levate capita. Et subdit quartum.

Vt videam] hoc est, vt videndo discernam. *Apocalyp.* 3. Inunge collyrio oculos tuos ut videas. Collyrium autem est cordis munditia. *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Visio autem divina perficitur, vt ratio purificata ad fidem convertatur. *Act.* 14. Fide purificans corda eorum, & fides convertatur ad intellectum Scripturarum. *Daniel.* 10. Intelligentia ortus est in visione. Intellectus vero gustu sapientiæ formetur. *Proverb. vlt.* Gustavit & vidit quod bona est negotiatio eius. *Psal.* 33. Gustate & videte. Et sic gustans Spiritui revelanti innitatur. *Ezech.* 1. Vbi erat impetus Spiritus illuc gradiebantur. *Psal.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et subdit quinto de auditu.

Quid dicatur mihi] ad mei scilicet & aliorum instructionem. *Daniel.* 9. Intellige verba quæ ego loquor ad te *Ezech.* 3. Audies ex ore meo verba. 1. *Reg.* 3. Loquere Domine, quia audit servus tuus. Et subdit sexto.

Et quid respondeam ad arguentem me] Ad hoc enim loquitur Dominus vt respondeatur ei per obedientiam. *Iob* 38. Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te & responde mihi.

Et respondit mihi Dominus & dixit] Ponit hic visus descriptionem in tribus; in explanatione scilicet, in temporis protelatione, in visus fidelitate & veritate.

Et respondit mihi Dominus] satisfaciens scilicet quærenti [& dixit] satisfaciens etiam quæstioni. *Isa.* 48. Ego Deus docens te vtilia. *Isa.* 50. Dominus aperuit mihi aurem, vt audiam eum tanquam magistrum [Scribe visum] Spiritum Dei viui scilicet in cordibus audientium. 2. *ad Corinth.* 1. Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus; manifestati quod epistola estis scripta, nõ atramento, sed Spiritu Dei viui. *Iere.* 31. Dabo legem meam in corde eorum, & in visceribus eorum scribam eam [& explana eum] vt intelligantur mysteria quæ latent sub cortice literæ. *Nehemiæ* 9. Legit Esdras in libro legis Dei distincte & aperte. Sic fecit Christus Discipulis. *Luce* 24. Incipiens à *Moyse* & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant [super tabulas] cor ratum à peccatis, planatum virtute per studium veritatis, inscriptionem auidum recipere, tabula vocatur. Tabulas in tabulis digitus Dei scripsit legem *Exod* 31. [vt percurrat] hoc est, currendo facile intelligat [qui legerit] Propter hoc dicitur *Isa.* 8. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, hoc est, ad facilem hominis intellectum, *Daniel.* 12. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Et subdit de protelatione visus.

Cor munditum tabula est legis.

Quia adhuc visus procul] supple, est. Mystice enim non implebitur, nisi in fine temporum. Literaliter vero non nisi impletis peccatis Babylonis. *Isa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo. *Numer.* 24. Heu quis vivetur est, quando hoc faciet Dominus? *Daniel.* 7. secundum *Septuaginta.* Aspiciens à longe, ecce video Dei potentiam venientem. Et subdit de visus fidelitate & veritate.

Et apparebit in finem] hoc est, finaliter, etsi ad tempus differatur. 1. *Reg.* 3. Omnia quæ loquitur, absque dubio euenient. *Tobiæ vlt.* Non excidit verbum Domini [& non mentietur] vt aliquem scilicet decipiat. *Tit.* 1. Quam promisit qui non mentitur Deus. *Numer.* 23. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Et ideo, supple [si moram fecerit] supple, visus ad tempus [expecta eum] securus. *Gene.* 49. Salutare tuum expectabo Domine. *Thren.* 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum [quia veniens veniet] hoc est, certus ne appropinquet. *Heb.* 10. Adhuc modicum aliquantulum & qui venturus est, venier & non tardabit. Iustus autem meus ex fide vivet: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ [& non tardabit] sicut quidam putant. 1. *Pari.* 3. Non tardat Dominus promissa sua, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, volens aliquos petire, sed omnes ad pœnitentiam venerit. Et subdit de damno non credentium, & vtilitate credentium visum.

Ecce qui incredulus est] supple, visui. *Isa.* 21. Qui incredulus est, infideliter agit. *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Et hoc est quod sequitur [Non erit recta anima eius] Plato dicit, quod rectum propriè est, quod applicatum recto vndique tangit & tangitur. Deus autem rectus est, quem anima recta vndique tangit & tangitur: & quod non est rectum, incurvatur ab ipso. *Psal.* 92. Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde. *Cant.* 1. Recti diligunt te. *Isa.* 26. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. *Proverb.* 21. Iustitia rectorum liberabit eos, & in insidiis suis capientur iniqui [in semetipso] Hoc dicit, quia ipse sibi causa curuitatis est. 2. *Paralip. vlt.* Incurvatus sum multo vinculo ferri, & non est adiutorio mihi [iustus autem] quia rectus [in fide sua] hoc est, merito fidei suæ [vivet] ab hostibus liberatus. *Matth.* 19. Non est Deus mortuorum, sed viventium. *Ioan.* 11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

Deus rectus est.

Et quomodo vinum] Tangit hic rem vitam, & habet duas partes. Primo enim describit ambitionis & auaritiæ insatiabilitatem. Secundo peccatibus in hoc peccato ponit maledictionem *ibi* [Væ qui congregat auaritiam] Prima tres habet paragraphos, scilicet, libidinem illicientem, auaritiam insatiabilem, & peccatorum derisionem.

Et quomodo vinum] scilicet fallacem, & superbum [potentem] [et decipit] ad insaniam [scilicet commertendo. *Prov.* 23. Ne intueris vinum quando flavescit, & cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, & in novissimo mordebit vt coluber [Sic erit superbus vir] Nabuchodonosor scilicet, & quilibet alius, libidine scilicet dominandi, & cupiditate diuitiarum ad insaniam deductus. *Isa.* 28. Præ vino nesciuerunt, præ ebrietate erraverunt. *Ephes.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Prov.* 31. Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas [& non decorabitur] Ebrius enim vomit & sordet, sic ebrius ambitione in insaniam bestiæ convertitur. De primo *Isa.* 28. Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita vt non esset locus vltra. De secundo *Dan.* 4. Cor eius ab humano mutetur, & cor feræ detur ei.

Quia dilatavit [supple, superbus vir dilatatione ambitionis & crudelitatis [quasi infernus] qui *Prov.* 30. Inter insatiabilia ponitur [animam suam] hoc est, animale desiderium suum. *Isa.* 30. Præparata est ab heri Tophet, à rege preparata, profunda, & dilatata; nutrimenta eius ignis & ligna multa. *Isa.* 5. Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino [& vae quasi mors] supple, est, quæ scilicet non saturatur interitu. *Sap.* 18. Stans in terra vehemen omnia movet [& non adimplebitur] *Glossa.* Semper vomit, semper eget. *Eccle.* 5. Auarus non implebitur pecunia. Qualiter autem hoc faciat, subdit [Et ipse est] congregabit ad se omnes gentes] vt omnibus scilicet dominetur. *Iudith* 2. Dixit cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio [& coacervabat ad se omnes populos] cuiuscumque scilicet, & oppidorum: vt scilicet omnium spoliis suam latiaret auaritiam. *Isa.* 10. gloriando dicit: Sicut colligunt ova quæ derelicta sunt, sic vniversam terram ego congregavi. *Ezech.* 38. Vt diripias spolia, & innadas prædam tu venisti. Et post pauca. Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem, vt tollas argentum & aurum & auferas supellectilem atque substantiam, & diripias manubias infinitas. Et subdit de peccati irrisione, & habet duas partes derisionem, & pœnam.

Dicitur quoque etiam aggravat contra se decalum lutum [Vae lutum ex terra grave est, ex humore immundum generatur. est & pollutum, ex deuitate venit & deterior, & in opere carnalia & mundana & diuitiæ carnales & gravatur & pollunt & deterior hominem ad Deum venit. Ezech. 1. & Iud. 1. Filij Israel Pharaoni serviebant in operibus luti & lateris. Psal. 68. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Item Psal. 17. Vt limum platearum deleboeos. Hoc autem quasi ex ratione mitur probare, subdens & apostrophen ad Babylonem faciens.

Nunquid non repente consurgent] *Dimyslus.* Repente sic quod sit sine præmeditatione, & præter spem, sicut Medi & Persæ contra exercitus contra Babylonem. *Iere.* 51. Ecce ego suscitabo super Babylonem & super habitatores eius qui cor suum letaverunt contra me quasi ventum pestilentem, & mittam in Babylonem ventilatores qui ventilabunt eam [qui mordeant te] scilicet Medi & Persæ primo affligendo. *Prov.* 30. Est generatio quæ ut dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra & infelicibus de hominibus. Secundo, supple, hoc est, terras & regna ab obedientia tua removendo; vt lacerent in diversas partes, potestatem amittas, & sic eundem vota, supple eris in rapinam eris] Medis scilicet & Persis. *Isa.* 14. Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærunt nec aurum volunt, sed sagittis parvulos interficient. Merentur autem suam pœnam subiungit, vt iustior sit condemnatio.

Quia tu spoliasti gentes multas] subiungendo ex scilicet tua [spoliabunt te omnes qui reliqui fuerunt de populis] Reliqui de populis humiles, & contrariis & secetis & non reputatis, qui propter paupertatem nihil reliquunt. *Isa.* 33. Væ qui prædaris,

daris, nonne prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse spernieris? [propter sanguinem hominis] hoc est, hominum, quem scilicet multum fudisti, & maxime Iudæorum & Sanctorum. *Osee 4.* Sanguis sanguinem tetigit [& iniquitatem terræ] totius scilicet quam inique subiecisti. *Isa. 16.* In terra Sanctorum iniqua gessit [ciuitatis] Ierusalem scilicet, vel congregationis Sanctorum. *Isa. 24.* Ciuitas sancta tua facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est [& hominum] hoc est, rationabilium [habitantium in ea] Ciues enim Dei rationabiles, & Sancti sunt: & hos turbare peccatum est. *Psalm. 86.* Sicut lætantium omnium habitatio est in te. *Tob. 13.* Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.

Væ qui congregat] Ponit hic exaggerationem peccati sub interminatione maledictionis. Et quia in quatuor gloriabatur Nabuchodonosor diuitiis, munitionibus, oppressionibus, & idolis: idea quatuor ponit maledictiones, quæ per ordinem patent in litera. Quælibet istarum habet duas partes, scilicet, culpæ exaggerationem, & pœnæ interminationem.

Væ qui congregat] ex quacunque acquisitione. *Sap. 15.* Existimabant vitam hominis compositam esse ad lucrum, & oportere undecunque, etiam ex malo acquirere [auaritiam] hoc est, res auare acquisitas & auare retentas. Mala acquisitio fit per rapinam, furtum, vsuras, fraudes: male retentam, necessitati pauperum subtractam [malam] scilicet ex mala radice. *1. ad Tim. 6.* Radix omnium malorum est cupiditas, vel malum, vt dicit *Glossa*, quia est causa ruinæ domus. Et hoc est *quod iniquo domui suæ*] *Eccl. 5.* Est & alia infirmitas pessima quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui: peremt enim in afflictione pessima. Generabit filium qui in extrema egestate erit. Egens enim filius subuersio domus est. *Iob 18.* Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eam desuper, quasi rex, interitus. Et subdit de diuitum mala intentione [vt fit in excelso] gloriæ scilicet mundanæ [nidus eius] *Isa. 22.* Excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus. Abdiæ 2. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ, exaltantem solium tuum. Et subdit de falsa spe diuitum [& liberari se putat] supple, pretio auaritiæ, & fastu superbiæ [de manu mali] præsentis scilicet, vel futuri. *Prov. 6.* Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. *Iob 15.* Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Exaggerata culpa subdit pœnam.

Cogitasti confusionem] hoc est, causam confusionis domui tuæ id est, successioni tuæ. *Isa. 14.* Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum eorum: non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis frugibus, supple [quia concidisti populos multos] rapinis scilicet, angariis, & perangariis & aliquando occisionibus; vt eorum spoliis gloriosam tibi faceres domum. *Isa. 34.* Tu terram tuam disperdidisti, tu populum occidisti: non vocabitur in æternum semen pessimorum [& peccauit anima tua] Sensus est. Ex intentione & delectatione animæ tua peccasti in auaritia. *Mich. 2.* Contra Dominum est manus eorum, & concupierunt agros, & violenter tulerunt, & domos rapuerunt, & calumniabantur virum, & domum eius, virum & hæreditatem eius.

Cupiditas omnium malorum radix.

Quia lapis de pariete clamabit] hoc est, materia clamoris contra vos erit, eo quod per angarias pauperum positus est. Simile *Luc. 19.* Si hi tacuerint, lapides clamabunt [& lignum quod inter iuncturas ædificiorum est] in domibus pulchris & tabulatis, ligna picta & aurata regnantis iunctura tabularum aliqui confuserunt, quæ superflua sunt in ædificiis diuitum & tale autem quæsitum laboribus pauperum [ipsos debit] peccato vnico, scilicet, clamando super vos. *Sap. 5.* Armabit zelum suum ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. *Iere. 12.* Væ qui ædificas domum tuam in iniustitia, & cœnacula tua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei. Qui dicit, Ædificabo mihi domum latam & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.

Væ qui ædificat ciuitatem] Babylonem scilicet, vel quamcunque. Et tangit gloriam Nabuchodonosor in ciuitatibus & hominibus [in sanguinibus] hoc est, in sanguine & sudore pauperum, raptis ab eis. *Dan. 4.* Nonne hæc est Babylon ciuitas magna quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei? Vnde prima ciuitas ante diluuium ædificata legitur à Cain, vt ex illa opprimeret pauperes, sicut fratrem suum ante occiderat. *Gen. 4.* Post diluium autem prima ædificata fuit à Nemrod & coloris eius, & vocata est Babylon. *Gen. 10.* Ipse cœpit esse robustus, venationes agens in conspectu Domini, & præparata vrbem munitam scilicet in iniquitate, [hoc est, ad iniquitatem exercendam. *Vbi enim longa præsidium. Isa. 25.* Posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam. *Mich. 3.* Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Et subdit pœnam post culpam.

Cain primus ciuitatem construxit.

Nemrod ædificauit Babylon.

Nunquid non hæc sunt] supple, quæ dicta sunt [à Domino exercituum] supple, quasi sententiæ promulgatæ? *Isa. 19.* Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium, & vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat. Quod autem sit à Domino, subdit [laborabunt enim populi] afflicti scilicet temporaliter, & æternaliter. *Sap. 3.* Ambulauimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis & perditionis [in multo igne] quem sibi parastis succendemus. *Isa. 50.* Ecce vos omnes succendentes ignem & accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. *Isa. 66.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Propter hoc dicit *Isaias in libro de Emanuele*, quod tales dominantur subiecti orbis, & conteremuntur in igne magno [& Gentes, hoc est gentiliter viuentes] in vacuum] supple, laborabunt congregandi populi. *Iere. 15.* Auferam non tantum laborem peccatis, & qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis. [*Iob 18.* Quia deficiet] & dicetur: diuitiæ. *Luc. 12.* Stulte hac nocte repetunt animam tuam, & quæ præparasti cuius erunt? *Psalm. 95.* Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum. Qualiter

liter autem deficiat, subdit.

Quia replebitur terra] hoc est, homines habitantes in terra [vt cognoscat gloriam Domini] id est, vt cognoscibiliter hominibus appareat potentia maiestatis Domini in contritione Babylonis. *Isa. 40.* Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini loquutum est. Et huius gloriæ describit abundantiam, subdens [quæ aquæ operientes mare] hoc est, fundum & alueum maris implentes, ita quod exubetet, sicut facit mare in estuu. Et vult dicere, quod fama victoriæ super iniquos vndique prædicabitur. *Isa. 18.* Consummatio abbreuiata inundabit iniquitatem: consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. *Eccli. 24.* Factus est mihi fluuius abundans, & fluuius meus ad mare appropinquauit.

Væ qui potum dat] Tangit hic quod per oppressionem, calicem amaritudinis omnibus propinauit, & exaggerat culpam & postea interminatur pœnam.

Væ qui potum dat] amaritudinis scilicet & afflictionis [amico suo] amicus intelligitur omnis homo qui inimicitias non agit. *Iere. 3.* Sume calicem furoris vini huius de manu mea, & potabis de eo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te; & bibent & turbabuntur & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos [mittens fel suum] id est, amaritudinem in potum [& inebrians] hoc est, ad tantam angustiam perducens vt insanias sicut ebrij. *Deu. 32.* Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile. *Thren. 3.* Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio. Hoc peccatum propter tyrannorum est & maiorum Prælatorum [vt aliquis malitiam eius] hoc est in tantum spoliam quod nudes operiat, etiam in tenuiam non relinquendo. *Iob 22.* Nudis & incedentibus absque vestitu & esurientibus tulerunt spicas, hoc est, pauperes manipulos. Et subdit pœnam.

Repletus est ignominia pro gloria] & potest legi cum præcedenti vel cum consequenti. Si cum præcedenti, sensus est, cuius aspectu meditatur, repletus est ignominia pro gloria, quam ei debuisti exhibere & facere. *Isa. 10.* Minuam rex Assyriorum captiuitatem Ægypti & transmigrationem Æthiopiæ, iuuenem & senem, nudam & discalceatam, & discooperiam nates ad ignominiam Ægypti. Cum sequenti legitur sicut vastator & depopulator repletus ignominia pro gloria quam habuisti: bibe vt quoque. *Iere. 25.* dicitur: Et rex Sesach, hoc est, Babylonis, bibet post eos. *Osee 4.* Gloriam eorum in ignominiam commutabo. *1. Mach.* Secundam gloriam eius in ignominia eius. De potu *Iere. 25.* Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, & nolite consurgere [& conspire] vt ego ad gladium, quem ego mittam in medio vestri. Et ex quasi dormiens in medio maris & quasi nauem gubernans amisso clauo. Vade, ait ei ad nauem, subdit, supple, quasi circumdatus vel vestitus, [quasi cum] sine scilicet, & furoris [domini Dominus hoc est, quem tota virtute deuorat] *Ps. 19.* Vsque ad fundum calices lapidis [& conuertus in porcum] hoc est, ignominiosus, scilicet, est [super gloriam vestra] Super, nomen operationis gloria autem glorificationem, quæ de spolia gloriabatur; vomitus vero violentam & difficilem ed-

diuionem eorum quæ abstulerat. *Isa. 28.* Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusque, ita vt non esset locus vacuus. *Osee 10.* Diuitias quas deportauit, & de ventre suo extraxit, eas Deus. Et vt malitiæ in pœna reperit culpam.

Quia iniquitas Libani hoc est, quam exercuisti in Libano, id est, in ædificato templo de lignis Libani [operiet te in pœna scilicet, *ad Luc. 3.* Siquis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus] & vastitas animalium] quia scilicet vastasti animalia ad ritus sacrificiorum pertinentia [deterrebit te] id est, ad rationem pœnarum æternarum te addicet. Alludit ei quod dicitur *Isa. 40.* Ecce Libanus non sufficit ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum] de sanguinibus hominis, suppleffusis innocenter. *Gen. 9.* Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cuiuslibet bestiarum. Et paulo post: Quicunque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, & iniquitate terræ] quam scilicet in omnes exercuisti. *Isa. 26.* In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini] & ciuitatis quam scilicet succendisti & euersisti. *Isa. 24.* Ecce Domine, respice, populus tuus omnes nos, ciuitas sancta tua facta est deserta [& omnem habitantem in ea] quos de hæreditate eorum eccisisti & conquassasti. *Isa. 22.* Deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ, relicta est in vrbe solitudo & calamitas opprimens portas. *Isa. 24.* Qui depopulatus est, vastat.

Quid prodest sculptile] detestatio est idolatriæ, & colligit quod Nabuchodonosor idolum illud adorauit, & ostendit rationem [quia sculpsit illud idor suus] Et est sensus. Quid prodest potentia quod idore suo impotentiam est? Et bene dicit quod prodest, non eum iuuabit Deum, sed in materia conflatile [& in forma] imaginis fabrum] id enim quod vnum, non conflatile, sed generabile est; nec imago eius et membrorum falsa est, sed quælibet figura vitæ quandam significat operationem, & per membrum illud exaltat eum et excercet. In idolo autem omnes figuræ falsæ sunt, quia nihil operationis exhibent. Sic est de idolis Episcoporum & Prælatorum quæ hodie sunt, quæ nullam sui gradus exhibent operationem. *Zach. 11.* O pastor & idolum derelinquens gregem. *Ioan. 13* Infidelis sunt, & inter vomitos per illorum est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, quia permiti in figuram idoli eius] quod valde est irrationabile, quia figuram fidei non tenetur est. Tamen hoc videmur, quod Prælati qui sunt membrum hominum, ad hoc sunt quod fideles aliquid [perant ab eis. *Sap. 13.* Pro lanceæ ut firmum deprecatur & pro vita rogat mortuum, & in adoratorum imaginem transmutat, & facere [illegible] [illegible] Implicites [illegible] dicunt, quia scilicet [illegible] non respondent, nec verbo nec [illegible] consolationis. *1. Reg. 14.* de propheta [illegible] quod prophetaticus [illegible] [illegible] [illegible] nec audiebant vox nec aliquis respondebat, nec attendebant quidem. Vel dicuntur mutæ sicut lineæ mutæ, quæ potest non fabricamur, vt dicit *Euchiri*: Idolum enim idolo pro Deo nihil iuuare potest de deputante ipsum. *1. ad Cor. 10.* Scimus quoniam idolum nihil est in mundo, & quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo, & ideo, supple.

Idola.

Idola muta.

Væ, ei, scilicet qui dicit ligno, Expergiscere: enim scilicet sit mortuum & mutum quod exaudire non potest, & nullam actum dominatis ad exterior exercere. *Ps. 113.* De ratione ligni idolum faciam, ante truncum ligni procidam, pars eius cinis est, cor insipiens adorabit illud. Et væ, scilicet, illi qui dicit [Surge lapidi tacenti: hoc est, mortuo & muto. *Deu. 14.* Iste est intrinsecus lutum, forinsecus æneus, neque comedit aliquando. Idola enim nec surgere, hoc est, sursum se agere, nec iuvare aliquem possunt. *Is. 41.* Ecce cor eius quasi lapis indurabitur, & stringetur quasi malleatus incus. Tales fiunt, vt dicit *Eusebius*, nulli Prædicti locum Dei obtinentes, nihil nisi idolum pastoris exhibentes, qui non testis fuerit, sed arborum fuit & lapidei, nihil vitæ nec sensus habentes. *1. Reg. 23.* Emorium est cor eius intrinsecus, & fulmen est quasi lapis. Et hoc est quod sequitur [Numquid ipse docere potest? Ecce, ecce, ipse pastor: Dei enim vel eius qui loco Dei est, dicitur esse. *Matth. 23.* Vnus est magister vester, qui in cœlis est. *Sapientia.* Omnium enim artifex docuit me sapientia. Similiter episcoporum officium doctrinæ est, licet autem quæ similitudo hominis est, vt dicit *Aristo.* non docet, esse in cathedra aliquando sedere. *Parabolæ ad Ecclesiam* [quasi parabolam mutum, fuisse in tabo, nec fuisse in labio iudicij].

Ecce ipse] lapis scilicet [cooperum est auro & argento]: in pretiosissimis mortalibus opinionem dominatis mentitur [& omnis spiritus non est hoc est, nullus spiritus est in visceribus eius, hoc est, in intrinsecis eius, & vanitas quæ est idola quæ conflantur vinore videntur, inter tantos mortalium fuit in eorum mente. *1. Reg. 5.* Filius Israel abiecit viscera eorum. *Ezech. 22.* Non cognoscunt in qua non iacent mortuum. Per contrarium mortem dicit ile Domino.

Dominus autem] Ipse est [in templo sancto suo] coepcris scilicet quasi affumpsit, & vori vitæ quasi lacuna. *Is. 40.* Quis dedit mensuram aquarum in pugillo suo? Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Et ubique in templo, quod dicitur tractatus est, per [illegible] per facinorosorum efficiunt. *Ps. 7.* Exaudiam de templo sancto suo vocem meam [illegible]] et scribet, quod de mille dio Deo [illegible]] per antonomasiam, hoc est, [illegible] in terra dicit [illegible] [illegible] Prædicat [illegible] [illegible] Prædicat quod dicitur [illegible] [illegible] Dominus [illegible] [illegible] [illegible]

runt angulis crucis. *Zacharie* 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? *Isaie* 49. Ecce in manibus meis descripsi te. Vocat enim descriptionem, vulnerum infixionem. Quanta autem fortitudo sit, subiungit, & probat per effectum dicens.

Ibi abscondita est fortitudo eius] sensus est. Abscondita fortitudo eius est ibi, hoc est, latens fortitudo Dei est in Cyro, qui primo nihil reputabatur, vel in Christo, qui exinaniuit semetipsum formam serui accipiens *Philip.* 2. Hic est enim fortis, de quo dicitur *Luce* 11. Si fortior illo supeneuenerit, intrabit in domum fortis, & alligabit eum. Si autem de Cyro intelligitur, concordantia est *Jeremie* 46. Fortis impegit in fortem, & ambo pariter ciciderunt, Nabuchodonosor scilicet primo, & Cyrus postea. Effectum autem fortitudinis subdit.

Ante faciem eius ibit mors] mortem vocat, Nabuchodonosor vel diabolum, eo quod mortem induxit. *Habacuc* 2. Ipse quasi mors & non adimplebitur. *Osee* 13. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Qualiter autem hoc fiat, subdit, & impletur quia [egredietur diabolus ante pedes eius] Pedes ponuntur pro conculcatione; diabolus autem est deorsum fluens, & significat contrariam potestatem siue humanam siue dæmonis, egressus significat eiectionem. Et est sensus. Potestas contraria conculcata, eiicietur præsentis Cyri, vel Christi. *Deuter.* 33. Eiiciet à facie tua inimicum tuum, dicetque: Conterere. *Roman.* 16. Dominus conteret satan sub pedibus vestris velocitet. Et ne credatur tantum facere insultum & recedere, subdit.

Stetit] vt victor scilicet perstitit. *Sap.* 10. Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicauerunt. *Psal.* 39. Quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? [& mensus est terram] regna scilicet quæ, eius subiecta fuerunt. Nabuchodonosor vel diabolo, suis per mensuram distribuit. *Isaie* 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia, *Prouerb. vlt.* De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis. Et ne aliquis credat quod resistentem habuerit de subiectis diabolo vel Nabuchodonosor, subdit,

Aspexit & dissoluit Gentes] hoc est, terribili aspectu & irato vultu respexit in adiutores dæmonis, vel Nabuchodonosor, quo conuertit corda eorum in formidinem, vt statim se subiicerent. *Exo.* 14 Respexit super castra Ægyptiorum, & subuertit rotas curruum. *Esther* 15. Cumque eleuasset faciem & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit. Si de Christo intelligitur, tunc est aspectus misericordiæ, quo dissoluit gelata corda Gentilium vt ad fidem conuerterentur. *Matthæ* 27. Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus Petrus fleuit amare. *Psal.* 81. Respice in me & miserere mei [& contriti sunt montes seculi] hoc est, à seculo fundati principes & reges mundi. *Isaie* 41. Ego ante te ibo & gloriosos terræ humiliabo. *Isaie* 40. Omnis mons & collis humiliabitur.

Aspectus Christi.

Incuruati sunt colles mundi] Colles dicuntur inferiores potestates quæ incurbatæ reuerenter subiecerunt se & Cyro & Christo. *Isaie* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur [ab itineribus æternitatis eius] itinera vocat profectus & Cyri & Christi. *Michee* 5. Egressus eius sicut ab initio à diebus æternitatis; omnia enim hæc ab æterno præordinata sunt. Hoc autem in quibusdam ostendit, & in omnibus intelligit, cum subdit,

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ] turbata, supple, quia resistere non valebant, qui quia nigri sunt & tenebrosi interpretantur, peccatores significant & obstinatos; qui tamen potentiæ Dei & Cyri subiicientur, turbati in pœnitentiam. *Psal.* 67. Æthiopia præueniet manus eius Deo. *Soph* 3. Vltra flumina Æthiopiæ inde supplices mihi, filij dispersorum meorum deferent munus mihi. *Sopho.* 2. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis [turbabuntur pelles terræ Madian] pelles tentoria de pellibus significant, & tentoria exercitus. Et est sensus. Exercitus Madianitarum resistere volentes turbabuntur, vel ad fugam, vel ad subiectionem, sicut turbati sunt coram Gedeone *Judic.* 7. Madian autem interpretatur iudicium hominis, & significat eos, qui humano iudicio & sapientia seculi iudicant de diuinis, qui sapientia Dei turbabuntur. *Isaie* 9. Iugum oneris eius & sceptrum exactoris eius superasti; sicut in die Madian. *Madian.*

Nunquid in fluminibus iratus es domine? Tangit hic de destructione Babylonis dupliciter, in captura scilicet ciuitatis, & interfectione principis & militum eius *ibi* [Dedit abyssus vocem suam] In primo duo sunt, scilicet, argumentum de præterito, & conclusio similis de futuro *ibi* [Fluuios scindes terræ] In prima harum sunt tria scilicet ablatio falsæ opinionis, constructio veritatis, & spes de futuris [Nunquid in fluminibus?] Ista quæstio supponit falsam quandam opinionem. Posset enim aliquis dicere, quod quando diuisit Dominus aquas maris *Exo.* 14. & quando diuisit fluenta Iordanis *Iosue* 3. factum fuisset casu vel virtute stellarum, vt quando scilicet Dominus esset beneuolus aquis, faceret eas fluere; & quando iratus, exiccaret eas, & non fecisset ad peccatores perdendos & sanctos liberandos. Et hoc iam quidam dixerunt, sicut narrat Abraham Iudæus in libro de magnis coniunctionibus Ioris & Saturni. Quod elidens Propheta, dicit. *Deus æquanimis irascitur.*

Nunquid in fluminibus?] hoc est, aquis fluentibus non habentibus in se virtutem standi [iratus es Domine] vt stare faceres & diuidi contra naturam fluxus, quam primo indidisti eis. Quasi dicat. Non. Visibile enim elementum est & indignationem tuam non meretur: sed hoc in aquis fecisti, vt tuis adferres impedimenta transitus, & hostes imbolueres in medijs fluctibus, & deterreres visu tanto miraculo. O Domine, nunquid tu iratus es in fluminibus? hoc est, Iordanis fluentis, vt scilicet inferiorem partem in mare mortuum faceres defluere, & superiorem ad instar montis stare, ex ira quam haberes ad aquas, quibus non cuperes retrere fluxum suum Quasi dicat. Non, sed propter tuos hoc fecisti. *Isaie* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non obruent te. Et quod subdit [aut in fluminibus furor tuus] notat flumina Ægypti, Nilum, & alia quæ in sanguinem versa sunt, & obullierunt tantæ. Hoc enim non fecit ex ira quam haberet ad aquas, sed ex ira quam habuit ad eos qui aquis irrebantur, & qui inpoccatem sanguinem in aquis suffocaverant. *Sap.* 16. Negamus nosse te impij per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus,

nibus, & pluuiis persequtionem passi. Et subdit.

Vel in mari] quod vento flante & vrente abstulisti. *Exod.* 14. [indignatio tua] supple, est. Quasi dicat. Non. *Isaie.* 51. Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Hoc autem probat, subdens [Qui ascendis super equos tuos] Angelos scilicet, & homines, vectores tuæ virtutis, talibus scilicet impedimentis ablatis. *Hieronymus* inducit illud quod habetur. *4. Reg.* 6. Ecce mons plenus equorum & curruum ignæorum in circuitu Elisei. Et non est dubium quin equi illi fuerint Angeli ad bella Domini præparati, vectores virtutis Dei, & ab ipso ad bella directi. Et hoc est quod sequitur [& quadrigæ tuæ saluatio] Vnde 2. *Machab.* 3. Cum Heliodorus vellet spoliare erarium templi, apparuit quidam equus terribilem habens sessorem, optimis opertimentis adornatus, isque cum impetu Heliodoro priores calces illisit; qui autem insidebat ei, videbatur habere arma aurea. Et non est dubium quin equus fuerit Angelus, & sessor virtus diuina. Similiter 2. *Machab.* 11. cum Iudas & sui prompto animo à Ierusalem ad bellandum procederent, apparuit præcedens eos equus in veste candida armis aureis hastam vibrans; per quod idem significatur. Vnde postea sequitur, Ibant igitur promptè, de cælo habentes adiutorem. Dicuntur autem quadrigæ, quia quatuor virtutibus vehi, diuina scilicet, angelica, cælesti, & terrena; quia, sicut dicitur *Sap.* 16. vindex est orbis iustorum, & ideo cum Deo coniungunt Angeli cælum, & terra, & hæc quadriga impugnatur impios. Et hoc ostendit, subdens, supple, sic, de cælo mittens auxilium. *Angeli sunt diuina virtutis vectores.* *Quadriga Dei aduersus impios.*

Suscitans suscitabis arcum tuum] alia translatio. Intendens, intendes. Intensus enim arcus fortissime ferit. Et per arcum intelliguntur omnia instrumenta bellica, quæ omnia intenduntur & acuuntur in hostes, quando de cælo habetur auxilium. *Isaie* 5. Omnes arcus eius extenti. *Iob* 29. Arcus meus in manu mea instaurabitur. Et dicit, suscitans suscitabis, notans quod hæc adiutoria continuo Deus suis ministrat. *Iudas.* Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum [Iuramenta tribubus] supple, sic suscitabis [quæ loquutus es] patribus scilicet, Per talia enim adiutoria impleuit quod iurauit; vt scilicet destructis impijs, Sanctis terram eorum sorte distribueret. *Exod.* 33. Memento. Abraham Isaac, & Iacob, quibus iurasti dare terram fluentem lac & mel. Hæc expositio literalis est.

Mystice autem, flumina quibus irascitur Dominus, sunt flumina concupiscentiarum & vanitatum. Mare autem cui irascitur, insania mundi est. *Numm.* 1. Increpans mare & exiccans illud, & omnia flumina ad desertum adducens, flumina quibus non irascitur, flumina sunt gratiarum & doctrinarum. *Iom.* 7. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. De insania mundi *Isaie* 57. Cor impij quasi mare fomens, quod quiescere non potest. Mare cui non irascitur, amaritudo pœnitentiæ est. *Deut.* 3. Ex Balan conuertam in profundum maris. Arcus Scriptura est in manu Prædicatorum. *Gene.* 9. Ponam arcum meum in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & terram. Nubes enim, Prædicatores & Doctores sunt. Intenditur arcus, quando auctoritates acutæ ad corda compungenda emittuntur. *Psal.* 126. Sicut sagittæ in manu potentis. *Isaie* 49. Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Equi vero ministeria sunt Angelorum cum Prædicatoribus missa. Quadrigæ vero quatuor expositiones Scripturarum. *Ezech.* 1. Apparuit rota vna, quatuor habens facies. Resumatur ergo litera. Quia post argumentum quod præmisit, de præterito, similia fore arguit in futuro, dicens.

Fluuios scindes terræ] hoc est, ex quo hoc in aquis fecisti in præterito propter tuos, etiam in futuro fluuios terræ Babylonis, quibus munitur ciuitas, scindes, hoc est, diuides, ne scilicet timore profunditatis viam impediant transeuntibus. *Isaie* 11. Leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, ita vt transeant per eum calceati, & erit via reliquo populo meo.

Viderunt te] ô Deus, supple, hoc est, potentiam tuam [& doluerunt montes] Vera litera est. Et tremuerunt Et tangit hoc quod habetur *Nume.* 21. quod scilicet scopuli & montes Ammon & Moabitarij motu tremoris exultauerunt in occursum filiorum Israel, & inclinatione sua viam transeuntibus dederunt. Vnde *ibidem* dicitur. Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Ammon. Scopuli torrentium inclinati sunt vt requiescerent in Armon, supple, filij Israel, & recumberent in finibus Moabitarum. Et hoc est quod sequitur [gurges aquarum transiit] hoc est, cessauit ante filios Israel. *Psal.* 113. Quid est tibi mare quod fugisti, aut tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? *Isaie* 51. Tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis dedit abyssus vocem suam] in præterito scilicet. Abyssus dicitur dare vocem per eloquium, non ita vt loquatur. Et hoc *Numer.* 16. inuitur, vbi terra se aperuit, & Datan & Abiron viuos deglutiuit, & in abyssum traxit. Iterum dedit vocem suam *Exod.* 15. vbi dicitur Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis, quando scilicet Ægiptij in abyssum descenderunt [altitudo manus suas leuauit] altitudinem ponit pro montibus, qui nunc in hoc dicuntur manus leuasse quando trepidauerunt, sicut dicitur *Numer.* 21. *Psal.* 92. Mirabilis in altis Dominus, testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Vtrumque horum dicitur. *Isa.* 7. Pete tibi signum à Domino, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et ad hoc subiungit alia argumenta quæ maiora sunt.

Sol & luna steterunt in habitaculo suo hoc est, in locis suis. *Iosue* 10. Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Hailon; steterunt que sol & luna donec vlciceretur se gens de inimicis suis. Ex omnibus illis argumentis præteritis infert, quod ita facient in futuro contra Babylonios. Et supplentur, ergo] In lace sagittarum tuarum] hoc est, apertis sagittis tuis quibus excæcabis eos [ibunt] supple, Cyrus & Darius, hoc est, proficient [in splendore fulguranti hastæ tuæ] hastam vocat fulgura percutientia & proforantia desuper. *Psal.* 143. Fulgura conuiciabiles conuemitte sagittas tuas, & conturbabis eos. *Fulgura iusiratio Dei Iob* 36. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines

dines quoque maris operiet, hoc est, totum mundum subiiciet. *Sap.* 5. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium terminabuntur, & ad certum locum insilient. Et est ac si dicat. Si volueris fulgurare contra Babylonios, sicut in præterito fecisti cum Moyse & Iosue, tunc proficientes ibunt Cyrus & Darius, & sic, supple, fremitu suo, & illorum conculcabis terram, hoc est, regnum Babyloniorum, & ipsos Babyloniòs conteres. *Prouerb.* 20. Sicut rugitus leonis, ita & terror regis, hoc est, Dei qui rex summus est. *Iere.* 8. A Dan auditus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius, commota est omnis terra: & venerunt & deuorauerunt terram & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius. Sic ergo arguit ex præterito quid faciet de futuro [in furore obstupefacies Gentes] Iterum reuertitur ad præterita, vt similia concludat in futuro facienda.

Egressus es in salutem populi tui] Deus dicitur egredi, quando virtutem suam manifestat: tunc enim in exterioribus apparet. *Zach.* 14. Egredietur Dominus & prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis. Et vocat egressum plagas & virtutes, quas ostendit in Ægypto propter populi salutem [in salutem cum Christo tuo] Christum vocat siue Christos, Moysen & Aaron, quos ad hoc vnxit vt duces essent populi. *Psal.* 104. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Item *Psal* 59. Non egredieris in virtutibus nostris, hoc est, nonne? In salutem autem dicit; quia per hos suos saluauit. Egrediens autem quid fecerit, subdit [percussisti caput de domo impij] caput vocat primogenita Ægypti: domum impij, domòs Ægypti Pharaoni impio subiectas. *Exod.* 12. Nec erat domus in qua non iaceret mortuus. Et ab hac plaga populus Dei liberatus est. Et subdit adhuc quid egrediens fecit [denudasti fundamentum eius vsque ad collum] fundamentum vocat totum exercitum. Pharaonis in mari rubro deletum. In illo enim fundauit totam spem suam Pharao. Vsque ad collum autem dicit; quia à minore vsque ad maximum omnes deleti sunt, & terra denudata est ab eis; sicut dicitur *Exod.* 14. Quod autem totum à Domino factũ sit, subdit. Et suppletur quia.

Maledixisti sceptris eius [Sceptra vocat cohortes principum qui cum Pharaone egrediebantur: quia omnes deleti sunt. *Isaia* 26. Ecce enim Dominus egredietur de loco sancto suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum [capiti bellatorum eius] supple, maledixisti, hoc est, Pharaoni. *Exod.* 15. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris [venientibus] scilicet, sceptris & capite [vt turbo] hoc est, in impetu iræ & furoris. *Isaia* 55. Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem [ad dispergendum me] hoc est, ad interficiendum. *Exod.* 15. Dixit inimicus. Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Quid autem eos ad hoc incitauerit subdit, & supplenr quia [Exultatio eorum] Ægyptiorum scilicet fuit. *Prou.* 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis [sicut eius qui deuorat pauperem] hoc est, deuorare intendit [in abscondito] hoc est, in dolo. *Psalm* 9. Insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. Sic autem, supple, destruens impios, liberasti tuos.

Viam fecisti in mari] diuisiones scilicet maris. *Psalm.* 135. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones [equis tuis] vectoribus scilicet tuis, hominibus & angelis qui te vehunt. *Isaia* 63. Qui scidit aquas ante eos vt faceret sibi nomen sempiternum, qui eduxit eos per abyssum, quasi equum in deserto non impingentem [in luto aquarum multarum] quod scilicet in fundo maris fuit, ita scilicet quòd nec profunditate abyssi, nec tenacitate luti teneri poterant, virtute Domini pro eis faciente. *Psalm.* 117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam. Item *Psal.* 98. Non me demergat tempestas aquæ, nèque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Hæc omnia narrat de præterito, vt similia arguat facienda in futuro. Et hæc omnia sub eisdem auctoritatibus non est difficile exponere de Christo, vel adaptare de Christo in Apostolis procedente ad dæmonum subuersionem, & mundi liberationem. Et hæc expositio est in *Glossis.*

Audiui] supple, hæc quæ dicta sunt à patribus. *Psal.* 77. Quanta audiuimus & cognouimus ea, patres nostri narrauerunt nobis [& conturbatus est venter meus] hoc est, omnia interiora mea in tot scilicet passionibus Sanctorum. *Tit.* 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo, persequutionem patientur. *Isa.* 21. Cotrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Ventrem autem dicit: quia in ipso omnia interiora cotinentur, totum enim concauum corporis dicitur hic venter. Et vult dicere, quod interiora vitalia consonantes in hoc contubata fuit. *Isaia* 15. Venter totus ad Moab quasi cithara sonabit. *Iereml* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum, miserans misereborem eius [à voce] supple, auditus talis [contremuerunt labia mea] Quasi dicat. Quia scio quod filij similia sustinebunt. *Eccli.* 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, & deprime cor tuum, & sustine. Quod autem dicit. Contremuerunt labia, naturale est; vt dicit Galenus. Turbatis enim visceribus, tremit inferius labium propter collimitationem ad viscera. Et innuit, quod tremula voce pronuntiet quæ scit futura, propter populi compassionem. Ex his tamen quia consolatio sequitur, cum Sanctis eligit affligi, vt cum Sanctis consoletur. Et ideo tria dicit: electionem scilicet tribulationis, descriptionem eiusdem, & consolatoriam liberationem.

Ingrediatur putredo in ossibus meis] *Glossa.* libenter patiar quod passus est. *Iob*, qui dicit, *cap.* 30. Nocte perforatur os meum doloribus; & qui me comedunt, non dormiunt, à multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Et hoc est quod sequitur [& subter me scateat] *Hieronymus.* Non solum in carne, sed in medullis ossium & stratus, putredine corporis & vermibus scateat; vt cum pro peccatis sustinuero angustias omnes captiuitatis, requiescam cum Abraham, Isaac, & Iacob. *Iob* 10. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus. Intendit autem, quod squalore carceris ossa catenis & medullæ iaciuntur, & stratus & vestes vermibus scatent & putredine. Sed quia nullus eligit pœnam propter pœnam, sed pœnam propter consolationem, ideo sequitur.

Tristia propter Deum patienter ferenda.

quitur.

Et] supple, purgatus tribulatione [requiescam in die tribulationis] finitæ, supple. *Tobie* 3. Hoc pro certo habet omnis qui colit te, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Et, supple, sic [ascendam] per gradus virtutum [ad populum accinctum nostrum] hoc est, ad populum Sanctorum, accinctum fide & patientia ad omnes afflictiones euincendas, vt scilicet confors & similis sim Sanctorum. *Iac.* 5. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. *Rom.* 8. Si tamen compatimur, vt simul glorificemur. Existimo enim quod non sint condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. *Heb.* 10. In altero quidem spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. *Heb.* 12. Accessistis ad Ecclesiam primituorum, qui conscripti sunt in cælis. Et subdit de tribulationis descriptione.

Ficus enim non florebit] Per ficum omnis dulcedo quæ in populo fuit intelligitur, quæ per tortores & tyrannos ablata est. *Ioe.* 1. Ficum meam decorticauit, nudans spoliauit eam & proiecit. *Apoca.* 6. Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut emittit ficus grossos suos cum à vento magno mouetur [& non erit germen in vineis] Per germen vineatum significatur omnis materia gaudij, quæ vniuersaliter ablata est per tyrannos. Vinum enim (vt dicit. *Psal.* 103) lætificat cor hominis. *Iudicum* 9. Nunquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum & homines? *Ioe.* 1. Confusum est gaudium à filijs hominum.

Mentietur opus oliuæ] Per oliuam significatur omne quod vngit, [mentietur] pascua, [omnia] diendo: quod tunc mentietur quando laborabitur & expensis vsque ad fructus collectionem [mentietur] & fructus aufertur quem promiserat. *Deut.* 28. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia defluent & peribunt. Paucos hoc paucos in Ecclesia videmus vnctos oleo compunctionis ad sanitatem. *Marc.* 6. Vngentes oleo multos infirmos, & sanabantur: pauciores vnctos oleo exultationis ad contemplationem. *Psalm.* 44. Vnxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis: paucissimos vnctos chrismate sanctitatis ad vitæ perfectionem. *Psal.* 88. Oleo sancto meo vnxi eum, nihil proficiet inimicus in eo [& arua non afferent cibum] Ac si dicat. Non tantum quæ dulcedinis & gaudij & exultationis sunt, ablata sunt: sed etiam quæ necessitatis. Arua vero significant cultum humani cordis ad fruges iustitiæ proferendas. *Ioe.* 1. Periit messis agri. *Deuteronom.* 28. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ deuorabunt omnia. *Isaia* 17. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter.

Abscindetur de ouili pecus] hoc est, oues, quod pecus lanam in vestem, lac in cibum, carnem in delicias, corium in calceamentum confuetum ministrare: & significat congregationes malorum & virtuosorum, quæ ab Ecclesia perierunt. *Iob* 1. Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues, pastosque consumpsit. Ignis Dei, ignis deorum nostrorum est, hoc est, concupiscentia prælatorum, de sublimi dignitatis eorum descendens per exemplum, & quicquid religionis est in Ecclesia, totum consumens [& non erit armentũ in præsepibus] armentum maius animal est, vt vaccæ & boues & asini & huiusmodi, quæ significant Prædicatores & Prælatos: quorum officium est terram Ecclesiæ colere & vomere prædicationis exarare. *Prouerb.* 14. Vbi apparent plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo est bouis. Hæc ab Ecclesia ablata sunt. *Iob* 1. Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos; & irruerunt Sabei, & tulerunt omnia. Sabæi interpretantur, conuertentes seu clamantes & eloquentes, & significant aduocatos & iudices Ecclesiæ, qui bonum laborem in Ecclesia penitus abstulerunt. Et nota quod dicit, in præsepibus. Præsepibus enim, hoc est, stipendiis Ecclesiæ manentibus, nullum bonum opus vel vtilitas apparet. Et subdit de consolatione.

Sabæi.

Ego autem] ac si dicat. Omnia quæ dispicta sunt, libenter sustineo; quia per hoc scio, quod [In Domino gaudebo] hoc est, in Dei consolatione. *Michea* 7. Iram Domini portabo: quoniam peccaui ei donec iudicet causam meã. *Isa.* 38. Domine sic sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei: corripies me, & vivificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima [& exultabo in Deo Iesu meo] hoc est, Saluatore meo. *Tobie* 3. Post tempestatem tranquillum facis? & post fletum & lcrymationem, exultationem & gaudium infundis. *Psal.* 65. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Et gaudium est cordis, exultatio vero corporis, sicut dicit *Augustinus*, gaudium est diffusio animi in conceptu boni, & ideo referuntur ad dotes animæ. Exultatio autem componitur ab ex, & vlta: quia id quod est in corde, in signo corporis manifestatur: & ideo ad dotes corporis referuntur. *Luc.* 1. Exultauit spiritus meus in Deo Saluatore meo. *Isa.* 64. Gaudens gaudebo in Domino. Et exultauit spiritus meus in Deo Saluatore meo. Causam autem gaudij subdit, & supplentur quia.

Gaudium. Exultatio.

Deus Dominus fortitudo mea] supple, est Deus prouidentia: prouidet enim mihi bona. 1. *Pet.* 5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. *Psal.* 54. Iacta cogitatum tuum in Domino. Dominus potestate superpositionis dicitur, propter hoc quod suos eligit & exaltat. *Psal.* 29. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Item *Psal.* 9. Qui exaltas me de portis mortis. Fortitudo mea, hoc est, causa fortitudinis meæ, qua scilicet vincere possum tribulationes & tortores. *Psal.* 17. Diligam te Domine fortitudo mea. 2. *Reg.* 22. Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus. Deus Dominus fortis meus, sperabo in eum. *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem [& ponet] hoc est, disponet confortando pedes meos, quibus ad patriam redire debeo [quasi cerui orum] hoc est, faciet veloces, vt ceruorum pedes. *Psal.* 17. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Dicitur natura esse cerui, quod semper recurrit ad locum generationis. Et petit Propheta vt veloces pedes habeat ad recurrendum ad originem. *Cantic.* 2. Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum. Capreæ longe videt, & est sensus, longe contemplare patriam, & pedes tui veloces sint ad redeundum super montes virtutum & æternorum gaudiorum, qui montes sunt aromatum. *Psal.* 41. Quem

Cervus cervi.

41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Et super excelsa mea] ad literam, terra promissionis montuosa & excelsa est, & significat vertices angelicos super quos deducuntur beati. *Isaiæ.* 33. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius [deducet me victor] victor scilicet hostium, & meus ductor. *Ioann.* 16. Confidite, quia ego vici mundum. *Deute.* 31. Dominus solus ductor eius fuit. *Isaiæ* 63. Sic adduxisti populum tuum, vt asceres tibi nomen gloriæ. *Isaiæ* 58. Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui [in Psalmis canentem] Psalmus hymnus est. Hymnus autem laus Dei cum cantico. Et quia hymnus ille in decachordo psalterio decãtabatur, perfectionem operis significat. Et est sensus. In iubilo cordis, & laude oris pro perfectione virtutis & operis, de exilio me reducit ad patriam. *Ephe.* 5. Loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. *Celeuma.*

Psalmus Hymnus.

Hoc canticum proprie Celeuma vocatur, vt dicit *Glossa super epistolam ad Hebraeos, super illud Ebra.* 11. Alonge eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quoniam peregrini & hospites sunt super terram. Et qui hoc dicunt, significant se patriam inquirere

***

D. ALBERTI,

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISPONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

In Sophoniam Prophetam Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI *In Sophoniam Prophetam explanatio.*



RADVNT Hebræi] Iste Prologus in duas partes diuiditur. Prima est de commendatione Prophetæ. Secunda de tẽpore prophetiæ ipsius & materia *ibi* [Iosiam regem] Prima pars duas habet commendationes, scilicet, a genere, & à nomine. A nomine incipit *ibi* [Nomen Sophoniæ.

Tradunt Hebræi] Traditio est veridica patrum relatio [cuiuscunque Prophetæ pater aut auus] propinquus scilicet, vel remotus [in titulo ponuntur ipsius scilicet Prophetæ] ipsos quoque patres scilicet, & auos [Prophetas fuisse] Huius rationem dicit *Augustinus* esse quia tunc cum propagatione seminis habet propagatio religionis. *Ecc.* 44. Cum semine ipsorum perseuerant bona, hæreditas sanctæ nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum. Hoc autem probat per signum subdens,

Vnde & Amos vnum de duodecim Prophetis] tertium scilicet [qui dicit] 7. Amos] Non sum Propheta neque filius Prophetæ] hoc est, ex Prophetis genealogiam non habui [sed pastor capranum] Translatio *Septuaginta* nostra habet armentarius [vellicans sycomoros] à sycos Græco, quod est ficus, & moros, quod est fatua. Et est sensus, quod fructus roborum in deserto vellicare & comedere cogebatur] patris nomen in titulo non habere] in prophetiam enim propheticam habuit, & non genealogiam. Ex hoc arguit, subdens,

Hoc si verum est, imo quia verum est] Sophonias Propheta] quem scilicet præ manibus habemus [qui nomine (vt ita dicam) prophetico] hoc est, præsago ad gratiam prophetalem. Simile *Gen.* 27. Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera vice [& gloriosa maiorum suorum stirpe] patris scilicet, & auorum] genera tus est] in paternam scilicet, & auitam gratiam & dignitatem. Et attende, vbi nos habemus, qui nomine, Hieronymus in originali, ponit, quinone, intendens quod quinario nominis sui & quatuor patrum nominibus præsignatus est ad prophetandum. Quinione enim tantum valet quantum quinario. Quinionem autem hunc exponens, subdit [habuit enim patrem Chusi] nomine, supple, annum Godoliam] patris patrem] proauum Amaliam] auii patrem] atauum Ezechiam] patrem scilicet pronaui [& talem quadrigam] qua scilicet vectus est ad eam gratia prophetalis, *ibi* [In equis, & in quadrigis, & in lectiticis adducent omnes fratres vestros] ipse] scilicet Sophonias [velut extremus] id est, optimus: extremum enim in bonis, optimum est [auriga] hoc est, sicut auriga animam gratiam ad finem deducens] complenit] 4. *Reg.* 2. Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Et rationem dictorum ex nominum interpretatione ostendit, subdens,

Nomen Sophoniæ, alij] supple, interpretes] speculam] supple, interpretati] alij arcanum Domini transtulerunt] in latinum. Et vtrumque adaptat interpretationem, subdens] sunt igitur speculæ] supple, manifestatur] sunt abscondita Domini] hoc est, arcanum] interpretetur, vtrumque Prophetæ conuenit] hoc est, gratiam prophetalem designat. Et probat primum] Dicunt enim ad Ezechiel 3.] [fili hominis speculatorem dedi te domui Israel se potui] Nostra litera habet, dedi te. Speculator enim est enuntiatione, arcanum vero Domini per inspirationem. Et de interpretatione nominum patrum subdit,

Ipse ergo Propheta] Sophonias scilicet] qui erat in specula, & id est] in iubilatione] conuersationis scilicet] constitutus] *Hab.* 2. Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem. 4. *Reg.* 2.

Sophonias.

Speculator erat in turri Iezrael, Et hoc quoad primam interpretationem dictum est [& nouerat mysteria Dei]quoad interpretationem secundam. *1.ad Corinth.*3. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei[filius erat Chusi] qui interpretatur humilitas.*Iacob.*4. Humilibus dat gratiam [habebat quoque auum]patrem patris scilicet [Godoliam qui dicitur magnitudo Domini] *Matth.*7. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum[& proauum Amariam]aui scilicet patrem[qui & ipse vertitur] scilicet, per interpretationem[in sermonem Domini] Et nota quod in originali *Hieronymus* dicit,Amariam & non Amasiam, vnde & in interpretationibus Hebraicorum nominum Amarias verbum Domini, Amasias vero indignans Domini dicitur interpretari [& attauum Ezechiam]supple,habuit [qui sonat] per interpretationem scilicet[fortitudo Domini] *Psalm.* 27. Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salutarium Christi sui est.Et hæc quæ dicta sunt recolligit,incipiens à primo, qui narratione vltimus fuit.

Chusi. *Godoliæ.* *Amariæ.* *Amasiæ.* *Hezechiæ.*

De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini] Sermonem enim Dei non pronuntiat, nisi quem spiritus confortat. Vnde de Elia cuius sermo ardebat vt facula,dicitur *Eccli.*48. Potentia nemo vicit illum[& de sermone Domini nata est magnitudo Domini]quia sermo Domini magnum facit. Vnde Virgo qui Verbum Domini concepit, dixit *Lucæ* 2. Quia fecit mihi magna qui potens est[& de magnitudine Domini nata est humilitas] *Eccli.*3.Quanto magnus es,humilia te in omnibus. Et quod quinonis dicti finis sit humilitas, probat, subdens[vt cum peruenerit aliquis ad perfectum] magnitudinis scilicet in virtute[dicat] cum Apostolo 2.*ad Corinth.*11. Ego sum minimus Apostolorum,qui non sum dignus vocari Apostolus [&] supple,dicat[illud in *Psalm.* 130. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei] In originali *Hieronymus*, non ponit plus de prologo.Vnde quæ sequuntur ex *Glossa* addita sunt, & tangunt tempus prophetiæ & materiam.

Iosiam regem Iudæ] hoc est, duarum tribuum [cuius temporibus Sophonias prophetasse inuenitur]*Sophonia* 1.[Deo præ omnibus regibus Iudæ placuisse] propter religionem scilicet [historia quarti libri Regum 22.]vbi sic dicitur:Fecit Iosias quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui[& secundi Paralipomenon] 34.[denonstrat] vbi sic dicitur : Fecit Iosias quod rectum erat in conspectu Domini, & ambulauit in viis Dauid patris sui,& non declinauit ab eis. Quare autem Deo placuerit, subdit Iosias[simulachra,quæ pater suus Amon] de quo 2. *Paral.*33. [& auus. Manasses] de quo ibidem [in templo Dei collocauerat]vt scilicet templum prophanaret,sicut dicitur *Ezech.*8.[deiecta]supple, de arisconminuisse monstratur]2.Paral.34. [in quibus] hoc est, inter quæ idola [etiam serpentem æneum à Moyse factum] *Numer.*21.[confregit]2. Paral.35.[cui]scilicet serpenti,errore inductus populus]quia serpentem pro Deo venerabatur[superstitione idolorum detentus] facilis enim erat ad idololatriam [admiserat] hoc est, super errorem serpetis admiserat idolorum venerationem[Idem] scilicet Iosias[custodisse Pascha] & iterum scilicet custodisse [intermissa ab aliis] scilicet regibus de solennitatibus & cultu [temporibus multis] quibus scilicet regnauerunt Amon & Manasses [solus celebrasse fertur]4.*Reg.*23.

Serpentem æneum Iosias confregit.

Ideo Deus[hoc est,merito tanti viri [temporibus memorati regis]hoc est, Iosiæ[quæ prouenturra erant, ostendens] per propheticam reuelationem [Gentibus quidem lectione comprehensis] Æthiopibus scilicet, Aquilonaribus, Assyriis, & Niniuitis,quos secundo cap. nominat [affuturum iudicium]supple,prophetat,hoc est, damnationem [populo vero Israël] decem tribuum [salutem] supple,promittit[& ciuitati Ierusalem] metropoli duarum tribuum[restaurationem]hoc est, reædificationem[tunc temporis]scilicet, quando regna Gentium damnabuntur[tribuendum textu lectionis]in tertio scilicet capitulo [denuntiauit]quod non nisi prophetico spiritu cognoscere potuit,

Sophonias Propheta.

CAPVT I.

VErbum Domini quod factum est] Ista Prophetia diuiditur in titulum, & tractatum *ibi* [Congregans congregabo] In titulo dicuntur modus reuelationis, auctor, virtus verbi reuelati, nomen Prophetæ & genus, & tempus Prophetiæ,

Verbum] notat quod per modum oraculi facta est reuelatio.*Iob* 4. Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius[Domini]qui est author reuelationis : construitur enim in vi causæ efficientis. 1. *Reg.*3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus, [quod factum est] virtutem verbi reuelati notat. Verbum enim Domini in facto plus est quàm in dicto, & ad factum plus refertur quam ad auditum.*Sap.*18.Omnipotens sermo tuus de cælo exiliens à regalibus sedibus venit [ad Sophoniam] præpositio notat appropinquationem verbi ad animum Prophetæ & intellectum. *Deut.*25.& *Roman.*10.Prope est verbum, in ore tuo, & in corde tuo. *Iacob* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum. *Glossa*, per naturam. Sophonias nomen Prophetæ est, & specula (sicut in antehabitis dictum est)interpretatur, *Ezech.*3.Speculatorem domui Israel dedi te, Et subdit de genere [filium Chusi]qui humilitas vel Æthiops meus interpretatur,corde humilis & extra,iugi castigatione carnis. *Matth.*11.Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*Cant.*1.Nigra sum sed formosa. Et iterum.Nolite me considerare quod fusca sum : quia decoloranit me sol,hoc est,lumine veritatis, & calore charitatis,verus sol istam induxit nigredinem [filij Godoliæ] qui magnitudo Domini interpretatur,eo quòd magnus fuit virtute. *Iob* 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales. *Bernardus*, Magnus est, cui dignitas sæculi risisse non irrisit : nec minor est illo qui incidens in aduersa, non excidit vel patum à sapientia. *Rom.*8. Quos iustificauit,illos & magnificauit.filij Amariæ] qui sermo Domini interpretatur.Sermo enim Domini solus facit magnum. *Eccli.*50. dicitur de Simeone Oniæ filio,quod fuerit sacerdos magnus. Et subiungitur

Chusi. *Godoliæ.* *Amariæ.*

iungitur quod fuerit excelsus in verbo gloriæ[filij Ezechiæ] qui fortitudo Domini interpretatur,quæ ex virtute est. Vnde *Danie.* 10. dicitur : Loquere Domine mi, quia confortasti me. *Exod.*15. Quis similis tui in fortibus Domine, magnificus in sanctitate ? Et subdit de tempore prophetiæ[In diebus Iosiæ] de quo 4. *Reg.*22. Et eleuatio domini interpretatur, intelligitur autem de eleuatione sanctitatis & contemplationis.*Psal.*8. Eleuata est magnificentia tua super cœlos deus [filij Amon] qui fides interpretatur. Fides enim purificat & eleuat intellectum inDeum, & facit adhærere veritati. *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Omnia hæc faciunt ad auctoritatem prophetiæ. Et addit[regis Iuda]quia merito boni regis sæpe fit reuelatio (vt dicit *Chrysostomus*) per Iudam autem intelliguntur duæ tribus,Iuda scilicet,& Beniamin : quibus coniuncta fuit tribus sacerdotalis, de cuius commendatione satis dictum est in prologo.

Hezechiæ. *Iosiæ.* *Amon.*

Congregans congregabo]Hic incipit prophetia quæ habet quatuor partes, in quarum prima sub differentiis peccantium & peccatorum comminatur pœnam.In secunda prouocat ad pœnitentiam sub timore condemnationis gentium aliarum *infra* 2.*ibi*[Conuenite,congregamini]In tertia reprehendit malitiam obstinatam,*infra* 3.*ibi* [Væ prouocatrix & redempta ciuitas] In quarta pœnitentibus promittit consolationem *ibi* [Quapropter expecta me, dicit Dominus] Prima pars in duas diuiditur. Primo enim comminatur pœnam. Secundo indicit vlulatum punitis ad pœnæ magnitudinem ostendendam *ibi*[Vlulate habitatores pilæ]In prima quinque sunt paragraphi. In primo enim puniendorum congregatio.Secundo ponitur virtutis punientis descriptio *ibi* [Et extendam manum meam]In tertio punitorum confusio *ibi*[Silete] In quarto puniendorum secundum peccata distinctio *ibi* [Et erit in die hostiæ Domini] In quinto punitorum planctus & amaritudo *ibi* [Et erit in die illa vox clamoris.

Congregans congregabo] Inculcatio verbi generalem notat congregationem, & certam in futuro : vel congregationem ad puniendum in anima,vel congregationem ad puniendum in corpore.*Iere.* 12. Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis [omnia] homines scilicet,animalia, & terræ nascentia. *Habacuc* 1.Totum in hamo suo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum [à facie terræ]hoc est,à præsentia terræ.*Psal.*103.Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint [dicit Dominus] confirmatio sermonis est : quia quod dicit Dominus, absque dubio implebitur. *Matth.*5.Iota vnum,aut vnus apex non præteribit à lege[congregans hominem] Hominem vocat malum quidem,sed ciuilem[& pecus] qui in pecoris numerum mutatus est.*Psal.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est iumentis insipientibus. *Isaia* 24. Congregabuntur congregatione vnius falcis in lacum, & mittentur in carcerem, & claudentur *ibi* [Congregans volatilia cæli]hoc est,superbos & inflabiles [& pisces maris] per quos voluptuosi significantur, qui in aquis concupiscentiarum mortuuntur. *Psal.* 8. Volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.*Matth.*13.Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. *Hieronymus*. Etiam bruta animalia sentiunt iram Dei, & subiuncta fuerit sibibus & interfectis hominibus solitudo erit & raritas bestiarum & volucrum [&] supple, congregatis omnibus [ruinæ impiorum erunt]in damnationem corporis & animæ. *Isa.* 3. Ruit Ierusalem & Iudas concidit : quia linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius[&]id est [disperdam homines à facie terræ] hoc est ,à præsentia terræ, per captiuitatem scilicet. *Iob* 40. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia, respice cunctos superbos, & confunde eos,& contere eos in loco suo. *Gen.*4. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar,& ero vagus & profugus in terra[dicit Dominus] confirmatio est sermonis. *Rom.*3. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

Vertur à templo proiicietur.

Et extendam manum meam]manus extenditur (vt dicit Hieronymus)ad percutiendum. *Isa.*9.In omnibus his non est auertis furor eius, sed adhuc manus eius extenta [super Iudam] hoc est ,super duas tribus, quantum ad sacerdotes & principes [& super omnes habitantes Ierusalem] quantum ad populum, vt scilicet similes in peccatis, simili pœna feriantur. *Iere.*5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra.Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. *Rom.*1. Qui talia agunt, digni sunt morte : non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Et idcirco omnes percutientur. *Sap.* 18. Stans replebit omnia morte. *Amos* 8. Multi morientur, in omni loco proiicietur silentium.*Isa.*14. Erit sicut populus sic sacerdos.*Deut.*32. Interficiet eos manus mea, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine senem. Et per differentias subiungit, quod nulli parcit.

Et disperdam de loco hoc] templo scilicet, & Ierusalem,& Iuda[reliquias Baal]qui Deus Sidoniorum fuit, & absque iugo vel vorator interpretatur, & fuit idolum quod posuerant statim iuxta ostium templi.*Ezech.*8.Vbi erat statuum idolum zeli ad prouocandam æmulationem. Spiritualiter autem vorator in templo Dei est, quando ministri altaris iugum disciplinæ abiicientes, ad gulam & luxuriam conuertuntur. *Dan* 14. An non vides quanta comedat & bibat quotidie?*Isa.*22. Vocauit Dominus ad fletum & planctum, & ad cingulum facci : & ecce gaudium & lætitia, Occidere vitulos,iugulare arietes,comedere carnes,& bibere vinum. *Psalm.*77. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum [& nomina æditorum] hoc est, custodum ædis siue templi [cum sacerdotibus] Æditiuos vocat sacerdotes minoribus officiis deputatos,sacerdotes autem maiores. *Psal.*77. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt. Et nota, quod primi interficiuntur sacerdotes maiores & minores : quia sicut fuerunt exemplum perditionis, ita primi erant in pœnis.*Ieremie.*16. Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. *Ezech.*9. Dixit Angelis percutientibus : A sanctuario meo incipite.

Et *Iuxta* disperdam [eos qui adorant super tecta imaginem cæli] Tecta in Palæstina fuerunt plana,cum cæmatitis facta : & in illis propter altitudinem figuras stellarum posuerunt, & solem & lunam, & stellas adorauerunt, sicut improperat

Iere.7. Non vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem? filij colligunt ligna & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis, vt me ad iracundiam prouocent. Super recta autem spiritualiter sacrificant, qui peccata sua publicant & exaltant. *Isa.3.* Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec abscondeunt. Vnde & Dominus *Matth.* 10. de bonis dicit: Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis, hoc est, publice. Et subdit de his qui partim idola, & partim Deum venerati sunt, qui significant hypocritas [& adorant] diuisa scilicet adoratione [& iurant] in confirmatione sermonis & causarum [in Domino] & cum hoc, supple, iurant [in Melchon] quod fuit idolum Moabitarum, & interpretatur rex eorum, hoc est, tantum confidebant de diuinitate Melchon, quantum de diuinitate Domini. Tales sunt qui verbo Deum adorant, & diabolum facto. *3.Reg.18.* Vsquequo claudicatis in duas partes? *Isa.29.& Matth.15.* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.

Melchon.

Et qui auertuntur de post tergum Domini] qui sunt communiter peccatores, Dominum non sequentes. *Isa 59.* Auersi sumus ne iremus post tergum Domini Dei nostri. *Zacher.* 7. Auerterunt scapulam recedentes. Homo enim cæcus est, & nisi manu terga Domini tangat & ducatur, in foueam cadit. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui [& qui quærunt Dominum] supple, per rectam intentionem. Hi sunt qui oculum mentis & intentionem tenebrosam non habent. *Matth.6.* Si oculus tuus tenebrosus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. *Zacher.11.* Oculus dexter eius tenebrescens, obscurabitur [nec inuestigauerunt eum] scilicet, per studium virtutis. *Iob* 8. Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestigia patrum memoriam. Patres enim per studium virtutis inuestigauerunt Deum.

Silete] Hic ponitur punitorum confusio, & ideo indicitur eis silentium, ne saltem loqui audeant confusi in pœnis: tum quia prope est iudicium, tum quia parati sunt ad mortem per malum meritum, tum quia parati sunt occidere eorum.

Silete] hoc est, obmutescite [à facie Domini Dei] hoc est, à præsentia maiestatis eius. *1.Reg.2.* Impij in tenebris conticescent. *Matth.25.* At ille obmutuit [quia iuxta est dies Domini] clare scilicet iustitiæ qua condemnabimini. *Lucæ* 5. Ecce iudex ante ianuam assistit. Et subiungit, quod parati sunt ad mortem per malum meritum [quia præparauit Dominus hostiam] per ordinem scilicet iustitiæ. Dicit enim Hieronymus, quod mensuras habet iustitia Dei, scilicet, per complementum iniquitatis. *Isa. 34.* Inebriatus est in cælo gladius meus, hoc est, in ratione cælestis iustitiæ, quod vlterius dissimulari non potest. Hæc est exactio gladij, qua peccatis nostris exigentibus exacuitur. *Deu.32.* Si acuero vt fulgur gladium meum. *Isa.34.* Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, hoc est, repletus est peccatis ex corruptione sanguinis procedentibus, & repletus est adipe, hoc est, dulcedine & delectatione quam habent in peccatis. *Psal.72.* Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Sic ergo præparata est hostia, quæ iustitiæ Dei sanctificanda est [sanctificauit

Iustitia Dei mensuras habet.

vocatos suos] hoc est, sanctificauit contra vos & confortauit vocatos suos, hoc est, Babylonios, quos vocauit vt vos mactent & perdant. *Habacuc* 1. Domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes fundasti eum. Et ita diabolus ex peccato nostro confortatur contra nos.

Et erit] Quartus paragraphus in quo tangitur puniendorum secundum peccata distinctio.

Et erit] confirmationis indicium est. *Gen.41.* Fiat sermo Domini & velocius impleatur [in die hostiæ Domini] hoc est, qua sacrificanda est hostia Domini ad interfectionem. *Iob* 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra aduersus eum consurget. Hæc enim dicitur dies, reuelatio scilicet iniquitatis ad iustitiam [visitabo super principes] qui scilicet causa fuerunt peccati in populo. *Sap.6.* Potentes potenter tormenta patientur, [& super filios regis] ad litteram Iosiæ, qui tres erant & omnes puniti & capitinati. *4.Regum* 23. vel quia vsque ad illud tempus de stirpe Dauid reges fuerunt, & postea defecerunt: vel hoc dicit contra nobiles qui sicut stercora mare, in alios excedunt vitiis. *Psalm.* 149. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis [& super omnes qui induti sunt veste peregrina] Peregrina est quadrupliciter, scilicet, à lege. *Leuit* 29. Non indueris veste lana, linoque contexta: & significat hypocritas, qui duplicibus vestiti sunt: linum mollitiei carnalis concupiscentiæ habent intus, lanam autem innocentiæ exhibent foris. Et est peregrina à statu suæ professionis, sicut matrona habet habitum mercatricis, vel clericus habitum laici, vel monachus habitum secularis. *Num.15.* Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, commonentur omnium mandatorum Domini. Sic habitus vniuscuiusque religionis in signum status initiatus est: & quando mutatur in aliud, peregrinus est. Et dicitur peregrinus à professione, non enim apparet in eo, quod primo professus est; tales sunt monachi calceis nodatis & caligis sericatis & striatis, & tunicis coronatis induti. Tertio modo, peregrina vestis est à consuetudine: & hoc est quando in incisione & figura contra consuetudinem vestis mutatur, sicut quando Sacerdotes incisuram sumunt militum, vel etiam tibaldorum, & monachi similiter. *1.Matth.4.* Erat hoc non initium, sed incrementum quoddam & profectus gentilis & alienigenæ conuersationis. Et post pauca. Eorum institutis æmulabantur, ac per omnia similes illis esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant. Quarto modo, peregrina est à fortuna, quando pauper vult vestiri sicut diues, & ignobilis sicut nobilis. *Matth.11.* Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Contra quod dicitur *1.ad Tim.6.* Habentes alimenta & quibus tegimur, his contenti simus. Omnes istos visitat Dominus. *Psal.5.* Intende ad visitandas omnes gentes; non misereris omnibus qui operantur iniquitatem.

Zacra religiose tractanda.

Capitatus aliquando.

Vestis peregrina.

Et visitabo super omnes qui arrogantes ingrediuntur super limen in die illa] ad locum loquitur, de his qui ab veneratione idoli Dagon Philisthinorum limen calcare noluerunt, sed quasi pomperi exhibentes limina, pedem transposuerunt. *1.Reg.5.* Propter hanc causam non adorant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum

templum

templum eius super limen. Hanc obseruationem Iudei ab Allophylis acceperunt. Vel arrogantes ingrediuntur super limen, qui non dimisso superbo, tonso pectore, otio superbiendo, ingrediuntur in templum, & minime eunt secundum ad locum. Propter quod *Exod.* 3. dicitur *Moysi*: Ne appropinques huc, sed solue calceamenta de pedibus tuis: locus in quo stas, terra sancta est. *Amos* 6. Væ vobis qui opulenti estis in Sion, optimates capitis populorum, in quibus ingredientes pomperi domum Israel. Et de mulieribus *Isa.3.* Pro eo quod elatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extento, & nutibus oculorum suorum, & plaudebant & ambulabant pedibus suis, decalcabit Dominus verticem filiarum Sion. Hanc visitationem faciet in die illa, quando clara scilicet vt dies erit iustitia. *1.ad Cor.4.* Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium [qui complent domum Domini Dei sui iniquitate super illos, supple, vindicabit. Et tangit specialiter Sacerdotes, qui omnia iudicium, peccatum & dispensationem sacramentorum conuertunt ad iniquum lucrum. *Iere.7.* Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? *Iom.* 2. Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis [& dolo] Hoc videtur tangere advocatos. *Iere.9.* Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.

Vestis peregrina.

Et erit] Quintus paragraphus in quo per clamorem, generaliter significat mali [in die illa dicit Dominus, vox clamoris] calamitatem scilicet in potestate [à porta piscium] porta piscium erat versus Ioppen, in qua pisces de mari illuc vendebantur, & vbi latus à secunda] Secunda pars secundi muri dicitur ex oppositio. Et est sensus. A porta vsque ad portam per Ioppen, quasi quod vbique clamor. *Ie. 48.* [illegible] frequens, clamor [illegible] nec mirum, supple, incredibile est, non [illegible] nec mirum nil mirum in bello. Cuncti [illegible] tui fugerunt simul, [illegible] [& contritio magna à colliis] [illegible] in Iudea, scilicet, [illegible] & mons Sion in quo erat [illegible] quod à [illegible] [illegible] Et hoc etiam [illegible] fortis & [illegible]

Vlulate] [illegible] nem [illegible] pleo, in [illegible] [illegible] quod prope & non [illegible] est diei Domini [illegible] non proximus [illegible] Sed [illegible] tuus.

Vlulate habitatores [illegible] [illegible] ne [illegible] [illegible]

tuudum, quod deinceps fieri vt pulsanæ contundantur ac conterantur. Vnde *Proverb.27.* Si contundas stultum in pila quasi pulsanes, feriente de lorpile, non recedet stultitia eius. Et sic ædificatur tota Ierusalem, quædam enim pars eius in monte, quædam in valle quæ dicebatur *Mello*, & illam vocat pilam ad similitudinem prædictæ pilæ. Et ecce pila æquinoctium multa significat. Vnde ecclesia:

Et pila per mundi pilla [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Et ab [illegible], quod de [illegible] contritione à collibus [illegible] in vallibus habitant tanquam in pila [illegible] [illegible] Et [illegible] Ierusalem, & habitant, quia [conterit omnis populus Chanaan] Chanaan vocat populum Ierusalem, non propter paganos, sed propter [illegible]. *Dan.* 13. Semen Chanaan & non Iuda, species decepit, [illegible] *Ezech.16.* [illegible] generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Chanaan dicunt [illegible] mercatores: illi enim [illegible] fuerunt in partibus. Dicamus ergo [illegible] [illegible] in pœnis non [illegible] [illegible] in tegebris [illegible]. Et quia [illegible] in pœnis, propter hoc [illegible] [illegible] scilicet, per peccatum & [illegible] [illegible] [illegible] hoc est, qui diuitiis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Et erit] Tertius paragraphus [fortitudo eorum in direptionem] hoc est, diuitiæ in quibus se fortes esse putebant, ab hostibus diripientur. *Psal.* 88. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. *Nahum* 2. Diripite argentum, diripite aurum, & non est finis diuitiarum [& domus eorum in desertum] supple, erunt *Hieron.* vt nec parietina relinquantur, sicut fit de domibus seculi post mortem diuitum. *Isa.* 6. Relinquetur ciuitas sine habitatore, & domus sine homine [&] tamen dicta Prophetarum non attendentes [ædificabunt domos] sperantes quod habitaturi sint in eis [& non habitabunt in eis] *Amos* 5. Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis. *Psal.* 51. Eueller te, & emigrabit te de tabernaculo tuo *Iob* 18. Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum, quasi rex, interitus [& plantabunt vineas] hoc est, materiam gaudiorum secularium [& non bibent vinum earum] *Amos* 5. Vineas amantissimas plantabitis, & non bibetis vinum earum: quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra.

Iuxta est dies] Quartus paragraphus. Ne dicat quòd in longum prophetet, & quòd post mortem eorum ventura sunt quæ dicit, dicit quòd [iuxta est dies Domini magnus] magnus quia multos inuoluit, & magnos punit. *Isa.* 14. Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Et hoc est quod sequitur [iuxta & velox nimis] appropinquando scilicet continuo. *Habacuc* 2. Veniens veniet & non tardabit. *Luc.* 12. Hac nocte repetent animam tuam. Et subdit de qualitatibus diei [vox diei Domini amara] hoc est, vox quæ auditur de die Domini quæ post mortem est vniuscuiusque, & in fine mundi de omnibus, est amara: quia tunc dulcis Dominus per naturam, peccatis nostris ad amaritudinem pronocabitur (vt dicit *Hieronymus*) *Eccl.* 41. O mors, quàm amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis, &c. [tribulabitur ibi fortis] *Amos* 2. Fortis non obtinebit virtutem suam. *Psal* 32. Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.

Extremi iudicij tristis horrendum.

Dies iræ [scilicet, Dei [dies illa] tunc enim Deus irascetur inimicis. *Apoc.* 6. Dicent montibus & petris. Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare? [dies tribulationis] in corpore scilicet [& angustiæ] in corde. *Isa.* 37. Dies tribulationis & angustiæ, correctionis & blasphemiæ dies hæc [dies calamitatis & miseriæ] Calamitas est inedia ex defectu fructus calami suborta, miseria vero omnis boni destitutio. Hæc enim erunt in iudicio Domini, quando mali separabuntur ab omni bono. *Iob* 18. Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas eius. *Psal.* 58. Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem, mendicantes scilicet, & nemo dabit eis [dies tenebrarum & caliginis] tenebrarum in ratione, & caliginis in opere: in ratione enim non videbunt consilium, & in opere non habebunt effugium. *Isa.* 59. Impeginimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui [dies nebulæ & turbinis] nebulæ ad literam, quia pulnis eleuatus videtur esse nebula: turbinis vero, quia impetum faciet hostis vt turbo. *Nahum* 1. In tempestate & turbine viæ eius, & nebulæ pulnis pedum eius. Hæc referuntur ad caliginem inuoluentem impios in iudicio. *Ioel* 2. Prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.

Dies tubæ & clangoris] Tuba dicitur cornea qua conuocantur exercitus cohortes minores. Clangor autem est sonus tubæ maioris, qua omnes hostes conuocantur. *Iob* 15. Sonitus terroris semper in auribus eius, *Iere.* 4. Vsquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ: 1. *ad Cor.* 15. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti [super ciuitates munitas] victas scilicet *Iere.* 4. Omnes vrbes eius destructæ sunt à facie Domini, & à facie iræ furoris eius [& super angulos excelsos] hoc est, super principes qui sicut anguli parietes, ita ipsi tenebant populum in peccatis. Simile *Isa.* 19. Deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius. *Isa.* 10. Excelsi statura succidentur. Et quod dixit, exponit, subdens.

Et tribulabo homines] humum scilicet sapientes, hoc est, peccatores. *Apoc.* 3. Qui fornicantur cum ea, in tribulatione maxima erunt [& ambulabunt vt cæci] effugium scilicet non videntes, nec pœnitentiam agentes. *Isa.* 59. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus. Et horum omnium causam subdit [quia Domino peccauerunt] hoc est, contra Dominum. *Isa.* 3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. *Isa.* 59. Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & iniquitates nostræ responderunt nobis [& effundetur sanguis eorum sicut humus] hoc est, viliter sicut puluis humi spargitur. *Isa.* 34. Inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium [& corpora eorum sicut stercora] supple, conculcabuntur. *Psal.* 17. Vt lutum platearum delebo eos. *Isa.* 14. Tu proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, sicut sanies, pollutus & obuolutus. Vult enim dicere, quòd abiicientur insepulti sicut stercora. *Iere.* 22. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem.

Quartus paragraphus [Sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos] 2. *Regum* 21. Non est nobis super auro & argento vlla quæstio. Et post pauca. Vt nec vnus quidem residuus sit de stirpe eius. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec recipiet pro redemptione munera plurima. *Iob* 15. Non credat frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit [in die iræ Domini] *Isa.* 34. Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit, supple, quia [in igne zeli eius] hoc est, Dei [deuorabitur omnis terra] idem infra 3. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. *Deuteronom.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo [quia consummationem] hoc est, vindictam omnia consumentem [cum festinatione] hoc est, cito [faciet] scilicet, Dominus [omnibus habitantibus terram] [per amorem scilicet, & delectationem. *Isa.* 10. Consummationem & abbreuiationem, Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

***

CAPVT

CAPVT II.

Conuenite.

Hic mouet ad pœnitentiam, exemplum pœnitentium inducens, vt magis timeant. Et ideo diuiditur in partes duas. Primo enim ad pœnitentiam monet. Secundo exemplum inducit *ibi* [Quia Gaza destructa erit] In prima tria sunt. In primo enim conuocat ad cor vnum, in quo pœniteant. Secundo, qualiter conuertantur, docet. Tertio, quem interpellent, & propter quid.

Conuenite in vnum] scilicet cor, & vnam animam, & vnum spiritum. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. *Ephes.* 4. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis [& congregamini] ad Ecclesiæ scilicet vnitatem. Non enim sufficit Deo reconciliari, nisi aliquis reconcilietur Ecclesiæ: congregatio enim proprie est ouium ad caulas. Vnde congregatio dicitur, quasi gregum aggregatio *Gene.* 49. Congregamini filij Israël, congregamini & audite Israël patrem vestrum. Quod autem congregatione opus sit, subdit [gens non amabilis] hoc est, qui fecistis vos amore Dei indignos per peccatum. Secundum *Septuaginta*, gens inerudita. *Deut.* 32. Gens absque consilio est & sine prudentia. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. 2. *Paral. vltimo in oratione Manasse*: Excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci. Et post pauca. Indignum seruabis me, secundum magnam misericordiam tuam. Et subdit aliquid de comminatione, si non faciant.

Sententia Dei irreuocabilis.

Priusquàm pariat iussio] Iussionem appellat præceptum, quod in dispositione Dei iam secundum præceptum præscientiæ Dei non prædestinationis de puniendis peccatoribus ordinatum fuit. Hoc enim per pœnitentiam reuocari poterit antequam procedat in opus: si autem operi mancipatum fuerit, reuocari non poterit. Priusquàm pariat iussio; parit enim iussio per effectum operis, & tunc reuocari non potest, sicut dicitur *Iere.* 18. Postquàm autem in opere completa est iussio, pœnitentiam non habet locum. *Hebræ.* 12. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Quid autem pariat iussio, sequitur [quasi puluerem transeuntem diem] sic ordinanda est litera. Diem vini scilicet talis quod facit nos transire quasi puluerem in captiuitatem scilicet vel Nabuchodonosor, vel diaboli, in qua scilicet dispergamini, sicut puluis ante faciem venti. *Psal.* 34. Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini coartans eos. Sic enim sufflatione diaboli per diuersa peccata dispergunturimpij. *Psal.* 1. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Et hoc explanans, subdit.

Antequam veniat super vos] supple, operiendo ira] hoc est, vindicta [furoris Domini] ferventis scilicet indignationis in damnationem vestram. *Iob* 20. Emittet in eum iram furoris sui, & pluet super illum bellum suum: quod bellum est in continua successione pœnarum. Et subdit, qualiter conuenire debeant, & vt Sanctos assumant, qui pro eis intercedant [antequàm veniat ira indignationis eius] Indignatio est in auersione vultus, auersio vero vultus inhibitionem gratiæ significat, post quam non est locus pœnitentiæ, *Psal.* 29. Ira in indignatione eius. Indignatio enim est quando nec dignatur respicere. *Prouerb.* 16. Indignatio regis, nuntij mortis: & vir sapiens placabit eum. *Indignatio*

Quærite Dominum] Hic tangit qualiter conuertantur, & vt Sanctos assumant, qui pro eis intercedant.

Quærite Dominum] corde, ore, & opere. *Isa.* 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. *Matth.* 6. Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. *Daniel.* 3. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam, ne confundas nos [omnes mansueti terræ] *Augustinus.* Mansuetus est qui iniuria neminem prouocat, nec aliena prouocatur iniuria. Ille est qui in pœnitentia nihil reluctatur, vel contradicit. Et mansuetudo est idem quod mititas. *Matthæ.* 5. Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram. *Nione.* 16. Erat mansuetissimus omnium vitorum qui erant super terram. *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Iacob.* 1. In mansuetudine suscipite insitum, verbum, quod potest saluare animas vestras [qui iudicium eius estis operati] cum mansuetudine iungit obedientiam; iudicium enim Domini est, quod faciendum iudicauit omnibus. *Psal.* 118. Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Qui enim iudicium operatus est pro se, non habet quod timeat, & ille pro alio intercedere potest. *Isaia* 26. In semita iudiciorum tuorum sustinuimus te, nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Et subdit duo respondentia duobus præcedentibus. *Mansuetu*

Quærite iustum] supple, qui iudicium eius estis operati. *Ieremia* 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. *Psal.* 10. Iustus Dominus, & iustitias dilexit [Quærite mansuetum] qui etiam peccatores pœnitentes in mansuetudine recipit, cuius exemplum est *Luca* 15. In filio prodigo, quem in omni mansuetudine recepit pater, *Dan.* 3. Fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & multitudinem misericordiæ tuæ, & eruc nos [Si quomodo] per pœnitentiam scilicet [abscondamini] à pœna scilicet [in die furoris Domini] *Isaia* 4. Super omnem gloriam protectio, & tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem & in abscondionem à turbine & à pluuia. *Isaia* 32. Erit vir hoc qui abscondit à vento, & velat se à tempestate.

Et subdit de exemplo non pœnitentium, inducens quinque genera hominum, sub quatuor tamen differentiis, scilicet Philisthæos, Ammonitas & Moabitas simul *ibi* [Audiui opprobrium Moab] & tertio Æthiopes *ibi* [Sed & vos, Æthiopes] & quarto Assirios *ibi*] Et extendet manum suam super Aquilonem. De Philisthæis duplicitèr loquitur, scilicet sub distinctione ciuitatum, & in communi de terra.

Quia Gaza destructa erit] Gaza metropolis est Philisthinorum, quæ non pœnituit, & ideo destructa fuit; interpretatur autem fortitudo eius, & superbiam significat. *Luca* 4. Deus superbis resistit. *Iob* 4. Superbiam in tuo animo nunquàm dominari *Gaza*

nari permitte, quia in ipsa initium sumpsit omnis perditio. *Prudentius.* Frangit Deus omne superbum [& Ascalon] quæ est secunda ciuitas Philisthinorum [in desertum] supple, erit. Ascalon impensa sive ignis infamis interpretatur: significat autem anaritiam, congregata enim ex anaritia in desertum erunt. *Luca* 12. Quæ congregasti cuius erunt? *Eccle.* 5. Diuitiæ congregatæ in malum Domini sui: pereunt enim in afflictione pessima. *Psal* 75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum. *Iob* 27. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta: preparauit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet [Azorum] supple, sitam [in meridie eiicient] Chaldæi scilicet, vel dæmones. Azotum interpretatur ignis vberum, vel ignis generationis, & significat luxuriam quæ in meridie vult esse, hoc est, media die: quia tunc calor natiuus accenditur in iuuentute scilicet, quando in summa luce floret iuuentus. *Iob* 31. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Hæc eiicietur ab omni bonorum consortio. *Matth.* 25. Proiicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium [& Accaron eradicabitur] Alludit nominis interpretationi: quia Accaron eradicata interpretatur, & pigritiam siue acediam significat. Pigri enim eradicandos se putant. *Sap.* 4. A nimietate ventorum eradicabuntur. *Psal.* 51. Euellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Post destructionem ciuitatum in speciali, subdit de destructione terræ in communi.

Azotum.

Accaron

Væ qui habitatis funiculum maris] Funiculus hæreditas dicitur, propter hoc quod hæreditas funiculo mensuratur: terra enim Philisthinorum iuxta mare sita fuit, & significat eos qui in mundo solicite quærunt hæreditatem, in qua nunquam inuenient requiem: & tamen delectantur in ea. *Eccli.* 43. Qui nauigant mare, narrant pericula eius. *Gene* 49. Inundationes maris quasi lac sugent [gens perditorum] hoc est, de numero perditorum. Tales enim omnes iam in causa perditi sunt: quia à Deo recedunt. *Psal.* 72. perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Qualiter autem sit eis væ, subdit, & suppletur quia [verbum Domini super vos] supple, est, vt opprimens [Chanaan] hoc est, ô Chanaan: Philisthæi enim pars terræ Chananææ sunt, vt dicit *Hieronymus*: & transmutata interpretatur: mundani enim semper fraudium collusione transmutantur. *Osee* 12. Chanaan in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit. Et hoc vltimis explanans, subdit [terra Philisthinorum] Dixerat enim in communi Chanaan, quæ magna terra est, & multis possessa, quibus Deus non comminatur: & ad distinctionem illorum, addit terram Philisthinorum, qui potione cadentes interpretantur, & significant eos qui facile, vt potum, gluxiant iniquitatem. *Iob* 34. Qui bibit velut aquam subsannationem. Et quare dixerit Væ, exponit [& disperdam te] in captiuitatem scilicet & pœnam [ita vt non sit habitator] supple, in ciuitatibus tuis. Simile *Isa.* 6. Desolentur ciuitates absque habitatore & domus sine homine. Pœnam autem illorum conuertit in consolationem bonorum.

Chanaan

Philisthæi

Et erit funiculus maris] hoc est, terra Philisthinorum [requies pastorum] hoc est, pastores Iudæi de Babylonica captiuitate redeuntes, pascent pecora in terra Philisthinorum, quæ in præda conquisita est, propter carentiam cultorum. Moraliter tunc exponitur hoc de pastoribus Ecclesiæ, qui labores secularium possident, qui quasi in mari, hoc est, in amaritudine seculi fluctuant. *Psal.* 104. Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt [& caulæ pecorum] supple, erunt domus eorum in parietina redacta. *Isa.* 7. Erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris. Secundum mysterium, caulæ istæ significant Ecclesias collegiatas, in quibus oues Dei pascuntur & congregantur. *Ezech.* 34. Ego pascam oues meas, & ego accubare eas faciam. Et quod dixit, vlterius exponit.

Et erit funiculus] scilicet maris, siue terra Philisthinorum [eius] scilicet possessio [qui remanserit] de captiuitate scilicet reuertens [de domo Iuda] hoc est, de duabus tribubus, vel Ecclesia. *Isa.* 61. Stabunt alieni, & pascent pecora vestra. Et hoc est quod sequitur [ibi pascent] supple, pecora [in domibus Ascalonis] hoc est, quæ quondam fuerunt Ascalonis, vrbis superbæ & inclytæ: nunc autem in possessionem Iudeorum, vel Ecclesiæ redactæ. *Psal.* 15. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Etenim hæreditas mea præclara est mihi [ad vesperum requiescent] Postquam scilicet tota die in pratis passæ sunt, in domos Ascalonis ad vesperam tanquam ad caulas reducentur, quæ vespera finem mundi significat, quæ à Christo incepit, quando Ecclesiæ congregari & ædificari cœperunt: quod significatur *Luc.* 24. Mane nobiscum Domine: quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Quo autem operante hoc fiat, subdit [quia visitauit eos] Iudæos scilicet vel Ecclesiam, hoc est, lumine suæ misericordiæ inuisit [Dominus Deus eorum] *Luca* 2. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto [& auertet captiuitatem eorum] vt scilicet de cætero non captiuentur, & ab ista captiuitate liberentur. *Ezech.* 29. Reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. *Psal.* 125. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Audiui] Tangit hic destructionem Moabitarum & Ammonitarum, qui etiam populo Dei infesti fuerunt, cum destrueretur à Chaldæis. Dicit autem hic tria. Primo enim improperat peccatum. Secundo interminatur pœnam. Tertio tangit fructum disciplinæ Dei, scilicet, confessionem.

Audiui] hoc est, animaduerti per vindictam [opprobrium Moab] quo scilicet exprobrauerunt populo meo. *Isaie* 16. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde, superbia eius & arrogantia eius & indignatio eius plus quam fortitudo eius. Moab enim ex patre interpretatur, & significat eos, qui ex patre diabolo sunt, qui semper exprobrant bonis, & persequuntur eos. *Psal.* 68. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum [& blasphemias filiorum Ammon] supple, audiui. Ammon autem populus inutilis interpretatur, & significat eos qui vanitatibus dediti sunt, qui Sanctis improperant: vnde in inferno dicunt *Sap.* 5. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij [quæ] scilicet opprobria & blasphemias [exprobrauerunt populo meo] Opprobrium enim populi Dei, blasphemia est in Deum. *Psal.* 68. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me [& magnificati sunt super terminos eorum, hoc est]

Moab

Ammon

hoc est, diuitiis & possessionibus magnificati sunt, attrahentes sibi terminos Sanctorum. Hoc idem literaliter describitur. *Iere.* 49. vbi sic dicitur: Nunquid non filij sunt Israël, aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchon Gad, populus eius in vrbibus eius habitauit? Melchon Deus fuit Moabitarum, & sensus est, quod Moabitæ iniuste vsurpauerunt sibi terminos filiorum Israël, cum superstites essent hæredes veri, qui in captiuitatem ducebantur. Moraliter autem significat eos qui Sanctos persequuntur vt res eorum obtineant. *Thre. vltimo.* Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Et subiungit de interminatione pœnæ, & dicit tria, scilicet, malorum punitionem: & ex pœna malorum Sanctorum consolationem: & pœnæ ad culpam proportionem.

Propterea] scilicet quia hoc fecerunt [viuo ego] hoc est, per vitam meam iuro: sicut enim vita Dei stabilis & immutabilis est, sic & dictum *Num.* 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur [dicit Dominus exercituum] hoc est, cui cælestes & terrestres & infernales exercitus obediunt, ideo dicitur ter sanctus *Isaie* 6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, hoc est, exercituum [Deus Israël] semper enim Deus bonorum est. *Hebr.* 11. Non confunditur Deus vocari eorum Deus [quia Moab vt Sodoma, erit] hoc est: sicut absque posteris Sodoma periit, sic peribit Moab, & omnes qui ex patre diabolo sunt *Isaie* 14. Non vocabitur in æternum semen pessimorum, preparate filios eorum occisioni, in iniquitate priorum eorum non consurgent [& filij Ammon] inutilis scilicet populus erit [quasi Gomorrha] quæ cæcitas interpretatur: quia ad tenebras exteriores mittentur. *Psal.* 48. In æternum non videbit lumen. *Matth.* 22. Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et hanc desolationem exaggerat, subdens [siccitas spinarum] supple, erit terra eorum: in siccis enim & amaris locis spinæ crescunt, quæ punctura & solicitudines mundi significant. *Matthe* 13. Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et infra. Qui seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, & solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocant verbum, & sine fructu efficitur. *Isaie* 7. Veprets & spina erunt in vniuersa terra. *Hebra.* 6. Terra proferens spinas & tribulos reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio in combustionem ignis [& acerui salis] vbi sal spargitur, terra in sterilitatem redigitur, & significat quod terra eorum perpetuo sterilis erit propter malitiam eorum. *Psal.* 106. Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. *Iudic.* 9. Capta vrbe Sichem Abimelech sparsit in ea sal, in signum perpetuæ sterilitatis. Significat autem quod tales vt sal per exemplum suæ pœnæ condiunt alios, ne silentia audeant perpetrare: sicut & *Gene.* 19. Vxor Lot conuersa est in statuam salis. Propter quod dicitur *Matth.* 5. Bonum est sal: quod si sal euanuerit, in quo salietur? *Sap.* 10. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra. Et post pauca. Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis [& desertum vsque in æternum] supple, erit terra eorum, vt scilicet nec ab hominibus bonis, nec ab Angelis incolatur. *Sap.* 5. Ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentum.

Gomorrha

Solicitudo seculi verbū Dei suffocat.

Matth. 23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. De hac autem destructione, subdit consolationem Sanctorum [reliquiæ populi mei] hoc est, pauci post captiuitatem à gladio, fame, & peste relicti [diripient illos] supple, de captiuitate non reuertentes. *Isaie* 11. Per mare prædabuntur simul filios Orientis: Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt. Et hoc exponens, subdit [residui gentis meæ] hoc est, de gente mea [possidebunt eos] hoc est, terram eorum: quia Sanctis reseruatis post persecutionem illam finaliter condemnabuntur, & sic Sancti ditabuntur, & meritis propriis & victoria super inimicos. *Sap.* 10. Iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen sanctum tuum. *Gene.* 31. Tulit Iacob omnia quæ fuerant patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus *Isaie* 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Et subdit de proportione pœnæ ad culpam, vt iusta videatur condemnatio [hoc enim eis euenient] in peius scilicet [pro superbia sua] quam scilicet Deus sustinere non potest. *Iob* 40. Disperge superbos in furore tuo, & confunde eos, & respiciens omnem arrogantem humilia [quia blasphemauerunt] Deum, supple, falsum crimen imponentes ei, scilicet, quod non posset saluare. *Matth.* 12. & *Marc.* 3. Spiritus blasphemiæ non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro. *Isaie* 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël [& magnificati sunt] diuitiis scilicet & potentatu [super populum Domini exercituum] opprimentes scilicet & spoliantes eum: hanc enim magnificentiam punit Dominus. *Iaco.* 2. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia? *Iob* 23. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Et ne credatur durum iudicium, subdit de fructu [horribilis Dominus] in pœnis scilicet est [super eos] pœnas scilicet horribiles inferendo. *Sap.* 6. Horrende & cito apparebit vobis. *Hebre.* 10. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis [&] supple, ideo [attenuabit] id est, annullabit & infirmabit [omnes deos terræ] hoc est, omne id quod colitur ab homine. Hoc enim deus eius est. *Iere.* 10. Dij qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terra [& adorauerunt viri] virilem scilicet animam assumentes, & idolis renuntiantes [de loco suo] supple, vnusquisque, in quo scilicet se in Deum fundauit, & Deum recognouit. *Gene.* 28. Terribilis est locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. *Psalm.* 102. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius [omnes insulæ gentium] supple, adorabunt. Insulæ sunt in salo maris positæ, & fluctibus maris tusæ, & significant Sanctos in persecutione viuentes. *Isaie* 49. Audite insulæ, & attendite populi de longe. *Isaie vltimo.* Mittam ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt Gentibus gloriam meam.

Sanctis impiorum conditio constituitur.

Sed & vos Æthiopes] Tertio tangit destructionem Æthiopum, qui sicut dicitur *Isaie* 11. In persecutione populi Dei fuerunt, & caliginosi & tenebrosi interpretantur.

Æthiopes

Sed & vos Æthiopes] peccatis tenebrosi & ignorantia caliginosi, populi mei persecutores. *Sap.* 17. Vna catena tenebrarum omnes erant colligati [interfecti

[interfecti gladio meo eritis] hoc est, sententia iudicij. *Deut.* 32. Interficiet eos manus mea. *Iob* 19. Fugite à facie gladij: quoniam vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.

Et extendet manum suam] Hæc est quarta gens à Domino destruenda, Assyrij scilicet. Et tria dicit, scilicet, qualiter destruet, & quid destruet, & quantum.

Et extendet manum suam] ad percutiendum scilicet. *Isaiæ* 5. Non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta[super Aquilonem, & perdet Assur] hoc est, partes aquilonares, in quibus est Assyria, & Chaldæa quæ populum Dei vexauerunt. Assyria enim extollens vigilias interpretatur, & significat eos qui vigilant vt studiose perpetrent mala. *Michæa* 2. Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud: quoniam contra Dominum est manus eorum. Quid autem destruet, subdit [& ponet speciosum] hoc est, Niniuen muadum significantem [in solitudinem] vt scilicet non incolatur[& in inuium] vt scilicet nec Angeli, nec Sancti transeant per eam [& quasi desertum] vt scilicet à gratia & ab omni bono deseratur. *Isa.* 13. Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque in generationem. *Isa.* 34. Extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. Et subdit quintum probans hæc per signa desolationis. Et duo dicit, scilicet, desolationem, & desolatorum irrisionem.

Assyria

Et accubabunt in medio eius] in signum scilicet desolationis[omnes bestiæ Gentium] Bestias Gentium vocat greges animalium, & bestias (quæ quasi vastiæ dicuntur) eo quod ceu barbaræ gentes terram vastant, & significat quod terra in pascua & solitudinem conuertenda sit. *Isa.* 7. Erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris [& onocrotalus] quod dicitur ab onos quod est asinus, & crocito crocitas, quia voce terribili crocitat vt asinus. Et dicit *Hieronymus*, quod duo sunt genera huius auis: vnum aquatile quod infixo in limum mollem rostro, stridorem emittit terribilem: aliud solitudinis, quod infixo rostro in cortices terribiliter sonat [& ericius] spinosum scilicet animal [in liminibus eius morabuntur] quæ animalia in solitudine morari consueuerunt, & dæmones significant. Onocrotalus quidem dæmonem superbiæ, qui in eis terribiliter intonat. Ericius autem dæmonem iræ & furoris, qui spinis verborum & verberum mites compungit. *Isa* 34. Possidebunt eam onocrotalus & ericius [vox cantantis in fenestra] *Hieronymus* varias volucres intelligit, quæ solent in desertis vrbibus morari: vt vbi fenestræ decoræ fuerunt, nunc aues immundæ clament ad se inuicem. *Apoc.* 18. Facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis. *Isa* 34. Occurrent dæmonia onocrotalis, & pilosus clamabit alter ad alterum [Ibi cubauit in requiem] supple, manebit. Onocrotalus pœnitentiam procrastinantem significat, vnde vox eius est tristis, eius propter quod *Gen.* 8. de arca emissus, reuertitur non est, sed in cadauere requiuit. *Isa.* 34. Ibi & omnes habitabunt in eis. Et subdit horum omnium causam [quoniam [illuminabo] potestas scilicet virtutis meæ [tolam eius] diuitias scilicet & potentiam, in quibus colebat habitat. *Isaiæ* 8. Mater [illuminabo] Dominus exercituum, in pinnaculo eius tenuitatem. Et subdit de irrisione.

Onocrotalus.

Hæc est ciuitas gloriosa] supple, quondam. *Osea* 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo [habitans in confidentia] virium suarum scilicet. *Ezech.* 28. Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi [quæ dicebat in corde suo] consentiens scilicet in dictum. *Psal.* 13. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus [Ego sum] supple, singulariter splendens [& extra me nō est alia amplius] quæ mihi scilicet valeat comparari. *Apoc.* 18. Sedeo vt regina, & vidua non sum, & luctum non videbo [quomodo facta est in desertum] ex tanta scilicet cadens gloria in tantam ignominiam, vt ab omnibus tanquam horribilis deseratur. *Psal.* 72. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam [cubile bestiæ] hoc est, in quo bestiæ cubant *Isa.* 13. & 34. penitus idem est. Vnde ibi dicitur: Replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones [omnis qui transit per eam] sanctus scilicet, vel Angelus [sibilabit] magnitudinem pœnæ ostendens, & irridens [& mouebit manum suam] plausu scilicet indicium peccati faciens. *Thren.* 2. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt capita sua. *Psal.* 51. Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.

CAPVT III.

Væ prouocatrix.

IN capitulo isto, primo improperat obstinationem in peccato, ad quam concludit captiuitatem futuram. Secundo ex captiuitate promittit consolationem *ibi* [Quia tunc reddam] In prima parte duo sunt, improperatio scilicet obstinationis, & conclusio captiuitatis *ibi* [Quapropter expecta me] In prima duo sunt, scilicet obstinatio peccati & iustitia punientis Dei *ibi* [Dominus iustus in medio eius] Obstinationem improperat duobus modis, in genere scilicet, & in specie *ibi* [Principes eius] In generatione sex modis, prouocatione scilicet, ingratitudine, inobedientia, indisciplinabilitate, spei defectione, inseuortione.

Væ prouocatrix] quæ dulcem & misereri volentem in amaritudinem prouocauit. *Deut.* 32. Ipsi me prouocauerunt in diis alienis, & irritauerunt in vanitatibus suis. Et hæc prouocatio propriè impietatis est: quia contra dulcem patrem est, vt dicit *Tullius*, quia pietas est benevolentia in parentes [& redempta ciuitas] Ingratitudo tangitur: quia cum sæpe redempta sit, grata non extitit redemptori *Osea* 9. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Quod autem dicit, Ciuitas, notat consensum in malum. *Psal.* 54. Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate [columba] olim, supple, per partum simplicitatem [Non audiuit vocem] per filiorum scilicet inobedientiam. De primo *Cant.* 2. Oculi tui columbarum. De secundo *Psal.* 71. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inuetrati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. *Isa.* 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas

Pietas

uitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ [& non suscepit disciplinam] hoc est, indisciplinabilis fuit, per flagella. *Ieremiæ* 5. Frustra percussi principes vestros: disciplinam enim non receperunt. *Soph.* 17. Indisciplinatæ animæ perierunt. Et subdit de spei defectione [In Domino non est confisa] ciuitas, supple, etiam præmentibus malis. *Iere.* 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius. *Sap.* 5. Spes impij quasi lanugo, quæ à vento dispergitur [ad Deum suum non appropinquauit] per deuotionem, supple. Et est figura quę dicitur Liptote à Donato, minus enim dicit & plus significat. Per hoc enim quod dicit, quod non appropinquauit, notat, quod à Deo se elongauit. *Ierem.* 2. Elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. Et subdit in speciali exprimens determinatas personas.

Liptote figura dicitur di ka Litotes.

Principes in medio eius quasi leones rugientes] Non enim desiderabant vtilitatem publicam, sed rapinam. *Prouerb.* 28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. *Psal.* 9. Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem. Dicit autem quod in medio fuerunt: quia oculi omnium diriguntur ad Prælatos. 3. *Regum* 1. In te sunt oculi totius Israël [iudices eius lupi vespere] hoc est, vespertini qui auidiores sunt propter diurnum ieiunium. *Eccli.* 13. Si communicabit lupus agno aliquando: sic peccator iusto. Et hoc est quod sequitur [non relinquebant vsque mane] aliis scilicet quod possent rapere: primus enim ita totum diripuit, quod secundus nihil inuenit. *Iosu.* 10. Lupus rapit & dispergit oues *Iere.* 5. Lupus ad vesperam vastauit eos.

Leo rugiens Princeps iniquus.

Prophetæ eius vesani] hoc est, suum spiritum non habentes. *Osea* 9. Scito te Israël stultum prophetam, insanum virum spiritualem [viri infideles] *Hieronymus*. Loquebantur quasi ex ore Dei, & contraria Deo prædicabant. 3. *Regum vltimo*. Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. *Iere.* 23. In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua [Sacerdotes eius polluerunt sanctum] templum scilicet, in quo idola coluerunt. *Iere.* 11. Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? *Isaiæ* 57. Iuxta me dilcoperuisti, & suscepisti adulterum. Hoc tangit Sacerdotes in Ecclesia polluta opera facientes. *Psal.* 78. Polluerunt templum sanctum tuum [iniuste egerunt contra legem] Transgrediendo scilicet præcepta. *Malac.* 2. Vos recessistis à via, & scandalizastis plurimos. *Deu.* 9. Recessimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius. Et subdit, qualiter Dominus iustus hoc vindicabit.

Prophetæ mendaces

Dominus iustus] dicit autem quatuor, scilicet, iustitiam Dei vindicantis, negligentiam peccatoris hoc non præmeditantis, aperitatem pœnæ punientis, indisciplinabilitatem peccatoris contra intentionem flagellantis.

Deus in medio populi.

Dominus iustus [*Psal.* 10. Iustus Dominus & iustitias dilexit] in medio eius [vnusquisque scilicet prospiciens. *Ezech.* 43. Locus solij mei & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habitabo in medio filiorum Israël] non faciet inquitatem [scilicet reddens eis pro meritis *Ezech.* 3. Nunquid iniquus est Deus qui infert iram? Quasi dicat, Non. *Ezech.* 18. Nunquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? [mane, mane] hoc est, cito, velociter] iudicium suum [condemnationis scilicet] dabit in lucem] hoc est, in manifestum. *Isa.* 16. Iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. 2. *ad Corin.* 4. Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et hoc est quod sequitur [& non abscondetur] iudex scilicet, vel iudicium eius. 2. *Reg.* 12. Tu fecisti rem absconditam, ego faciam in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis hunc. *Psal.* 49. Deus manifeste veniet. Deus noster, & non silebit. Et subdit, qualiter iniquus peccator hoc non præmeditatur [nesciuit autem iniquus] id est, scire noluit [confusionem] supple, futuram. *Deu.* 32. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. *Psal.* 35. Noluit intelligere vt bene ageret. Et subdit de seueritate pœnæ corripientis.

Disperdidi Gentes] *Hieronymus*, à solis & possessionibus suis & cathedris suis propter peccatum. *Psal.* 43. Manus tua Gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos. *Eccli.* 20. Subuertet peccatorem in finem. Et hoc est quod sequitur [& dissipati sunt anguli eorum] hoc est, principes qui continebant eos sicut angui parietes. *Isaiæ* 19. Deceperunt Ægyptum angulum populorum eius. Et hoc exaggerat vicinis deserta sed vias eorum] quæ scilicet prius fuerunt vrbes frequenti habitatore [dum non est qui transeat] supple, modo per eas. *Thren.* 1. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. *Psal.* 1. Iter impiorum peribit] desolatæ sunt ciuitates eorum] conuenticula scilicet malorum. *Isaiæ* 25. Possuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam [non habitabitur vrbs] vnitas scilicet agentes. *Isa.* 6. Desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine [nec vllo habitatore] bono scilicet, vel Angelo. Vnde *Iremiæ* 51. dicitur Angeli: Curauimus Babylonem, & non est sanata: deseriniquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam: quoniam peruenit vsque ad cœlum iudicium eius. Et subdit quod hæc omnia facienda corrigere intendit, sed populus corrigi noluit.

Obstinatio angelica iniquitas indigna.

Dixi] ipsi scilicet interiore flagelli [Attamen timebis me] Acsi dicat: si noluisti tamen propter beneficia, tamen timebis propter verbera. Verba enim Domini, vt dicitur *Eccli.* 31. expellit peccatum [suscipiet disciplinam] hoc est, per verbera correctionem, licet & ille qui dicit *Iere.* 31. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam. Et *Hosea*. Colligatti me, & eruciatus sum, [quia [illegible] [& non perdet habitaculum eius] hoc est, Ierusalem templum, vel Ecclesia, cuiusque scilicet populo. *Psal.* 77. Colligauit colligauit me Dominus, & morti non tradidit me. *Iere.* 6. Contrepera in vberis populus [illegible] [propter [illegible] peccata] in [illegible] hoc est, per quos [illegible] [illegible]. *Psal.* 11. Vindicabo in eos in magnitudine [illegible] & in verberibus [illegible] [illegible] [illegible]

Proverb. 1. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas meas neglexistis.

Et omnibus his concludit captiuitatem futuram in qua corrigentur [Quapropter expectame] duo dicit, populi scilicet captiuitatem, & captiuantium condemnationem.

Quapropter] quia per verbera corrigi nolebas [expecta me] in carceribus scilicet, & penis [dicit Dominus] *Osee* 3. Diebus multis expectabis me, non fornicaberis, & non eris cum viro. *Habac.* 2. Si moram fecerit, expecta eum. *Psal.* 26. Expecta Dominum, viriliter age. *Mich.* 7. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Saluatorem meum [in die resurrectionis meæ in futurum] quando scilicet resurgam ad liberationem tuam, sicut feci à principio. *Psal.* 75. Terra tremuit & quieuit, cum resurgeret in iudicio Deus. Et hoc potest legi de Resurrectione Christi. *Psal.* 67. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius. Tunc enim dissipati sunt Iudæi inimici Christi. Et hoc est quod sequitur [quia iudicium meum] quo scilicet iudicabo mundum, vel aduersarios Sanctorum [vt congregem gentes] scilicet, aduersus Babylonem [& colligam regna] Persarum scilicet, & Medorum [& effundam super eos] Babylonios scilicet [indignationem meam] Vel mystice in primo aduentu congregantur gentes ad vnam fidem, & colliguntur regna in vnam potestatem Ecclesiæ. Melius tamen exponitur de vltimo aduentu, quoniam congregabuntur omnes ad iudicium. *Ioel.* 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. *Matthæ.* 25. Congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem, sicut segregat pastor oues ab hœdis. Et huic congruit quod sequitur: Effundam super eos indignationem meam, Babylonios scilicet, vel reprobos in die iudicij. *Thren.* 2. Effundit quasi ignem indignationem suam [& omnem iram furoris mei] supple, effundam: quia perpetuis incendiis condemnabo. Quod qualiter fiat, subdit [In igne enim zeli mei] hoc est, in igneo zelo meo quo scilicet liberabo meos, & condemnabo impios [deuorabitur omnis terra] id est terram diligens. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo. Quidam tunc exponunt hoc de igne sancti Spiritus, qui combussit terrenum affectum in fidelibus. 3. *Reg.* 18. Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. 2. *Mach.* 1. Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, & accensus est ignis maximus, ita vt omnes mirarentur. *Thren.* 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?

Ignis spiritus sancti

Quia tunc] post purgationem Babylonicæ captiuitatis, vel persecutionis Antichristi [reddam populis locis] licet habuerunt in patribus [labium electum] Est autem labium electum quod non nisi verba Dei loquit, vel labium electum est, quod omnibus linguis loquitur, sicut Apostoli fecerunt *Act.* 2. Hoc significatum est *Isa.* 6. vbi dum Seraphim gemens, dixisset: Væ polluto labio ego sum: Et cum sequitur: Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. *Psal.* 50. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Labium electum.

Hoc enim labium electum est [vt inuocent omnes in nomine Domini] relictis scilicet omnibus idolis & simulachris, quæ quilibet corde suo cõfinxit colenda. *Ios.* 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. *Sophon.* 2. Attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt viri de loco suo, omnes insulæ Gentium. De hoc labio dicitur *Proverb.* 12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum [& seruiant ei humero vno] hoc est, concordi virtute onus eius portantes. *Matth.* 11. Iugum meum suauè est, & onus meum leue. Isti sunt asini Domini in simplicitate portantes iugum eius. *Gene.* 49. Issachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram quod optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens. Hoc expressius dicit litera *Septuagintæ*, quæ habet, sub vno iugo.

Veritatis semper firmum confessio.

Asini Domini.

Post conuersionem captiuorum subiungit consolationem & dicit tria, scilicet, congregationem consolandorum, purgationem peccatorum *ibi* [In die illa] gaudium & inpbilum redemptorum *ibi* [Hæc dicit Dominus Deus, Lauda

Vltra flumina Æthiopiæ] hoc est, de vltra flumina Æthiopiæ [inde supplices mei] supple, venient reducti scilicet in Ierusalem. Vel flumina Æthiopiæ (quæ tenebrosa interpretatur) flumina sunt concupiscentiæ, de vltra quæ peccatores ad Dominum conuertuntur. Hoc significatur 3. *Reg.* 10. vbi regina Saba de illis partibus venit audire sapientiam Salomonis. Significatur etiam (vt dicit *Hieronymus*) *Act.* 8. vbi vir Æthiops eunuchus Candaces reginæ baptizatus est à Philippo. Significatur etiam (vt idem dicit) *Num.* 12. vbi Æthiopissa nubit vero legifero. Hæc regio Saba vocatur. *Isaia* 60. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Vnde etiam Saba conuertens interpretatur. Et hoc est quod sequitur [filij dispersorum meorum] congregati scilicet [deferent munus mihi] hoc est, laudis sacrificii. *Psal.* 26. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis. *Isa. vltimo* Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus dõnum Domino. *Malach.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.

Flumina Æthiopiæ

Saba.

In die illa] Tangit congregatorum purgationem & dicit quinque: præteriti peccati emendationem, occasionum peccati ablationem, consolandorum deuotionem, deuotorum puritatem, & deputatorum securitatem.

In die illa] clarioris scilicet gratiæ meæ [non confunderis super cunctis] hoc est, pro cunctis [adinuentionibus tuis] quia scilicet confusio pœnitentiæ abstulit confusionem æternæ pœnæ *Eccli.* 4. Est confusio adducens gloriam & gratiam. *Isa.* 54. Noli timere, quia tu non confunderis, neque erubescas, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris [quibus præuaricata es in me] legem scilicet transgrediendo. *Luca* 8. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et subdit de remotione occasionum peccati.

Pœnitentia pudorem tollit criminis.

Quia tunc auferam de medio tui] scilicet vel interficiendo, vel conuertendo [magniloquos superbiæ tuæ] eos scilicet qui magna loquuntur, & parua faciunt. *Psal.* 11. Disperdat Dominus vniuersa

uersa labia dolosa, & linguam magniloquam *Job.* 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, & quasi magna cogitans attonitos habet oculos? *Psalm.* 72. Posuerunt in cælum os suum [& non adiicies] secundo, supple, sicut antiquitus fecisti [exaltari amplius] hoc est, superbire [in monte sancto meo] in templo, vel in Ecclesia. *Psal.* 130. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis. Et videntur loqui omnia ea, de quibus dicitur. *Matthæ.* 21. Ingrediens compitum domum Israel. Et subdit de humilitate liberatorum.

Et derelinquam in medio tui populum pauperem] ad litteram, quia alia experimis quidam de pauperibus terræ derelicti sunt *Iaram* vt Similiter qui primitiui erant in Ecclesia, pauperes & simplices fuerunt. 1. *ad Corin.* 1. Videte vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum [& mensam] Egenus dicitur qui mendicat. 2. *ad Corinth.* 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt vos illius inopiæ diuites essetis [& sperabunt in nomine Domini] nihil præter Deum requirentes. *Iere.* 17. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. *Psal.* 70. Spes mea Domine à iuuentute mea. Et subdit de humiliatorum puritate.

Pauperes religiosi pauperes.

Reliquiæ Israël non facient iniquitatem] in opere scilicet: & intelligitur iniquitas mortale peccatum, sine venialibus enim nemo est. 1. *Ioan.* 2. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Hoc intelligi non potest de reliquiis de captiuitate, nec de pauperibus qui remanebunt sub Gedolia, quia vnique multas iniquitates commiserunt: sed intelligitur de primitiuis in Ecclesia, vel de conuertendis in tempore nouissimo. *Isaiæ* 60. Populus tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram. In persona horum dicitur. *Isa* 38. Memento Domine quòd ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim [nec loquentur mendacium] maxime perniciosum. *Ephe.* 4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. *Roma* 9. Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior &c. Ergo puri erunt opere, & puri ore. Et subdit de corde.

Mendacii pernicioso.

Et non inuenietur in ore eorum lingua dolosa] quæ aliud scilicet dicat, & aliud corde intendat, vel machinetur. 1. *Pet.* 2. Nec est inuentus dolus in lingua eius. *Malach.* 2. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis eius: in pace & æquitate ambulauit mecum. Et quia cultus iustitiæ est pax (vt dicitur *Isaiæ* 32.) ideo subdit de pacis securitate.

Quoniam ipsi pascentur] pabulo scilicet verbi, sacramenti, & temporalis subsidij. *Ioan.* 10. Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. *Ezech.* 34. In pascuis vberrimis pascam eas & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum [& accubabunt] vnusquisque scilicet in domicilio, vel in Ecclesia sua, vel in conscientia. *Ezech.* 34. Ego pascam oues meas, & ego accubare eas faciam, dicit Dominus [& non erit qui exterreat] inimicus, supple. *Nahum.* 1. Non adiiciet vltra, vt pertranseat in te Belial, vniuersus interiit. *Apoca.* 21. Iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed neque vllus dolor.

Hæc dicit Dominus Deus] Gaudium dicit hic electorum, & dicit tria, scilicet gaudij materiam, & gaudij prædicatam famam, & inimicorum gaudij ruinam.

Hæc dicit Dominus Deus] confirmatio locutionis est. *Tit.* 1. Quam premisit qui non mentitur. Deus [Canta filia Sion] Hoc dicit propter duas tribus, id est Ierusalem, quæ propter decorem vel Sion, vocat, contemplationem. Et subdit. Et iucundare laus pro omnium virtutis. [illegible] in opere. *Luc.* *Psal.* 147. Lauda Deum Sion. Iubilus sono, vox inarticulata & illiterata, signum gaudij tanto quod nec corde potest cõtineri, nec voce [illegible] articulata valet exprimi. *Psal.* 88. Beatus populus qui scit iubilationem [letatur] corde [& exultat] corpore [in omni corde] vt scilicet gaudium totum cor obtineat. *Ioan.* 16. Petite vt gaudium vestrum sit plenum [filia Ierusalem] hoc est, quæcunque anima pertinens ad Ierusalem maxime in pernam. *Galat.* 4. Illa quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra. *Zach.* 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. *Psal.* 89. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: Et subdit tanti gaudij materiam, primo in ablatione mali.

Iubilus.

Plenũ gaudium.

Abstulit Dominus iudicium tuum] hoc est, damnationem, quia demorata fuerit: cessante enim peccato cessat pœna condemnationis. *Isaiæ* 51. Ecce tuli de manu tua calicem lapidis, & iudicia vt bibas illum vltra. *Michæ* 7. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum [inuenta minuens eos] 2. 12. Iuppiter hominis & dominus, ne iudicet necere pellit. *Psal.* 11. Ne tardauerit Dominus nobis inimici nostri. *Tobiæ* 4. Peccatum vobis non dominabitur. Et subdit de adoptione boni. Rex Israël Dominus in medio tui] supple, est. *Classe* induci hoc *Ioan.* 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Zach. vltimo.* Nomen ciuitatis à die illa & deinceps, Dominus ibi dem [non timebis malum vltra *Iob*] In sex tribulationibus eripiet te, & in septimo non tangit te malum. Sed tribulationes ad pœnitentiam vitam pertinent, quæ sex diebus agitur, septima sero ad futuram, à quibus omnibus liberat Dominus. Et subiungit de huius gaudij prædicata fama in tribus, scilicet, diuino gaudio in consolatione, & diuino gaudio in laude, & diuino gaudio in dilectione.

Septima tribulatio infra non æternula.

In illa die dicetur] hoc scilicet prædicato prophetio. *Isaiæ* 24. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti [Ierusalem] hoc est, à Ierusalem noli timere] *Isai.* 54. Ecce ego accendam [illegible] & flagellum non erit [illegible] Deo. *Zach.* 3. Indutum [illegible] in [illegible] Dei [illegible] & non [illegible] illos tormentis [illegible] [illegible] [illegible]

vobiscum. Et hoc est quod sequitur [dominus deus tuus in medio tui fortis] *Ioan. 1.* Medius vestrum stetit quem vos nesciti s. *Nume. 24.* Cuius fortitudo sicut rhinocerotis. *Iob 9.* Si fortitudo quæritur, robustissimus est] ipse saluabit te] *Matth. 1.* Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Leui. 26.* Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea: ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis mihi populus. Et subdit de consolatione.

Gaudebit super te in lætitia] hoc est, faciet te gaudere. *Isa. 62.* Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te deus tuus. Et subdit de dilectione in quatuor, scilicet, dulcedine dilectionis, remotione fratrum à peccatis, interfectione hostis, & reductione omnimoda & consolatione captiuitatis [silebit] amplius scilicet non commiserans, non terrens, non puniens [in dilectione tua] hoc est, pro dilectione tua. *Osee 14.* Diligam eos spontanee: quoniam auersus est furor meus ab eis *Ioan. 15.* Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis [exultabit super te in laude] *Glossa.* Accipiet laudem à te, tanquam pinguissimam hostiam, vel gaudebit te esse laudabilem. *Proverb. vltimo.* Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Et subdit de conuersione fratrum.

Nugas] id est, vanos [qui à lege recesserant] & propter hoc vani facti sunt. *Iere. 2.* Elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. *Psal. 61.* Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum [congregabo] vt scilicet ad te reuertantur, & nullum gregis tui pastoris detrimentum. *Baruch. 5.* Vide collectos filios tuos ab Oriente sole vsque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes dei memoria [quia ex te erant] hoc est, ad te pertinebant ad minus per prædestinationem. *Rom. 8.* Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, hos & vocauit [vt non vltra habeas super eis opprobrium] hoc est, ne objiciatur tibi in opprobrium. Opprobrium est enim Sanctis homo apostata: imprœperatur enim aliis. *Prv. 6.* Homo apostata, vir inutilis. *Psal. 43.* Posuisti nos opprobrium vicinis nostris. Et subdit de inimicorum deiectione.

Apostata opprobrium est sui ordinis.

Ecce ego interficiam omnes] inimicos tuos supple [qui afflixerunt te] *Glossa* inducit illud *Psal. 100.* In mane interficiebam omnes peccatores terræ. *Eccli. 41.* Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi, & si nati fueritis, in maledictione nascentium, supple, eritis, in maledictione erit pars vestra. *Psal. 43.* Eos qui nos oderunt confudisti [in illo tempore] extremi scilicet iudicij quo iustitias iudicabo. *Deut. 32.* Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Et subdit de congregatione captiuorum & consolatione.

Et salubre claudicantem] id est quæ olim claudicantes à sensibus meis, partim mihi, partim idolis adhærendo; vel soli mihi, opere autem diabolo. *3. Regum 18.* Vsquequo claudicatis in duas partes? si est Dominus Deus, sequimini eum. *Psal. 19.* Incurvati sunt, & claudicauerunt à semitis suis [& eam quæ deiecta fuerat] scilicet, propter delectationes delectabilium & idolorum [congregabo] ad chorum scilicet, vel ad Ecclesiam. *Iosue. 3.* Tu fornicata es cum amatoribus multis tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Idem quod hic dicitur, dicitur *Mich. 4.* In die illa dicit Dominus: Congregabo claudicantem: & eam quam eieceram, colligam: & quam afflixeram, consolabor. *Isa. 54.* Vt mulierem dereliqtam & mœrentem spiritum vocauit te Dominus [& ponam eos in laudem] hoc est, vt laudentur ab omnibus. *Isa. 61.* Omnes qui viderint eos cognoscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit Dominus [& in nomen] quantum ad finem. *Eccli. 41.* Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri magni & pretiosi [in omni terra confusionis eorum] hoc est, vt ab illis laudentur à quibus ante vituperabantur. *Isa. 61.* Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt partem suam. *Osee 2.* In loco vbi dictum est eis, Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij Dei viuentis [in tempore illo] reuelatæ scilicet gratiæ. *2. ad Cor. 5.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis [quo adducam vos] ad patriam scilicet vel ad fidem. *Isaie 64.* Sic adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ [& in tempore quo congregabo vos] vel in vnam patriam cæli, vel in cor vnum & animam vnam. *Ezech. 34.* Congregabo vos de terris. Et 37. Congregabo eos vndique & adducam eos ad humum suam.

Boni nominis habita est ratio.

Dabo enim vos in nomen] *Isaie 62.* Vocabit tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit [& in laudem omnibus populis terræ] vt scilicet ab omnibus laudentur. Hoc est quod dicitur *Ioan. 12.* Honorificabit eum Pater meus qui est in cælis. *Psal. 149.* Laudent nomen eius in choro, hoc est, in toto concentu cælestium [cum conuertero captiuitatem vestram] qua scilicet à diabolo vel à Nabuchodonosor, captiui tenebamini. *Psal. 125.* In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati [cum oculis vestris] vt magis scilicet gaudeatis. *Isaie 60.* Tunc videbis & afluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. *Ioan. 16.* Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Et quia hæc secundum inferiores causas videtur non posse fieri, subdit de omnipotentia faciente [dicit Dominus omnipotens] *Gen. 18.* Num Deo quicquam est difficile? *Luce 1.* Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

D. ALBERTI

D. ALBERTI MAGNI,
EPISCOPI RATISPONENSIS,
DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM,

In Aggæum Prophetam
Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI In Aggæum Prophetam explicatio.

ARGVMENTVM Prophetæ] Prologus ille diuiditur in partes duas. In prima determinat causam suscepti operis. In secunda materiam per partes exequitur: ibi [Omnia autem quæ in textu] Prima in duas, scilicet, causam suscepti operis, & operis susceptionem: ibi [Propter quod in secundo anno] In prima tria dicuntur, ex quibus causa colligitur, scilicet, populi captiuitas, populi captiuati à rege captiuante libertas: ibi [Sexagesimo itaque anno] & instans à finitimis gentibus ædificationem templi impedientibus necessitas: ibi [Cumque à populo Israel] In prima harum tria sunt: causa scilicet captiuitatis, ex parte regis, causa prolongatæ captiuitatis ex parte populi, & ratio causæ.

Ieremias Propheta] 15. cap. [ob causam periurij Sedeciæ regis] Iurauit enim regi Nabuchodonosor, qui eum regem instituit, vt sub ipso regnaret, & tributa solueret: & hoc iuramentum violauit, & ab eo recessit: vt historia *libri Paralipomenon secundi* indicat] 36. Et *4. Regum 24.* [qui fecit Sedeciam] fidem promissam] & supple, iuramentum firmatum] Nabuchodonosor, regi Chaldæorum non seruauerat] Contra hoc quod dicitur *Isaie 24.* Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum: propter hoc maledictio

Sedecias iuramentum violauit.

voranit terram [populum Israel refert] scilicet, Ieremias [cum memorato rege Israel] hoc est, Sedecia [expugnata Ierusalem à rege scilicet Babylonis] captiuum] regem scilicet, & populum] in Babyloniam fuisse perductum] *Iere. 25.* Et subdit de causa prolongatæ captiuitatis.

Sed cum memoratus populus] Israel scilicet [multis temporibus] ante captiuitatem & in captiuitate. *Isaie 65.* Peccator centum annorum maledictus erit] idolis seruiendo] *Iere. 2.* Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas] etiam effusione sanguinis innocentum] vt scilicet peccatum peccato cumularent. *4. Regum 24.* Replenit Ierusalem cruore innocentium vsque ad os. *Osee 4.* Sanguis sanguinem tetigit [se grauiter inquinasset] hoc est, ad incrementum impietatis deduxisset. *2. ad Timoth. 3.* Mali homines proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes [volens ergo Deus] ne, supple, indigni promissiones suas hæreditarent [generationem vniuersam eiusdem populi] materialiter, hoc est, generatos vniuersos] ob causas memoratas] supple, idolatriæ, & homicidij penitus deperire] *Psal. 54.* Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos [Septuaginta annorum captiuitatem] *Iere. 29.* eiusdem populum] Israel scilicet, cum rege] in terra Chaldæorum] qui ferocis interpretantur] stirpis] decreto scilicet immobili] subiacere] vt scilicet pœnis peccatum vindicarent. *Gen. 6.* Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Et subdit rationem causæ hac ratione] hoc est, dispositione suitatis diuinæ [vt completo numero annorum septuaginta in quibus scilicet patres peccatores moriendo] nouus populus] ex illis scilicet natus immunis à memoratis peccatis, ex quod parentes non tenuerunt] ad reconstructionem Ierusalem] hoc est, ad locum reædificationem] peccatores] Sancti Nam 1. Paralipomenon vetus de quibus dictum quod prædæ hostium fuerit, introducam vt sedeant terram quæ vobis dicitur: vestra autem calamera incolum in solitudine. Et subdit de liberatione à rege captiuante.

Sexagesimo itaque secundo anno[supple, regis Chaldæorum,computando scilicet à Nabuchodonosor,ex quo monarchiam obtinuit, regno Chaldæorum subuerso per Cyrum scilicet & Darium occiso Balthasar *Dan.5.*[cui]scilicet regno [adhuc octo anni ad regnandum restabant] de septuaginta scilicet promissis à Ieremia [quod etiam sexta visio Danielis ostendit]quæ *Dan.5.* describitur [propter causam sacrilegij]quia scilicet idola laudabat & in vasis Domini bibebat [quæ]scilicet causa sacrilegij[in eadem visione continetur fuisse extinctum]hoc est,interfectum. Sicut enim *Gen.7.* de datis ad pœnitentiam centum viginti annis diminuti sunt viginti anni, eo quòd mundus originalis non pœnituit,sed in peccatis creuit : ita de septuaginta annis regni Chaldæorum octo diminuti sunt, propter incrementum malitiæ Chaldæorum [Darius rex qui Medis imperabat]cum Cyro scilicet,amuculo suo rege Persarum[vt septima visio Danielis ostendit] *Dan.5.* [memorarorum]scilicet,Chaldæorum[regno successit] *Dan.5.* Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus,& Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos.

Cuius[scilicet,Darij[primo anno regni]supple, Medorum & Persarum[vt decima visio manifestat Danielis] nono capitulo descripta Daniel [supputatis annis]captiuitatis scilicet [videns appropinquare tempus reuersionis] de captiuitate scilicet[quæ]scilicet reuersio[per Ieremiam fuerat promissa]*Iere.29.*Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum , vt reducam vos ad locum istum[orans] scilicet , ipse Daniel [tam pro se quàm pro populo]concaptiuo scilicet [eandem promissionem liberationis scilicet]à Deo postulabat impleri]Vnde *Dan.9.* Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum,de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam , vt compleretur desolationis Ierusalem septuaginta anni, & posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis & sacco & cinere[cui]scilicet , Danieli[per Gabrielem Angelum]ad se scilicet missum in[eadem visione]decima scilicet[iuxta preces eiusdem] Danielis scilicet [vniuersæ esse completa] secundum suum desiderium scilicet[Deus prædixit]loquendo scilicet per Angelum.Et hoc est quod subdit.

Nam moriente supradicto rege Medorum[Dario scilicet[& succedente in regno Cyro rege Persarum] qui tamen aliter non successit , nisi quia cum patruo cum Dario patruo suo regnaret , mortuo patruo principatum solus obtinuit[promissione Dei completa] de destructione scilicet Chaldæorum,& liberatione Iudæorum[per eundem regem]scilicet,Cyrum[populum Israel in Ierusalem reduxisse fuisse,supple[historia *libri secundi Paralipomenon*]vltimo scilicet[& initium Esdræ primo [confirmant] Vnde 2. *Paralipomenon vltimo.* Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli : & ipse præcepit mihi,vt ædificarem ei domum in Ierusalem , quæ est in Iudea : quis ex vobis est in omni populo eius ? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat. Hoc idem est initium *Esdræ.*

Danielis decem visiones.

Ad intellectum autem totum quæ dicta sunt, oportet scire , quòd decem sunt visiones Danielis, in quarum qualibet aliquid secreti reuelatum est. Prima est de somnio *Dan.2.* Secunda de quarto in camino cum tribus pueris ostenso , qui Filio Dei similis erat *Dan.3.* Tertia de arbore succisa *Dan.4.* Quarta de quatuor bestiis & iudicio *Dan.7.* Quinta de ariete & hirco *Dan.8.* Sexta de morte Balthasar , & articulis scribentis in pariete *Dan.5.* De hac hic mentio facta est. Septima de eo quod factum est in lacu leonum *Dan.6.* Octaua de reuelatione Gabrielis *Dan.9.* quam hic decimam vocat *Hieronymus* , non quod decima sit , secundum seriem Danielis , vel ordinem temporis : sed quia de regno Christi est , quod in decima describitur. Nona de aduentu Christi *Dan.10.* Decima de regno finali resurgentium *Dan.12.* Magister tamen in historiis,hanc quam dicit Hieronymus decimam, octauam appellat. Et subdit de causa necessitatis.

Cumque à populo Israel] reuerso scilicet de captiuitate[& à senioribus] quorum scilicet consilio regebatur [templum Dei ædificari cœpisset] iactis scilicet fundamentis & altari constructo [mortuo Cyro rege Persarum] qui licentiam redeundi dederat[ac regnante Dario]qui & Artaxerxes dicebatur[rege Persarum] qui primi Darij erat filius[qui memorato] scilicet , Cyro patrueli suo [successerat] in vtroque scilicet regno , & Medorum,& Persarum[vicinæ gentes] habitantes scilicet circa Iudæam [ciuitatis Ierusalem]supple,ædificationem [vt idem Esdras in libro suo refert] cap.4 & 5.[restaurationem templi & ciuitatis]Ierusalem scilicet[resistendo] supple , ædificantibus [impedire cœperunt] propter quod etiam *Psalmus* 126.Nisi Dominus ædificauerit domum, factus est [Qua ratione deterritus populus Israel] & deceptus,supple [restaurationem supra dicti templi Domini]supple,facienda [necdum iuxta promissionem]supple, *Iere.* [consentiam esse à Deo [credebant]putabant enim si Deus concessisset,quod impedimenta remouisset *Isaie.6.* si Dominus nobiscum est , quare incurrunt nos tot mala ? Hæc est igitur necessitas prophetiæ. Vnde sequitur.

Propter quod ne desperaret populus scilicet[in secundo anno mense[ii regni Darij regis Persarum]nepotis scilicet patrui Darij[Aggeus Propheta à Deo missus]*Rom.10.* Quomodo prædicabunt nisi mittantur[ad Zorobabel] principem scilicet in secularibus [qui de tribu Iuda esat] *Genes.49.* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius[qui potestatem regni susceptuus erat]hæreditaris scilicet successione : quamuis nunquam habuerit iurisdictionem potestatis. Post reditum enim de captiuitate Babylonica sacerdotes de tribu Leuitica imperauerunt , & non reges de tribu Iuda existerent & Iesum filium Iosedech qui tunc temporis summus Sacerdos fuit ipsius ex successione paterna quam ordinis administratione,eo quod nec tunc temporis fuit nec altare in quo administrare posset. Et hoc est quod sequitur [summum Sacerdotem]hoc est,cui summa negotiorum in sacris administrandorum commissa fuerat : & hoc, supple,ideo factum fuit, quia idem Propheta [admonet vt credant] *Rom.10.* Corde creditur ad iustitiam[completo numero annorum]LXX. scilicet , in quo populus fuerat populus & paruadus[tempori ædificationis Ierusalem] sue reædificationis[adscribit]de quo in *Psal.101.*dicitur. Tu exurgens miserebaris Sion:quia tempus miserendi eius,

Sacerdotes Iudæis regno præfuit.

eius,quia venit tempus hoc etiam addito] ad causam suscepti operis [ne incredulitate populi velint imitari]populus enim fuit incredulus, dicens quod tunc Deus nollet templum reædificari , vt prius habitum est,de quo] scilicet populo [Deus dixit per eum]Aggeum scilicet, *Aggæi 1.* Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longe est à me [nondum venit tempus vt reædificetur domus Dei] propter modicam enim aduersationem hominum , de promissione Domini dubitabant & pene desperabant : contra quod dicitur *Rom.4.* In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia , sed confortatus est fide , plenissime sciens quia quæcumque promisit ei Deus, potens est & facere. His autem ita habitis de causa suscepti operis,subiungit de materia in textu prophetiæ comprehensa.

Promissioni diuinæ non diffidendum.

Omnia autem quæ in textu prophetiæ huius continentur,supple,vel describuntur[reuersionem populi] pro parte prima [ædificationem templi] pro parte secunda [renouationem ciuitatis] pro parte tertia[obseruantiam sacerdotalem]in discretione scilicet mundi & immundi pro quarta parte [& interitum regnorum exterarum gentium] quæ scilicet ædificationem impediebant [significant]& secundum hoc diuiditur propheria.

Aggæus Propheta.

CAPVT I.

IN anno secundo]Hæc prophetia in tres visiones diuiditur secundum *Hieronymum*,secundum tres exhortationes ad ædificandum templum.Prima est,quod si templum non ædificatur , sterilitas quæ propter templum destructum accidit ; ad fertilitatem non reuertetur. Secunda est,quod gloria quæ in populo fuit ex templo , populo non restituetur,nisi templum reædificetur , & incipit infra *ibi*[In die vigesima] Tertia est , quod si templum non reædificatur , quod omnia opera populi polluta reputabuntur,& incipit circa medium secundi capituli *ibi*[in vigesima & quarta noui mensis] Et est notandum quod istæ tres visiones non differunt annis,sed mensibus & diebus : omnes enim in secundo anno Darij factæ sunt.

Ad intellectum autem *litteræ* notandum est quod dicit *Hieron.*quod cum Cyrus rex Persarum occiso Balthasar , occupasset regnum Babylonicum,cum Dario patruo suo rege Medorum,primo anno regni sui remisit in Ierusalem circiter quinquaginta millia Iudæorum,quibus præfecit Zorobabel,& Iesum filium Iosedech, & præcepit eis vt ædificarent templum. Illi autem eruto altari fundamenta templi iecerunt : sed interfecto mortuo Cyro, Artaxerxes cognomine Cambises , illi succedens, mandauit gentibus qui erant circa Ierusalem , ne templum reædificari permitterent. Remansit itaque opus imperfectum vsque ad secundum annum Darij filij Histaspis, & hoc secundo *Aggæus & Zacharias* ad prophetandum fuerunt missi, qui non vrbi ædificatio regis , nec commodi ædificantis populi, Zorobabel & Iesum & populum admonebant ad ædificandum. Et hoc est quod dicitur.

In anno secundo Darij] filij Histaspis. Diuiditur autem hæc visio in titulum , & in tractatum qui incipit *ibi* [Hæc dicit Dominus exercituum, Populus iste dicit] In titulo continentur quatuor, scilicet , tempus commune & proprium , modus inspirationis,& modus enunciationis , & ad quos fit propheria.

In anno secundo Darij regis]id est , à tempore ex quo ille accepit regni gubernacula super Persas & Medos.Simile est *Gen.18* Reuertens veniam ad te tempore isto , vita comite in anno altero. Idem continetur *Rom.5.* [in mense sesto] anni scilicet secundi , numerando scilicet ab Aprili , qui apud nos September vocatur, & apud Iudæos fere totus festiuus fuit,sicut dicitur *Deut.16.* Et subdit de proprio tempore In die vna mensis] hoc est, prima , quando scilicet Iudæi cornibus arietinis clangebant,quod propheriam significabat. Quod autem dicitur, Dies vna, dies prima ideo est,quia Iudæi nomina ordinalia non habent, sed nominibus numeralibus pro ordinalibus vtuntur. Subdit autem de modo inspirationis.

Dies prima cur vna dicatur.

Factum est verbum Domini] Verba humana non facta , sed dicta per aurem ad cor ingrediuntur ; verbum autem Dei à Deo factum , non auditum,Spiritu Dei in corde formatur.1.*ad Corinth.*2. Quod oculus non vidit , nec auris audiuit ; nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se.Vbi dicit *August.* quod per sensus non ascendunt in cor quæ præparat Deus,sed cor ascendit ad ipsa,& Deus format ea in corde *Psal.83.* Accedat homo ad cor altum,& exaltabitur Deus. Et subdit de enunciatione.

In manu Aggei Prophetæ]In manu dicit,quia non tantum verbo , sed etiam opere prophetauit. *Osee 12.*Ego visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.Sic prophetauit *Isa.cap.* 20. ambulans nudus & discalceatus. *Sic Ezech.12.* per parietem fossum de domo est portatus. *Aggæi* dicit, quod festiuus & lætus interpretatur,eo quod lætia de templi reædificatione mutiabat,quod *Isa.61.* ostendunt,vbi dicitur : Vt consolarer omnes lugentes , vt ponerem consolationem lugentibus Sion,& darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.Propheta dicit,vt fiatur immobilis est veritas eorum quæ annuntiat. *Cassiodorus.*Prophetia est diuina inspiratio, rerum eventus sub immobili veritate denuntians.*Sap.7.* Spiritus sapientiæ per nationes in animas sanctas se transfert , amicos Dei & Prophetas constituit. Et subiungit ad quos.

Aggæus.

Prophetia

Ad Zorobabel filium Salathiel] *Matth.1.* Ieconias genuit Salathiel,Salathiel genuit Zorobabel, hic enim natus fuit in regnum ex stirpe David & Prælatus fuit in temporalibus. Interpretatur autem Zorobabel suaus expositus ; Salathiel autem petitio Dei,eo quod sicut Moyses [*Exod.1.* Mosen expositus est in populi liberationem , & petitione Dei inuentus, Hunc enim describit] dignitate [ducem Iuda]vt Iciatur esse de domo David. *Psal.77.* Sed elegit tribum Iuda.*Gen.49.* Non auferetur sceptrum de Iuda ,& dux de femore eius. Et subiungit de Prælato in spiritualibus [& ad Iesum qui sanatus interpretatur , vt de tribu Sacerdotali & sacerdotio & nomine defendisse credatur. Quem vlterius describit à dignitate [Sacerdotem] & à virtutis

Zorobabel Salathiel.

Iesus.

virtutis magnitudine, cum subdit [magnum] *Rom.* 8 Quos iustificauit, hos & magnificauit. *Eccli.*46. Iesus fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei [dicens] verbum enim Dei dicens est & docens, verbum hominis dictum est transiens.

Darius.

Hæc secundum spiritualem intellectum sub eisdem auctoritatibus ad Dominum Iesum Christum referuntur. In anno secundo qui est annus gratiæ sequens annum terroris synagogæ quem sequetur annus gloriæ. *Habac.*3. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. Darius, generationes interpretatur, & significat eos qui luxuria non nisi generationi intendebant: qui vt compescerentur Christus missus est, extunc enim castitas virginitatis prædicata est. *Matth.*19. Sunt eunuchi qui castrauerunt seipsos propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. Mensis sextus, sextam ætatem significat, in qua luna Ecclesia scilicet, nouam per Christum accepit illuminationem. *Eccli.*43. A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummationem. Mensis secundum nomen eius est crescens mirabiliter in consummatione. Dies vna siue prima mensis, singularitatem significat illius luminis. *Psal.*83. Melior est dies vna in atriis tuis super millia. Et per illum factum est verbum Domini. *Ioan.*1. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

Hic verbum in manu habet, hoc est, in potestate & opere. *Act.*1. Cœpit Iesus facere, & docere. *Matth.*7. Loquebatur sicut potestatem habens. Hic *Aggæus*, id est, festiuus vel lætus dicitur. *Psal.* 18. Exultauit vt gigas ad currendam viam. *Isa.*42. Non erit tristis nec turbulentus, donec ponat in terra iudicium. Hic Propheta est non inspiratus, sed à quo fluit omnium Prophetarum spiritus. *Ioan.*6. Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum. *Luc.*24. Qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone. Hic significatur per Zorobabel & per Iesum, quia Rex fuit & Sacerdos. *Hebr.*8. Hic Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi. Zorobabel autem dicitur propter emissum ab eo fluxum doctrinæ. *Eccli.*24. Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego fluuius Dorix. Dorix medicamentum generationis interpretatur. Hic filius Salathiel est: est enim illius filius de quo dicitur in *Psal.*10. Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Dux Iuda, confitentium scilicet, & laudantium Deum. *Psal.*67. Principes Iuda duces eorum. Hic nomine & significatione Iesus dicitur. *Matth.*1. Vocabis nomen eius, Iesus: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Habac.*3. Exultabo in Deo Iesu meo. Hic filius Iosedech, quia petitionibus patrum postulatus à Deo, quod significat Salathiel: & hæres paternæ iustitiæ, quod significat Iosedech. *Isaia* 46. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Hic sacerdos magnus est, sacerdos sacra dos, & sacra dans. *Psalm.*109. Tu es Sacerdos in æternum. Magnus: quia in comparatione huius omnes minimi sunt. *Psal.*140. Absorpti sunt iudices petræ iudices eorum, hoc est, Omnes alij Sancti iudices Ecclesiæ, absorpti & adnihilati sunt, iuncti, hoc est, comparati petræ, id est, Christo. Hic rex & sacerdos, nos faciens reges in opere iustitiæ, & sacerdotes in sanctitate. *Apoc.*1. Fecit nos regnum & sacerdotes Deo nostro.

Dorix.

Iosedech.

Hæc dicit Dominus] Hic incipit series prophetiæ, & ponit hic tria: murmurationem populi desperantis, exclusionem murmuris, & exhortationem ædificationis. Secunda incipit *ibi* [Factum est verbum Domini] Tertia *ibi* [Hæc dicit Dominus exercituum.

Dominus Deus exercituum.

Hæc dicit Dominus] Confirmatio sequentis sermonis est. Dominus enim dicit: quia potestatem habet in dictis. 1. *Regum* 3. Dominus est, quæcunque vult, faciat [exercituum] dicit, quia ministros habet Angelos, & homines, & dæmones ad exequendum. Vnde dicitur nominus Sabaoth *Isa.* 6. hoc est, exercituum. dicit enim *Dregan*. Sibi militat etiam, quod per malitiam voluntatis obstat. Angeli enim disponunt, dæmones instigant, homines exequuntur vt voluntas dei de malis expleatur [populus iste dicit] murmurans scilicet [Nondum venit tempus domus nomini ædificandæ] opus enim nomini negligebant, priuata sua opera operi domini præponentes. Hoc faciunt, qui suo commodo vel quæstui, opere nomini neglecto, intendunt. 1. *Petr.*2. Vos tanquam lapides viui, superædificamini in habitaculum dei & in domos spirituales. *Ecclesia.*9. Quodcunque potest manus tua, instanter operare. *Galat* 6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Et ponit istius murmuris exclusionem.

Et factum est verbum Domini in manu *Aggæi* Prophetæ dicens] Hæc exposita sunt. Et dicit duo: exclusionem murmuris, & obedientiam audientis *ibi* [Et audiuit Zorobabel] In prima tria sunt, scilicet, murmuris exclusio per rationem, per incommodi expertam necessitatem, & ex his tertio redit ad exhortationem [Nunquid tempus vobis est?] Simile *Ioan.*7. Tempus vestrum semper est paratum. Mali enim omne tempus ad lucra sua deputant [vt habiteris in domibus laqueatis] hoc est, cælaturis decoratis. *Septuaginta*, concauis, quia concauitatibus & inciluris diuersæ figuræ expressæ erant in eis. *Iereu.*22. Væ qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide [& domus ista deserta] supple, est, & neglecta: propriis enim intendentes opus Domini neglexerunt. *Isaia* 5. Opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius considerastis [Et nunc] quia tales, supple, estis [hæc dicit Dominus exercituum] hoc expositum est in præcedentibus [Ponite corda vestra super vias vestras] vt scilicet fructum viarum vestrarum aduertatis. *Prou.*1. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. Et determinat in speciali, subdens.

Seminastis multum in temporalibus scilicet, in peccatis existentes [& intulistis parum] *Galat.*6. Nolite errare, deus non irridetur: quæ enim seminauerit homo, hæc & meter. Qui seminat in carne sua, de carne meter corruptionem: & qui seminat in spiritu, de spiritu meter vitam æternam. *Deu.*28. Sementem multam facies in terra, hoc est, in terreno commodo & lucro, & modicum congregabis: quia, terrena lucra modicum prosunt [comedistis] de hoc scilicet quod parum intulistis [& non estis saturati] Terrena enim cupiditas non satiat, sed potius famem vlteriorem provocat. *Prou.*13. Tenet inopiam insatiabilis [bibistis temporalia scilicet consolationes] & non estis inebriati] *Angel.* Bria dicitur scyphus ad necessitatem

Cupiditas insatiabilis.

cessitatem hominis mensuratus. Vnde non inebriatus est qui ad necessitatem suam refectus non est. *Isa.*29. Sicut somniat esuriens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit: sic facti sumus. Putat enim carnalis homo vt deliciæ inebrient eum; & magis prouocant ad sitim [Operuistis vos] id est, videramini operti pannosis & conciliis, sicut quidam seculari honestate vestiri videntur] & non estis calefacti] secularis enim honestas sine charitate & virtutibus formatis non calefacit. *Eccli.*16. Exponam eam nudam in oculis omnium amatorum eius. Hoc idem dicitur *Osee* 1. [Et qui merces congregauit] ex quæstu scilicet laboris, & mercimoniorum [misit eas in saccum pertusum] vt scilicet subtus excideremus quia qui temporalia congregat, cum habere putat, nihil habet. Propter quod dicitur *Matth.* 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi fures non effodiunt nec furantur, & vbi tinea non demolitur. Ex hoc redit ad exhortationem vt omnia conuertantur ad prosperitatem.

Hæc dicit Dominus exercituum] & habens scilicet potestatem mandandi, & ministros ad exequendum [Ponite corda vestra super vias vestras] *Iere.*6. State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Et, supple, cum inueneritis fructum in viis Domini & non in viis vestris [ascendite in montem] vbi scilicet, fundatum est templum Domini, qui mons virtutum est & contemplationis. *Isaia* 2. Venite ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob. *Iere.*31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus] portate ligna] hoc est, comportate ligna ad ædificium Dei pertinentia. Iudæi fabulantur, quod Nabuzardan incendente templum, parietes remanserunt, & ideo non nisi comportatione lignorum ad tectum opus fuerit: quod falsum est, cum Ieremias plangat *Thren.*4. quod disperdi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum; sed spiritualiter dicere vult, quod de ligniculis, quæ sunt nutrimenta ignis charitatis, ædificare sufficit seruis Christi. 4. *Reg* 6. Tollent singuli de sylua materias singulas vt ædificemus locum ad habitandum. Et hoc est quod sequitur [& ædificate domum] magis scilicet virtutum, quam materialium ædificiorum. *Prou.*9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, septem scilicet virtutum. De hac subditur [& acceptabilis mihi erit] quod enim in virtute ædificatur, acceptabile est Domino. *Exod.*1. Timuerunt obstetrices Deum, & ædificauit illis domos [& glorificabor, dicit Dominus] in tali scilicet domo. *Isa.*60. Domum maiestatis meæ honorificabo. Et redit ad probationem eorum quæ dixit per experimentum, & dicit duo: experimentum scilicet damni, & secundo ostendit quod hæc est causa cultus neglecti.

Respexistis] ipse scilicet [ad amplius] in terrenis scilicet [& ecce factum est minus] supple, quam fuerat sperarum. *Psalm.*75. Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Boni enim proficiunt, & mali deficiunt propter inertiam & pigritiam. 2. *Regum* 3. David proficiens & semper seipso robustior: domus autem Saul decrescens quotidie. *Prou.*6. dicitur de pigris non ædificantibus domum Domini: Paululum dormies, paululum dormitabis, & veniet tibi, quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus] & inculistis in domum] supple, illud minus [& exuflauit illud] Exufflatio dicitur hic granorum, consumptæ interius farina, in auram, quando folliculi vacui, & frumentum interiuum, farinam non habet. *Osee* 8. Culmus stans non est in eis, germen non faciet farinam, quod si fecerit, alieni comedent eam. Et subdit de causa quod non est in homine causa, sed in eo.

Quam ob causam] Ac si dicat: Nunquid homo vel natura possit hoc facere sine Dei ordinatione? Ex eo non det primo communem responsionem dicens dicit Dominus exercituum] & subdit responsionem [quia domus mea deserta est] ad quam scilicet ædificandam non respicitis corporaliter, & spiritualiter ædificando eam. *Isa.* 54. Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata; domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra posita sunt in ruinas] & vos festinatis cum auditare & desiderio, supple, vnusquisque in domum suam iura quod quilibet intendit propriis, & nullus communibus & diuinis, quod est contra ordinem charitatis. 1. *ad Corinth.* 10. Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. *Isa.*14. Opus Domini non respiciis nec opera manuum eius considerastis. Sic enim intelligitur, quod festinabant in domum suam ædificandam, implendam, & ditandam, neglecto ædificio nomini. Contra quod dicitur. *Philip.*3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem. 1. *ad Corinth.* 13. Charitas non quærit quæ sua sunt. *Charitas communia propriis anteponit.*

Augustinus: Quia communia propriis, non propria communibus anteponit.

Propter hoc, supple, dispositione diuina [super vos prohibuit ros cæli ad iuram, vel spiritualiter Sancti & Angeli. *Iere.*2. Obstupescite cæli super hoc. *Deu.*28. Erit cælum quod super te est, ferreum & terra ænea] ne daret rorem] ad iuram, vel gratiæ. Sicut enim dicit *Bernardus*, Ingratitudo est ventus vrens, siccans fontem pietatis & rorem gratiæ. Et non solum hoc, sed [& terra prohibita est ne daret germen suum] Suum est quod sponte consueuit gignere sine cultura hominis, hoc enim aliquando aratro suum reddit, propter peccata hominum. *Gen.*4. Maledicta terra in opere tuo, cum operatus fueris eam, non dabit fructum suum. Hoc videmus fieri in malis, qui etiam ea quæ naturali pietate deberent facere bona, negligunt. *Psalm.*106. Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.

Et hic, supple [vocauit siccitatem super terram] ne scilicet pluuia & rore solita, fructum ferret & temporaliter & spiritualiter *Iere.* 14. Confusi sunt & afflicti, & operuerunt capita sua propter terræ vastitatem; quia non venit pluuia in terram] & super montes, supple, vocauit siccitatem ne vinum germinarent: qui significant malos Prælatos. 2. *Regum* 1. Montes Gelboe, nec vos nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum. Montes Gelboe, propter vellicationis interpretantur, & significant Prælatos nihil facientes, nisi vellicantes populum [& super triticum] supple, vocauit siccitatem ne nasceretur: quod triticum significat refectionem verbi dei & sacramenti & virtutum. *Gen.* 27. Vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit [& super vinum]

Pectatrix terra sterilitate plectendum.

vinum] quod significat cæleste gaudium. *Isa* 15. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueuerat [& super oleum] quod significat veritatis lucem, pietatis fomentum, & misericordiæ vnctionem. *Habac.* 3. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Et præmisit: Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Et subdit generaliter [& quæcumque profert humus] vt scilicet omnis viror virtutis intereat. *Isa.* 15. Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.

Et super homines] sterilitatem pestilentia sequitur. Spiritualiter autem intelligitur quando homines humanorum nihil proferunt, & sicut dicit *Plato*, nullum studium humanitati impendunt. *Dan* 4 Cor eius ab humano mutetur, & cor feræ detur ei [& super iumenta] vt scilicet moriantur literaliter, vel spiritualiter concupiscentias iumentorum transcendant. *Habac.* 3. Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. *Joe*, 1. Computruerunt iumenta in stercore suo [& super omnem laborem manuum] vt ex labore nihil præter afflictionem reportent. *Eccl.* 10. Labor stultorum affliget eos. *Exod.* 18. Stulto labore consumeris. Talis est labor omnium eorum, qui labores suos ad Deum non referunt.

Et audiuit Zorobabel] Tangitur hic obedientia & deuotio eorum ad quos prophetauit. Et dicit duo, scilicet, deuotionem, & in deuotione confortationem *ibi* [Et dixit Aggæus.

Et audiuit] id est, exaudiuit cum deuotione [Zorobabel filius Salathiel] de quo in præmissis & literaliter & spiritualiter habitum est [& Iesus filius Iosedech Sacerdos magnus] de quo etiam satis dictum est. Beatus enim populus cuius spirituales & seculares Prælati vocem Domini audiunt, hos enim populus deuote insequitur. 1. *Corinth.* 4. & 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et propter hoc subiungitur [& omnes reliquiæ populi] supple, audierunt [vocem Dei sui] *Exod.* 20. Cunctus populus videbat voces & lampades. *Iacob.* 1. Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit [& timuit omnis populus] timore bono scilicet, de quo dicitur *Eccl.* 1. Non sis incredibilis timori Domini, & ne accesseris ad illum duplici corde [a facie Domini] hoc est, à præsentia, quia præsens in Propheta apparuit. *Glossa interlinearis.* Sciens quod facies Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Et subdit de confortatione deuotorum.

Et dixit Aggæus nuntius Domini] siue Angelus *Malach.* 3. Angelus Domini exercituum est de nuntiis Domini] supple, relictus, 3. *Reg.* 19. Ego derelictus sum solus [populo dicens] verba scilicet Domini exponens [Ego vobiscum sum, dicit Dominus] ad confortandum scilicet vos in opere. *Matth. vlt.* Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. *Iosue* 1. Confortare & esto robustus, noli metuere & noli timere: quia tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quemcunque perreueris. Et sequitur confortationis effectus.

Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda] vt scilicet à somno inertiæ & pigritiæ ad opus Domini euigilaret. *Isa.* 26. Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te [& spiritum Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni] *Prouerb.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ [& spiritum reliquorum de omni populo] supple, suscitauit *Psalm* 131. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino [& ingressi sunt] *Glossa interlinearis*, foris enim fuerant per inertiam. *Gen.* 24. Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? *Psalm.* 41. Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis [Et faciebant opus in domo Domini] *Eccle.* 9. Quodcũque potest facere manus tua, instanter operare [exercituum Dei sui] concordantia est 1. *Esdr.* 4. & 5. per totum capitulum.

CAPVT II.

In die vigesima & quarta mensis in sexto mense.

Hic incipit secunda visio, & duas partes habet: titulum scilicet, & prophetiam. Titulus continet tempus commune & proprium, modum inspirationis, & prophetiam.

In die vigesima & quarta mensis in mense sexto] in eodem scilicet anno Darij & in eodem mense qui in principio præcedentis visionis positus est, sed non eodem die. Hic enim dicit in vigesima quarta, ibi autem prima mensis, vt inter primum diem & vigesimum quartum, quo ingressi sunt ad faciendum opus Dei xxij. dies medij fuerunt, quibus timuit populus Dominum & faciebat opus. Et nota quod licet communiter Bibliæ hic habeant capitulum, tamen secundum Hieronymum & secundum Glossam legendum est istud cum præcedenti & sic punctandum, Ingressi sunt & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui, in die vigesimaquarta mensis in sexto mense, & capitulum postea incipit [In anno secundo Darij regis] eiusdem scilicet Darij filij Histaspis [septimo mense] qui apud nos September dicitur [vigesima prima die mensis] & ita inter primam & secundam visionem mensis fuit medius. Et subdit de inspiratione sicut superius.

Factum est verbum Domini] inspirationis scilicet [in manu Aggæi Prophetæ, dicens] vt scilicet virtute operis, veritatem firmaret sermonis. *Rom.* 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Sequitur propheti, & diuiditur in duo, scilicet, enuntiationis iniunctionem, & quid enuntiet.

Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda] qui princeps erat in temporalibus [& ad Iesum filium Iosedech Sacerdotem magnum] qui in spiritualibus præfuit, vt scilicet per hos ad alios verbum transiret [& ad reliquos populi dicens] supple, loquere.

Quis in vobis] Ponit quid enuntiandum est, & dicit duo: comparationem scilicet primi templi ad id quod tunc fundandum erat, & secundo ex hoc accipit exhortationem ad ædificandum *ibi* [Et nunc confortare.

Quis in vobis est derelictus?] in vita scilicet per totum tempus captiuitatis [qui vidit] supple, antequam destrueretur per Nabuzardan [domum

istam in gloria sua prima] in qua scilicet Salomon ædificauit eam, sicut dicitur 3. *Regum* 5. Domus quam ædificare cupio talis debet esse, cui non sit similis in vniuersa terra [& quid vos videtis hanc nunc?] supple non nisi miseram & in cineribus iacentem, & hoc, supple, debet mouere cor vestrum ad ædificandum, cum *Psal* 25. dicat: Domine dilexi decorem domus tuæ. Et vt ab eis acciperet occasionem [Numquid non ita est] supple, domus ista incensa [quasi non sit in oculis vestris] Quasi dicat: Sic est: quod enim male est, peius est quam si nihil esset, in hoc scilicet quod turpius est. *Psalm.* 72. Ego ad nihilum redactus sum, & nescini. Hoc moraliter dicitur de clericis & religiosis nostri temporis, qui comparatione primitiui status, sunt quasi non sint: quod notat Dominus *Matth.* 5. Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et quia in talibus non manet nisi figura, & veritas transiit, propter hoc dicitur *Isa.* 22. Quid tu hic? aut quasi quis hic? *Zachar.* 11. O pastor & idolum, derelinquens gregem. His dicitur *Apoc.* 2. Charitatem tuam primam dereliquisti: memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Propter hoc dicitur 1. *Esdra* 3. quod principes patrum & seniores flebant, nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: quia qui viderant templum prius in gloria, & postea idem in ignominia, flebant: qui non viderant primum, sed secundum tantum, lætabantur quod saltem aliquid erat, quod esset alicuius templi vestigium. Et ex hoc accipit exhortationem, & pristini fletus consolationem.

Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus] *Iosue* 1. Confortare, & esto robustus: quia ego ero tecum [& confortare Iesu fili Iosedech Sacerdos magne] *Hebr.* 13. Confortate manus dissolutas, & genua debilia erigite] & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum] *Philip.* 4. Omnia possum in eo qui me confortat [& facite] supple, opus in domo Domini. *Eccle.* 9. Quodcunque potest manus tua, instanter operare [quoniam ego vobiscum sum dicit Dominus exercituum] *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Isa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus: quis ergo est qui condemnet me? Qualiter autem cum eis sit, subdit.

Verbum quod pepigi vobiscum] supple, per Moysen [cum egrederemini de terra Ægypti] quando scilicet promisi quod semper deberem Prophetas suscitare. *Deut.* 18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies [& spiritus meus] quem scilicet ex Moyse in alios propagari *Numer.* 11. [erit in medio vestrum] quod maxime factum est tempore nostri Iesu Christi. *Isaiæ* 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum: verbum enim in Filio, & Spiritum sanctum misit de cælo: ergo, supple [nolite timere] *Isaiæ* 54. Noli timere; quia non confunderis. *Psal.* 117. Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo. Et subdit confortationis rationem.

Quia hæc dicit Dominus exercituum] iam dicere, facere est [Adhuc vnum] post quod ; supple, aliud non erit [modicum] hoc est, breue tempus vsque scilicet ad filij incarnationem [& ego mouebo cælum] sicut quando dedi legem Moysi. *Exod.* 20. Idem fecit quando super Christum in baptismo cæli aperti sunt *Matth.* 3. *Luc.* 3. *Iam* 1. & *Mar.* 2. de stella quæ duxit Magos [& terram] supple, mouebo, sicut, supple, feci tunc. *Ysaiæ* 27. Montes exultauerunt vt requiescerent in Arnon. In Christo autem factum est in Resurrectione. *Matth.* 28. Et ecce terræ motus factus est magnus. *Psal.* 67. Terra mota est: etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai [& mare] hoc fecit olim *Exod.* 14. vbi diuisit mare rubrum in diuisiones. In Christo autem *Matth.* 8. Ecce motus magnus factus est in mari [& aridam] supple, mouebo. Hoc fecit quando conuertit siccum in humidum, & humidum in siccum in transitu Iordanis *Iosue* 5. In Christo autem, quando aridam & sitientem vnda baptismatis fecundauit. *Psal.* 103. Rigans montes de superioribus suis [& mouebo omnes gentes] Hoc fecit per Iosue cap. 7. & 8. & deinceps eiciens Gentes, & in terris eorum plantans filios Israel. *Psal.* 77. Eiecit à facie eorum Gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. In Christo autem fecit, quando per sonum Apostolorum Gentes ad fidem conuertit suas. *Act.* 13. Audientes Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Hanc authoritatem Apostolus inducit *Hebr.* 12. in eodem sensu: Cuius vox mouit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel & ego mouebo non solum terram, sed & cælum. Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt immobilia.

Et venient Desideratus] Christus scilicet, verus, pacificus & Rex noster, de quo dicitur 3. *Regum* 10. quod vultum eius desiderabat videre vniuersa terra. 1. *Pet.* 1. In quem desiderant Angeli prospicere. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte [cunctis gentibus] *Isaiæ* 5. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. *Isa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Malach.* 1. Ab Ortu solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus [& implebo domum istam] templum scilicet, vel Ecclesiam] gloria, dicit Dominus exercituum] Quod de templo Iudæorum nullo modo potest esse verum, quod continuo à gloria decidit vsque ad extremam ignominiam. 1. *Mac.* 1. Templum erat sicut homo ignobilis. Sed de Christo verum est, qui gloria Patris est *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Qualiter autem illi pollet, subdit: tantum est argentum in summis scilicet eloquentiæ verbis Dei *Psal.* 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum [& meum est aurum] sapientiæ scilicet diuinæ. *Isa.* 60. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. *Sap.* 7. Sapientia aurum, & pulcrum est hominibus] dicit Dominus exercituum] qui vt Dominus dicit, & exercitus habet Angelos, qui dicta exequuntur.

Magna erit gloria] *Prou.* 10. Gloria patris, filius sapiens. *Tullius in suo primo rhetorico.* Gloria est bene potens præconium. Item *ibidem* Gloria in ore multorum celebrata laudatio. *Aurelius circa finem Glossæ ad Rom.* Gloria est clara cum laude notitia.

Christo baptizato, motum est cælum.

Gloria.

notitia,Modis omnibus dicta gloria [domus nouissimæ plus est quam primæ] *1.ac.2.* Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et hoc est quod sequitur [& in loco isto dabo pacem]*Glossa* inducit illud *Philip.4.* Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra,& intelligentias vestras. *Ephes.2.* Ipse est pax nostra,qui fecit vtraque vnum. Christus enim dicitur pax per causam,reconciliatio peccatorum per dispositionem, tranquillitas mentis per essentiam. *Isa.26.* Seriabis pacem : quia in te Domine speramus. *Ioan.14.* Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis[dicit Dominus exercituum] confirmatio sermonis est.*Psalm.113.* Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.

Christus pax nostra.

In vigesima & quarta noni mensis] Hic incipit tertia visio, in qua ex lege ostendit domum esse ædificandam.Et dicit tria. Accipit enim primo ex lege similitudinem. Secundo similitudinis ponit adaptationem *ibi* [Et respondit Aggæus] Tertio ponit per signum, dictorum confirmationem *ibi* [Ponite corda vestra ex die ista] Similitudo ex lege duplex est,ad sanctum scilicet, & ad contaminatum *ibi*[Et dixit Aggæus,si tetigerit.

In vigesima & quarta noni mensis] qui apud nos December est, ille enim nonus est ab Aprili [in anno secundo Darij]Eodem enim anno,omnes visiones expletæ sunt[Factum est verbum Domini ad Aggæum Prophetam,dicens] *Psalm.106.* Misit verbum suum,& sanauit eos [Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Interroga sacerdotes legem] hoc est,quid verum & iustum sit secundum legem. *Malach.2.* Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis eius. Et post pauca. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Hieronymus. Sacerdotum est legem scire Domini, & ad interrogationem de lege respondere.Si Sacerdos est, legem sciat Domini : si ignorat legem, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini.*Osea 4.* Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Quid autem interroget,subdit.

Sacerdotii est scire legem Domini.

Si tulerit homo carnem sanctificatam] hoc est, in altari oblatam,cuius pars cedebat Deo vt adeps & tenunculi, pars Sacerdoti vt pectusculum eleuationis & armus dexter, pars offerenti vt residuum[in ora vestimenti sui] Vestimentum hic dicitur quodcunque linteum, in quo tales carnes portabantur [& tetigerit de summitate eius] hoc est,vestimenti illius [panem] qui siccus est [aut vinum]quod humidum est[aut]supple,generaliter [pannem cibum,nunquid sanctificabitur ?] supple,cibus ille à tactu tali?Et vocatur sanctificatum à communi cibo discernum, quem non licebat comedere, nisi Sacerdotibus & in loco sancto. Lex autem ista de diuisione hostiæ continetur *Leuit.6.& 7.*[Respondentes autem Sacerdotes, dixerunt,Non]& verum dixerunt : à tactu enim tali non sanctificatur cibus,qui alias sanctus non est, sed (sicut dicit *Hieron.*)remanet vt fuerat. *Aggæ.11.* Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?

Lex hostiæ diuidenda.

Et dixit Aggæus] Hæc est secunda pars similitudinis ex lege.Si tetigerit pollutus in anima]hoc est,in morticino hominis.Dicit enim *Hieronymus*, quod quandiu anima in corpore est, mundum est corpus : recedente anima, immundum [ex omnibus his] panem scilicet,vinum, pulmentum, & oleum [Nunquid contaminabitur] ex tactu tali scilicet[Et responderunt Sacerdotes, & dixerunt] & bene[Contaminabitur] cibus ille, supple, qui tangitur ab immundo.*Eccl.34.* Ab immundo quid mundabitur?Ista spiritualiter intelliguntur. In vestimento enim inuoluitur caro, quando meliora eorum quæ Deo debent offerri, pannis virtutum inuoluuntur, & ab illis nihil inquinantur. *Isa.52.* Mundamini qui fertis vasa Domini. *Tit.1.* Omnia munda mundis : coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata sunt eorum & mens & conscientia ; & ideo quicquid tangunt per operis imitationem, totum inmundatur : & talium oblata contaminantur, & non sanctificant eos qui offerunt. *Eccl.34.* Dona iniquorum non probat Altissimus. *Isa.1.* Munus non recipiam de manu vestra : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Quod enim remanet in bonitate,in qua creatum est, ad illud respicit Deus: quod ex offerente sanctificatur, ad illud plus respicit,*Gen.4.* Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.Primo dicit ad Abel, & deinde dicit ad munera : vt sciatur quod ex bonitate offerentis sanctificatur oblatio.Tamen contra hoc quod dictum est, quod id quod tangitur à sancto non sanctificatur,videtur esse quod dicitur *Leuit.6.* vbi dicitur: Qui tetigerit ex eis, scilicet, sanctificatis, sanctificabitur.Sed hoc citius soluitur. Non enim intelligit,quod ex tactu sanctificetur,sed quod tangens ea sanctificari debeat per lotionem manuum & vestimentorum & corporis. Similiter id quod dicitur,quod inmundus quicquid tangit, contaminabitur,hoc dicitur *Leuit.14.& 15.*

Deus impiorum Deo inuisa.

Et respondit Aggæus,& dixit] similitudinis est adaptatio [Sic populus iste] Populus dicitur inquantum regitur lege Domini. *Deu. 7.* Elegit te Dominus,vt sis ei in populum peculiarem [& sic gens ista] Gens dicitur inquantum didicerant Gentilem ritum.*Psal.105.* Dispersi sunt inter Gentes,& didicerunt opera eorum[ante faciem meam] qui scilicet luce præsentiæ meæ omnia recte diiudico.*Thren.4.* Facies Domini diuisit eos [dicit Dominus]cuius dicere facere est[& sic omne opus manuum eorum]pollutum,supple, est ex pollutis. *Isa.1.* Manus vestræ sanguine plenæ sunt[& omnia quæ obtulerunt *ibi*] inter Gentes scilicet, & sine templo[contaminata erunt]quia ipsi contaminati sunt.*Dan.3.* Non est in tempore hoc princeps, & dux,& Propheta,neque holocaustum, neque sacrificium,neque oblatio,neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam. Cum enim inter Gentes commixti fuerint,& quæcunque egerunt, contaminati fuerint : etiam quicquid ad manus habuerunt colendo terram, vel quocunque alio modo, totum contaminabatur. Et hoc intendit hic probare per effectum, *Thren.4.* Recedite polluti, clamauerunt eis : recedite, abire, nolite tangere.

Et nunc ponite corda vestra]hoc est, aduertite [à die hac & supra]hoc est,à die hac, & deinceps in futurum,& supra in præteritum:& ex præterito videbitis quod contaminata fuerunt opera vestra, quando non ædificato templo sanctificari non potuistis [Antequam poneretur lapis super lapidem in Domini templo] sicut etiam spiritualiter pollutus

lutus est homo,qui templum Dei non ædificat, & in templum spiritualiter non sanctificatur.*Ephe.2.* In quo & vos tanquam lapides viui superædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto. *1.ad Corinth.3.* Templum Dei sanctum est quod estis vos. Et inducit signum contaminationis operis [cum accederetis ad aceruum modiorum viginti] hoc est, vbi putabatis habere modios viginti[& supple, propter pollutionem vestram[fierent decem] dimidiato fructu [& intraretis ad torcular] congregaris scilicet vuis[vt] opinione scili et vestra & spe [exprimeretis quinquaginta lagenas] Lagena dicitur vas vini [&] scilicet,propter operum vestrorum pollutionem[fiebant viginti]*Eccl.34.* Dona iniquorum non probat Altissimus. *Isa.66.* Qui offert oblationem quasi qui sanguinem suillum offerat. Quando enim non respicit Deus ad opera hominum,tunc diminuuntur & pereunt: & hoc fit propter pollutionem manuum eorum. *Isa.1.* Cum extenderitis manus vestras, auertam faciem meam à vobis:manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.Idem quod hic dicitur, *Isa.5.* continetur.Vnde autem hoc accidit,subdit.

Lagena.

Impiorum ingrata sacrificia.

Percussi vos vento vrente] qui ea quæ pullulauerunt,dissoluit & interficit[& aurigine] hoc est, aëris rubigine, quæ etiam id quod in aristis est & folliculis, adurit & incinerat [& grandine] qui etiam id quod remansit, comminuit, & gelicidio proprio pestilens facit.*Psal.10.* Ignis,grando,nix, glacies,spiritus procellarum, pars calicis eorum. Ventus vrens suggestionem diaboli significat, aurigo incendium fomitis,grando impetum comminuentis hostis.*Amos 4.* Percussi vos vento vrente, & in aurigine multitudinem hortorum vestrorum & vinearum vestrarum, & olineta vestra & ficeta vestra comedit eruca: & non redistis ad me, dicit Dominus.Et hoc est quod hic sequitur [& omnia opera manuum vestrarum supple,perci]*Aggæ.14.* Similiter autem sunt odio Dei,impius & impietas eius,Econtra de bonis dicitur *Iob 7.* Operibus manuum eius benedixisti ; & possessio eius creuit in terra[& non fuit in nobis] hoc est, inter nos[ora saltem per plagas[reuerteretur ad me,dicit Dominus]Super hoc quod decidij viginti relinquere decem,dicit *Hieronymus*,quod secundum hoc aliquid boni nascitur ex semine malorum : quia mali si inter multa peccata aliqua iusta opera faciunt, non est Deus iniustus, vt propter multa mala eorum bonorum obliuiscatur, sed faciet eos metere & in horrea congregare, quæ in bona terra seminauerunt : sed qui penitus nihil operatur, nihil comedit, sed fame perit. Et fundat intentionem suam super hoc quod dicitur *Hebr.6.* Confidimus de vobis meliora,& viciniora saluti;non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, quod ostendistis in nomine eius, quia ministrastis Sanctis & ministratis.

Bonorum operum certa semper retributio.

Ex his videtur, quod opera mortua quæ extra charitatem fiunt,prosint ad vitam æternam : quia aliter malus opera bona faciens,non meteret,& in horreum congregaret, dicente Domino *Ioan.4.* Qui merit,mercedem accipit, & congregat in vitam æternam. Ad hoc sine præiudicio dicendum est,quod quædam opera sunt extra charitatem facta, quæ in toto transeunt, sicut est gemitus vel oratio,& illa nunquam reuiuiscunt ad vitam æternam. Quædam autem sunt quæ in potiori quod est in ipsis manent, sicut magna eleemosyna manet in damno rerum, & longa & magna peregrinatio,vel alia afflictio manet in debilitate virium; & hæc facta extra charitatem, si postea charitate redeunte approbent deuote, valere incipiunt ad vitam æternam Et de talibus loquuntur *Paulus* & *Hieronymus*,cuius signum est, quod si aliquis extra charitatem ex voto tenetur ad ista & persoluerit,iudex ecclesiasticus non iniungit, vt iterato soluat,cum ad charitatem redierit. Ex dictis autem accipit exhortationem in futurum, ponens signum futuræ benedictionis si ædificauerint templum, cuius ritu & cultu à pollutione liberentur.

Ponite corda vestra] aduertendo scilicet futura [ex die ista & in futurum] *Psal.76.* Memor ero ab initio mirabilium tuorum, & in factis manuum tuarum meditabor [A die vigesima & quarta noni mensis]qui apud nos December occurrit, quando penitus nihil apparet germinis[à die, qua fundamenta iacta sunt templi Domini] Hoc dicit: quia potius templum quàm tempus attendit.Omnis enim prosperitatis in nobis initium est iacere fundamenta templi Domini per fidem. *1.Cor.3.* Vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est,quod est Christus Iesus. *Glossa ibidem*, hoc est, fides Christi Iesu. Et repetit exhortationem.

Ponite super cor vestrum] *Cantic.8.* Pone me sicut signaculum super cor tuum [Nunquid iam] isto scilicet nono mense[semen]in terram, supple, iactum [in germine est] Quasi dicat : Non : quia tunc omnia latent frigore compressa [Et] supple, nunquid[adhuc]in eodem, mense[vinea & ficus & malogranatum & lignum oliuæ non floruit ?] Q.d.Non floruit.Et hoc inducit vt sciant,quod ex apparentibus germinibus, de prosperitate futura nihil certum prædicare potest,sed hoc quod dicit, de Spiritu dicit, vt sciant euenire propter ædificium templi. *Osea 6.* Præparatus est quasi diluculum egressus eius, & veniet vobis tanquam imber temporaneus & serotinus terræ. Spiritualiter autem, vinea,fructus gaudiorum æternorum significat.*Iudicum 9.* Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. Ficus vero dulcedinem virtutum. *Iudicum 9.* Dixit ficus : Non possum deserere dulcedinem meam. Malogranatum autem congregationes & collegia Sanctorum. *Psal. 110.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione. Oliua pinguedinem deuotionis. *Iudicum 9.* Dixit oliua : Non possum deserere pinguedinem meam,qua dij vtuntur & homines. Hæc in gelicidio frigoris gentis charitatis non germinant, sed tempore serenæ veritatis, afflante Austro sancti Spiritus germinant, & fructum faciunt. *Cant.2.* Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt[Ex die ista benedicam] *Gregor.* Benedictio Dei est bonorum collatio & multiplicatio. *Eccl. 41.* Benedictionem omnium gentium dedit illi. *Eccl. 39.* Benedictio illius quasi fluuius inundabit.

Benedictio Dei.

Et factum est verbum Domini] tertia visio[secundo]non quantum ad numerum visionum, sed quantum ad rem visam.Ista enim visio de prosperitate est sicut præcedens[ad Aggæum in vigesima

& quarta mensis] non scilicet [dicens] Et tangit prosperitatem futuræ dignitatis & sublimitatis in regno Iudæorum vel Christi [loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens] *Psal.* 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham [Ego moueo cælum pariter & terram] In præhabitis exposita sunt. *Psal.* 75. De cælo audiuit fecisti iudicium : terra tremuit & quieuit [Et subuertam solium regnorum] superborum scilicet hominum, & dæmonum. *Eccli.* 10. Sedes ducum superborum euertit Dominus [& conteram fortitudinem regni Gentium] vt scilicet amplius in peccato non regnent. *Eccli.* 36. Contere caput principum & inimicorum dicentium : Non est alius præter nos [& subuertam quadrigam] quæ significat motum quatuor vitiorum, scilicet, contra naturam, contra fidem, contra gratiam, & contra rationem. *Exo.* 14. Subuertit rotas curruũ, ferebanturque in profundum [& ascensorem eius] qui significat libertatem arbitrium. *Exo.* 15. Equum & ascensorem proiecit in mare [& descendent equi] qui effrenes libidines significant [& ascensores eorum] qui significant homines libidine vectos. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam [vir in gladio fratris sui] cadet, supple, vt scilicet mutuis vulneribus pereant, vel quod verius est, gladio spiritus (quod est verbum Dei) sic interficiantur, quod peccato moriantur & Christo viuant. *Exo.* 32. Occidat vnusquisque fratrem suum. Sic autem interfectis impiis.

In die illa, dicit Dominus exercituum] claræ scilicet & lucentis gratiæ [assumam te Zorobabel fili Salathiel] in decorem scilicet regni, & participationem meæ potestatis. *Psal.* 88. Dominũ est assumptio nostra & sancti Israel regis nostri [serue meus] qui serui habitum assumpsisti [dicit Dominus] *Isa.* 52. Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur & eleuabitur & sublimis erit valde [& ponam te quasi signaculum] id est, profundatum sigillum mei ipsius. *Eccli.* 28. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti [quia te elegi] hoc est, vt electum exaltauit. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Psal.* 64. Beatus quem elegisti & assumpsisti [dicit Dominus exercituum] *Isa.* 45.

Ego Dominus faciens
hæc omnia.

* * *

D. ALBERTI,

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISPONENSIS,

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

In Zachariam Prophetam
Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI *In Zachariam Prophetam explanatio.*



NVM [In prologis [illegible] prophetæ, [illegible], & [illegible] hæc per [illegible] [*Aggæus, Zacharias, & Esdras*] ita secundum hoc dividitur prologus, sicut cuilibet patet, [illegible].

Anno secundo Darij filij Hystaspis [scilicet, qui (sicut dicit *Hieronymus*) post annos quadraginta primus à primo Cyro [illegible] in Media & Persis regnauit [*Aggæus & Zacharias* prophetarũt] id est, ad prophetandum inspiratos fuisse [lectiones consimiles declarant] *Aggæus* enim sic dicit : In anno secundo Darij regis in mense sexto. *Zacharias* autem sic : In mense octauo, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini. Et subdit de ordine.

Aggæus est ipse Zacharias propinquus.

Sed hæc de causa *Aggæus Zacharias* in ordine Prophetarum [illegible] scilicet [Prælatus] id est, præpositus videtur, [illegible] qui Prophetas ordinauerunt quoadusque [illegible] scilicet [*Aggæus*] [illegible] libros vt prædicta lectiones [illegible] in principio [illegible] in prophetia [illegible] in principio enim *Aggæi* dicitur : In mense sexto in vna die mensis. In principio *Zachariæ* : In mense octauo, & sic duobus mensibus *Aggæus* ante *Zachariam* prophetauit. Et subinngit de inuentione [ad restauationem eiusdem templi] hæc ita, sicut *Aggæus* [præcepto Domini] populum animasse [per exhortationem scilicet [*Esdræ* refert] *Zachariam* scilicet [dicens] 1. *Esdræ* 5. & sunt hæc verba in *Esdra* paucis immutatis, inquantum vna translatio differt ab altera. In anno secundo Darij regis] filij scilicet Histaspis] prophetauerunt *Aggæus & Zacharias* filius Abdo Prophetæ : hoc est, prophetica inspiratione acceperunt super Iudæos qui erant in Iudea & in Ierusalem] Hoc dicit ad [illegible] [illegible] [illegible]

quasi paratum ad vindictam [cuius visionis] quæ *Zacharie* primo continetur [secundum traditionem. Hebræorum] mendosum scilicet, & falsum [hæc solutio est], id est, expositio [vir ascendens super equum rubeum] in visione ostensus [licet Angelus intelligatur] similiter apparens [tamen quia prædicti colores] scilicet [equum conspendere visus est] qui color rubeus sanguini similis est [vindictam sanguinis] hoc est, occisionis, [in eam] hoc est, contra eam [gentem significat proferendam] à Deo scilicet [quæ] scilicet gens [populum Israel in captiuitatem redegerat] vt ex hoc animarentur Iudæi, videntes vindictam fieri de inimicis. Et hanc expositionem confirmat, subdens.

Nam & *Isaias* Propheta] 63. [per ruborem vestimentorum] regis scilicet Israel, *Isaias* ostensi [inter gentes] hoc est, contra gentes [vindictam cum sanguine] hoc est, interfectionem [à Deo proferendam demonstrans] secundum Hebræos scilicet his verbis vsus est dicens] rubore scilicet vestium sanguinem significando [Quis est iste qui venit de Edom, rubor vestimentorum eius ex Bosor]. Ponit aliam translationem : nostra enim sic habet. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Et subdit exponens residuum visionis.

Stantem vero virtus in medio myrteti vmbrosi] quod dixit, supple, *Zacharias* [lætitiam populo affuturam] de liberatione scilicet per myrteti significationem] quod virens & odoriferum est] voluit designare] *Zacharias* scilicet. Et hoc probat subdens [Eius ligni Moyses in Leuitico] de lætitia scilicet & festo tabernaculorum agens [cum faceret mentionem] *Leuitic.* 23. [ait : Accipietis die primo fructus ligni speciosi] hoc est, ramos cum fructibus, qui myrtelli dicuntur. Quod exponens subdit [vt lætitiam populi] Israel scilicet [per bene olentis ligni & speciosi vmbraculum] myrti scilicet [demonstraret] ipse scilicet Moyses. Quod exponens infert.

Sed hanc visionem] *Zacharie* scilicet [quæ liberationem populi] ab vna parte sua [& vindictam de aduersariis] pro alia parte [futurae demonstrat] hoc est, significat [ob hoc id est, propter hoc] nocte Propheta se vidisse memorat] hoc est, dicit ipse [quia populum Israel in Ægypto, supple, detentum [etiam primam liberationem] scilicet, à Pharaone [de terra Ægypti nocte diuisisse manifestabat] *Exod.* 12. & *Sap.* 18. [cuius exemplo] futuram scilicet liberationem populi populum Chaldæa redigens [aliquam partem] per similitudinem scilicet nocturnæ revelationis [in se [illegible] videbatur] & ideo, supple [liberatio eiusdem] scilicet, populi [secundum [illegible]] hoc est, captiuorum [de terra Chaldæorum] ad quam expeditiones ductæ fuerant] per nocturnam hoc est, tempore noctis] *Prophetæ*] scilicet, *Zacharie* [reuelata est

Zacharias Propheta.

CAPVT I.

[IN mense octauo] Hæc prophetia tres habet partes diuidunt secundum tempora temporum, quibus reuelata fuit. Primo enim ponuntur reuelata in secundo anno Darij. Secundo reuelata in quarto anno iuidem Darij, infra 7. *ibi* [Et factum est in anno quarto Darij regis] Prima iterum in sex diuiditur, secundum sex promissiones reuelatas. Prima est in inimicos vltio, in hoc cap. descripta. Secunda est ciuitatis restitutio, infra 2. *ibi* [Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir] Tertia dignitatis sacerdotalis reparatio, infra 3. *ibi* [Et ostendit mihi Dominus Sacerdotem magnum] Quarta templi reædificatio, infra 4. *ibi* [Et reuersus est Angelus qui loquebatur in me] Quinta peccatorum & pœnarum commemoratio, infra 5. *ibi* [Et conuersus sum, & leuaui oculos meos] Sexta promissorum acceleratio, infra 6. *ibi* [Et conuersus sum, & leuaui oculos meos, & ecce quatuor quadrigæ] Prima iterum diuiditur in duo : titulum scilicet, & propheriam *ibi* [Iratus est Dominus] Dicit ergo.

In mense octauo] ab Aprili scilicet, qui apud nos Nouember dicitur [In anno secundo Darij] filij scilicet Histaspis, qui cessans fuit Iudæis, & impeditam ædificationem diu, iterato promouit, licentiam dando, & principes ædificii præponendo, Zorobabel & Iesum Sacerdotem magnum [Factum est verbum Domini] per inspirationem scilicet [ad *Zacharias*] Ad propositio [illegible] quationem notat ad [illegible] [illegible] te infuta verbum [illegible] [illegible] dignitate Prophetæ cile [illegible] Abdo Prophetam dicens] vt ei [illegible] descendat. Interpretatur enim *Zacharias* memoria Domini, ex memoria [illegible] *Zacharias* memoria *Luc.* 2. Maria autem [illegible] verba hæc conferens in corde [illegible] memorabor iustitiæ tuæ [illegible] interpretatur, quia ex benedictione Dei [quæ per gratiam sit nobis] & memoria Dei accipitur, & affluentia verbi ministratur. *Luc.* 19. Si Dominus magister voluerit, fructu intelligentiæ replebit illam, & ipse tanquam imbres iustitiæ eloquia sapientiæ fuæ. Abdo refusionem interpretatur : vt scilicet quæcunque fiunt ex Deo, [illegible] *Psalm.* 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *Hieronymus.* Abdo, ipse est Ahias, qui natus est ad Ieroboam filium Nabaoth, 3. *Reg.* 11. [illegible] quo altare diruum est, & manus eius aruit, quæ ad preces eius restituta est.

Iratus est Dominus] Hic incipit prophetia, & habet partes duas. Primo enim facit commemorationem conuersionis vt remoueatur obstaculum diuinæ promissionis. Secundo [illegible] visionem vltionis *ibi* [In die vigesima & quarta] In prima tria sunt. ira quam incurrit non conuersus, exhortatio ad conuersionem, & obiectio vindictæ in eos qui conuerti noluerunt.

Iratus est Dominus] hoc est, ad modum irascentis punitus [super patres vestros] Super notat oppressionem, quia ira Dei oppressit illos [iracundia] quod notat magnam iram fecere vindicantem. *Isa.* 64. Ecce tu iratus es & peccauimus, & in ipsis fuimus semper [& dices] *Ezech.* 3. Loqueris verba mea ad eos si forte audiant & quiescant [hæc dicit Dominus exercituum] *Hieronymus.* Sæpe in *Aggeo & Zacharia* iteratur iste sermo, vt sciant quod non homo, sed Deus ista loquitur. *Isa.* 1. Os enim Domini loquutum est. 2. *Corinth.* 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? 2. *Regum* 23. Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam. [Conuertimini ad me, dicit Dominus exercituum] hoc est, simul in toto, intus & extra vertimini, & toto vos ad me diligendum conuertite. *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro [& conuertar] benedicendo scilicet, & protegendo [ad vos, dicit Dominus exercituum] *Isaiæ* 45. Conuertimini ad me & salui eritis, omnes fines terræ.

Conuerti ad Deum quatenus sit in hominis facultate.

Sed obiicitur, Homo enim non habet vnde conuertatur, nisi à Deo accipiat. Conuersio enim Dei ad nos præcedit conuersionem nostram ad Deum, & iste ordinat à conuersio. *Threnorum.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, *Psalm.* 84. Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Ad hoc dicendum, quod est conuersio præparationis remouens dissensum à gratia & obstaculum, & est conuersio perfectionis per informationem voluntatis. In prima præcedit factum hominis. In secunda factum Dei. *Baruch* 4. Sitis iterum fidentes sensus vestri vt erraretis à Deo, decies eundem conuertentes requiretis eum. Et subdit de reuocatione ab auitatione malorum patrum, dicens.

Ne fitis sicut patres vestri quibus scilicet *Ezech.* 16. Pater eius Amorrhæus, & mater eius Cetæa. *Iohan.* 8. Vos ex patre diabolo estis [ad quos clamabant Prophetæ priores] Clarior notat intensionem prædicationis & exhortationis. *Psal.* 61. Laborauit clamando, rauca facta sunt fauces meæ. *Isaiæ* 58. Clama ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam. Prophetæ dicit, non Propheta ; quia multos misit. *Deut.* 7. Misit ad vos omnes seruos meos Prophetas, per diem consurgens & diuiculo & mittens, & non audiuistis nec dicitis : Hæc dicit Dominus exercituum ? vt propter reuerentiam Domini seruiendo accipiat eum cum eodem à conuertendo facium sit. *Ibidem.* Domus Israel nolunt audire me, qui nolunt audire me [Conuertimini de viis vestris malis] Vtrumque [illegible] [illegible] lum inclinantes. *Prov.* 11. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum] & cogitationibus vestris pessimis] Cogitatio dicitur quasi colligatio, quando scilicet [illegible] in corde [illegible] malum perpetrant, & hæ pessimæ sunt, quando [illegible] in opere *Isaiæ* 5. [illegible] impiorum [illegible] & vir iniquus cogitationes suas, non audeant per detractionem scilicet & [illegible] Contra quod dicitur in *Psal.* 93. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. [illegible] vt [illegible] [illegible] [illegible]

Tempus visioni prophetica aptum.

nocturna, quando irrait sopor super homines & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens instruit disciplina. *Hieronymus* tamen noctem refert ad tribulationem populi. *Isa.*21. Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Intendit enim quærere quantum de nocte tribulationis transierit. *Daniel.*7. Aspiciebam in visione mea nocte.

Et ecce vir] Angelus scilicet, in specie viri viriliter exercens vindictam [ascendens] proficiente scilicet virtute. *Psal.*83. Ascensiones in corde suo disposuit [super equum] per quem equitas regni Medorum significatur. Cyrum enim significat [rufum] in testimonium scilicet sanguinis effundendi: quia Balthasar regem Chaldæorum interfecit. *Daniel.*5. De quo equo dicitur *Iob* 39. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum exercitus. Et est similitudo: quia sicut equus per ascensorem dirigitur & regitur, ita regnum per regem [& ipse] scilicet, vir in equo [stabat] rectus per iustitiam & virtutem. 3. *Regum* 18. Viuit Dominus, in cuius conspectu sto [inter myrteta] vt situ scilicet ostenderet, quoniam appropinquabat afflictis per propitiationem. Myrtetum enim condensa plantatio myrti est, & significat Sanctos iam purgatos redolentia deuotionis in oratione & virore virtutis in opere. *Ueme.*4. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris [quæ] scilicet, myrteta [erant in profundo] in imo scilicet tribulationis & angustiæ. *Psal.*68. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. *Iere.*2. Ad extrema montium descendi, terræ vectes circundederunt me. Vnde *Septuaginta* habent, inter montes vmbrosos.

Myrtetum

Et post eum] scilicet, virum in equo rufo sedentem [equi rufi, varij, & albi] *Hieronymus.* Quidam ordine mutato per albos equos significant Persas & Medos, sub quibus captiuitas dimissa, & templum instauratum est: per varios, Macedones, quorum quidam amici, alij persecutores fuerint: per rufos, Romanos sanguine cruentos, qui populum occiderunt & templum subuerterunt. Alij sequentes ordinem literæ, virum qui ascendit super equum rufum & cæteros qui sequuntur, quatuor regna interpretantur, scilicet, Assyriorum, Chaldæorum, Medorum, & Persarum. Primum & secundum dicunt sanguinarium, Assyrios scilicet, & Chaldæos, quorum primi, decem tribus sub Salmanasar duxere captiuas; secundi, Iudam & Beniamin, incensa Ierusalem & templo subuerso. *Apoca.*6. Exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super eum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & datus est ei gladius magnus. Tertios & quartos, varios & albos, Medos & Persas interpretantur, quorum alij clementes vt Cyrus & Darius filius Histaspis, & Assuerus quem Græci Artaxerxem vocant: alij crudeles vt Cambises & cæteri. Melius tamen exponitur hoc mystice, vt per ascendentem super equum rufum, Dominus noster Iesus Christus intelligatur, qui rufus est in passione & rector Ecclesiæ. *Isa* 63. Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Rufi, sequentes martyres: varij, confessores, variæ virtutum depicti: albi, innocentes & virgines & religiosi. De rufis dicitur *Apoc.*7. & 22. quod laueruntstolas suas in sanguine agni. De variis in *Psal.*44. Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. De albis *Apoc.*3. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. *Eccle.* 9. Omni tempore vestimenta tua candida sint. Et subdit de explanatione.

Equorum significatio.

Et dixi: Qui sunt isti Domine mi?] Angelum vocat dominum: quia potestate diuina regere videbatur [& dixit ad me Angelus Domini] qui forte in specie corporali loquebatur [qui loquebatur in me] accusatiui casus, hoc est, locutione in me tendente, vt scilicet intelligerem. *Psal.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus [ego ostendam tibi, quid sint hæc] hoc est, quid ista significant. Simile *Daniel.*8. Gabriel fac intelligere istam visionem [& respondit vir] Angelus scilicet [qui stabat inter myrteta] qui principalior videbatur [& dixit] supple, Angelo qui mihi loquebatur, secundum quod superior Angelus illuminat inferiorem. Isti sunt] supple, qui præsunt regnis quatuor [quos misit Dominus] vt mundi gubernator [vt perambularent terram] vt scilicet vnumquodque regnum, voluntatem Domini suo tempore ad dispositionem Angeli qui sibi præest, perficiat. *Eccli.*17. In vnamquamque gentem præposuit rectores, & pars Dei Israel facta est manifesta, & omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei. Et sicut est in bonis Angelis, ita est in malis ad exercitium ordinatis. Vnde *Iob* 1. dixit Satan cum redderet rationem de potestate accepta: Circuiui terram & perambulaui eam [& responderunt] rufi scilicet, varij, & albi [Angelo Domini qui stabat inter myrteta] qui, supple, princeps & principalis esse videbatur [& dixerunt] rationem reddentes de officiis suis [Perambulauimus terram] omnia scilicet ad ordinem iustitiæ Dei disponentes. Et hoc est quod sequitur, & ecce omnis terra] videlicet vnusquisque regni non simul, sed successiue [habitatur] per cultum [& quiescit] in fructu bonorum suorum. Hæc quæ dicta sunt, confirmantur. 3. *Reg.vlt.* Vidi Dominum sedentem super solium suum, & cunctum exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris. *Iob* 1. Cum conuenirent filij Dei vt assisterent ante Dominum, affuit inter eos & Satan, sicut & 3. *Reg.vlt.* affuit spiritus mendax. *Dan.*7. Millia millium assistebant ei, & decies millies centena millia ministrabant ei. *Iob* 25. Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Numquid est numerus militum eius, & super quem non surgit lumen eius? *Hebr.*1. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi. *Iob* 38. Numquid nosti ordinem cæli, & rationem eius ponet in terra? *Deut.*32. secundum *Septuaginta.* Statuit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei.

Angelorum ministerio mundus disponitur.

Ex omnibus his accipiunt, quod dispositio Dei in terra & in hominibus disponitur per Angelos, & quod assistunt coram Domino, de officiis suis rationem reddentes. Sed dicit super *Daniel.* notatum est, Deus Angelo loquitur per illuminationem, quæ dicitur theoria vel theophania: theoria quando est contemplatio simplex, secundum cursum naturæ vel iura hominum, inferiora disponens. Theophania autem, lumen diuinum dicitur, in quo cognoscitur quæliter ad supernaturalia & super copiosera in hominibus, inferiora ad voluntatem & ordinationem Dei disponuntur. Hoc igitur modo loquitur eis Deus, ipsi autem Angeli Deo, quando inferiora disposita & quasi in visione vespertina ordinata referunt ad lucem sapientiæ diuinæ

Deus quomodo loquatur Angelo & economiæ.

diuinæ quasi ad visionem matutinam: vt ostendatur, quod in inferioribus nihil discors est sapientiæ diuinæ, quæ omnia præordinat vel ad merita iustorum vel præmia, vel ad purgationes purgandorum, vel ad vindictas malefactorum, vel vt fordescant hi qui in sordibus sunt, vt dicitur *Apoc.* 22. Angelus autem ad Angelum loquitur, superior quidem ad inferiorem per communicationem illuminationis, inferior vero ad superiorem per relationem ministerij sui ad claritatem illuminationis acceptæ, sicut testatur exemplum ad exemplar & artificiatum ad artis rationem. Par autem pari loquitur dupliciter, scilicet, per ostensionem illuminationis acceptæ, & per declarationem ministerij perfecti, secundum illuminationem. Angelus autem animæ loquitur dupliciter: si enim loquitur ad sensum vel ad imaginationem, tunc loquitur per speciem corpoream assumptam: si loquitur ad intellectum, tunc loquitur per acceptæ illuminationis à Deo influentiam. Talis enim ordo in luminibus spiritualibus & in corporalibus est, quod superiora superinfluunt inferioribus, & non è conuerso: & inferiora coniunguntur, & applicantur superioribus vt formalibus, & non è conuerso. Vnde omnes planetæ applicantur Saturno, & Saturnus nulli, vt dicit Astronomus. Discordia quæ est inter eos, dissimilitudo administrationis est ad finem disposita à Deo, reductio ad concordiam nihil aliud quam ostensio finalis dispositionis.

Angelus quomodo loquatur Angelo.

Angelus quomodo loquatur animæ.

Et respondit Angelus Domini] Hic ponitur oratio Angeli in persona Sanctorum, & ponuntur hic tria, scilicet, oratio Angeli, responsio de consolatione Domini, & enumeratio facta ad populum.

Et respondit Angelus Domini] Iste Angelus fuit (vt dicunt Hebræi) Michael, qui præfuit synagogæ. Respondit autem occasionem accipiens ex verbis aliorum Angelorum prouincialium, quia omnis terra habitatur & quiescit, quod & Iudæorum terra deberet habitari & quiescere [& dixit Domine exercituum] Angelorum scilicet, & dæmonum, & hominum [vsquequo tu non misereberis Ierusalem?] vt scilicet reædificetur. Ex quo enim tota terra habitatur & quiescit & solus populus tuus affligitur, misereri deberes. *Psal.*76. Aut continebit in ira misericordias suas? *Habac.*3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis [& urbium Iuda quibus iratus es] quia omnes vrbes Iuda, hoc est, duarum tribuum destructæ erant. *Isa.*36. Ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. Ira autem Domini ad pœnam refertur. Et subiungit petitionis rationem & meo iudicio deber legi interrogatiue [Iste iam septuagesimus annus est?] supple, tuæ promissionis, quam fecisti per *Ieremiam cap.* 29. Quasi dicat: Non est, imo est centesimus septimus: quia sexagesimo septimo anno data est licentia redeundi primo anno Cyri, & postea ad hunc annum secundum Darij scilicet, fluxerunt anni qui cum aliis sexaginta septem centum & septem faciunt. Et est tentat, ac si dicat: Moueat pietatem tuam, quod triginta septem annis vltra promissionem à te factam in captiuitate remanserunt. Alij quidam dicunt, quod remittitur legatur litera, & quod intelligitur de annis desolationis templi, non de annis captiuitatis. Dicit autem *Hieronym.* quod primus annus Cyri fuit trigesimus annus desolationis templi. Inter Cyrum autem & secundum annum Darij filij Histaspis fluxerunt anni, & ita anni desolationis in illo tempore fuerunt septuaginta anni. Primam tamen expositionem magis videtur approbare *Hierom.* [Et respondit Dominus Angelo qui loquebatur in me] accusatiui casus, hoc est, loquutione tendente in me. *Osee* 2. Loquar ad cor eius. *Isa.*40. Loquimini ad cor Ierusalem [verba bona] per se scilicet, & ad se bona conferentia [& consolatoria] de scilicet mali contristantis amotione. *Isa.*40. Consolamini consolamini populo meus, dicit Deus vester.

Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me] illuminatus scilicet ab Angelo cui loquebatur Dominus [Clama, dicentis] Clamor notat intensionem desiderij ad impletionem dicti. *Isa.*40. Vox dicentis, clama [Hæc dicit Dominus exercituum] qui scire potest, & exequutioni mandat per ministros [zelatus sum Ierusalem] populum scilicet [& Sion] regnum scilicet zelo magno] *Beda.* Zelus est amor cum ira & indignatione contrarij, quo quis quælibet mala videns, corrigit si potest: si non potest, tolerat & gemit. Et sic Dominus amauit populum, vt corrigeret in eo delicta. *Ioe.*2. Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. *Psalmo* 68. Zelus domus tuæ comedit me. Econtra de obstinatis dicitur *Ezech.*16. Zelus meus auferetur à te [Et] ideo, supple, quia zelatus sum Ierusalem [ira magna ego irascor super gentes opulentas] Ira magna dicitur, quæ desenit vsque ad destructionem corporis & animæ: quod patientur hi qui persequuntur Sanctos. *Aere.*2. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius: omnes qui deuorant eum, delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus. Gentes opulentæ dicuntur: quia de facultatibus Sanctorum replenerunt marsupia sua. *Iere.*51. Absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea. *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit, euomet, de ventre ipsius extrahet eas, Deus. Et subiungit causam.

Zelus.

Deus zelat, sed non lædit.

Ira magna.

Quia ego iratus sum parum] supple, vsque ad peccati purgationem. *Isa.*54. Ad momentum parumper abscondi faciem meam à te: ipso vero] supple, in malignitate suæ voluntatis] adiuuerunt in malum] plus inferendo scilicet ex malicia voluntatis quam concessum sit eis ex ordinatione iustæ potestatis. *Isa.*10. Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eius indignatio mea. Et post paucа: Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum.

Tyrannus diuina potestate abutitur.

Propterea hæc dicit Dominus] quia scilicet in malitiose ferentur inimici] super Sanctos] reperta] ab ira mea ad Ierusalem in misericordiis] *Isa.*54. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia magna congregabo te. *Iere* 31. Adhuc recordabor eius, miserans miserebor eius. Et dicit in quibus est ita misericordia, domus mea ædificabitur in ea] templum scilicet. Sicut enim incepit destructio à templo, ita incipere debuit reædificatio. *Ezech.*9. A sanctuario meo incipite, dictum est Angelis percutientibus. Propterea opus Domini debet esse primum, nostrum autem secundum. 3. *Reg.*17. Fac mihi primum de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, tibi autem & filio tuo facias postea [dicit Dominus exercituum] Confirmatio tempo-

nis est [perpendiculum extendetur super Ierusalem]supple, ædificandam: quod significat Ecclesiæ ædificium, maxime in Ecclesiis collegiatis. *Psal.*50. Benigne fac in bona voluntate tua Sion vt ædificentur muri Ierusalem.

Adhuc clama, dicens] de consolatione scilicet deriuanda in totam terram [Hæc dicit Dominus exercituum]confirmatio sermonis est [adhuc affluent ciuitates meæ] Sanctorum scilicet congregationes[bonis]spiritualibus scilicet,& temporalibus. *Iere.*31. Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda & in vrbibus eius,cum conuertero captiuitatem eorum. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus: & habitabunt in ea Iudas, & omnes ciuitates eius simul: agricolæ & vinitores eius & greges. Quia inebriaui animam lassam: & omnem animam esurientem saturaui [& consolabitur Dominus adhuc Sion] etiam post captiuitatem[& eliget adhuc Ierusalem] electione scilicet finali: non enim in æternum abiecit, sed multos vocauit. *Isaiæ* 51. Consolabitur Dominus Sion,& consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini: gaudium & lætitia inuenientur in ea,gratiarum actio,& vox laudis.

Et leuaui oculos meos] Tangitur hic qualiter exequutioni mandabuntur, & primo ostendit inimicorum potentiam, secundo contritionem *ibi* [Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros] Prima adhuc duo habet: visionem scilicet, & explanationem.

Anima duo sunt oculi. Et leuaui oculos meos] Licet vnus sit intellectus animæ, tamen duos habet oculos: theoriæ scilicet,& theophaniæ. Theoria est in contemplatione diuinorum in lumine virtutis & gratiæ. Theophania est contemplatio diuinorum, quæ similima est lumini gloriæ. *Augustinus.* Fides oculos aperit,spes erigit,charitas figit. Oculus leuatur plus & plus quando intellectus ad fidem conuertitur,quæ per speculum & ænigma contemplatur. 1.*ad Corinth.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate. Fides vero ad intellectum donum erigitur,de quo *Gregor.* Intellectum dat, dum de auditis mentem illuminat. *Psalm.*35. In lumine tuo videbimus lumen. Et intellectus ad munditiam cordis subleuatur: *Cordis munditia.* munditiam vero cordis voco purum intuitum mentis ab omnibus erroribus & phantasiis emundatum. *Matth* 5. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Et adhuc quando talis munditia cordis in excellenti luce figitur per assensum. *Gen.*32. Vidi dominum facie ad faciem. *Luc.*21. Respicite, & leuate capita vestra. *Baruch* 4 Circumspice Ierusalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Domino Deo tibi venientem [& vidi]id est,interius intellexi. *Dan.*8. Intellexi visionem[& ecce quatuor cornua] potestates quatuor regnorum significantia,scilicet, Assyriorum, Chaldæorum, Medorum & Persarum (ab his enim vexatus est populus Dei) & significant quatuor vitia spiritualia. *Assyria. Chaldæi. Medi. Persæ.* Assyria sublimis interpretatur,& significat superbiam. Chaldæi,feroces,significant iram.Medi,mensuratores, & significant auaritiam.Persæ,latera sua dissuentes, significant inuidiam. Isti enim per detractionem,latera,hoc est,confœderatos & amicos dissuunt. Vel, vt dicit *Hieronymus*, quatuor animi passiones inordinatas,& inducit versum Lucani.

Nunc cupiunt metuunt, gaudentque, dolentque.

Cupiunt, ponit pro spe: quia quod sperat quis, cupit. *Psalm.* 74. Nolite extollere in altum cornu vestrum. *Dan.*8.Hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.

Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me] quærens scilicet interpretationem [Quid sunt hæc?] hoc est, Quid significant hæc? In visione enim opus est interprete,eo quod in ænigmatibus & figuris proponitur. 1.*ad Corinth.*14. Maior est qui prophetat quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat [Et dixit ad me] interpretando scilicet visa [Hæc sunt cornua]id est,potestates significatæ per cornua[quæ ventilauerunt Iudam] hoc est, duas tribus [& Israel]hoc est, decem tribus[& Ierusalem]hoc est regnum.Per quæ significantur clerus, & populus, & religiosi. Ventilare autem est in omnem ventum ad vana dispergere. *Dan.*8. Orta sunt quatuor cornua subter cornu magnum, per quatuor ventos cæli. Et subdit de confractione cornuum.

Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros]destructores malorum, & constructores bonorum. *Quatuor fabri secundum Iudæos.* Iudæi dicunt,primum fabrum esse Cyrum, qui destruxit Chaldæum & liberauit Iudæos. Secundus est Esther & Mardochæus, qui destruxit quod fabricauerat Medus.Tertius, Iudas Machabæus cum fratribus suis, qui destruxit quod fabricauerat Græcus.Quartus, Helius Adrianus, qui templum reædificauit, quod destruxerat Romanus, Titus scilicet,& Vespasianus. Nos autem dicimus, quod isti quatuor fabri sunt amor Dei, timor Dei,dolor peccati,& gaudium internum. Amor Dei conterit amorem mundi, timor Dei timorem humanum, dolor peccati tristitiam seculi: internum gaudium, vanum gaudium [& dixi]quærens scilicet illuminationem[Quid isti]scilicet, fabri [veniunt facere]& intelligitur, quod malleos habebant in manibus extensos ad percutiendum. *Iere.*23. Nunquid non verba mea quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petram? *Prouerb.* 19. Percutientes mallei parati sunt stultorum corporibus.

Qui aiit, dicens] hoc est, me illuminans [Hæc sunt cornua] scilicet primæ visionis [quæ ventilauerunt] hoc est, disperserunt [Iudam] hoc est, duas tribus, vel clerum, vel Ecclesiam [per singulos viros] non enim sufficit in communi vexare Sanctos, nisi ad singulos deriuetur vexatio [& nemo illorum leuauit] id est,leuare potuit [caput suum] pondere scilicet tribulationum depressus. *Psal.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Thren.* 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum, conuolutæ sunt & impositæ collo meo [& venerunt isti] fabri scilicet [deterrere ea] cornua scilicet. *Isa.* 54. Ecce, ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum.Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur: & omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis [vt deiiciant cornua Gentium] gentiliter scilicet viuentium. *Psal.* 74. Omnia cornua peccatorum confringam [quæ leuauerunt cornu] suæ scilicet potestatis [super terram Iuda] Sanctorum scilicet [vt dispergerent eam] *Psal.* 74. Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem. Poeta.

Hoc discas verum: frangit Deus omne superbum.

CAP. II.

CAPVT II.

Et leuaui oculos meos.

HIc ostenditur ciuitatis futuræ reædificatio, & habet tres partes,scilicet,ædificationis ostensionem, ciuium reuocationem *ibi* [O,o,o,] & habitantium exultationem, & gratiarum actionem *ibi*[Lauda & lætare] In prima duo sunt,visio scilicet,& explanatio.

Et leuaui oculos meos & vidi] *Psal.* 120. Leuaui oculos meos in montes,vnde veniet auxilium mihi.2. *Para.*20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te [& ecce vir] Angelus scilicet principalis inter tres in specie viri, qui Christum significat [& in manu eius funiculus mensorum] siue mensurantium. Mensura primum formale est ad quod refertur totum ædificium, & significat charitatem ex tribus complexam, scilicet, *Charitatis triplex funiculus.* vt diligamus ex toto corde dulciter,ex tota mente sapienter, & ex omnibus viribus fortiter *Matth.* 22. *Eccle.* 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. *Ezech.* 40. Ecce vir, cuius species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius [& dixi] quærens, supple,illuminationem [Quo tu vadis?] hoc est,ad quem finem? *Ioan.* 3. Nescit vnde veniat, aut quo vadat [& dixit ad me] per illuminationem internam [vt metiar Ierusalem.] in locum scilicet sanctificationis [& videam] in possessionem habitationis: quod literaliter describitur *Ezech* 45. & 46. per totum. Spiritualiter autem *Apocal.* 21. per totum [quanta sit latitudo *Charitatis latitudo & longitudo.* eius] ab Oriente in Occidentem: sic enim etiam apud physicos latitudo & longitudo describitur ciuitatum. Spiritualiter autem, latitudo est extensio charitatis vsque ad inimicum. *Psal.*118.Latum mandatum tuum nimis. Longitudo perseuerantiæ vsque in finem. *Matth.*24. Qui perseuauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et subdit de interpretatione.

Et ecce Angelus qui loquebatur in me] supple, apparuit, & erat Angelus ministrans in illuminatione Prophetæ. *Malac.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam [& alius Angelus] tertius scilicet [egrediebatur] ab intimis scilicet contemplationis ad ministerium [in occursum eius] hoc est,mei Angeli, qui me illuminabat, quem dicit *Hieronymus* fuisse Gabrielem. Et ita fuerunt tres Angeli, Michael scilicet qui habeat funiculum & omnia disposuit, & Angelus Prophetæ qui Prophetam illuminauit, & Gabriel in medio discurrens à Michaele illuminationes accipiens, & ad Angelum Prophetæ deferens, *Dionysius in caelesti hierarchia.* Lex diuinitatis est per prima media,& per media vltima reducere. Simile *Danie.* 8. Ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. Et audiui vocem viri inter Vlai: & clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere istam visionem. Et hoc est quod hic sequitur.

Et dixit ad eum]scilicet, Michael ad Gabrielem [Curre] hoc est, festina. *Prouerb.* 6. Discurrens festina, suscita amicum tuum [loquere ad puerum istum, dicens] Puerum vocat Prophetam: quia omnis sensus humanus puerilis est respectu cognitionis Angelorum. 1. *ad Corin.* 13. Meditabar vt paruulus,sapiebam vt paruulus. *Iere.* 1. A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum [absque muro habitabitur Ierusalem] *Psal.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te [præ multitudine hominum & iumentorum] *Iere.* 31. Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & seminabo domum Israël & domum Iuda semine hominum & semine iumentorum[in medio eius] Sensus est. Tanta erit multitudo hominum & iumentorum in medio ciuitatis,quod nullo muro circumcingi poterit: quod Iudæi in aurea Ierusalem expectant futurum, adeo vt splendor auri stercoribus iumentorum inquinetur. Nos autem dicimus factum *Ecclesia multiplicatis.* esse in Ecclesia, in qua sunt homines, viri scilicet literati & sapientes: & iumenta, simplices scilicet & idiotæ fideles. *Psal.* 31. Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti magnificentiam tuam Deus.

Et ego ero eis, ait Dominus Deus, murus] hoc est,defensio. *Isaiæ* 26.Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale, *Isa.* 49. Muri tui in conspectu meo sunt semper[ignis in circuitu eius]supple,ero consumens aduersarios. *Psal.* 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius *Heb.* 10. Terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. *Deut.* 4. Deus noster ignis consumens est [& in gloria ero in medio eius] scilicet,ciuitatis. *Psal* 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. *Ezech vlt.* Nomen ciuitatis à die ille, & deinceps Dominus ibidem. Gloriosus Deus in sanctis suis,mirabilis in maiestate.

O, o, o,] Posita mensura ciuitatis, ponit reuocationem habitatorum, & dicit duo: reuocationem, & ad reditum alliciens.Reuocationem ponit duplicem: in communi scilicet,& in speciali.

O, o, o]ter dicit ô, propter oppressionem seruitutis, spoliationem hostis, crudelitatem interficientis, & temporaliter & spiritualiter. *Apocal* 8. Væ, væ, væ habitantibus in terra [fugite de terra *Terra Aquilonis fugienda.* Aquilonis, dicit Dominus] literaliter & spiritualiter.Terra enim Aquilonis nebulosa est & frigida propter caliginem erroris contra fidem, & frigiditatem iniquitatis contra charitatem. *Iere.* 1. Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. *Eccl.*43 Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Vnde diabolus seder in lateribus Aquilonis. *Isa.* 14. Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Et ideo (vt dicit *Dionysius in ecclesiastica hierarchia*) abrenuntiationes fiunt in baptismo, & Euangelium *Euangelium cur versus Aquilonem legendum.* legitur contra Aquilonem,vt renuntietur obscuræ & frigidæ malitiæ [quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus] hoc est,ad quatuor plagas mundi, à quibus nunc volo congregare. *Isa.*43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicem Aquiloni, Da: & Austro,Noli prohibere. Isti quatuor venti, quatuor passiones sunt, spes vana, timor inutilis, gaudium mundi, tristitia seculi. *Danie.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.Et subdit de reuocatione in speciali.

O Sion] tribus scilicet regalis, vel fidelis anima [surge] sursum te age. *Ephe.*5. Surge qui dormis;

mis, & exurge à mortuis [quæ habitas apud filiam Babylonis] literaliter & spiritualiter. Filia enim lasciuiam, Babylon confusionem significat. *Isaiæ* 52. Conuurge, sede Ierusalem, solue vinculla colli tui captiua filia Sion. *Iere.* 51. Qui fugitis gladium, venite, nolite stare: recordamini pro cul Domini, & Ierusalem ascendat super cor vestrum. Et subdit de allectiuo ad veniendum [quia hæc dicit dominus exercituum] cui scilicet militat omne quod est. *Danie.* 7. Millia millium ministrabant ei [Post gloriam] quam scilicet facturus est vobis in terra vestra. *Isa.* 62. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui [misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos] vt scilicet illis prædicam pœnas quas passuri sunt. *Abdie* 1. Auditum audiuimus à Domino, & legatus ad gentes missus est. Quod non legitur factum in synagoga, sed in Ecclesia, quæ postquam glorificata est per Christum Apostoli ad Gentes missi sunt *Act.* 13. Et quare ad gentes miserit, subdit [qui enim tetigerit vos] *Hieronymus.* Tactus pro vexatione accipitur [tanger pupillam oculi mei] *Hieronymus.* Qui ergo Sanctos Dei tangit, sic est quasi vexare cupiat pupillam oculi Dei, vt illum priuet clara luce, de qua in Euangelio: Vos estis lux mundi *Matth.* 5. *Psal.* 104. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. *Sap.* 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ.

Babylon.

Pietas per secutio offensa est Dei.

Quia ecce ego leuo manum meam super eos] Gentes scilicet, vt eos vel gladio materiali, vel gladio verbi interficiam. *Ecce* 36. Allena manum tuam super gentes alienas, vt videant potentiam tuam [& erunt prædæ] hoc est, ad prædandum [his qui seruiebant sibi] literaliter & spiritualiter: salutari enim præda tracti sunt ad Ecclesiam. *Isa.* 11. Volabunt in humeros Philisthiim, per mare simul prædabuntur filios Orientis. *Isaiæ* 9. Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia [& cognoscetis] sic, supple, per benedicta [quia Dominus exercituum misit me] *Matth.* 21. Nouissime misit filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Et subdit de gratiarum actione.

Lauda & lætare filia Sion] Lauda virtutem, & lætare in bonis. *Isaiæ* 35. Exultabit lætabunda & laudans [quia ecce ego venio] omnis boni fons & thesaurus. *Aggai* 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. *Tobiæ* 12. Per ipsum omnibus bonis repleti sumus. 1. *Regum* 5. Venit deus in castra [& habitabo in medio tui, ait dominus] vt scilicet omnibus sim communis. *Ezechie.* 43. Locus solij mei, locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel. *Ioan.* 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Baruch.* 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.

Deus in medio populi sui.

Et applicabuntur gentes multæ] ad fidem scilicet, & cultum veri Dei. *Isaiæ* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit. *Psalm.* 2. Postula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam [ad Dominum in die illo] quando scilicet lucebit clara veritas. *Psalm.* 117. Hæc est dies quam fecit dominus [& erunt mihi in populum] subiectum scilicet & seruientem. *Deute.* 7. Elegit te dominus vt sis ei in populum peculiarem. *Psalm.* 17. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi [& habitabo in medio tui] vel in templo, vel in corde. *Psalm.* 68. Deus saluam faciet Sion, elegit eam in habitationem sibi [& scies quia dominus exercituum misit me ad te] *Ieremiæ* 31. Omnes cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum eorum.

Et possidebit Dominus Iudam] redemptum scilicet à diis alienis. *Isaiæ* 49. Captiuitas à forti tollitur: & quod ablatum est à robusto, saluabitur [in partem suam] hoc est, in sortem à massa scilicet perditionis separatum. *Deute.* 32. Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius [in terram sanctificatam] supple, possidebit. Et alludit ei quod habetur *Ezechiel.* 45. & 46. vbi terra diuiditur in portiones sanctificatas [& eliget adhuc Ierusalem] hoc est, ad Ierusalem pertinentes. *Psalm.* 131. Hic habitabo: quoniam elegi eam. *Galat.* 4. Illa quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Sequitur vox Prophetæ, vt cuncta Creatori obediant.

Creatori cuncta obediant.

Sileat omnis caro à facie Domini] carnem vocat homines propter infirmitatis defectibilitatem. *Septuaginta* habent, timeat. 1. *Regum.* 2. Impij in tenebris conticescent. *Ierem.* 10. Quis non timebit te, ô Rex Gentium? tuum est decus inter cunctos sapientes Gentium, & in vniuersis regnis eorum nullus est similis tui [quia consurrexit] in potentia scilicet miraculorum, & ostensione virtutis. *Matth.* 8. Surgens Iesus imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna [de habitaculo sancto suo] vel de templo, vel (quod verius est) de Christo homine. *Amos* 1. Dominus de Sion rugiet, & Ierusalem dabit vocem suam.

CAPVT III.

Et ostendit mihi Dominus.

Hic agitur de restitutione sacerdotij & dignitatis, & habet tres partes, scilicet, statum indignitatis, signum restitutæ dignitatis *ibi* [Qui respondit & ait ad eos, qui stabant coram se] & modum conuersationis adeptæ dignitatis *ibi* [Et contestabatur Angelus Domini] In prima ponitur Sacerdotis ostensio, resistentis & impedientis ablatio, & humiliationis pristinæ descriptio.

Et ostendit mihi Dominus] in visione scilicet. *Psal.* 88. Tunc loquutus es in visione Sanctis tuis [Sacerdotem magnum Iesum] *Eccli.* 50. Ecce Sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. *Heb.* 8. Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in Ecclesia [stantem coram Angelo Domini] orantem pro reditu populi. 2. *Machab.* 15. Hic est fratrum amator, hic est qui multum orat pro populo, & pro vniuersa ciuitate sancta. Et propter hoc figura est Domini nostri Iesu Christi: ille enim proprium sanguinem offerens, orauit pro nobis. *Heb.* 5. Factus est Dominus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. dicitur autem stare coram Angelo: quia & Angelus in persona domini apparens, pro reditu populi laborabat: vel forte vt Angelum adiutorem haberet & intercessorem

Iesus Sacerdos typus est Christi.

& intercessorem. *Psal.* 102. Benedicite Dominum omnes Angeli eius. Et subdit de ablatione impedimenti [& satan] hoc est, aduersarius diabolus [stabat] Stare pertinaciam malitiæ significat [à dextris eius] vt scilicet bonis eius quæ per dexteram significantur, aduersaretur [vt aduersaretur ei] hoc est, precibus eius. 1. *Pet.* 5. Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. *Ephe.* 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, tantum, supple: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. *Psal.* 90. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: tibi autem non appropinquabit.

Et dixit Dominus ad satan] hoc est, Angelus in persona Domini. *Matt.* 16. In nomine meo dæmonia eiicient [Increpet te Dominus satan] hoc est, increpatio Domini nocendi auferat tibi potestatem. Increpatio enim Domini, restrictio potestatis diaboli est. *Psal.* 67. Increpa feras arundinis [& increpet Dominus in te] id est, restringat malitiam tuæ voluntatis. *Deut.* 33. Eiiciet à facie tua inimicum tuum, dicetque: Conterere. *Roma.* 16. Dominus conteret satan sub pedibus vestris velociter [qui elegit Ierusalem] spiritualem plus quàm literalem. *Psal.* 131. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Et subdit de statu pristinæ humiliationis, & dicit duo: scilicet pristinæ humiliationis vtilitatem, & humiliationis significationem [Nunquid non iste torris est?] Torris est titio, in quo pars consumpta est per ignem, & pars remansit [exutus de igne] captiuitatis scilicet, & tribulationis. Et vult dicere, quod iam purgatus sit: eo quod crepabile peccati per afflictionem captiuitatis consumptum sit, reliquum vero reseruandum sit ad ædificium spirituale. *Sap.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos, & inuenit eos dignos se. *Psalm.* 25. Proba me domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum, & vide si via iniquitatis in me est. Et subdit de humiliationis significatione.

Torris.

Et Iesus erat indutus vestibus sordidis] Hæc vestimenta sordida literaliter significant, quod populus inquinatus erat alienigenis vxoribus, sicut dicitur 2. *Esdræ vlt.* & *Nehe. in fine*, & filij ex media parte loquebantur Azotice, & ex media parte Iudaice. *Isaiæ* 63. Omnia indumenta mea coinquinaui. *Isaiæ* 64. Facti sumus vt immundi omnes nos. Mystice autem significant humilitatem carnis, assumptionem peccatrici carni similem. *Philip.* 2. Exinanit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hoc dicitur sordidum: quia peccatis in eo fuerunt peccatorum. 2. *ad Corinth.* 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, Deus, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Vnde etiam omnes peccatores damnatus est. *Isa.* 53. Cum iniquis deputatus est. *Psal.* 16. Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras [& stabat ante faciem Angeli] Iesus scilicet orans & supplicans pro commissis. *Ioan.* 17. Pro eis rogo, non pro mundo.

Vestimenta Christi sordida.

Qui] scilicet Angelus [respondit] aduersationi scilicet satanæ. *Isa.* 38. Domine vim patior, responde pro me [& ait ad eos] alios scilicet Angelos [qui stabant coram se] ministerium scilicet reddentes ad redemptionem populi. *Heb.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt saluris? [dicens] hoc est, de restituenda dignitate præcipiens [auferte ab eo vestimenta sordida] vel scilicet squalorem carceris, vel inquinamenta vxorum alienigenarum, vel in domino nostro Iesu Christo depositionem mortalitatis. *Baruch.* 5. Exue te Ierusalem stola luctus & vexationis. *Ephe.* 4. Deponite vos veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris [& dixit ad eum] Sacerdotem scilicet [Ecce abstuli à te iniquitatem tuam] id est, signum iniquitatis populi tui [& indui te muratoriis] diuersis scilicet ornamentis. *Gene.* 41. Eductum de carcere totonderunt Ioseph, ac veste mutata obtulerunt eum regi. *Baruch.* 5. Induc te decore & honore, qui à Deo tibi est in gloria sempiterna. *Psal.* 29. Conscidisti saccum meum: & circumdedisti me lætitia.

Et dixit] Angelus scilicet in persona domini [Ponite cidarim mundam super caput eius] Glossa id est mitram per quam sacerdotij dignitas designatur, & literaliter & spiritualiter. *Eccl.* 45. Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis: est gloria honoris: & opus virtutis, desiderio oculorum ornata. *Baruch.* 5. Imponet mitram capiti tuo, honoris æterni. Hæc est mitra pontificis, in circulo significans pontificis maturitatem, quæ æternitatis est similitudo (vt dicit *Beatus Bernardus*, in auro regalis sacerdotij auctoritatem in lapidibus virtutum radiationem, in cornibus in verbo veritatis, & virtutis, in opere fortitudinem, ad ventilandum omne peccatum, & omnem errorem: in retis dependentibus cum fimbriis, populi cum capite colligationem per vinculum geminæ charitatis [& induentur eum vestibus albis] candidationem scilicet luminis significantibus. *Eccle.* 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida. *Isaiæ* 61. Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me. *Apoca.* 3. Qui non inquinauerunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Et subiungit de dignitatis consumatione, in tribus, scilicet, custodia legis, in restitutione regni, & regis in securitate pacis [Et Angelus Domini] in persona scilicet Domini [stabat] patens scilicet innate. *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.

Cidaris.

Mitra capitis significatio.

Et contestabatur Angelus Domini] id est, per testimonia Patrum sanctorum protestabatur. *Iob* 10. Inuitus testes contra me. Iesum] Sacerdotem magnum scilicet] dicens: Hæc dicit Dominus exercituum] potens scilicet, sciens, & volens [si in viis meis] hoc est, in mandatis meis ambulaueris hoc est, profecceris. *Isa.* 2. Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. *Psalm.* 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini [& custodiam meam custodieris] templum scilicet, vel præcepta. *Ioan.* 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. *Proverb.* 3. Fili mi ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.

Tu quoque iudicabis domum meam] hoc est, familiam. *Glossa.* Tanquam pontifex. *Isa.* 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. & custodies atria mea] Atria significant

Aut a Ecclesia.

nificant receptacula fidelium in Ecclesia, secundum diuersos viuendi modos. *Psalm.* 91. Adorate Dominum in atrio sancto eius. Item *Psalm.* 121. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem. Et promittit ministros in partem solicitudinis assumendos.

Et dabo tibi ambulantes]in ministerio tuo scilicet. *Num.* 11. Auferam de spiritu tuo, tradamque septuaginta viris, vt sustentent tecum quasi onus populi, & non tu solus graueris. Hoc impletum est *Luce* 10. & 11. vbi elegit Dominus & alios septuaginta duos Discipulos & misit eos in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus [de his qui hic nunc assistunt] per quod innuitur, quod eligendus in Prælatum, & coram Domino assistere debet, & de collegio esse. *Act.* 1. Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius fieri nobiscum vnum ex istis. *Osee* 2. Dabo ei vinitores ex eodem loco. Et subdit de restitutione regni.

Pontifex medius est inter Deũ & populũ.

Audi Iesus Sacerdos magne] Per te enim alij debent audire: propter hoc enim pontifex est, quasi medius inter populum & Deum, vt Deum audiat & populo nuntiet Dei voluntatem. *Exod.* 18. Tu eris in his quæ ad Deum pertinent, & annuntiabis eis verba mea[tu & amici tui]subministri scilicet. *Ioan.* 15. Vox dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis [qui habitant coram te] innuit quod familia oculis Prælati sæpe visitanda est. *Prou. vlt.* Considerauit semitas domus suæ [quia viri portendentes sunt] id est, qui magna portendant & promittant in futurum. *Ezech* 12. Ego portentum vestrum quomodo feci, sic fiet illis. *Isaie* 8. Ego & pueri mei, quos mihi dedit Deus in signum, & in portentum domui Israel à Domino exercituum[Ecce ego adducam] coram te scilicet vngendum & sanctificandum[seruum meum Orientem] Seruum dicit ab actu seruiendi. *Psal.* 115. O Domine quia ego seruus tuus. Orientem dicit: quia subter eum (vt infra quarto dicitur) omne bonum orietur. Quod Iudæi de Zorobabel exponunt: sed quia non legitur, melius exponitur de Christo, de quo *Malach. vlt.* Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. *Isa.* 60. Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.

Christus oriens & lapis dicitur.

Quia ecce lapis] eundem vocat lapidem quem vocauit Orientem pro stabilitate virtutis & constantia mentis. *Iob* 3. Cum lapidibus regionum erit pactum tuum. *Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [quem dedi coram Iesu]vt scilicet in doctrina sacerdotis, & præsit & prosit. Sic Dauid fuit vnctus à Samuele 1. *Reg* 17. [super lapidem vnum]hoc est, vnicum ex aliis electum [septem oculi sunt]hoc est, septem circumspectiones, sex ad proximum disponendum, & vna ad Deum: aspexit enim ad superiores qualiter præessent, ad inferiores qualiter subessent, à dextris qualiter boni proficerent, à sinistris qualiter mali corrigerentur, ante quid in futurum prouideretur, retro quid ex præterito memoriæ commendaretur. Septimo ad Deum aspexit, qualiter per orationem continuo populo placaretur, istæ sunt septem lucernæ in candelabro tabernaculi *Exod.* 15. Et septem spiritus qui in conspectu throni Dei sunt *Apoc.* 1. Et subdit de ornatu algamatis in lapide [& ecce ego cælabo] hoc est, sculpam [sculpturam eius] scilicet; lapidis [ait Dominus exercituum]vt scilicet figura potestatis & virtutis meæ in ipso appareat. *Isa.* 54. Ponam portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles [& auferam iniquitatem terræ illius]possessiue, id est, suæ. Et loquitur de lapide per modum politionis: politione enim lapidis scabrositas auferitur, & splendor acquiritur.

Prælatorũ septẽ sunt oculi.

In die vna]quæ dies redemptionis nostræ fuit. *Apoc.* 1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. *Michæ vltimo.* Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Et subdit de securitate pacis [in die illa] lucente scilicet clara gratia [dicit Dominus exercituum] *Psal.* 117. Hæc est dies quam fecit Dominus[vocabit] hoc est, aduocabit[vir amicum suum]charitate scilicet coniunctum[subter vineam suam]id est, ad communicationem æternorum gaudiorum. *Isaie* 5. Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est, viri Iuda germen eius delectabile. *Cant.* 7. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus eius ad ruminandum [& subter ficum suam]hoc est, ad communicationem dulcedinis in fructu virtutis. *Ioan.* 1. Cum esses sub ficu vidi te.

CAPVT IV.

Et reuersus est Angelus.

Hic agitur de templi restitutione, & hoc per candelabrum quod & maior decor erat templi, & non nisi templo iam perfecto in templum inferebatur. Et habet duas partes. In prima ponitur visio. In secunda explanatio *ibi* [Et respondi, & aio ad Angelum] In prima duo sunt: excitatio scilicet videntis ad videndum, & ostensio visionis.

Et reuersus est Angelus qui loquebatur in me non de loco ad locum, sed de ostensione vnius visionis ad ostensionem alterius. *Eccl.* 1. Lustrans vniuersa per circuitum pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur [& suscitauit me quasi virum qui suscitatur de somno suo] Quasi, dicit: Quia non erat verus somnus, sed hæc est fragilitas cõditionis humanæ (vt dicit *Gregorius*) quod ostensa diuina luce in seipsam repercutitur; & quasi consopita cadit. Sic Discipuli ceciderunt in monte. *Matth.* 17. *Dan.* 10. Domine, in visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me virium. Suscitatio autem est ad exteriora videnda excitare. Vnde *Glossa*, de somno suæ quietis scilicet, vel ignorantiæ. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Item alia *Glossa*. Qui dormit illo somno, de quo dicitur *Iob.* 21. Si dormit, salus erit: potest cantare cum sponsa *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat [& dixit ad me]iam supple, excitatum. *Dan.* 10. Loquere Domine, quia confortasti me[quid tu vides] ostensio visionis tangitur hic, & fuit visio imagi

Spiritus, vis & animæ, mente inferior.

imaginaria siue spiritualis. Dicit enim *Augustinus* 12. *super Gen. ad literam*, quod spiritus est vis quædam mente inferior, in qua imagines rerum describuntur. In hanc enim possunt Angeli imprimendo formas sub quibus futura demonstrantur.

Et dixi]Angelo scilicet respondens [vidi] hoc est, imaginaria visione percepi, quod ostendis. *Iob* 13. Ecce hæc omnia vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula[& ecce candelabrum aureum totum] Duo continet visio: ostensionem candelabri, & ostensionem oliuarum. Candelabrum autem describit in materia, in vsu, in numero lucernarum, & numero infusoriorum [Ecce candelabrum aureum totum] *Exod.* 26. Facies & candelabrum ex auro purissimo. Et subdit vsum [& lampas eius]flamma scilicet luminis. Et propter similitudinem fracturæ, licet septem lampades essent, in singulari tamen dixit, lampas [super caput ipsius]candelabri scilicet. *Cant.* 8. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Et subdit de numero[& septem lucernæ eius]candelabri scilicet [super illud] Stabat enim vna super hastile medium, & sex super tres calamos inde ad æqualitatem hastilis in summitatem porrectos: sicut dicitur *Exod.* 25. [& septem infusoria] quæ erant vasa aurea in candelabro iuxta lucernas pendentia; in quibus oleum purissimum reseruabatur, & lampadibus infundebatur. Et hoc est quod sequitur[lucernis quæ erant super caput illius]candelabri scilicet adhibita.

Scripturæ sacra septẽ sunt studia.

Hieronymus dicit, quod Hebræus dicit, quod per candelabrum significatur lex, vel sacra Scriptura: per lampadem vel Christus, vel intellectus spiritualis. *Luce* 8. Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum. *Apoc.* 1. Qui ambulat in medio candelabrorum aureorum. Per septem lucernas, septem dona sancti Spiritus, vel septem circumspectiones Prælatorum, de quibus in antecedenti capitulo dictum est. *Isaie* 62. Donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Per septem infusoria, septem genera significantur virtutum, quibus & lumen veritatis & ardor charitatis nutritur, de quarum tribus dicitur 1. *ad Corinth.* 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc. De quatuor aliis *Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem, quibus in vita nihil vtilius hominibus est. Sobrietatem vocat temperantiam, & virtutem fortitudinem.

Et duæ oliuæ] subdit hic de ostensione oliuarum, quarum fructus veritas (quæ secundum pietatem est) nitritur: non enim incongrue candelabrum ad Doctorem vel Prælatum refertur. De Prælatis enim dicitur *Luc.* 12. Lucernæ ardentes in manibus vestris, & tunc septem infusoria septem sunt sacræ Scripturæ studia, literale scilicet ad veritatem, allegoricum ad fidem, tropologicum ad mores, anagogicum ad spem quæ est de æternis, disputatiuum ad exteriores conuincendos. *Tit.* 1. Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit in doctrina sana exhortari, & contradicentes reuincere. Sextum est studium exhortationis ad bonos vt proficiant. Septimum studium increpationis ad duros & obstinatos ne noceant. 2. *ad Timoth.* 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Duæ autem oliuæ secundum Hebræos, Iesum sacerdotem magnum, & Zorobabel significant. Secundum nos autem, duo testamenta, fructum pietatis ministrantia. *Osee vltim.* Erit quasi oliua gloria eius. Vel duos principes, Petrum & Paulum. Paulus enim in præputio, & Petrus in circumcisione Ecclesiam plantauerunt. *Psal.* 2. Ego quasi oliua fructificans in domo Dei. Vel Eliam & Enoch in fine mundi, humorem pietatis ministrantes. *Apoc.* 11. Isti sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia in conspectu Domini. Vel Christum secundum diuinam & humanam naturam. *Iere.* 11. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum [super illud] candelabrum scilicet: videbantur enim rami oliuarum expandi super candelabrum & super lucernas, vt ex ramis exprimeretur oleum in infusoria, & ex illis in lucernas funderetur [vna à dextris lampadis]ad spiritualia scilicet illuminans [& alia à sinistris eius]lampadis scilicet illuminans qualiter disponenda sint temporalia, vt scilicet omnis via lucida fiat, & impleatur illud *Ioan.* 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et illud *Ioan.* 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Et respondi] De ostensis petit hic illuminationem & expositionem, & bis exponit, semiplene scilicet, & plene *ibi* [Et factum est verbum Domini.

Et respondi] potius scilicet visioni quam loquenti[& aio ad Angelum qui loquebatur in me, dicens] per desiderium scilicet illuminationis [quid sunt hæc]hoc est, quid significant hæc [domine mi] Dominum vocat Angelum: quia in persona Dei illuminantis apparuit [& respondit Angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me] quod in occulto contemplationis fieri consueuit. *Iob* 4. Quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius[Nunquid nescis] Ista explanatio increpationem habet, & impedimenti ablationem [Nunquid nescis quid sunt hæc]increpat: quia ex collatione præcedentis visionis, & istius, intellectum scire poterat: & quia istam collationem non fecit, increpat, & vt excitet ad attentionem [Et dixi, Non, domine mi]reuerenter loquitur, vt inclinet ad illuminandum.

Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini] quod scilicet in hac visione ostendit tibi[ad Zorobabel] supple, directum[dicens] istud, supple, quod sequitur [Non in exercitu, nec in robore]supple, implebit quod dixit, nec in multitudine, nec in robore bellatorum, nec propria virtute. *Iudic.* 7. Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manu eius, ne glorietur contra me Israel, & dicat, Meis viribus liberatus sum. 1. *ad Corinth.* 1. Quæ infirma sunt huius mundi elegit Deus, & quæ non sunt: vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro coram eo [sed in spiritu meo]supple, fiet reductio populi & à Chaldæis & à diabolo[dicit Dominus exercituum]Spiritus enim vector virtutis est, & ad conterendas potestates contrarias, & ad facienda miracula, & ad cordium conuersionem. 1. *Machab.* 3. Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes qui ausi fuerant parere dimentes Dei virtute in dissolutionem & humiliationem conuerterentur. Et subdit de ablatione impedimenti.

Quis

Quis tu mons magne coram Zorobabel ?] ſupple, es. Montem magnum regnum Chaldaicum vocat, vel diabolum propter ſuperbiam. Et eſt ſenſus, quod magnitudo ſecularis contra ſpiritum Domini nihil eſt. Et hoc eſt quod ſequitur [in planum] *Gloſſa*. Proſtratus eris ab alto, vt ab omnibus ſcilicet plane conculceris. *Iere* 51. Ecce ego ad te mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram, & extendam manum meam ſuper te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis. *Matth.* 17. Dicetis monti huic: Tollere & mittere in mare; & fiet. Illo autem humiliato, oſtendit quid fiet de Zorobabel qui Chriſtum ſignificat [& educet lapidem primarium] hoc eſt, de humilitate ad publicum : lapidem propter ſtabilitatem, primarium quia in fundamento locatum, ſicut lapis primarius in ædificio ſacro ponitur. *Iſa.* 28. Ecce, ego mittam in fundamentis Sion lapidem, angularem lapidem, probatum, pretioſum, in fundamento fundatum [& exæquabit gratiam gratiæ eius] vt ſcilicet ſicut patres liberauit, ita faciat filiis : & per Chriſtum etiam multo maiorem gratiam fecit. *Ioan.* 1. De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, Et ſubdit de pleniori expoſitione.

Et factum eſt verbum Domini ad me dicens] per ſingula ſcilicet explanans [Manus Zorobabel] hoc eſt, labores & opera [fundauerunt domum iſtam] hoc eſt, fundare cœperunt. 1. *ad Corinth.* 3. Vt ſapiens architectus fundamentum poſui [& manus eius perficient eam] vt ſcilicet nihil deſit in vlla gratia. *Deuter.* 32. Dei perfecta ſunt opera. 3. *Reg.* 6. Perfecta eſt domus in omni opere ſuo, & in omnibus vtenſilibus ſuis [& ſcietis quia Dominus miſit me ad vos] quando ſcilicet meum complebitur vaticinium. *Eccli.* 36. Da mercedem Domine ſuſtinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Bene dico quod perficient [Quis enim deſpexit dies paruos] hoc eſt, quantus & quàm mirabilis eſt, qui principum ſecularium dies paruos deſpicit, in quibus ſuperbire poſſunt, vt nihil penitus propter illorum timorem dimittat de operibus Dei. 1. *Machab.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, cuius gloria ſtercus & vermis eſt : hodie extollitur, & cras non inuenietur. *Iſaie* 51. Quis tu vt timeas ab homine mortali ? *Pſalm.* 36. Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani : & tranſiui, & ecce non erat.

Opus Dei timore tyrannorum non deſerendum.

Et lætabuntur] ſupple, ſubiecti Zorobabel, vel Chriſto. *Iſa.* 9. Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe [& videbunt] Prælatum ſuum ſcilicet [lapidem ſtanneum] lapidem propter firmitatem, ſtanneum propter ſtanni proprietatem. Stannum enim (vt dicit *Hieronymus*) metalla conſeruat ne adurantur, & vult dicere quod erit conſeruatio populi ne conſumatur ab inimicis : quod non legitur factum eſſe per Zorobabel, ſed de Chriſto ſignificatum per Zorobabel. Et hoc eſt quod ſequitur [in manu Zorobabel] De Chriſto enim dicitur, quod lapis eſt. 1. *ad Corinth.* 10. Petra autem erat Chriſtus. Chriſtus etiam conſeruat ſuos ab incendio conſumptionis diaboli. Propter hoc enim elegit conſumi in Paſſione, ne ſui conſumerentur apud inferos. *Ioan.* 17. Quos dediſti mihi cuſtodiui : & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis. Et quia ſupra dictum eſt tertio, quod ſuper lapidem ſeptem oculi ſunt, ſubdit, expoſitionem oculorum repetens [ſeptem ſunt oculi iſti Domini] ſupple, qui ſuper lapidem ſunt [qui diſcurrunt in vniuerſa terra] vndique ſcilicet circumſpicientes. *Eccli.* 10. Oculi eius ſeptemplices ſunt. *Ecc.* 23. Oculi Domini lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum. Et de iſtis ſatis ſupra dictum eſt.

Chriſtus in lapide ſtanneo adumbratus.

Et reſpondi] hoc ſcilicet mihi oſtendenti [& dixi ad eum] Angelum ſcilicet mihi loquentem [quid ſunt duæ oliuæ iſtæ ?] hoc eſt, quid ſignificant [ad dexteram candelabri, & ad ſiniſtram eius] Et quia Angelus ad hoc nihil reſpondit, repetit quæſtionem ſubdens [Et reſpondi ſecundo] *Matth.* ; Pulſate, & aperietur vobis. Et dat exemplum, quod ſi primo non exaudimur, iterum pulſandum eſt [& dixi ad eum] Angelum ſcilicet [quid ſunt duæ ſpicæ oliuarum ?] Spicas vocat propter fertilitatem olei & erectionem [quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea] candelabri ſcilicet. Et roſtra vocat forte propter ſimilitudinem : quia ad ſimilitudinem roſtrorum extrema candelabri facta ſunt, quaſi hiantia ad olei ſuſceptionem [in quibus] ſcilicet roſtris [ſunt ſuffuſoria ex auro] De omnibus his in ante habitis dictum eſt.

Et ait ad me, dicens] Angelus ſcilicet [Nunquid neſcis quid ſunt hæc ?] Quaſi dicat : Ex ipſa ſimilitudine viſionis poſſes intelligere, ſi non obſtaret quod dicitur *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem [& dixi] Non, Domine mi] Dicit enim *Philoſophus*, quod non intelligenti non eſt pigritandum dicere : Non intelligo [& dixit] benignus ad illuminationem [iſti ſunt duo filij olei] hoc eſt, pinguedinis æternæ & pietatis. *Eccli.* 44. Iſti ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt [ſplendoris] & hoc dicit propter exemplum virtutis. *Matth.* 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona [qui] ſcilicet per contemplationem continuam [aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ] hoc eſt, Deo. *Apoc.* 11. idem, *Eſthet* 13. Dominus omnium tu es.

CAPVT V.

Et conuerſus ſum.

IN hoc capitulo ſecundum ſupra dictam diuiſionem rememoratio fit peccatorum, & diuiditur in tres partes, ſecundum tres viſiones quæ hic inducuntur. In prima deſcribitur condemnatio peccati, in ſecunda peccati oppreſſio per pœnam *ibi* [Et egreſſus eſt Angelus] In tertia diſſipatio peccatorum per captiuitatem *ibi* [Et leuani oculos meos, & vidi] In prima tria ſunt, ſcilicet, viſionis oſtenſio, & eiuſdem explanatio, & tertio per effectum impletio.

Et conuerſus ſum] à viſione ſcilicet lætæ oſtendendæ ad viſionem triſtia monſtrantem. Vel conuerſus ſum intra memetipſum : ipſe enim per imaginariam viſionem vidit. *Pſalm.* 76. Meditatus ſum nocte cum corde meo [& leuaui oculos meos] intellectuales ſcilicet ad alta contuenda : terram enim aſpiciendo nihil videtur diuinorum. *Pſal.* 16. Statuerunt oculos ſuos declinare in terram [& vidi]

vidi] hoc eſt, intus intellexi. *Luca.* 10. Beati oculi qui vident [& ecce volumen volans] hoc eſt, cito veniens. Hoc volumen ſignificat Scripturam, vel ſapientiæ diuinæ diſpoſitionem, determinantem pœnas ſingulis peccatis, pro quantitate & qualitate meritorum. *Danie.* 7. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. *Apoca.* 20. Iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta ſunt in libro. Volatus autem velocitatem ſignificat ſententiæ. *Iaco.* 5. Ecce index ante ianuam aſſiſtit. *Iſa.* 5. Ecce feſtinus velociter veniet.

Et dixit ad me] miſſus, ſupple, Angelus ad me illuminandum [Quid tu vides ?] hoc eſt, Quid ſignificat quod vides ? Et eſt excitatio ad inquirendum, & hoc ſignificat benignitatem & largitatem illuminantis. *Sap.* 6. Dignos ſe ſapientia circumit quærens [& dixi] hoc quod accepi in illuminatorem referens, vt plus ſcilicet accipiam. *Eccli.* 1. Ad locum vnde oriuntur flumina, reuertuntur, vt iterum fluant [Ecce ego video volumen volans] *Iſa.* 8. Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Et quid profecerit, addit [longitudo eius viginti cubitorum] quia pœnæ menſurantur longitudine diuturnitatis [& latitudo eius decem cubitorum] Culpæ enim menſurantur tranſgreſſione decalogi. In duplum enim menſurantur pœnæ quam culpæ : pœnæ enim duplices fuerunt, ſcilicet, famis & peſtis intus, & gladius hoſtis captiuantis extra; & pœna in ſingulas tranſgreſſiones decem duplicata, viginti facit. *Thren.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. *Iſa.* 40. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. *Apoc.* 18. Reddite illi ſicut ipſa reddidit vobis, & duplicate illi duplicia.

Simplici culpa cur duplex pœna infligatur

Si quæritur, Quare latitudo menſuratur in decem, & longitudo in viginti. Dicendum, quod plenitudo legis eſt dilectio. *Rom.* 13. Charitas autem implens decalogum in latitudine ſe extendit à Deo ſcilicet in ſe, & à ſe in proximum, & à proximo in inimicum : & ideo etiam numerus tranſgreſſionum ex defectu talis charitatis proueniens latitudinem voluminis menſurat. Longitudo autem refertur ad pœnas durantes in futurum, quæ duratio longitudo eſt : & cum quodlibet peccatum puniatur defectu boni & afflictione mali, per viginti menſuratur longitudo. Iſte eſt liber quo cibatus eſt *Ezech.* 3. in quo ſcripta erant lamentationes & carmen & væ, lamentationes pro culpis, væ pro pœnis, carmen de laude Sanctorum pro iuſtitia, quæ per pœnas vel vindicat, vel purgat culpas. *Pſalm.* 57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.

Et dixit ad me] Angelus ſcilicet [Hæc eſt maledictio] id eſt, ſententia maledictionis eſt hic ſcripta [quæ egreditur] de intimo ſcilicet Dei iudicio, & de occulto ad publicum [ſuper faciem omnis terræ] hoc eſt, omnium terrenorum, per metonymiam *Pſal.* 81. Surge Deus, iudica terram. *Iſaie* 2. Ingredientur in ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram. Et qualiter hoc fiat, ſubdit [quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur] fur dicitur [vt dicit *Labeo*) qui in furno, hoc eſt, in nigro accipit & contrectat rem alienam, & ideo dicitur fur omnis homo qui in occulto turpe agit : quia per hoc & ſe & proximum Deo inducit. *Ioan.* 10. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat [& omnis iurans] id eſt, peierans ex hoc, ſupple, quod ibi ſcriptum eſt [ſimiliter iudicabitur] hoc eſt : condemnabitur à Deo ſcilicet & à Sanctis. *Pſal.* 149. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Et qualiter ſententia effectui mancipetur, ſubdit.

Educam illud, dicit Dominus exercituum] *Iſa.* 16. Sedebit ſuper illud iudicans in veritate & velociter reddens quod iuſtum eſt [& veniet] per effectum ſcilicet [ad domum furis] hoc eſt, ad poſſeſſionem & familiam [& ad domum iurantis in nomine meo mendaciter] *Eze.* 20. Non habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui frustra. *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. *Deute.* 19. Si fuerit teſtis mendax contra hominem. Et poſt paucis : Non miſereberis eius, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges ab eo [& commorabitur in medio eius] non recedens ſcilicet [& conſumet eum] cum domo ſcilicet [& ligna eius & lapides eius] domus ſcilicet. Ligna ſignificant cremabilia leuiora, lapides grauiora quæ diu tenent ignem. *Iob* 18. De ore pulchritudinem cutis eius, & conſumat brachia eius primogenita mors. Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eam quaſi rex interitus.

Iuramentum non omnibus licet.

Iuramentum non omnibus licet ſupplicium.

Et egreſſus eſt] Secunda pars in qua agitur de iniquitatis condemnatione & repreſſione per ſententiam, & hoc ſub viſione & metaphora. Et propter hoc habet tres partes, ſcilicet, viſionis oſtenſionem, viſionis explanationem incompletam, & explanationem completam.

Et egreſſus eſt Angelus] ad aliam ſcilicet viſionem oſtendendam, quæ ſententiam præmiſſam ad effectum condemnationis perducere [qui loquebatur, in me] officium ſcilicet illuminationis in me exercens [& dixit ad me] ad illuminationem ſcilicet me excitans [Leua oculos tuos] vt ea quæ ſuper rationem ſunt, videas [& vide] per intellectum ſignificationis [quid eſt hoc] ſcilicet, per ſignificationem [quod egreditur] de mente Dei ſcilicet diſpoſitione. Habac. 3. Domine audui auditionem tuam, & timui : conſideraui opera tua, & expaui.

Et dixi] petens ſcilicet illuminationem [Quid nam eſt ?] id eſt, Quid ſignificat [& ait] illuminando me [Hæc eſt amphora egrediens] Alia tranſlatio, menſura. Et intelligitur capacitas iniquitatis in proportione ad pœnam. Dicitur enim amphora ab ah, quod eſt ciuitas, & foro phoras, quod eſt concaua concauas. *Iſa.* 2. In menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, iudicabit eam. Et vltimo exponens, addit [& dixit] ſcilicet, ad me [Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra] Quia demonſtratio fit ad oculum, ideo per oculum demonſtratio ſignificatur. Et ſenſus eſt : Hæc eſt demonſtratio iniquitatis eorum qui habitant in vniuerſa terra, vt ſcilicet quantum quiſque peccauerit, tantum puniatur. *Deut.* 25. Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Et intelligendum eſt, quod hæc menſura amphoræ implenda eſt quantitate pœnæ. Ad pœnam autem duo exiguntur, ſcilicet, oppreſſio quæ liberet eum peccandi cupiditate & libidinis ad peccandum reſtructio. Et hoc ſubiungit per duas ſimilitudines, oppreſſionem autem cum dicit.

Pœnarum duplex indiuiſio.

Et ecce talentum plumbi portabatur : Plumbum oppreſſionem ſignificat : quia ſcilicet aggrauat

est terra iniquitate. *Isa.* 14. Grauabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adiiciet vt resurgat. *Psal.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quod autem dicitur, Portabatur, intelligitur quod ab Angelo aliquo, vel per se dispositione diuina ferebatur. De repressione libidinis ad peccandum, subdit.

Et ecce mulier vna] hoc est, vnica quæ inter mulieres hoc habuit quod emollire potest. Significat enim concupiscentiam auaritiæ & idololatriæ & carnalis concupiscentiæ [sedens] hoc est, quiescens [in medio amphoræ] hoc est, iniquitatis suæ, tamquam pacem habens in peccato. Vnde dicit *Apoc.* 18. Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo [& dixit] Angelus scilicet me illuminans [Hæc est impietas] in fæcibus suis scilicet requiescens. *Ier.* 48. Requieuit in fæcibus suis. Sicut duæ & decem tribus ante captiuitatem in peccatis requiem habebant, & aperte iniquitates exercebant. De quo dicit se zelare Dauid in *Psal.* 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns [& proiecit eam] Angelus scilicet. Proiecit autem per timorem hostis, & captiuitatis [in medio amphoræ] vt scilicet quæ prius gloriabatur & efferebatur ostentando iniquitatem suam, modo ad infima antrorum & cauernarum timore hostis reprimeretur. *Isa.* 2. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini [& misit massam plumbeam in os eius] amphoræ scilicet, ne mulier in sua demonstrationem resurgere posset, hoc est, grauamine iniquitatis suæ obstruxit ei os ne loqui posset. 1. *Reg.* 2. Impij in tenebris conticescent. *Psal.* 62. Obstruatur est os loquentium iniqua.

Et leuaui oculos meos] Hic tangitur condemnatæ iniquitatis in captiuitatem deportatio, & dicuntur duo, scilicet, visionis ostensio, & eiusdem explanatio.

Et leuaui oculos meos] vt scilicet dispositionem iustitiæ diuinæ videremus, quæ non nisi eleuatis oculis videri potest, vt dicit *Hieronymus*. [& vidi] interius scilicet per inspirationem. *Ezech.* 1. Aperti sunt mihi cæli, & vidi visiones Dei [& ecce duæ mulieres] decem scilicet tribus & duas significantes, quæ *Ezech.* 23. dicuntur Oola & Ooliba, mulieres decem: quia omnibus vitiis emollitæ, sicut *Ezech.* 16. dicitur [egredientes] hoc est, merito suæ iniquitatis in exilium delatæ. *Isa.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te [& spiritus] hoc est, ventus [in alis earum] supple, erat scilicet vt alis quasi velis ad ventum mutarentur. Ventus enim significat medium diuinum: alæ autem idololatriam & superbiam, in quas quasi erumpere iudicium diuinum, cadentes fecerit in captiuitatem. *Osee* 4. Ligauit eum spiritus in alis suis. *Isa.* 63. Ceciderunt quasi folium vniuersi, iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos [& habebat alas quasi milui] id est immundum & vile animal & rapax, significat rapacitatem ad proximum in ala vna, & auaritiam idololatrandi in ala altera: quas tles cumulabant vt proximum opprimerent, & Deum prouocarent. *Isa.* 8. Et extensio alarum eius in medio terræ tuæ, ô Emanuel. Idem significat. *Ezech.* 17. Aquila grandis magnarum alarum longarum plenarum & varietate longo membrorum ductu venit ad Libanum, & tulit inde medullam cedri [& circumdederunt amphoram] hoc est, totus iniquitatis capacem populum [inter cælum & terram] vt scilicet cælum quoad præmia Sanctorum non tangeret, & tamen terram quoad perditionem temporalium deseret. *Psal.* 51. Euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Et subdit de explanatione, duo dicens, desiderium scilicet illuminationis Prophetæ, & ipsam illuminationem.

Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me] petens illuminari de visis. *Psal.* 42. Emitte Spiritum tuum & creabitur, & renouabis faciem terræ [Quo istæ deferunt amphoram] *Psal.* 5. Secundum multitudinem iniquitatum eorum expelle eos [Et dixit ad me] Angelus scilicet [Vt ædificetur ei domus] ad longum habitatione [in terra Senaar] quod fœtor dentium interpretatur. Et ipse dicere, quod in terra Chaldæorum fœtidis dentibus Chaldæorum masticabitur & conteretur: vt fœtor masticauerunt pauperes, ita masticentur ab hostibus. *Prouer.* 30. Est generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus [& stabiliatur] ad moram scilicet septuaginta annorum [& ponatur] hoc est, fundetur [ibi] hoc est, in Chaldæa vel in inferno [super basim suam] hoc est, iniquitatis suæ pœnam quam meruit. *Ier.* 29. Ædificate domos, & plantate hortos: accipite vxores, & generate filios in Babylone. Et post pauca subdit causam. Quia eritis ibi septuaginta annis.

Senaar.

CAPVT. VI.

Et conuersus sum.

DE impletione præmissorum tangitur hic, & diuiditur in partes duas. In prima tangitur destructio inimici, in secunda adeptio boni promissi *ibi* [Et factum est verbum Domini ad me, dicens] Prima in tres diuiditur. Primo enim ostenditur visio. Secundo ponitur explanationis petitio. Tertio explanatio.

Et conuersus sum] à tristibus scilicet ad læta videnda. *Psal.* 31. Conuersus sum in ærumna mea [& leuaui oculos meos] ad supernaturalia scilicet videnda [& vidi] id est intellectu percepi [& ecce quatuor quadrigæ] quatuor scilicet regna mundi significantes, & de quatuor partibus mundi egredientes. Ab Aquilone enim egressum est regnum Chaldæorum, à Meridie regnum Græcorum, ab Oriente regnum Medorum, ab Occidente regnum Romanorum [egredientes] de occulta scilicet Dei dispositione ad publicam mundi venientes. *Isa.* 45. Egredietur de ore meo verbum & non reuertetur ad me vacuum [de medio duorum montium] *Hieronymus*. Quos supra primo, mysteria vel vmbrosos montes vocauit, hic vocat æneos: montes autem dicit propter eminentiam legis & prophetiæ, in quibus semper ostendit Deus quæ futura erant. *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas [& montes ærei] supple, fuerunt. Ærei dicuntur propter sonoritatem prædicationis. Vnde *Ezech.* 1. vbi videtur quadriga

driga Domini, ſcintillæ micabant quaſi æris candentis. Hæc quadriga quatuor habet rotas, hoc eſt, in quatuor partes mundi volubilitatem: vnde etiam *Ezech.* 1. Rota habuit quatuor facies, & animal quatuor facies: quia quatuor regna in aſtutia rationis humanæ, & præcipitę audacia animoſitatis leoninæ, & libidinoſa concupiſcentia laſciuiæ vitulinæ, & faſtu ambitionis aquilinæ ſuperbiæ, quatuor mundi partes occupauerunt. Hæc eadem regna per quatuor cornua ſignificata ſunt ſupra, prisno. Montes autem ærei ſignificare poſſent altitudinem ſapientiæ diuinæ hæc ordinantis, & ſublimitatem poteſtatis iſta in opere ponentis. *Pſal.* 35. Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa.

Rota myſtica quatuor facierum.

In quadriga prima equi rufi] prima fuit Chaldæorum regnum, cuius equi, milites, & miniſtri trahentes, erant ſaginarij, & ideo rufi: & hoc in præcedentibus expoſitum eſt. *Apoca.* 6. Exiuit equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt illi vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant, & datus ei gladius magnus [In quadriga ſecunda equi nigri] Hæc quadriga ſignificat regnum Medorum & Perſarum, equi miniſtros & milites: nigri vero dicuntur, quia per Aſſueri regis edictum mortem omnium Iudæorum triſti nuntio perferebant. *Eſther* 3. *Apoca.* 6. Ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſua, hoc eſt, æquilibrium iuſtitiæ in iudiciaria poteſtate [in quadriga tertia] quæ regnum Macedonum & Græcorum ſignificat [equi albi] miniſtri ſcilicet & milites, & reges ſucceſſores. *Hieronymus*, Ideo albi: quia ſub eorum rege Antiocho, Machabæorum victoriam legimus, & qualiter floruerunt: quod per albedinem ſignificatur. *Apoca.* 6. Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum: & data eſt illi corona, & exiuit vincens vt vinceret [& in quadriga quarta] quæ regnum Romanorum ſignificat [equi varij & fortes] varij ex albo & aliis coloribus compoſiti Romani enim reges fuerunt, ex quibus quidam clementes in Iudæos, vt Gaius; alij perſecutores eorum fuerunt, vt Titus & Veſpaſianus, Fortes dicuntur propter fortitudinem principum illius regni. Vnde. *Danie.* 2, ſignificatur per ferrum. Quomodo ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet regnum illud & conteret omnia. Hoc non dicitur propter hoc, quod omnia iſta poſt prophetiam iſtam futura fuerunt: ſed quia Deus per hoc iniquitates mundi puniuit, & ante, & tunc, & poſtea.

Regnum Romanum ferro eſt ſimili.

Hæc ſunt quatuor beſtiæ egredientes de mari *Danie.* 7. Quatuor facies rotæ *Ezech* 1. Quatuor cornua *Zachar.* 4. *Hieronymus.* Quidam putant quatuor quadrigas, doctrinam quatuor Euangeliſtarum ſignificare, quæ Dominum vehit in omnes fines mundi, in corda fidelium. Equi rufi martyres, & equi nigri Doctores, qui profunditate myſteriorum & humilitate vitæ obſcuri & nigri videbantur. *Pſal.* 17. Tenebroſa aqua in nubibus aeris. Equi albi confeſſores & virgines. *Apoc.* 3. Ambulabant mecum in albis: quia digni ſunt. Equi varij viros varietate virtutum depictos. *Gene.* 37. Iacob filio ſuo fecit tunicam polymitam, hoc eſt, diuerſis coloribus coloratam. *Ezech.* 16. Veſtiui te diſcoloribus Sic ergo ſancti rufi charitate, nigri humilitate & ſui abiectione, albi conuerſationis honeſtate, varij virtutum varietate, equi iuſtitiæ

Quadriga euangelica.

æqualitate, rotundi obedientiæ volubilitate, per iſtas quadrigas & equos intelliguntur.

Et reſpondi, & dixi ad Angelum qui loquebatur in me] deſiderio ſcilicet illuminationis [Quid ſunt hæc, domine mi?] hoc eſt Quid ſignificant? Hæc interrogatio enim clauis ſcientiæ eſt [Et reſpondit Angelus, & dixit ad me] illuminando ſcilicet me de quæſitis [Iſti ſunt quatuor venti cæli] hoc eſt, aſpirationes poteſtatum de cælo venientes. *Ezech.* 37. A quatuor ventis cæli veni ſpiritus. *Danie.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno [qui] ſcilicet, venti occulta Dei diſpoſitione [egrediuntur] in publicum ſcilicet [vt ſtent] parati ad obſequendum [coram Dominatore vniuerſæ terræ] hoc eſt, Deo ad implendam omnem ſuam voluntatem. *Pſal.* 134. Qui producit ventos de theſauris ſuis. Et explanat per ſingula.

Interrogatio clauis eſt ſcientiæ.

In qua] ſcilicet quadriga [erant equi nigri] hoc eſt, regnum Medorum & Perſarum [egredientur in terram Aquilonis] ad illud ſcilicet conterendum & ſubiugandum. Vnde *Iſa.* 13. in onere Babylonis dicitur: Ecce ego ſuſcitabo ſuper vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, ſed ſagittis paruulos interficient: ſicut etiam Doctores regnum diaboli frigidum & tenebroſum conterunt. *Hebr.* 11. Sancti per fidem vicerunt regna [& albi] qui regnum Græcorum ſignificant [egreſſi ſunt poſt eos] Medos ſcilicet & Perſas, quos ſibi Græci ſubiugauerunt [& varij] qui Romanos ſignificant [egreſſi ſunt ad terram Auſtri] Græciæ ſcilicet regnum. *Hieronymus.* Ad auſtralem plagam, & totam terram celeri impetu vaſtauerunt [qui autem erant robuſtiſſimi] inter Romanos ſcilicet, ſicut Auguſtus & Tiberius [exiuerunt] finibus propriis non contenti [& quærebant ire] libidine dominandi [& diſcurrere] crebris ſcilicet victoriis [per omnem terram] vt ſcilicet totum mundum ſubiugarent. *Luc.* 2. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis [& dixit] Angelus ſcilicet in perſona Domini [ite, perambulate terram] *Hieronymus*, Veſtris pedibus cuncta regna ſubſternite. *Iſa.* 10. Sicut colliguntur ova quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui. Et hoc eſt quod ſequitur [& perambulauerunt terram] cuncta ſibi ſubiicientes. *Zacha.* 1. Perambulauimus terram, & ecce tota habitatur & quieſcit.

Et vocauit me] meam ſcilicet magnam conſolationem [& locutus eſt ad me, dicens] *Cant.* 4. Vox tua dulcis [Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis] hoc eſt, ad regnum Chaldæorum conterendum [requieſcere fecerunt ſpiritum meum] hoc eſt, ſpiritum iræ meæ, vt vlterius non irascar & pacato animo ſim. *Geneſ.* 6 Non permanebit ſpiritus meus in homine: quia caro eſt, hoc eſt, ira mea [in terra Aquilonis] hoc eſt, quem habui ad terram Chaldæorum. Iratus enim per nares ſufflat ſpiritum, & poſtquam ſe vindicauit, quieſcit. *Iſa.* 2. Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in naribus eius eſt.

Spiritus. *Pro ira.*

Et factum eſt] Tangit hic de adeptione boni in promiſſis ſcilicet, de reſtitutione ſacerdotij, regni, ciuitatis & templi, & tria dicit, ſcilicet, materiam coronarum, inuentionem coronarum in capite Sacerdotis impoſitionem, & coronarum ſignificationem.

Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens]

per Angelum ſcilicet qui loquebatur [ſume à tranſmigratione] hoc eſt, à tranſmigratis qui de Babylone redierunt, quos propter dignitatem deſcribit per nomina [Ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia] Holdai deprecatio Domini interpretatur, & ſignificat eos qui pro liberatione populi continuò orabant. *Luca*.5. Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. Tobias bonus Domini interpretatur, & ſignificat eos qui bonum populi deſiderabant ex fraterna dilectione. *Galat. vltimo*. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Idaia notus Domini interpretatur, & ſignificat eos qui notitiam Dei in timore & charitate diuina habuerant. *Exo*. 34. Teipſum noui ex nomine: inueniſti enim gratiam coram me. Hi offerunt munera ad templi decorem. *Pér.vlt*. Populum qui repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio offerre tibi donaria. Domine deus cuſtodi hanc voluntatem.

Holdai. Tobiae. Idaia.

Et venies tu] ô Zacharia ſcilicet [in die illa] quando lucebit miſeratio diuina. 4.*Regum* 7. Hæc dies boni nuntij eſt [& intrabis in domum Ioſiæ filij Sophoniæ] Hic erat ædituus & cuſtos templi (vt dicit *Hieronymus*) & apud eum theſauri templi reponebantur, & erat perſona excellens in religione & fama. *Iſa*. 22. Erit in ſolium gloriæ domus patris ſui, & ſuſpendam ſuper eum omnem gloriam domus patris eius. Hoc ſignificat nomen, quia Ioſias ſaluatus interpretatur, Sophonias autem viſitatio Domini interpretatur: quem enim viſitat Dominus, ſaluatus eſt. *Luca* 1. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos [qui venerunt de Babylone] Infra apponit quartum, quem vocat Hen. *Hieronymus*. Hebræi dicunt Ananiam & Azariam & Miſaelem de captiuitate reuertentes, aurum, & argentum in munera templi, & coronas pontificis & ducis attuliſſe, & Hen, id eſt, gratiam, Danielem ſcilicet cum munere veniſſe: & iſtos per hos viros qui hic nominantur, intelligi mutatis nominibus.

Sophonias. Ioſias.

Et ſumes aurum & argentum] quod, ſuple, obtulerunt. *Iſa*.60. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes [& facies coronas] Non vnam ſed duas, argenti & auri varietate diſtinctas. *Cant*.1. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Aurum enim ſapientiam, argentum vero eloquentiam ſignificat [& pones in capite eſu filij Ioſedech Sacerdotis magni] vnam ſcilicet, & ſignificatur quod alia imponenda erat Zorobabel in ſignum reſtitutionis dignitatis ſacerdotalis & regalis. Quæ non niſi in Chriſto completa ſunt, qui fuit Rex & Sacerdos. *Iſaiæ* 61. Quaſi ſponſum decoratum corona. *Pſalm*.8. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Et loqueris, dicens ad eum] Sacerdotem ſcilicet, per quem, ad populum verbum Dei tranſire debet [Hæc dicit Dominus exercituum, dicens] de Zorobabel ſcilicet, vel verius de Chriſto [Ecce Vir] à vi ſcilicet, & virore dictus. *Iere*.17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: erit enim quaſi lignum viride [Oriens nomen eius] & ſubdit rationem nominis [&] id eſt, quia [ſubter eum orietur] *Pſal*. 71. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. *Malach*.4. Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. *Eſther*.8. Iudæis notua lex oriri viſa eſt, gaudium & lætitia [& ædificabit templum Domino] & literaliter & ſpiritualiter Eccleſiam. 1.*ad Corinth*.3. Dei ædificatio eſtis [& ipſe] ſcilicet, Zorobabel rex [extruet templum Domino] hoc eſt, extra per effectum ſtruet [& ipſe portabit gloriam] alteram ſcilicet coronam. *Iſa*.62. Eris coronas gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui [& ſedebit] vt Rex ſcilicet, & Iudex [& dominabitur] proteſtate ſcilicet [ſuper ſolio ſuo] pacis ſcilicet, & iuſtitiæ. *Iſa*. 16. Præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt.

Et erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo] in throno ſcilicet ſacerdotali ſedens, docens, & regens populum. *Eccl*.50. Ecce Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum [& conſilium pacis] totius terræ ſcilicet, & populi [erit inter illos duos] Regem ſcilicet, & Sacerdotem. *Iſa*.9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Et ſubdit de conſeruatione & conſecratione coronarum in memoriam offerentium.

Et coronæ erunt] ſupple, in templo conſeruatæ & conſecratæ [Helem] Quem prius Oldai vocauit, modo vocat Helem, & ſomnium interpretatur, vt ſciatur quòd tres pueri reuelatione ſomnij gratiam hanc meruerunt. *Dan*.2. [& Tobiæ, & Idaiæ] hos etiam ſuperius nominauit [& Hen filio Sophoniæ] Videtur quòd quem prius Ioſiam cuſtodem & ædituum templi, nunc Hen nominet, quem Hebræi (vt dicit *Hieronymus*) Danielem intelligunt. Hen enim interpretatur gratia. *Dan*.1. Danieli dedit gratiam & miſericordiam in conſpectu principis [memoriale] hoc eſt, in memoriale perpetuum [in templo Domini] vt ſcilicet quia hæc obtulerunt, memoria eorum in ſempiternum habeatur. *Apoca*. 3. Non delebo nomen eius de libro vitæ. Et ſubdit de populi reuocatione & literaliter & ſpiritualiter.

Helem.

Et qui procul ſunt, venient] vel diſſimilitudine peccati, vel ſpatio terræ. *Iſa*.49. Audite inſulæ, & attendite populi de longe. *Proverb. vltim*. Procul & de vltimis finibus pretium eius [& ædificabunt in templo Domini] Vnuſquiſque ſcilicet, pro rata portionis ſuæ. *Ephe*. 2. Coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto [& ſcietis] ſupple, tunc per beneficia ſuſcepta [quia Dominus exercituum miſit me ad vos] vt hæc ſcilicet prædicerem vobis. Quia autem omnia hæc intelliguntur, ſi obedientes fuerint mandato Domini, ideo ſequitur [erit autem hoc] ſcilicet impletio præmiſſorum [ſi auditu] interiori [audieritis] extra [vocem Domini Dei veſtri] in lege ſcilicet, & Prophetis. *Iſa*. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi autem nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos. *Iſa*.55. Auditè audientes me, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.

Inuiſcita in contumacia.

CAPVT. VII.

CAPVT VII.

Et factum eſt in anno quarto.

Secunda pars libri incipit hic, & diuiditur in tres partes. In prima tanguntur quæ facta ſunt anno quarto Darij regis Medorum ſub regno Medorum. In ſecunda, quæ quidem reuelata ſunt anno eodem quarto ſcilicet, ſed facta ſunt ſub regno Græcorum, & incipit infra nono, *ibi* [Aperi Libane portas tuas] Prima in tres diuiditur. Primo enim ponitur quæſtio Medorum principum de ſanctificatione. In ſecunda, occaſione accepta populus inſtruitur de vera & non vera ſanctificatione *ibi* [Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Loquere ad omnem populum terræ] In tertia ponitur reſponſio principum de mœroris in gaudium commutatione, ante finem octaui *ibi* [Et factum eſt verbum Domini exercituum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, ieiunium quarti] In prima oſtenduntur quatuor, quando ſcilicet, à quibus, de quo, & quibus facta eſt quæſtio.

Et factum eſt in anno quarto] ex quo ſcilicet regnare cœpit [Darij regis] filij ſcilicet Hiſtaſpis qui clemens fuit Iudæis [factum eſt verbum Domini ad Zachariam] ſicut ad ſpeculatorem & nuntium *Ezech*.3. Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael [in quarto die] Quarta diei ſecundum *Hieronymum* ad quatuor illuminationes virorum pertinet vel Euangeliorum [non incibis qui eſt Caſleu] dictus apud Hebræos ſcilicet, apud nos autem December.

Et miſerunt ad domum Dei] ideo quia reſponſa de domo Dei dari debebant. *Iſa*.2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem [Sarazar & Rogom-melech] principes ſcilicet Medorum [& viri qui erant cum eis] vel in comitiis, vel in profeſſione. Dicunt enim Hebræi, quod hi duo principes Perſarum fuerunt, & proſelyti Iudæorum, & ideo ieiunantibus Iudæis ieiunauerunt, & hoc dicunt oſtendere interpretationes nominum. Rogom-melech enim interpretatur magiſter foueæ partis; Sarazar autem princeps tribulationis: eo quod vnus præfuit fodiendis, alter autem tribulandis.

Ad deprecandam faciem Domini] forte cum oblationibus; audientes enim inſtauratum eſſe templum, non valentes per ſe venire, ſolum muniis & oblatis laudem Domini viſitauerunt. 2. *Mach*.3. Propter Oniæ pontificis diſpoſitionem & pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat vt & ipſi reges & principes locum ſummo honore dignum ducerent, templum etiam maximis muneribus illuſtrarent. *Pſalm*. 137. Adorabo ad templum ſanctum tuum. Facies autem Domini dicitur præſentia, quam in templo exhibere conſueuit, ſicut dicitur in *Pſalm*.68. Ne auertas faciem tuam à puero tuo.

Et vt dicerent Sacerdotibus] horum enim reſpondere eſt de lege. *Aggai* 2. Interroga Sacerdotes legem [domus Domini exercituum] Sacerdotum enim eſt in domo Dei habitare tempore orationis & laudis. Domus enim Domini dicitur hic templum cum atriis & omnibus ædificiis ad templum pertinentibus: & hi erant excubiæ Sacerdotum. *Leui*.8. De oſtio tabernaculi non exibitis ſeptem diebus vſque ad diem quo implebitur tempus conſecrationis veſtræ. Et paulo poſt: Die ac nocte manebitis in tabernaculo, obſeruantes cuſtodias Domini. Audiant hoc illi qui redeunt & oblata templi ſuſcipiunt, & cuſtodias non obſeruant, de quibus dicitur *Proverb*.7. Non eſt in domo ſua, abiit via longiſſima, ſacculum pecuniæ ſecum tulit (quia videlicet Eccleſiæ reditus inburſauit, & receſſit) in die plenæ lunæ reuerturus in domum ſuam, hoc eſt, tempore meſſis, quando fructus Eccleſiæ reuiuiſcunt & recolliguntur [& Prophetis loquentes] Prophetæ enim per inſpirationem, Sacerdotes autem de lege reſpondebant. *Deut*.18. Prophetam de fratribus veſtris ſuſcitabit vobis Deus, tanquam me audietis eum. Et ſubdit quæſtionem.

Cura ſuperfluitatem bonorum.

Numquid ſanctum eſt mihi in quinto menſe] Quinto menſe Iudæi & proſelyti eorum flebant: quia tunc capta eſt Ieruſalem. *Regum vltimo*. & 2.*Paral. vltimo*, & *Ieremiæ vltimo*] vel ſanctificare me debeo] Gibeon Fletus & ieiunium ſanctificatio dicitur: quia per abſtinentiam curati ſanctificantur. *Ioel*.2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu [ſicut feci iam multis annis] ſeptuaginta ſcilicet. *Pſal*.136. Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion.

Sanctificatio paenitentiæ.

Et facta eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens] Hic incipit ſecunda pars, & habet quatuor partes. In prima docet, qualiter non vera ſanctificatio non fuit in præteritis. In ſecunda deſcribit, quæ ſit vera ſanctificatio. *ibi* Et factum eſt verbum Domini] In tertia, qualiter puniuntur non vere ſanctificati. *ibi* [Et noluerunt attendere] In quarta, qualiter veri ſanctificati præmiantur. infra in principio octaui [Et factum eſt verbum Domini] In prima tria dicit. Offendit enim in præterito ieiunium non fuiſſe. Secundo cauſam huius ſubdit inobedientiam fuiſſe. Tertio iubet non veram ſanctificationem cauſam libertatis fuiſſe.

Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens] Hæc in præcedentibus ſatis expoſita ſunt. *Iſa*.5. Verbum miſit Dominus in Iacob loquere ad omnem populum] quia quod ad omnes pertinet, omnibus proponendum eſt [& ad Sacerdotes, dicens] quia qui aliis docent & argunt, & ipſi docendi & arguendi ſunt. *Iob* 12. Numquid qui multa loquitur non audietur? Cum ieiunaueris à cibis ſcilicet, & non à vitiis abſtinueris [& plangeris] *Gloſſa*, planctus exercebat pro amiſſa temporali lætitia [in quinto] ſcilicet menſe, quando capta eſt Ieruſalem [& ſeptimo] menſe, quando ſcilicet interfectus eſt Godolias *Iere*.41. Per hoc ſeptuaginta anni, deſolationis ſcilicet templi, & ſubuerzionis Ieruſalem. Numquid ieiunaſti mihi? accepta ab illis ſcilicet, & ab me? Numquid vile eſt ieiunium quod eligo? vt dicam aliquo modo iuſtum, quæ conor facere quam cuiuſlibet capite primo.

Et cum comedis] ſupple in tentis [& bibitis] in tentis ſcilicet [Numquid non comedimus vobis, & bibimus vobis metipſis?] Quaſi dicat: non à honorem meum, ſed veſtram ſaturitatem. *Pſal*.77. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira

Sacerdos diſpenſator eſt legis.

Dei ascendit super nos. Amos 6. Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph. *Ezech.* 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, abundantia panis, & otium filiarum, & quia manum pauperi egenti non porrigebat.

Tropi vitia vitiis nihil formula.

Nunquid non sunt hæc verba] hoc est, effectus verborum [quæ locutus est Dominus in manu] hoc est, in operatione testificante verba [Prophetarum priorum] *Isaiæ & Osee* & aliorum, qui comminabantur vobis captiuitatem propter peccatum. *Thre.* 1. Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est] cum adhuc habitaretur Ierusalem] eius scilicet frequentissimo [& esset opulenta] omnibus scilicet bonis affluens. 1. *ad Corinth.* 1. Omnes diuites facti estis in illo [& ipsa] scilicet metropolis [& vrbes in circuitu eius] hoc est, ad eam pertinentes [& ad Austrum] vbi terra aridior fuit [& in campestribus] aliarum scilicet plagarum mundi [habitaretur] *Psal.* 12. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo.

Et factum est verbum Domini] Instruit hic de vera Ieiunij sanctificatione [ad Zachariam] vt scilicet per Prophetam instruat populum [hæc ait Dominus exercituum, dicens] Confirmatio sermonis est per auctoritatem Domini [iudicium verum iudicate] iudicio scilicet doctrinæ, vitæ, & iudicij. *Iob* 6. Quod iustum est iudicate. Iudicium doctrinæ est ad veritatem fidei, iudicium vitæ ad rectitudinem virtutis, iudicium causæ ad meritum causæ cuiuscumque. *Deut.* 1. Ita parvum vt magnum audietis, nec accipietis cuiusquam personam: quia Domini est iudicium. *Matth.* 7. In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et misericordiam & miserabilibus personis, quod ad vitæ necessitatem pertinet [& minimam] quantum ad corporis opem [& miserationes] quantum ad effectum operis] facite vnusquisque cum fratre suo] quos licet inferiores fecerit fortuna, tamen fratres sunt professione & natura. *Michæ* 6. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, Vtique facere iudicium & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Et à conditionibus personæ miserabiles enumerat, subdens.

Misericordia Dei accepta.

Et viduam] viri scilicet solatio destitutam [& pupillum] patre scilicet orbatum [& aduenam] nullum patronum in patria præter Deum habentem [& pauperem], sibi scilicet non sufficientem qui numera dare non potest [nolite calumniari] in iudicio scilicet per falsi criminis impositionem. *Isa.* 1. Quærite iudicium, subuenite opresso, iudicate pupillo, defendite viduam [& malum vir fratri suo] quem scilicet diligere debetis [non cogitet in corde suo] machinando scilicet aliquid mali contra eum. *Esther* 15. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.

Calumnia nulli fraudanda.

Et rolumus] Tangit hic inobedientiam rebellium, & pertinaciam [hi noluerunt attendere] hoc est, ad se tendere per deuotionem & voluntatem. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus [& mentem non [illi] intendunt] hoc est scilicet. *Isa.* 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. *Glossa*, ex habitu corporis mea, improperia respuentes [& aures suas aggrauarunt] contra verbum scilicet, ne audirent. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Et cor suum posuerunt] in obstinatione scilicet [vt adamantem] qui nec duro frangitur, nec molli emollitur. *Act.* 7. Dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis [ne audirent legem] quæ scilicet regula est operum. Contra quod dicitur in *Psal.* 77. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Et hoc est quod sequitur [& verba quæ misit Dominus exercituum] qui scilicet potens est, & exequens per ministros [in Spiritu sancto suo] qui scilicet inspiratis Prophetis. 2. *Pet.* 1. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines [per manum] hoc est, opera testificantia [Prophetarum priorum] *Luc.* 1. Sicut locutus est per os sanctorum qui à sæculo sunt, Prophetarum eius. Et subdit pœnam.

Et facta est indignatio magna à Domino Deo exercituum] in gratia scilicet liberatione. *Psal.* 29. Ira in indignatione [& factum est] scilicet in effectu [sicut locutus est] sup. per Prophetas. *Isaiæ* 31. Ipse sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit [&] sup. ideo [sicut non audiemus] sup. voces Prophetarum [sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum] *Prouerb.* 1. Tunc invocabunt, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me: eo quod exosam habuerunt disciplinam, & timorem Domini non susceperunt.

Et dispersi eos per omnia regna] in captiuitate scilicet *Deut.* 28. Disperdet eos Deus in omnes populos, à summitate terræ vsque ad terminos eius [quæ nescisti] vt scilicet ex nostis, vel amicitia nullam iniuriam passi sunt. *Deut.* 28. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam quæ non deferet senij, nec miserebitur pueri. Et hoc est quod sequitur [& terra desolata est ab eis] hoc est, propter eos omnis Iudea scilicet. *Isa.* 1. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili [eo quod non esset transiens & reuertens] sicut, supple, aliquando fuit per frequentiam hominum. *Thren.* 1. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem [& posuerunt terram desiderabilem] præ omnibus scilicet rebus optimam, [in desertum] *Ier.* 2. Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructus eius, & ingressi estis maiestatis terram meam, & hereditatem meam polluistis in abominationem. Hæc sub eisdem auctoritatibus potest dici de Prælatis Ecclesiarum, qui propter suos et populos & stultitiæ deserunt, totam Ecclesiam bonis personis destituerunt.

Prælatus iniquus depopulator est Ecclesiæ.

CAPVT VIII.

Et factum est verbum Domini.

Hic tangit promissiones factas vere sanctificatis & diuiditur hæc pars in duo, scilicet, in præmissam de beneficiis conferendis, & conclusionem de confortatione ad opus *ibi* [Confortentur manus vestræ] in prima tria sunt, scilicet, ex quo sicut inclinatæ faciar bona, & in quibus sunt promissa bona *ibi* [Hæc dicit Dominus exercituum] Ad hæc tertio, quomodo implebuntur promissa bona *ibi* [Hæc dicit Dominus exercituum, ecce ego saluabo.

Et factum est verbum Domini exercituum, dicens] Confirmatio est sequentis sermonis, & intelligitur factum ad Zachariam per inspirationem. 2. *Pet.* 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes [Hæc dicit Dominus exercituum] *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit [Zelatus sum Sion zelo magno] Zelus est amor boni cum indignatione contrarij. Magnus zelus est nihil relinquens de contrario impunitum, & purgato contrario, nihil relinquens de bonis quod non conferat. *Isaiæ* 9. Zelus Domini exercituum faciet hoc [& indignatione magna zelatus sum eam] puniens scilicet omnia quæ deliquit, & purgans per captiuitatem. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. *Zacha.* 1. Zelatus sum Ierusalem & Sion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas. Et ex quo complens iram per peccati purgationem, reliat vt obtendam amorem, qui altera pars zeli est. *Hieronymus.* Quantum prius indignatus sum, quod à multis amatoribus corrupta, thorum meum maculauerat: tanto nunc amplius zelo eam, quia egit pœnitentiam.

Zelus magnus.

Et reuersus sum ad Sion] *Osee vltimo.* Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee: quoniam auersus est furor meus ab eis [& habitabo in medio Ierusalem] templo scilicet ædificato, vel in Ecclesia. *Isai.* 14. Ad eum venientes, & mansionem apud eum facientes [& vocabitur Ierusalem] à conuersatione ciuium nominata [ciuitas veritatis] triplicis scilicet, vitæ, iustitiæ, iudicij & doctrinæ. *Isaiæ* 1. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis [& Mons domus Domini exercituum] supple, vocabitur [Mons sanctificatus] quadruplici sanctitate, scilicet, munditiæ à carnali concupiscentia, veritatis in confirmatione boni operis, spiritualitatis in abiectione appetitus temporalis, religionis in scientia, & custodia diuinorum ad cultum Dei pertinentium. Sanctitas enim, vt dicit *Dionysius*, est ab omni inquinamento libera munditia. *Lauit.* 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Sanctum etiam est edictis principis confirmatum. *Eccl.* 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Sanctum etiam est idem quod agios, hoc est, sine terra, terra enim polluit. *Job* 7. Sanctus innocens & impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælo factus. Sanctitas etiam est, vt dicit *Philosophus*, ire facientes quæ ad Deum iusta. *Sap.* 10. Dedit illi scientiam Sanctorum, honestauit illum in laboribus. Mons autem est per eminentiam vitæ intellectus & affectus, domus Domini fide fundata, spe erecta, charitate consummata. *Iere.* 31. Benedicat tibi Dominus pulchitudo iustitiæ, mons sanctus. *Gen.* 9. Non ites in omni circa regione, sed in monte saluum te fac. Et subdit in quibus bonis sit promissio.

Hæc dicit Dominus exercituum] *Th.* 2. Quare promisit qui non mentitur Deus [Adhuc habitabunt senes] non tantum canitie corporis, sed etiam mentis [& anus] mulieres scilicet, in quibus desiderabit lasciuia. *Tobiæ* 3. Nunquam cum ludentibus me miscui, neque cum his qui in lenitate ambulant, participem me præbui [in plateis Ierusalem] in omni scilicet latitudine, ciuitatis, vel Ecclesiæ. *Sap.* 4. Senectus venerabilis, non est diuturna, nec numero annorum computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Sicut dictum est *Danie.* 13. Cum esset puer, Sede in medio nostrum, & indica nobis: quia tibi Deus contulit honorem senectutis, & viri [baculus in manu eius] *Hieronymus.* Tanta erit prosperitas omnium rerum, vt nullo hostis gnaruerit, vtrique sexus vsque ad vltimam ætatem peruenient, & senentes arcus baculo regente sustentet. Et hoc est quod sequitur [præ multitudine dierum] Non dicit, Noctium quia tota vita iustorum lucida est. *Psalm.* 36. Nouit Dominus dies immaculatorum. *Isaiæ* 65. Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui non impleat dies suos: puer enim centum annorum morietur [& plateæ ciuitatis] Ierusalem & omnium aliarum scilicet [complebuntur infantibus] & literaliter & spiritualiter, de quibus dicitur 1. *Pet.* 2. Quasi modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo, lac concupiscite: vt in eo crescatis [& puellis ludentibus in plateis eius] puellæ dicuntur pudores animæ, pudicitiam diligentes. Ludentes dicuntur in iucunditate laudis diuinæ. *Iere.* 30. Ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum iuxta mediem suum fundabitur, & egredietur laus de eis, eique ludentium. Et respondet obiectioni quæ posset fieri, quod tam miseram gentem difficile esset tantum exaltari.

Pacis & prosperitatis argumenta.

Hæc dicit Dominus exercituum] qui omnia potest] si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius] qui scilicet omnia secundum humanam infirmitatem iudicat [in diebus illis] futuræ scilicet prosperitatis. Vnde *Isa.* 49. dit: Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? [Nunquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?] *Esther* 13. Non est qui possit resistere tuæ voluntati. *Gen.* 18. Num Deo quicquam est difficile? [ac] 2. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Quomodo autem hoc fiat, subdit.

Voluntati diuinæ nihil obsistit.

Hæc dicit Dominus exercituum] Qui omnia potest] Ecce ego saluabo populum meum ab hoste scilicet, captiuaque liberabo, & literaliter & spiritualiter. *Iere.* 31. Redimet Dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris [de terra Orientis] hoc est, ab Orientali plaga. *Isaiæ* 43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquilone, Da: & Austro, Noli prohibere. *Matth.* 8. Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum [& adducam eos] ad patriam scilicet, vel ad fidem. *Deut.* 32. Domi-

nius solus ductor eius fuit. *Isaie* 63. Sicut adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ [& habitabunt in medio Ierusalem] literaliter, vel spiritualiter in Ecclesia vndique stipari suffragiis Sanctorum. *Psal.* 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Tob.* 13. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem [& erunt mihi in populum] obedientem scilicet [& ego ero eis in Deum] propitium scilicet, & exaudientem preces eorum. *Apoc.* 21. Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et subdit conclusionem ex omnibus his.

Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur] supple, ergo [manus vestræ] vt scilicet operi Dei fortiter insistatis. *Eccle.* 9. Quodcunque potest manus tua instanter operare. *Hebr.* 12. Remissas manus, & genua erigite soluta, & gressus rectos facite pedibus vestris [qui auditis in diebus his sermones istos] de ædificatione scilicet templi [per os Prophetarum] *Aggai scilicet, & Zacharie. Luce* 1. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius [in die qua fundata est domus Domini] In die enim illo, secundo anno Darij Prophetæ prophetabant. *Matth.* 7. Assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Locuti sunt, inquam, Prophetæ [vt templum ædificaretur] velociter, supple. *Iere.* 48. Maledictus vir qui facit opus Domini fraudulenter. *Prou.* 22. Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, & non erit ante ignobiles. Et vt hoc fiat, subdit rationem ex infortunio scilicet temporis præteriti ante ædificationem, & prosperitate temporis futuri post ædificationem, & ex hoc redit ad confortandum ad opus.

Opus Dei non sinister exequendum.

Siquidem] pro, certè [ante dies illos] id est, antequam templum fundaretur [merces hominum non erat] hoc est, labores hominum ad mercedem non conuertebantur. *Aggai* 1. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati. Et post paucа: Et qui mercedes congregauit, misit eas in saccum pertusum [neque introcunti] in ciuitatem, supple [neque exeunti erat pax præ tribulatione] hostium scilicet. *Isa.* 48. Non est pax impiis, dicit Dominus [& diuisi omnes homines] hoc est, corde diuisos feci [vnumquemque contra proximum suum] scilicet, matrem in filiam, & patrem in filium & è conuerso. *Matth.* 10. Nolite arbitrari, quoniam veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. *Apocal.* 6. Datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant.

Discordia salubris.

Nunc autem iuxta dies priores] patrum scilicet antiquorum, quibus multa beneficia contuli [ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus exercituum] reuersis scilicet de captiuitate. *Ioel* 2. Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum, & oleum, & replebimini in eis [sed semen pacis erit] hoc est, cuius fructus in pace congregabitur. *Isa.* 9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis [vinea dabit fructum suum] plantata scilicet de viris spiritualibus, dabit fructum æternorum gaudiorum. *Osee* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei [& terra dabit germen suum] hoc est, ex semine verbi Dei corda germinabunt. *Isa.* 4. Erit germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis [& cæli] hoc est, cælestes Sancti, & Angeli per impetrationem gratiæ [dabunt rorem suum] *Isa.* 45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Alia translatio, salutem. *Gen.* 27. In pinguedine terræ & in rore cæli desuper, erit benedictio tua [& possidere faciam] hoc est, ad nutum habere [reliquias populi huius] reuertentis de captiuitate Babylonis, vel diaboli [vniuersa hæc] *Ierem.* 31. Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur.

Et erit] Tangit hic qualiter maledictionem conuertet in benedictionem [sicut erat in maledictio] hoc est, maledicti in Gentibus hoc est, inter Gentes. Gentes enim maledicebant eis, quod ad iracundiam prouocauerant Deum. Vnde *Thren.* 4. Recedite polluti, clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere [domus Iuda] hoc est, ô duæ tribus [& domus Israel] hoc est, ô decem tribus [sic saluabo vos] ab hostibus scilicet liberando. *Psal.* 105. Saluos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus [& eritis benedicto] hoc est, benedicti. Sic ergo conuertitur maledictio in benedictionem. *Glossa* vult, quòd tempore persecutionis maledicuntur Sancti: quæ maledictio postea tempore pacis in benedictionem conuertitur. *Machab.* 5. Beati eritis cum maledixerint vobis homines. *Gene.* 27. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus replearur. Ex his reuertitur ad conclusionem, inferens [nolite timere] aduersarios scilicet rebellantes. *Matt.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. *Psalm.* 117. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo [confortentur manus vestræ] vt scilicet impleant opera quæ cœperunt. *Prouerb. vltim.* Manum suam misit ad fortia.

Sanctorum maledictio in benedictionem conuertitur.

Quia hæc dicit Dominus exercituum] *Glossa*, qui potest implere quod promittit [sicut cogitaui vt affligerem vos] captiuitate scilicet, & fame, & peste, & gladio, cum ad iracundiam prouocassent me patres vestri] peccatis scilicet, dicit Dominus, qui omne quod dicit, implebit [& non sum misertus] misericordia scilicet liberante, quamuis misertus sim, misericordia relaxante: quia scilicet citra condignum puniui [sic conuersus] modo scilicet, hoc est, placatus [cogitaui in diebus istis] purgato scilicet peccato per captiuitatem & pœnitentiam [vt benefaciam Ierusalem] regno scilicet, & sacerdotio [& domui Iuda] hoc est, duobus tribubus. *Iere.* 29. Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis. Sic promittitur Sanctis *Ioan.* 16. Tristitia vestra conuertetur in gaudium [nolite timere] *Isaie* 51. Quis tu vt timeas ab homine mortali?

Punit Deus citra condignũ.

Hæc sunt ergo verba quæ facietis] ex præcepto scilicet Domini] loquimini veritatem] corde, ore, & opere tua scilicet, quod hæc faciat vnusquisque cum proximo suo] *Ephes.* 4. Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem, vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra [veritatem] iudicij, vitæ, & doctrinæ [& iudicium pacis] hoc est, iudicium quod discordes ad pacem reducit per æquitatem iusticiæ iudicate in portis vestris] præcepti sunt enim iudices constituti in portis *Deuter.* 16. eo quod in portis de facili forenses iudicium inuenirent, *Prouerb. vltim.* Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ] & vnusquisque malum contra amicum suum] Amicus dicitur quemcunque diligere debemus.

Iudex in porta constituitur.

debemus. *Leuit.* 19. & *Matth.* 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum [ne cogitetis in cordibus vestris] quia si non cogitatis, nec dicitis, nec facitis. *Isa.* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis [& iuramentum mendax ne diligatis] *Exod.* 20. Non habebit insontem qui nomen Dei in vanum assumpserit [omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus] tanta enim est iustitia diuina, quod peccatum amare non poterit. *Habac.* 1 Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.

Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens] Hic incipit respondere ad quæstionem Principum [Hæc dicit Dominus exercituum] qui potens est complere omne quod dicit [Ieiunium quarti] qui apud nos Iulius dicitur. Tunc duabus de causis ieiunabant Iudæi. Vna: quia tunc Moyses descendens de monte propter idolatriam populi tabulas conscriptas digito Dei ad radices montis confregit *Exod.* 32. Secunda causa fuit: quia tunc rupti fuerunt muri Ierusalem *Iere.* 30. [& ieiunium quinti] hoc est Augusti apud nos. Tunc tum duabus de causis ieiunabant Iudæi. Vna quidem fuit: quia exploratoribus missis à Moyse, & terrorem nuntiantibus facta est tristitia populi *Num.* 14. Secunda: quia illa die combusta est ciuitas à Nabuzardan *Ierem.* 39. [& ieiunium septimi] qui apud nos Octobris dicitur. Tunc enim ieiunabant Iudæi pro interfectione Godoliæ, de quo desperabant, quod deberet congregare reliquias populi *Iere.* 41. [& ieiunium decimi] qui apud nos Ianuarius dicitur. Tunc enim ieiunabant Iudæi: eo quòd tunc Ezechiel & cæteri concaptiui in Babylone, nuntio sibi misso audierunt, quòd Ierusalem capta esset, & destructa. *Ezech.* 33. Et subiungit responsum [Erit domui Iuda] hoc est, duabus tribubus [in gaudium] cordis [& in lætitiam] corporis [& in solemnitates præclaras] supple, in condenso populi communiter celebratas. *Psalm.* 117. Constituite diem solemnem in condensis. Ex hinc instituta sunt ieiunia quatuor temporum, quæ in finibus quatuor quartarum anni celebrat Ecclesia. Iudæi enim initia mensium ieiunabant pro primitiis illius mensis, & hæc erant dies duodecim in anno, quos duodecim Ecclesia per quatuor ternos diuidit, ne iudaizare videatur: in tertio mense cuiuslibet quartæ anni, tres dies ieiunandas instituens, hoc est, à Ianuario in tertio, ab Aprili in tertio, à Iulio in tertio, ab Octobri in tertio, vt in primitiis quartarum, primitias Deo exoluat, sicut decimam soluit ieiunio Quadragesimæ *Iere.* 2. Sanctus Israël Domino primitiæ frugum eius [veritatem tantum] hoc est, rectitudinem oris & opesis [& pacem] ad proximum [diligite] *Isaie* 38. Obsecro, Domine, memento quòd ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. *Hebr.* 12. Pacem sequimini, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum [hæc dicit Dominus exercituum] Confirmatio sermonis est [vsque quo veniant populi] de omnibus scilicet terrarum finibus ad Ecclesiam. *Isa.* 2. Ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini] & habitent in ciuitatibus multis] supple, prius desolatis, hoc est, in diuersis viuendi modis Ecclesiæ. *Isa.* 62. Terra tua inhabitabitur [& vadant habitatores] terræ scilicet [vnus ad alterum] supple, inuitans eum [dicentes] *Apoc. vltim.* Qui audit, dicat, Veni [eamus & deprecemur faciem Domini] hoc est, præsentiam gratiæ eius *Isa.* 2. Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob [& quæramus Dominum exercituum] hoc est, gratiam eius. *Osee* 6. Venite, reuertamur ad Deum: quia ipse cepit, & saluabit nos: percutiet, & curabit nos. Et, supple, ille respondit sic inuitatus [vadam etiam ego] *Cant.* 1. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum [& venient populi multi] *Isa.* 2. Fluent ad eum omnes gentes [& gentes robustæ] reges scilicet, & principes, & martyres. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit [ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem] in Ecclesia scilicet. *Glossa.* Non est locus sacrificij extra Ecclesiam *Isa.* 53. Quærite Dominum dum inuenire potest [& ad deprecandam faciem Domini] *Psal.* 104. Quærite faciem eius semper [Hæc dicit Dominus exercituum] de frequentia scilicet venientium [in diebus illis] quando scilicet clara gratia lucebit in Christo [In quibus apprehendent decem homines] *Hieronymus*, qui quinque sensibus geminatis bene vtuntur. Quinque enim sunt sensus exteriores, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus: & quinque interiores, sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimatiua, & memoria. Qui ergo sensibus exterioribus nihil illicitum hauriti, & sensibus interioribus nihil illicitum cordi repræsentat, bene vtitur sensibus, & ille est decem homines vel decem homines sunt, decalogum implentes. *Baruch* 4. Sicut fuerunt densis vestri vt erraretis à Deo, decies tantum conuertentes, requireris eum. [ex omnibus linguis Gentium] *Actor.* 10. Non est personatum acceptor Deus: sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi [& apprehendent fimbriam viri Iudæi] hoc non est impletum nisi de Christo. *Matth.* 14. Rogantes vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Christus enim solus fuit vir. *Eccli.* 7. Virum de mille vnum repperi. Solus fuit Iudæus confitens & glorificans Patrem. *Ioan.* 17. Ego te clarificaui super terram, opus consummauí quod dedisti mihi vt faceretem [dicentes, Ibimus vobiscum] *Cant.* 6. Cum bonis ambula. *Eccli.* 17. In partes vade sancti, cum viuis & dantibus confessionem [audiimus enim] per Prophetas & Apostolos prædicantes. *Rom.* 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi [quoniam Dominus vobiscum est] *Isa.* 7. Vocabis nomen eius, Emanuel, quod est nobiscum Deus. *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Ieiunium quarti, cur observatũ à Iudæis.

Ieiunium quinti.

Ieiunium septimi.

Ieiunium decimi.

Ieiunia quatuor temporum, cur instituta.

Extra Ecclesiam nullus est locus sacrificij.

Quinque sensus exteriores, & quidem interiores.

Christus solus vir Iudæi.

Caput IX.

Onus verbi Domini.

Hic describuntur ea quæ facta sunt sub Græcis populo Iudæorum, & diuiditur in partes tres, in quarum prima tangitur omnis æmulorum, in secunda pax Regis Sanctorum *ibi* [Ecce Rex tuus] In tertia reuocatio ad partiam captiuorum *ibi* [Conuertimini ad munitionem] Prima harum diuiditur in titulum, & in prophetiam. Titulus duo continet: oppressionem, & oppressionis rationem.

nem. Oppressio tria habet, scilicet, oppressionem, veritatis confirmationem, & quos opprimet.

Onus] hoc est, prophetia quæ modo scribetur, erit onus. 3. *Regum* 12 Pater tuus imposuit nobis onus grauissimum. *Isa.* 58. Omne onus dirumpe. *Psal.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Septuaginta* habent, Massa propter pondus grauaminis [verbi Domini] & ideo verum est quod erit. *Tobiæ vltimo* Non excidit verbum Domini [in terra Hadrach] hoc est, Syria. Hadh enim interpretatur austerum, Rach mollis: vnde Hadrach & onus significat, & causam oneris: mollities enim causa fuit oneris. Mollis vero est qui ad omnem concupiscentiam priusquam tentetur, emollitur & diffluit. *Iere.* 31. Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga? *Isa.* 47. Non vocaberis vltra mollis & tenera. Mollis enim secundum *Philosophum*, peior est intemperato & incontinente: vnde propter mollitiem austerum onus imponitur. *Apoca.* 2. dicitur de Iezabel quæ fluxus sterquilinij interpretatur: Ecce ego mittam eam in lectum: & qui fornicantur cum ea, in amaritudine maxima erunt [& Damasci] quæ est metropolis Syriæ [requiei eius] id est, oneris. Ibi enim stabiletur & quiescet & fundabitur. *Isa.* 10. Erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum, hoc est, stare vt continuo affligat. Damascus potus sanguinis interpretatur, & significat eos qui in corruptione sanguinis delectantur, qui onere Domini prementur. Quædam *Glossa* dicit, requiei eius, hoc est Dei: sed moralis est, & intelligitur de conuersis à corruptione carnis & sanguinis, in quibus requiescit Deus, sicut in Maria Magdalena. *Gregorius.* Ad ipsius quippe mentem exultim confugerat, quam post vitiorum ignes, pœnitentiæ temperies refrigerabat. Et subdit rationem.

Mollis quis censeatur.

Damascus.

Quia Dominus est oculus hominis] hoc est, omnia acta hominis conspiciens. *Eccl.* 23. Oculi Domini multo plus lucidores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum [& omnium tribuum Israël] supple, est oculus, considerans iniurias quæ fiunt Sanctis. *Iere.* 2. Sanctus Israël Domino, primitiæ fugum eius: omnes qui deuorant eum, delinquunt: mala autem venient super eos. Et tangit aliam metropolim.

Emath quoque in terminis eius] supple, est, & ad illam transibit onus. Est autem Antiochia, quæ profunditas interpretatur, & profundatos in carnalibus vitiis significat, qui sunt in terminis Damasci, hoc est, potus sanguinis. *Psal.* 68. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia [& Tyrus] ciuitas in mari sita, cuius onus describitur *Isa.* 23. *Ezech.* 27. & 28. Interpretatur autem angustia, & significat eos qui in angustia & solicitudine rerum temporalium sunt omni tempore, qui onere Domini prementur. *Iob* 20. Si ascenderit vsque in cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Et post pauca: Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus. Et quia Tyrus est in Sidone, ideo subdit [& Sidon] prouincia enim Sidonia vocabatur, cuius Tyrus erat metropolis: interpretatur autem venatio, & significat eos qui animas diabolo venantur, ad quos transibit onus Domini. *Thren.* 3. Venatione ceperunt me quasi auem. Hoc significatum est *Gene.* 25 vbi dicitur quòd Esau (qui malus fuit) factus est vir gnarus venandi. Iacob autem vir simplex, habitans in tabernaculis. *Glossa* tamen exponit de Gentibus, ab his vitiis conuersis, qui requies Domini efficiuntur, sicut paulo ante dictum est. Causam autem quare transit ad eos onus, subdit.

Antiochia.

Tyrus.

Sidon.

Assumpserunt sibi quippe sapientiam valde] In hoc quod dicit, assumpserunt, notat quod ex dono Dei non habuerunt: & ideo sapientia illa mundana est, de qua dicitur Iacob. 3. Non est enim ista sapientia de sursum descendens a Patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica, & ideo est astutia multiplicandi terrena. *Abdiæ* 3. Perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau. In hoc quod dicit, valde, notat quod subtiles erant ad hoc. 1. ad Corinthios 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Isa.* 19. Confundentur plectentes & texentes subtilia.

Et ædificauit Tyrus munitionem suam] diuitiis enim se muniunt contra futuras necessitates & Deum, sed hoc non valet. 2. Corinth. 10. Arma nostræ militiæ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinẽ extollentem se aduersus scientiã Dei. Sic munitus fuit ille diues, qui dixit *Lucæ.* 12. Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, & epulare. In quo autem munierunt se, subdit [&] id est, quia [coacerauerunt argentum quasi humum] Hyperbole est, plus dicit, & minus significat, hoc est, ita multiplicauerunt vt calcarent super argentum, quasi super humam [& aurum vt lutum platearum] hoc est, vt præ abundantia vile reputaretur, quod ad literam auari faciunt. *Eccle.* 2. Coacerauaui mihi argentum & aurum, & substantias regum & prouinciarum. *Baruch* 3. Argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum. *Iob* 6. Possident aurum, & replent domos suas argento. *Habac.* 2. Væ qui multiplicat non sua. Vt quid etiam aggrauat contra se densum lutum?

Ecce Dominus possidebit eam] Tyrum scilicet, hoc est, possidere faciet ab alienis dominis. *Luc.* 12. Hac nocte repetent animam tuam, & quæ præparasti cuius erunt? *Isaiæ* 19. Tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium [& percutiet in mari fortitudinem eius] per Alexandrum scilicet qui insulam Tyri terræ coæquauit, & destruxit. Vel spiritualiter per diabolum. *Isaiæ* 23. Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terræ? Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ [& hæc igni deuorabitur] ad literam Alexander succendit Tyrum, & Deus succendit auaros. *Psalm.* 139. In ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum.

Videbit Ascalon] Transit ad terram Philisthinorum, quæ receptura erat onus, eo quod vicina erat Syriæ, & loco, & peccato [videbit Ascalon] ciuitas scilicet Philisthinorum, quæ ignis ignobilis interpretatur, videbit (inquam) succensam Tyrum [& timebit] sibi, supple, vt dum fortior resistere non potuit, ne & ipsa succumbat. *Isa.* 20. Hæccine erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberent nos à rege Assyriorum: & quomodo effugere poterimus nos? [& Gaza] supple, videbit ardentem, quæ fortis interpretatur, & secunda ciuitas fuit Philisthinorum [& dolebit nimis] desperans scilicet de sua euasione. *Lucæ* 23. Si in viridi

Ascalon.

ridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? [& Accaron] terra ciuitas Philisthinorum, debet, supple, Tyrum ardentem, & in hoc cognoscet [quoniam confusa est spes eius] Sap. 5. Spes impij tanquam lanugo quæ à vento rapitur. Iob 40. Ecce spes eius frustrabitur suam. Interpretatur autem Accaron sterilis, vel eradicans, & gloriam mundi significat. Sap. 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas [& peribit rex de Gaza] quæ fuit metropolis Philisthinorum, & interitum regni mundi significat. Ieremiæ 13. Dic regi & dominatrici: Humiliamini, sedete in terra, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ [& Ascalon non habitabitur] destruente scilicet Deo. Isaiæ 25. Posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam.

Et sedebit separator] id est, possessionum diuisor, Alexander scilicet vt victor [in Azoto] tamquam rex, qui militibus suis possessiones Philisthinorum distribuet, vel Dominus qui separat grana à paleis. Luce 3. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam. In Azoto autem sedet tãquam iudicans eam, quæ ignis mamillæ interpretatur: libidinosos enim condemnabit. Isaiæ 50. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flamis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis [& sic] supple [disperdam superbiam Philisthinorum] Iob 40. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.

Et auferam sanguinem eius de ore eius] ne scilicet de cætero innocentes mastícare possit. Psal. 29. De ore leonis libera me Domine. Iob 21. Contrahebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam [& abominationes eius] hoc est, abominabilia, scilicet [de medio dentium eius] supple, auferam. Prouerb. 30. Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus [& relinquetur etiam ipse] scilicet separator [Deo nostro] Et videtur tangere quod dicit Magister in historia, de Iuda accipiens, quòd cum Alexander propetasset in Iudæam, in somnis apparuit ei quasi summus Sacerdos pontificalibus indutus, & cum in crastino procedere aduersus Ierusalem, summus Sacerdos pontificalibus indutus processit obuiam ei: & recordatus somnij de equo descendit, summum Pontificem adorauit, & terram Iudæorum protexit. Et hoc est quod sequitur [& erit quasi dux in Iuda] protector scilicet, sicut & in Ecclesia sæpe factum est, quòd persecutores eius, protectores eius effecti sunt [& Accaron] ciuitas scilicet Philisthinorum, supple, erit [quasi Iebusæus] qui scilicet relicto errore aream suam obtulit, in qua templum ædificatum est 2. Regum vltimo. Isaiæ 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit.

Et circumdabo domum meam] protegendo scilicet [ex his qui militant mihi] Machabæis, vel Apostolis. Iob 25. Numquid est numerus militum eius? & super quem non surgit lumen illius? Militant, dico [eunies] in profectu scilicet virtutis [& reuertentes] in exhibitione gratiarum actionis. Iob 38. Numquid emittes fulgura, & ibunt & reuertentia, dicent tibi, Adsumus. Ezech. 1. Animalia ibant, & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis [& non transibit super eos] supple, conculcans [vltra exactor] Babylonius, vel diabolus. Isaiæ 14. Quomodo desiuit tributum, quietem fecit? Iob 39. Clamorem exactoris non audit [quæ omne vidi in oculis meis] supple, omnia mala quæ feci, & ideo sum testis & iudex. Psal. 93. Qui finxit oculum, non considerat, id est, nõne considerat? Iob 13. Ecce hæc omnia vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexit singula.

Exulta satis] Ostensa deprehensione inimicorum, ostendit exultationem fidelium in Rege suo, & ostendit primo, Regis mansuetudinem & humilitatem, secundo pacem.

Exulta satis filia Sion] hoc est, fidelis anima ad pacis contemplationem pertinens. Satis autem exultare, est pro tanto dono gratias agere [Iubila filia Ierusalem] hoc est, ad æternam pacem pertinens. Psal. 80. Exultate Deo adiutori nostro. Item Psalm. 99. Iubilate Deo omnis terra [Ecce Rex tuus venit tibi] hoc est, ad tuam vitam & salutem. Sophon. 3. Lauda filia Sion iubila Israel, lætare & exulta in omni corde, filia Ierusalem. Amos 4. Præparare in occursum Dei tui Israel [iustus] opere, verbo, & iudicio. Iere. 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster [& Saluator] Matth. 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum [ipse pauper] 2. ad Corinth. 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt vos illius inopia diuites essetis [& ascendens super asinam] quæ Iudaicum populum significat [& super pullum filium asinæ] In vna enim via vtrumque ascendit (Matth. 21.) asinam & pullum. Et Iacob 12. Sed pullus Gentilem populum significat, nulla legis frenatus. Mat. 21. Super quem nullus hominum sedit, vt sic tanquam prudens sessor vtrumque populum gubernaret.

Et disperdam quadrigam ex Ephraim] Loquitur de pace quæ tempore Christi in toto orbe terrarum facta est, cuius signum est quod dicitur Luc. 2. Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hanc pacem describit per destructionem instrumentorum bellicorum, quæ sunt quadriga & equus & arcus. Spiritualiter tamen Ephraim frugifer interpretatur, & fructificantes in temporibus significat: quadriga vero significat quatuor passionibus mortificatis animam subiectam, quas disperdidit Dominus secundum quod præceptum fuit Isaiæ 11. Equos eorum subuertit, curruque combussit igni. Idem legimus de Dauid 2. Reg. 8. & 1. Paral. 18. Et hoc est quod sequitur [& equum de Ierusalem] Ierusalem enim significat fideles animas, vbiqui æternæ pacis intendentes: equus vero præcipuum audacem in malum. Psal. 32. Vallat equus ad salutem [& disperdam arcus belli] Per arcum intelligimus omne instrumentum bellicum, machinas enim longe dolosa de longe ferens. Ezech. 9. Percutiam arcum in manu sinistra tua, & sagittas in manu dextera tua. Ibid. 9. Sagittæ vulnerant, longe autem dolum locata est. Causa huius pacis [& gentes omnibus venientibus ad vnam fidem, vnus pastor & vna charitas eorum in omnibus eis. Isaiæ 11. Leuabit signum in Nationes, & congregabit vnicuique Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt: Ephraim non zelabitur Iudam, & Iuda non pugnabit contra Ephraim. Isaiæ. & Mich. 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, & hastas suas

Accaron.

Azotum.

Causa pacis.

suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Et, subdit de pace.

Et loquetur pacem Gentibus] In prædicatione scilicet Euangelij, in cuius fide omnis discordia sectarum, ad vnitatem & pacem reducta est. *Psal.* 84. Loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. *Augustinus in lib de ciuitate Dei* 14. Pax cælestis ciuitatis est concordia fruendi Deo, & inuicem in Deo. Et subdit de potestate conseruante pacem.

Omnium disciplinarum finis lex euangelica.

Et potestas eius à mari vsque ad mare] Supplè, erit. Et describit terminos terræ promissionis, per hos intelligens totius orbis descriptionem. Et intelligit à mari mortuo quod est ad Orientem, vsque ad mare magnum quod est ad Occidentem [& à fluminibus] Riuorucula & Nilo scilicet, quæ sunt ad Austrum [vsque ad fines terræ] versus Aquilonem, supple. Vel forte melius, ab amphitrice vsque ad amphitricem, ab Oriente in Occidentem mensurando, & à paludibus Meothidis, quæ vt flumina in Meridie diffunduntur, vsque ad terminos orbis in Aquilonem. In his enim quatuor terminis tota terra nostra habitabilis describitur, in qua prædicata est fides Christi. *Psal.* 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Item *Psalm.* 106. A solis Ortu vsque ad Occasum, ab Aquilone & Mari. Quod autem hoc fiat per opus redemptionis subdit. Et facit apostrophen, loquens ad ipsum regem Christum.

Tu quoque] ô Christe [in sanguine testamenti tui] hoc est, quem testando per Prophetas promisisti fundere. *Dan.* 9. Occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. *Hebr.* 12. Accessistis ad sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel [emisisti vinctos tuos] vinctos in peccato & in limbo inferni. *Isa.* 61. Vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino [de lacu] inferni scilicet, vel profundo peccati. *Thren* 3. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. *Psalm.* 39. Eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis [in quo non erat aqua] aliquius scilicet refrigerij: quia quamuis ignem in limbo non sentirent, tamen contra carentiam visionis Dei nullum habebant refrigerium. Hæc est aqua quæ exiuit de latere Saluatoris *Ioan.* 19. quæ ab æstu æstuantis gehennæ nos educit, ipsum etiam ignem extinguendo à nobis. *Ezech.* 47. Omnia ad quæ peruenerit aqua, viuent. *Psalm.* 50. Lauabis me, & super niuem dealbabor. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

Limbus puerum. nuper erat vi frigeriij.

Conuertimini] Hic conuersis ad Regem multa bona promittit, quæ in duo diuiduntur. Primo enim promittit victorias super inimicos, secundo prosperitatem in temporalibus, ibi infra in decimo [Petite pluuiam] Prima habet quatuor paragraphos. In primo ponitur reuocatio captiuorum, in secundo victoria inimicorum, in tertio adiutorium diuinum, in quarto regimen tanto pastore dignum.

Conuertimini ad munitionem vincti spei] hoc est, ô vincti in Babylone, vel in inferno, vel in peccato, conuertimini redeunte ad munitionem spei, hoc est, ad munitam spem, vel ad spem quæ munit vos, hoc est, ad spem diuinam, quia omnis alia spes vana est. *Hebr.* 6. Fortissimum habeamus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut animæ anchoram habemus, tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor introiuit Iesus. Et vt libentius conuertantur, adhibet promissionem, subdens [hodie quoque annuntians] id est, hoc præsenti tempore per ora Prophetarum pollicens [duplicia reddam tibi] hoc est, victorias & prosperitatem, vel bona corporis & animæ. *Isa.* 61. In terra sua duplicia possidebunt. *Isaiæ* 40. Suscepit de manu Domini duplicia. Propter hoc dicitur *Eccli.* 36. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. *Glossa* inducit illud *Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hoc enim tempore, solo corpore patimur: in futura vero gloria, duplicia recipimus, quia in corpore & anima glorificamur. Et subdit de potentia super inimicos.

Deus præmiat vltra condignitatem.

Quoniam extendi mihi Iudam] & intelligitur de ostensione virtutis & fortitudinis, ad similitudinem arcus extenti: quia sicut arcus fortissimas emittit sagittas, ita sub Machabæis duæ tribus emiserunt crebras victorias. *Psalm.* 137. Super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & saluum me faciet dextera tua [quasi artum implenti Ephraim] hoc est, propter quosdam de regno Ephraim, hoc est, decem tribuum, qui temporibus Ezechiæ redierunt ad cultum Domini, captiuatis iam decem tribubus, quando Ezechias celebrauit Pascha, sicut dicitur 2. *Paral.* 30. qui etiam tunc cum duabus tribubus in Babylonem ducti sunt, & cum eisdem redierunt, & cum Machabæis pugnauerunt. *Psal.* 117. Sagittæ potentis acutæ. Sicut enim arcus multum extensus, impletus sagittis, profunda & crebra infert vulnera: ita illi cum Iuda Machabæo pugnantes, crebra vulnera intulerunt inimicis. Spiritualiter autem intelligitur hoc quod Iudas confitens, & Ephraim fructum spiritualem afferens, Prædicator est: cuius arcus Scriptura est. *Iob* 30. Arcus in manu mea instaurabitur. Sagittæ autem implentes arcum, auctoritates congruæ sunt vnicuique auditorum. *Isa.* 49. Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.

Arcus mystice.

Et [sic, supple [suscitabo filios tuos Sion] Iudæorum scilicet, vel Ecclesiæ [super filios tuos Græcia] de Græcorum enim reliquiis erant Antiochus, Demetrius, Alexander, & cæteri, cum quibus Machabæi pugnauerunt. Vel etiam Apostoli super sapientes mundi suscitati sunt, & verbo prædicationis præualuerunt eis. 1. *ad Corinth.* 2. Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Item 1. *ad Corinth.* 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo [& ponam te] Iuda scilicet, & Ephraim [quasi gladium fortium] Hoc in Machabæis impletum est, & quotidie impletur in Ecclesia, in gladio spiritus (quod est verbum Dei) pugnante. *Ephes.* 6. Gladium spiritus (quod est verbum Dei) assumite. *Isa.* 49. Posuit os meum quasi gladium acutum, sub vmbra manus suæ protexit me. Et transit ad auxilium diuinum.

Verbum Dei gladius est spiritus.

Et Dominus Deus super eos videbitur] Hoc ad literam factum est 2. *Machab.* 12. vbi sic dicitur: Cumque prompto animo pariter ab Ierosolymis

ad

ad bellandum procederent, apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans: tunc simul omnes benedixerunt Dominum misericordem, & comaluerunt animis, non solum homines, sed & bestias ferocissimas & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de cælo habentes adiutorem, & misserantem super eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis vndecim millia. Legitur item *ibidem* 10. quòd cum vehemens pugna esset aduersariis, apparuerunt de cælo quinque viri in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo, Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum, incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant [& exibit vt fulgur gladius eius]. Gladius enim eductus emicat vt fulgur. Hoc etiam verum est de Ecclesia, cuius gladius (quod est verbum Dei) fulgurat exemplis vel miraculis, & incidit in acumen veritatis *Psal.* 143. Fulgura coruscationes, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. *Iob* 36. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet, hoc est, mundi.

Et Dominus Deus in tuba canet] hoc est, Sancti in virtute Domini: quia ad literam Machabæi clangebant sacris tubis, quæ in Ecclesia significant tubam prædicationis. *Osee* 8. In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini. *Numer.* 10. Fac tibi duas tubas ductiles, argenteas, quibus possis conuocare multitudinem in die, quando mouenda sunt castra [& vadet in turbine Austri] hoc est, vadet inuoluendo & conflingendo hostes, sicut turbo veniens ab Austro, qui venti inuolutiuus & tempestuosus est, & significat impetum & inuolutiones Spiritus sancti in spiritualibus. *Isaiæ* 21. Sicut turbines ab Aphrico venient, de deserto veniet. Charitas enim in turbine venit, & cum impetu deuotionis.

Dominus exercituum proteget eos] Hebræos scilicet, vel sanctos Prædicatores. *Psal.* 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur [& demorabitur eos] Hebræos scilicet Græcos, vel Prædicatores non aduersores sibi incomportabunt. *Esther* 11. Lux & sol exortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos [& subiecerunt] seruitutei sunt. funda lapidibus funde] Iudæi dicunt, quod tuta sunt victoria Machabæorum, quod vidit hostem à Machabæis, etiam à commoto populo cum eis sunt, & contra fugientes iacti sunt lapides per funda, sed nos non curamus illas fabulas. Dicimus ergo, quod funda quæ duas chordas habet, & locum in quo lapis ponitur, continent perfectam fidei lectionem Scripturarum, quibus duas chordas sunt ratio in parte vna, fiducia Scripturæ in parte altera; lima autem adaptando ad propositum: lapis autem auctoritas solidæ veritatis & limpidæ: circumgorgite vero funda, est collatio & dispositio in corde Prædicatoris. Hæc est funda, in qua Dauid prævaluit Philisthæo *Iudicum* 10. Sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere, & neque vnum in alterum partem eius lapides deferebat. Quam precipites autem eruit ad pascua fidei.

Et inebriabunt [inebriabunt, quasi vinum] hoc est, victores quasi ebrij oblitti sui & periculi, contra hostes ferebantur in mortem & periculum. Vinum enim (vt dicit *Philosophus*) bonæ spei facit hominem & audacem. *Cant.* 8. Dabo tibi poculum ex vino conditum, & mustum malorum granatorum meorum. 3. *Esd.* Viri, quam præualet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud? Et paulo post: O viri, num id est, nonne præualet vinum ei qui sic cogitat facere? & replebuntur vt phialæ] vino illo scilicet audaciæ & bonæ confidentiæ. *Cant.* 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi [& quasi cornua altaris] supple, replebuntur, quæ semper fuerunt in sua sanguinibus. *Septuaginta* sic habent: Bibent sanguinem eorum sicut vinum, & implebunt sicut phialas altaris. Sanguinem enim inimicorum [quia ad honorem Dei fuerunt] quasi libamen Deo obtulerunt.

Et saluabit eos Dominus Deus eorum] Machabæos scilicet, vel Sanctos [in die illa] lucente scilicet gratia Omnipotentis [vt gregem populi sui] transitiue, hoc est, vt gregem qui est populus suus. *Ezech.* 34. Vos greges mei, oues pascuæ meæ estis, dicit Dominus. *Psal.* 94. Nos populus eius, & oues manus eius. Et horum omnium caulam, subdit [quia lapides sancti eleuabantur super terram eius] & tangit quod habetur 1. *Machab.* 4. & 2. *Machab.* 6. quòd altare profanatum à Gentibus destruxerunt, & lapides in loco apto posuerunt, donec surgeret Propheta qui annuntiaret de eis: & aliud de lapidibus (quos ferrum non tetigit) erexerunt. Spiritualiter autem lapides sancti, Sancti sunt solidæ vitæ, qui eleuantur super terram, quando principatum accipiunt. *Iob* 5. Cum lapidibus regionum erit pactum tuum. *Isa.* 54. Ponam portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides electos. Quid autem faciet ad tantam audaciam, subdit.

Quid enim bonum eius est] quod scilicet de fidelium moneta, & quid pulchrum eius] quod scilicet conuersationem ad sanctitatem componit, nisi frumentum electorum] hoc est, electis dandum [& vinum germinans virgines] hoc est, virginea mentes. *Septuaginta*: Quia quid pulchrum illius est, & quid bonum ab eo, frumentum iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines. Et est sensus, quia refectio optima in eleuatione quæ electis danda est, & optima refectio in procedendo quæ virginibus danda ad pulchritudinis conuersationem, quæ terra fonte gignit, & quæ Deus promittit ad tantam mouet audaciam. Spiritualiter autem frumentum potius & dulcedo gratiæ est diuinæ quæ electis datur. *Psal.* 147. Adipe frumenti satiauit eos, & mellitus gratia Sacramenti. Vinum autem concipiunt est gaudentes mentes, quod virginea mentes & incontaminatæ castitatis & mediatis. *Cant.* 1. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. *Deuteron.* 33. Oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. *Gen.* 27. Frumento & vino habundauit eum.

CAPVT X.

CAPVT X.

Petite pluuiam.

IN capitulo isto populo abundantia temporalium promittitur à Domino, si ad ipsum ab idolis conuertantur, & habet quinque paragraphos. In primo à Domino & non ab idolis ostendit hæc esse petenda. In secundo vt digne petant, per visitationes Domini distinctionem bonorum à malis significat *ibi* [Super pastores] In tertio victis hostibus filiorum ad patrum deuotionem ostendit reductionem *ibi* [Et confundentur ascensores] In quarto captiuorum ad patriam describit reductionem *ibi*[Sibilabo eis] In quinto in reducendo suæ potentiæ describit magnitudinem *ibi* [Et transibit in maris freto] Dicit ergo.

Pluuia temporanea & serotina. Petite pluuiam à Domino] non ab idolo [in tempore serotino] Duæ sunt pluuiæ scilicet temporanea quæ descendit vt semina pullulent & in herbam germinent, & serotina quæ descendit ad hoc quod grana tumescant. Vnde *Osee* 6. Veniet vobis tamquam imber temporaneus & serotinus terræ. Et videtur respondere ad illud *Iere.*3. Quàmobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit Quia scilicet hæc ab idolis & non à Deo petebatis [& Dominus faciet] supple, plus quàm petitis, dummodo in fide petatis. *Iacob.* 1. Postulet autem in fide nihil hæsitans [niues & pluuiam imbris] *Ephe.* 3. Potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus. Vnde petita pluuia dat niues, & pluuiam imbris, & herbam. Niues vt humore infundant, & frigiditate terram in superficie restringant, ne beneficium vaporis in visceribus terræ generatum euaporare possit, sed radices plantarum restrictum cogatur inspirare. *Eccli.* 43. Sicut auis deponens ad sedendum, aspergit niuem, & sicut locusta demergens descensus eius. Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus. Pluuia imbris est pluuia leuiter descendens, & salubriter terram infundens. *Iob* 36. Qui affert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum. *Psal.* 67. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.

Pluuia imbris.

Et dabit eis singulis herbam in agro] Quod dicit singulis, notat, quod vnicuique dabit opportunam. *Sapien.* 16. Et voluntati vniuscuiusque deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Hæc spiritualiter intelliguntur de pluuia doctrinæ, quæ datur per Prædicatores. Nix autem candor est & prædicatio cælibatus in castitate. *Iob.* 1. Si lotus fuero velut aquis niuis. Hic enim est vigor virtutis, & boni operis. *Isaia* 55. Quomodo descendit imber & niuis de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Ephes.* 6. Terra sæpe super se venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Et bene dico, Petite à Domino.

Quia simulachra] à quibus hactenus petistis [locuta sunt inutile] dæmon enim præsidens simulachris promittebat quod soluere non potuit. *Iere.*14. Numquid sunt in sculptilibus Gentium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres nisi tu volueris? Nonne tu es dominus Deus noster, quem expectauimus? tu enim fecisti omnia hæc [& diuini viderunt mendacium] Diuini à diuinatione dicuntur, & sunt pseudoprophetæ mendacia vaticinantes, & homines in malo confortantes. *Isa.* 8. Cum dixerint ad vos, Quærite à pythonibus, & à diuinis qui stridentes incantationibus suis: dicite, supple, Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis à mortuis? [& somniatores frustra loquuti sunt] Tangit eos qui oblatis animalibus in pellibus dormiebant, & per somnia diuinabant. *Iere.* 23. Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium (ait Dominus) qui narrauerunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis. Videtur tangere eos qui nostris temporibus de visionibus inutilibus gloriantur[vane consolabantur]dicentes, Pax cum non esset pax scilicet. *Iere.* 23. A Prophetis enim Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram.

Diuini.

Somniis ipsi inuitendi.

Idcirco] supple, quia talibus crediderunt [abducti sunt quasi grex] *Isa* 5. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Et intelligitur simul de captiuitate diaboli, & de captiuitate regis Babylonis [affligentur] à lupis scilicet, & hostibus, & dæmonibus [quia non est eis pastor] qui scilicet in actu pastoris congreget, custodiat, pascat, & educat & induceat gregem. Et videtur literaliter loqui de Alchimo, & Iasone, & Simone præposito templi, de quibus 2. *Macha.* 4. 5. & 6. qui pastoris dignitatem ambiebant, & pastoris actum non exhibebant, sed potius morsus & dilacerationes luporum. *Iuan.* 10. Lupus rapit & dispergit oues. *Matt.* 7. Intrinsecus sunt lupi rapaces. *Dionysius ad Demophilum monachum.* Sacerdos malus, sacerdos non est, sed lupus ouina pelle super diuinum populum armatus. *Ezech.*34. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Et *ibidem.* Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.

Sacerdos iniquus lupus est.

Super pastores] Quia pastores fuerunt causa subuersionis; ideo per visitationem tales timuet à populo [Super pastores iratus est furor meus] Pastores (inquam) à dignitate, & non ab actu. *Ezech.* 34. Ecce ego super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam vt vltra non pascant gregem meum. Pastor autem ferens ira est, vt dicit *Gregorius*, quia sicut dicitur *Sap.* 6. Potentes potenter tormenta patientur [& super hircos visitabo] Hircos vocat Prælatos peccatis foetidos, & cornu potestatis innocentes impingentes. *Dan.* 8. Cum hircus appropinquasset prope arietem, esseratus est in eum & percussit arietem.

Prælatus corruptus.

Quia visitauit Dominus exercituum gregem suum] distinguendo scilicet malos à bonis. *Psal.* 58. Intende ad visitandas omnes gentes, non misereatis omnibus qui operantur iniquitatem. Et quid post visitationem futurum sit, subdit; primo dicens, quis sit grex, secundo, qualiter conseruabitur [domus Iuda] hoc est, duæ tribus. *Ezech.* 34. Vos autem greges mei, oues pascuæ meæ estis.

Et subdit

Et subdit de confortatione[& posuit eos] hoc est, disposuit confortando & fortificando [quasi equum gloriæ suæ] hoc est, qui gloriose vehant eum [in bello] contra alienigenas scilicet, *Isa.*63. Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. *Habac.* 3. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

Ex ipso angulus] Angulus parietes continet ad vnum, & significat Prælatos diuersas congregationes & societates hominum continentes in vno. *Ephe.*3. Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. *Psal.* 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli [ex ipso paxillus] egredietur, supple, hoc est, qui totum tabernaculum Domini indissolubile contineat. Et videtur loqui de Iuda Machabæo & similibus sibi, bonis scilicet Prælatis. *Isa.* 22. Figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domus patris sui. *Isa.* 33. Oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquàm transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur [ex ipso arcus prælij] supple, egredietur, Iudas scilicet Machabæus & similes sibi Prælati, qui sicut arcus sagittas, sic crebras victorias misit in hostes Ecclesiæ. Quorum vnus dicit *Gene.* 48. Do tibi vnam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in arcu & gladio meo[ex ipso egredietur omnis exactor simul] Et tangit de Iuda Machabæo & bonis Prælatis, qui exactores Ecclesiæ subiiciunt, & tributa virtutis ab eis exigunt. *Isa.* 14. Etiam sapientes eos, qui se ceperant, & subiicient exactores suos. Et quia per singula longum esset describere, vniuersaliter subdit.

Et erunt quasi fortes] hoc est, vere fortes, ita quod hoc quod dico, quasi, non sit nota similitudinis, sed expressium veritatis. *Isa.* 40. Dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat [& conculcantes lutum in medio viarum im prælio] hoc est, hostes immundos vt lutum viarum. *Iudicum* 5. Conculca anima mea robustos. Sic Prælati calcare debent impios, & non immergi in lutum munerum eorum. *Malach. vltimo.* Calcabitis impios cum fuerint velut cinis sub planta pedum vestrorum. *Psal.* 17. Vt lutum platearum delebo eos [& bellabunt] supple, prælia Domini[quia Dominus cum eis] 2. *Mach.* 11. Ibat igitur prompti, de cælo habentes adiutorem. *Isa.*50. Dominus Deus auxiliator meus, quis ergo est qui condemnet me?

Peccatoribus spe quæ sius non parcendi.

Et confundentur] Tertius paragraphus [Et confundentur ascensores equorum] qui scilicet bella diligunt, & in Ægyptum confugere quærunt. *Isaia* 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam. Significat enim equus præcipitem & temerariam audaciam ad malum. *Psalm.*32. Fallax equus ad salutem [& confortabo domum Iuda] duas scilicet tribus, vel Machabæos, vel Sanctos. *Heb.* 11. Fortes facti sunt in bello. *Eccli.*46. Fortis in bello Iesus Naue successor Moysi in Prophetis [& domum Ioseph] id est, decem tribus [saluabo] & intelligit de illis qui de decem tribubus tempore Ezechiæ reuersi sunt ad Dominum 2. *Para.*31. [& conuertam eos] ad me scilicet. *Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur [quia misereberor eorum] non ex meritis eorum, sed ex gratia mea. *Tit.*3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et subdit de reductione filiorum in deuotionem patrum.

Misericordia Dei gratuita.

Et erunt sicut fuerunt] in patribus supple [quando non proieceram eos] hoc est, ante peccatum & idololatriam. *Malach. vlt.* Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. *Luc.*1. Conuertet cor filiorum ad patres, & incredulos ad prudentiam iustorum [ego enim Dominus Deus eorum exaudiam eos] in omnibus scilicet petitionibus eorum. *Isa.*58. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce ego adsum [& erunt quasi fortes] id est, vere fortes [Ephraim] scilicet, fructus virtutis ferentes, & à Domino confortari. *Psal.*29. Dominus fortitudo plebis suæ [& lætabitur cor eorum] crebris scilicet victoriis [quasi à vino] supple, inebriatum: quasi enim ebrij iniiciebant se periculis Mathathias & socij eius. *Psal.*106. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius [& filij eorum] Iudas scilicet, Ionathas, & Simon, & alij fratres, vel imitatores fortium Prælatorum & Sanctorum [videbunt] fortitudinem scilicet, & successus patrum [& lætabuntur] *Psal.* 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam [& exultabit cor eorum in Domino] omnia scilicet Deo per gratiarum actiones attribuentes, dicentes illud *Habac.* 3. Super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.

Sibilabo eis] Quartus paragraphus. Et tangit hic de congregatione vel Sanctorum, vel captiuorum, & dicit tria, scilicet, quo congregantur, & quando multiplicantur, & quando proficient.

Sibilus.

Sibilabo eis] Sibilus occulta vocatur inspiratio. 3. *Reg.* 19. Post ignem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus [& congregabo illos] *Psal.* 49. Congregate illi Sanctos eius [quia redemi eos] vel de captiuitate Babylonica, vel sanguine meo de potestate diaboli. 1. *Pet.*1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine agni tamquam immaculati Christi [& multiplicabo eos] numero scilicet, & fide. *Psal.* 138. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. *Gene.* 15. Suspice cælum, & numera stellas: sic erit semen tuum [sicut ante fuerant multiplicati] temporibus scilicet patrum, quando ex vno facti sunt innumerabiles. *Gen.* 12. Faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriscque benedictus. Idem *Gene.*17.

Et seminabo eos] in posteris scilicet [in populis] hoc est, per nationes. *Tob.*13. Ideo disperdit vos inter gentes quæ ignorant eum, vt enarretis mirabilia eius. *Isa.*12. Cantate Domino quoniam magnifice fecit, annuntiate hæc in vniuersa terra [& de longe] supple, disseminati [recordabuntur mei] annuntiando scilicet nomen meum. *Psal.*21. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te [& viuent] vita naturæ, & gratiæ [cum filiis suis] successoribus scilicet religionis, & naturæ. *Eccl.* 4. Sapientia vitam filiis suis inspirat [& reuertentur] ad cor scilicet, ad Deum, & ad patriam. *Isa.* 46. Redire præuaricatores ad cor.

Et reducam eos [gratia scilicet præeuente] de terra Ægypti] de tenebris scilicet, & miseriis secularis occupationis. *Mich.* 6. Memento quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruorum liberaui te [& de Assyrijs reducam eos] vel congregabo,

gegabo eos. Semper enim filij Israel in Ægyptiis, vel in Assyriis vane confidebant. *Thren.* 5. Ægypto dedimus manum, & Assyriis vt saturarentur pane. Assyrius enim extollens vigilias interpretatur, & significat eos qui tota die vigilias extollunt pro solicitudine bonorum secularium [& ad terram Galaad & Libani] quæ prius, supple, fuit possessio decem tribuum [adducam eos] Galaad vero interpretatur aceruus testimonij, & significat doctrinam sacræ Scripturæ. Libanus candidatio, & significat honestatem vitæ in Ecclesia. *Isaiæ* 63. Sicut adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ [& non inueniretur in eis locus] sufficiens, supple, quia præ multitudine habitatorum locus non sufficiet. *Isaiæ* 49. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ, Angustus est mihi locus, fac spatium mihi vt habitem. Hoc videmus modo in Ecclesia, in qua modo plures modi viuendi quæruntur, quam Ecclesia sustinere possit.

Assyrij.

Galaad. Libanus.

Et transibit in maris freto] Tangit hic vltimo quam facile sit ei reducere dispersos [Et transibit in maris freto] Loquitur de Hellespontico mari, quod brachium sancti Gregorij dicitur, vltra quod quidam Iudæi captiui ducti fuerant, quos Dominus reduxit: quod dicitur mare, propter salsedinem: fretum autem, quia semper fremit, & significat tempestatem seculi, per quam Dominus multos Sanctos adducit. *Isaiæ* 51. Qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati [& percutiet] hoc est, sedabit [in mari fluctus] *Iob* 38. Dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos [& confundentur omnia profunda fluminis] loquitur ad modum illum quem fecit sub Iosue, quando siccauit vada Iordanis. Quod adhuc facit Dominus, transitum mortalitatis huius in reputatione Sanctorum ita deliccans, vt à Sanctis nihil penitus reputetur. *Isa.* 11. Leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum septem riuis, vt transeant per eum calceati, hoc est, septem donis sancti Spiritus, vt Sancti calceati, hoc est, in memoria habentes mortalitatem pellis huius, nihil reputent transitum eius [& humiliabitur superbia Assur] id est, auarorum, qui in solicitudine secularium vigilias extollunt [& sceptrum Ægypti recedet] solicitudinis scilicet seculi. *Isa.* 10. Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. *Isaiæ* 20. Confundentur ab Æthiopia spe sua, & ab Ægypto gloria sua. Sceptrum enim seculi semper deprimitur. *Habac.* 3. Maledixisti sceptris eius, capitibus bellatorum eius.

Seculi sceptrum Deus preferuit.

Confortabo eos Domino] hoc est, in virtute Domini confidentes. *Iosue* 1. Confortare, & esto robustus: noli metuere, & noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris [& in nomine eius ambulabunt] hoc est, proficient. *Psalm.* 88. In lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur [dicit Dominus] Confirmatio est eorum quæ dicta sunt. *Psal.* 32. & 148. Ipse dixit, & facta sunt.

Aperi Libane.

CAPVT XI.

HIc incipit dicere ea quæ futura erant sub Romanis, & diuiditur in tres partes. Primo enim agitur de destructione malorum, ad fidem Christi conuerti nolentium. In secunda, de profectu bonorum, ibi antè finem 12. [In die illa dicit Dominus, percutiam omnem equum] In tertia, de causa vtriusque, quæ est Passio Christi, infra ibi ante finem 13. [Framea suscitare super pastorem meum] In prima tres sunt partes, in quarum prima ostenditur destructio templi & populi: in secunda, quam iuste hoc factum fuerit declarat *ibi* [Et assumpsi mihi duas virgas] In tertia reuertitur, & modum destructionis assignat, infra in principio 12. *ibi* [Onus verbi Domini super Israel] Prima in duas. In prima sub metaphora describit destructionem. In secunda, metaphoræ ponit explanationem *ibi* [Ecce ego tradam] Adhuc in prima tria sunt, metaphora scilicet, & metaphoræ adaptatio *ibi* [Hæc dicit Dominus, Pasce pecora] Et tertio destructionis ratio *ibi* [Et pastores eorum] Dicit ergo.

Aperi] hoc est, aperies, velis nolis [ô Libane] hoc est, templum exaltatum vt Libanus, & de lignis Libani ædificatum [portas tuas] vt scilicet hostis ingrediatur Romanus. Vlcta enim ciuitate, in templum ingressi sunt, & templum succenderunt. *Thren.* 2. Tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni. Et paulo post: Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius, regem eius & principes eius [& comedat ignis cedros tuas] Tabulis cedrinis vestitum fuit templum in parietibus & tabulato, quas cedros consumpsit ignis succensus à Romanis. *Isaiæ* 64. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi te laudauerunt patres nostri, facta est in exustionem ignis.

Vlula abies] Abies (vt dicit *Isidorus*) ab abeundo dicitur quia in altum abit. Tabulis vero abiegnis vestitum erat pauimentum templi 3. *Regum* 6. Et exustis parietibus & tabulato, ignis descendit in pauimentum & consumpsit illud [Vlula abies] hoc est, tabulatum abiegnum [quia cecidit cedrus] hoc est, quia paries iam ardet. Horatius.

Abies.

Tunc tua res agitur, paries dum proximus ardet.

Quod autem hæc ad homines referantur subdit [quoniam magnifici] per cedros & abietes intellecti [vastati sunt] Magnifici enim in dignitatibus intelliguntur per abietes sublimes. Magnifici autem ex nobilitate generis per cedros intelliguntur, qui vastati sunt per Romanos. *Osee vltim.* Erumpet radix eius vt Libani, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. *Isaiæ* 2. Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes & erectas. Pontifices enim qui quasi pons deberent esse populi, sunt quasi pauimentum abiegnum. Hi enim per vitæ imparibilitatem deberent esse cedri, vestientes parietes, hoc est, populum & tabulatum

Superborum humiliatio.

latum per protectionem: nunc autem igne libidinis consumpti sunt. Et subdit de destructione ciuitatis.

Vlulate quercus Basan] hoc est, robur ædificiorum ciuitatis iam confusioni & ignominiæ (quod interpretatur Basan) sententia Dei addictum [quoniam succisus est saltus munitus] vel templum scilicet munitum præsidio Dei & Angelorum, vel condensitas populi. *Isa.* 2. Dies Domini super omnes quercus Basan. *Isaiæ* 10. Excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur, & subuertentur condensa saltus ferro, & Libanus cum excelsis cadet. Et metaphoram ad rem significatam referens, subdit.

Basan.

Vox vlulatus pastorum] supple, audita est. Pastores dicuntur principes sacerdotum & secularium. Vlulatus autem est vox querula, vlulatum canum imitans. *Isa.* 65. præ dolore cordis Clamabitis, & præ contritione spiritus vlulabitis [quoniam vastata est magnificentia eorum] pastorum scilicet, hoc est, populus de cuius quæstu magnificos se reputabant. *Isaiæ* 2. Oculi sublimis hominis humilitati sunt, & incurabitur altitudo virorum, & exaltabitur Dominus solus. Et subdit de tyrannis.

Vox rugitus leonum] supple, in planctu audita est. Tyrannus enim leo dicitur rugiens: semper enim esurit & rugit in rapinam superum, sicut diabolus. *Prou.* 28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem [quoniam vastata est superbia Iordanis] Per similitudinem loquitur. Sylua enim iuxta Iordanem est, in qua propter condensitatem leones superbiunt, qua succisa, leones rugiunt pro amisso habitaculo. Ita tyrannus succisa plebe, rugit pro amissa lucri venatione. *Iob* 4. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt. Et quod metaphorice dixit, innuens aliquam explanationem, subdit, & duo dicit: destructionem scilicet, & destructionis rationem.

Tyrannus, leo in subditos.

Hæc dicit Dominus Deus] cuius dixisse, fecisse est, O Zachariæ, supple [Pasce] hoc est, pascenda prædic & impinguanda opibus, scilicet, sub Machabæis [pecora occisionis] hoc est, populum ad nihilum aptum nisi ad occisionem & deuorationem; vt impinguatis talibus pecoribus, dentes hostium acuantur in ea, & magis desiderentur ad deuorandum. *Psalm.* 43. Æstimati sumus sicut oues occisionis [quæ qui possederant] hoc est, Romani qui per sententiam meam iandudum possederant Iudæos [occidebant, & non dolebant] hoc est, sine compassione, sicut expresse scribunt. *Iosephus & Egesippus. Anno* 6. Nihil compatiebantur super conditione Ioseph. *Isaiæ* 61. Multimodo visceribus eorum & miserationibus iuarum contimeruit se super me [& vendudabant ea] distrahis scilicet Iudæis mancipiis. *Psal.* 43. Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo, scilicet pretij, in commutationibus eorum. Parui enim & vili pretio distrahebantur [dicentes, Benedictus Dominus, diuites facti sumus] *Proverb.* 1. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. *Exo.* 15. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Rationem autem quare hoc petrafit Deus, subdit [&] idest, quia [pastores eorum] hoc est, Prælati, Sacerdotes scilicet, & Principes, ante captiuitatem Romanam [non parcebant eis] *Isaiæ* 3. Vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra.

Iudæi à Romanis venditi.

Et] supple, ideo [ego non parcam vobis] *Proverb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ [super habitantes terram, dicit Dominus] per terrenam scilicet concupiscentiam. *Isaiæ* 24. Formido & fouea & laqueus super te qui habitatores terræ. Et subdit quasi explanando modum traditionis eorum [Ecce ego tradam homines] Iudæos scilicet in Ierusalem & in Iudea habitantes [vnumquemque in manu proximi sui] Tangit seditiones quas inter se in ciuitate habebant, in qua pater filium, frater fratrem, mater filium occidit, vt fierent eis in escam. *Ieremiæ* 9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam. *Thren.* 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibi earum in contritione filiæ populi mei [& in manu regis sui] Titi scilicet, & Vespasiani. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum [& ruent, supple [concident terram] Prælati scilicet, & subditi [& non eruam de manu eorum] Significat quod perpetua erit captiuitas facta per Romanos. *Thren. vlt.* Serui dominati sunt nostri, non fuit qui redimeret de manu eorum.

Captiuitas Romana Iudæis perpetua.

Et pascam] supple, sic [pecus occisionis] hoc est, depascendo conlumam. *Psal.* 17. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Vt autem hoc iustum sit, illius gentis ingratitudinem subdens, ostendit. Et hoc pauperibus qui Deum timent, annuntiat primo in vniuersali, secundo determinans in particulari, *ibi* [Et tuli virgam meam. Propter hoc ô pauperes gregis] qui me scilicet timetis [audite] ingratitudinem scilicet populi illius.

Et] id est, quia per successionem temporis ab initio mundi [assumpsi mihi duas virgas] pastorales scilicet, in quarum rectitudine regimen meum ad populum significaretur. *Psal.* 44. Virga directionis virga regni tui [vnam] scilicet, quam primo assumpsi [vocani decorem] legem scilicet naturalem, qua populum rexi ante diluuium. Decor enim mirabilis est, rationem hominis à naturali lege non deflecti. *Psal.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo [& alteram] quam scilicet post diluuium assumpsi, cum ad idolatriam tenderet genus humanum tempore prouni Abraæ [vocani funiculum] legem scilicet scriptam, quia vt funiculo mensurari mihi quoddam, quos in populum peculiarem elegi. Quod significatur *Exod.* 4. vbi legislator dicit: Tollet quoque virgam hanc in manu tua, in qua facturus es signa [& vocani gregem] in rectitudine scilicet, & iustificationibus legis. *Psalm.* 94. Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.

Lex naturalis & scripta duæ hic virgæ significantur.

Et] interuum, supple, zelani rectitudinem legis, quod [succidi tres pastores in mense vno] hoc est, in mense primo Nisan, vel Aprili dicto. Et tangit id quod habetur *Num.* 20. vbi Maria (quæ fuit vna pastorum) mortua est, & Moyses & Aaron qui duo pastores fuerunt, eo quod dubitantes de aquis contradictionis, Deum coram populo non glorificauerunt, sententiam mortis acceperunt, dicente Domino: Quia non credidistis mihi vt

Moyses, Aaron, & Maria cum pastores fuerunt.

sanctificaretis me coram populo, non intrabitis in terram quam promisi filiis Israel. Huius autem causam subiungit [&] id est, quia [contracta est] id est, contuibata [anima mea in eis] *Isa.* 59. Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium, & aporiatus est. Et ne sine causa credatur contracta esse anima Domini, subdit [Siquidem & animæ eorum variauit in me] non scilicet secundum rectitudinem virgæ ambulantes, Maria scilicet murmurante contra Moysen *Numer.* 12. Aaron vitulum fundente *Exod.* 32. Moyse & Aaron me non sanctificante coram populo *Num.* 20. Vt sic verum sit quod dicitur *Heb.* 2. Omnis præuaricatio & inobedientia iustam accepit mercedis retributionem.

Et] non tantum hoc feci in pastoribus, sed etiam de populo non ambulante ad rectitudinem virgæ [dixi] *Numer.* 14. [Non pascam vos] Et tangit quod quando exploratores reuersi fuerunt, & fortitudinem habitatorum terræ promissionis nuntiauerunt, populus in seditionem versus voluit redire in Ægyptum, & tunc dixit Dominus: Non pascam vos, id est, non præcedam vos vt pastor. Et præcepit vt quadraginta annis circumduceretur circa montem, donec consumerentur omnes qui murmurauerant. [Quod moritur] hoc est, quod morte dignum est [moriatur: & quod succidit] hoc est, quod ab hostibus succidi dignum est [succidatur] hoc est, interficiatur. *Psal.* 94. Quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Heb.* 3. Quibus iurauit vt non introirent in requiem suam, nonne his qui increduli fuerunt? Et videmus quia non introierunt propter incredulitatem. 1. *ad Corinth.* 10. Neque murmurauerítis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.

Et reliqui] sic, supple, non mortui [deuorent vnusquisque carnem proximi sui] Sic ordina constructionem, Deuorent carnem proximi sui, ita quod vnusquisque hoc faciat per inuidiam scilicet, & iram in alterum, sicut Datan & Abyron contra Moysen *Num* 16. *Gala* 5. Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. *Isa.* 5. Sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis ascendet. Abiecerunt enim legem Dei exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt.

Et tuli virgam] Hic in particulari ostendit qua ingratitudine Iudæi reprobandi sunt, & dicit tria, scilicet, qualiter omnibus abiectis, ipsi soli electi sunt. Secundo, qualiter ingrati pretiosissimum pastorem vili pretio vendiderunt *ibi* [Et appenderunt mercedem meam] Tertio, qualiter propter hoc abiecti sunt *ibi* [Et præscidi virgam meam] In primo dicit qualiter Gentiles à regimine iustis naturalis exciderunt. Secundo qualiter Iudæi ad regimen legis scriptæ electi sunt.

Et tuli] hoc est, abstuli [virgam meam] regimen scilicet æquitatis [quæ vocabatur decor] propter rectitudinem decoris naturalis [& abscidi eam] non quidem in substantia; quia in illa manet semper, sed vt rectitudini eius gentilitas non conformaretur. *Prouerb.* 18 Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Ezech.* 16. Abominabilem fecisti decorem tuum. Et explanat quod dixit, subdens [vt irritam facerem] ne scilicet eis essem pastor [fœdus meum] pactum scilicet regiminis & custodiæ [quod percussi cum omnibus populis] in Adam scilicet, & Noe *Gene.* 9. hoc est, dimisi vt vnusquisque concupiscentias & errores suos sequeretur. Causa huius ponitur *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. *Gene.* 6. Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra.

Et in irritum deductum est in die illa] quando scilicet à me per idola & concupiscentias recesserunt. *Deut.* 32. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. Et subdit de Iudæorum electione [Et cognouerunt sic] scilicet, illis reprobatis [pauperes] quidam [gregis] hoc est, de toto grege mundi, Abraham scilicet, Isaac, & Iacob, & Moyses, & quidam alij exules & pauperes, de quibus dicitur *Iacob.* 2. Nonne Deus pauperes elegit in hoc mundo? diuites in fide, & hæredes regni quod promisit Deus diligentibus se? *Luce* 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro vobis dare regnum [qui custodiunt mihi] mandata mea ad honorem meum, vt dicit *Glossa*. Vel melius, qui vt opiliones custodiunt gregem sub me, sicut fecit Abraham, & Moyses, & Iosue, & quidam alij [quia verbum Domini est] hoc est, ordinatio Domini de reprobatione Gentium, & electione Iudæorum.

Pauperes semper Deo dilecti.

Et dixi ad eos] in Moyse scilicet *Exo.* 19. & 20. [Si bonum est in oculis vestris] supple, quod ego sum pastor vester. [afferte mihi mercedem meam] hoc est, pacto confirmate mercedem dignam fide mea, custodia, & diligentia, & prouidentia mea, vt scilicet digno pretio diligentiam meam æstimetis [& si non] supple, digna mercede, respondere vultis [quiescite] hoc est, à pacto cessate, & alios pastores in idolis & concupiscentiis requirite. *Cant.* 1. Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum, hoc est, concupiscentiæ motus. Et subdit quid factum est eo veniente, vt in propria persona gregem custodiret. Et debet legi cum compassione & despectu [&] cum, supple, venissem sicut pastor bonus qui ponit animam suam pro ouibus suis. *Ioan.* 10. [appenderunt mercedem meam] libra scilicet sue æstimationis [triginta argenteos] acuplius me valere non æstimantes, quibus à proditore Iuda me emerunt. *Matth.* 26. Et ille tam vilem me æstimauit, vt quolibet pretio me comparare antequam retineret.

Iuda proditoris impietas.

Et dixit Dominus ad me] in visione scilicet [Proiice illud] scilicet, scilicet me & labore meo indignum [ad statuarium decorum] Statuarius decoris est, qui ad valorem aequilibrij pretium & id cuius est pretium in omnibus ceris statera rationis ponderat. Iudæorum ille decoris & falsarius, qui scilicet rem plus valentem paruo pretio æstimat. Et est sensus: Fœdus hoc in iudicio omnis rationabilis hominis, & Dominum omnipotentis digno pretio æstimauerunt, vel vendiderunt. Et subinfert quid proiicit: [pretium quo apprietiatus sum ab eis] & reputatus non tantum scilicet valere. *Sap.* 7. Duxi illi esse diuitias in comparatione illius, nec comparauí illi lapidem pretiosum: quoniam

quoniam omne aurum in comparatione illius arena exigua est, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. *Iob* 28. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Et sequitur obedientia Prophetæ in visione hoc præsignans.

Christum cui Iudas prodidit.

Et tuli] hoc est, afferendos prophetaui à Iuda proditore [triginta argenteos] qui decima fuerunt trecentorum denariorum, quibus vendi poterat vnguentum quod mulier effudit super caput Iesu recumbentis, quam proditor subtrahere cogitauerat: & cum non posset in vnguento, Dominum maiestatis pro decima vendidit, vt damna furti sui saltem in decima recuperaret [& proieci illos] hoc est, proiiciendos præsignauí [in domum Domini] vbi sapientes æstimatores fuerunt. *Matth.* 27. Et proiectis argenteis in templo, abiit, & laqueo se suspendit [ad statuarium] Quidam dicunt, fictorem statuarum vel plastem, hoc est, ad illos qui loco Creatoris sederunt in sede Dei, vt ipsi indicarent, si digno pretio venditus esset. Melius tamen exponitur statuarius pro ponderatore: stater enim pondus est quo res ponderantur, inde statuarius idem est quod ponderator, & inde deriuatur statera. Et ad statuarium decorum iubet referri, non ad statuarium dolosum, qui res indigno pretio æstimat. *Prouerb.* 11. Statera dolosa, abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius. Et subdit, quod hac ingratitudine abiecti sunt.

Et] ideo, supple [præscidi virgam meam secundam] id est, populum meum peculiarem [quæ] scilicet, virga [appellabatur Funiculus] *Psal.* 15. Funes cecidunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Et quod dixit, subdit exponendo [vt] Consequutus & non causatus legitimam est dissoluere germanitatem [hoc est, fœdus fraternum inter Iudam] id est, duas tribus [& Israel] hoc est, decem tribus et vna parte, & inter me, supple, et altera parte, & sic à cura mea & regimine meo abiecti sunt. Iudæi & quidam Christiani Iudaizantes, qui omnia recta peruertunt, aliter hoc exponunt, dicentes, quod per triginta argenteos, triginta mandata legis intelligunt, quæ facere iubentur, & hæc sunt affirmatiua mandata, quæ *Exod.* 16. & vsque ad 24. continentur. Et tamen alia sunt, sunt quæ prohibebantur, nec dicunt, quod si reddant obedientiam mandatorum, inde digniam mercedem reddant pastori: sin autem, proiiciendi sunt. Sed hoc falsum est, multo enim plures sunt mandata in lege affirmatiua quam triginta, & multo plura negatiua quam triginta. Præterea triginta argenteo tamquam indignos se iudicant pro me Dominus, obedientiam mandatorum pauperum, vilem nunquam iudicauit, & ideo sic tamquam fabulis aliquid sequentia posteriorum.

Fatilis Iudæorum commentarius.

Et dixit Dominus ad me] præsciens & præsignans quod in nouissimis temporibus Iudæi ad Antichristum tamquam ad proditorem peruertendi erant, & quia nihilum Ecclesiæ fideliter erant iurantes [Adhuc] post duas virgas præscissas [fiat mihi] ad dominationem tuam, inquit, prophetalis [vasa] id est, instrumenta [pastoris stulti] hoc est, nescientis officium pastoris ad gregem, & non curantis scire. Et subdit causam quare hoc prophetandum est.

Quia ecce ego suscitabo] hoc est, suscitari permittam, *Ioel* 3. Dominus regnum facit hominem hypocritam propter peccata populi [pastorem] figuram & non veritatem pastoris habentem [in terra] hoc est, in his qui amant terrena [qui derelicta non visitabit] Derelicta dicuntur, quæ præ infirmitate gregem sequi non possunt ad communia pascua. Contra quod dicit Dominus *Matt.* 25. Infirmus fui, & visitastis me; dispersum non quæretis] Dispersum dicitur à grege per errorem separatum. Contra quod dicitur *Matth.* 18. Vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam: & cum inuenerit, ponit in humeros suos gaudens & dicit: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quam perdideram [& contritam non sanabit] Contritum est quod tentationibus diaboli infirmatum est. Contra quod dicitur in *Psal.* 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum [& id quod stat] in virtute scilicet, & fortitudine [non enutrier] pascit scilicet ministrando, verbo consolationis & exhortationis. *Romab.* 14. Suo Domino stat aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere illum [& carnes pinguium comedet] à diuitibus enim & à pauperibus quæque delicatiora student abstrahere. *Michee* 3. Qui comedunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete & quasi carnes in medio ollæ [& vngulas eorum dissoluet] Vngulæ quæ firmant pedes, firmitatem virtutis significant, quæ firmat affectus: quas vngulas mali Prælati dissoluunt per malum exemplum.

Bonus pastor.

Glossa Hieron. Pastor bonus ægrotantia pecora visitat, dispersa perquirit, relicta affert, lassa sustentat. Malus pastor et conducto omnia peruertere agit. *Isa.* 40. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Vnde vasa pastoris sapientia, sunt canis latrans in officio prædicationis, petra in prouidentia pabuli, baculus regiminis in rectitudine vitæ, fistula in deuotione orationis, & laudis. Vasa vero pastoris stulti, est lupus pro cane, in vera serpens aduersa diabolica, pro baculo perniciosa vitæ, pro fistula cantus modulatus mundanæ concupiscentiæ. Hunc pastorem sic præsignatum vocat, subdens:

Infirmitas boni pastoris.

Infirmitas malipastoris.

O pastor] & subdit [illegible] mendacis distinctionem, non exponens [&] [illegible] idolum] Ac si dicat: Male dixi, pastor, quia idolum es pastoris, & non veritas. 1. *ad Corint.* 8. Scimus quia idolum nihil est in mundo. Et emendationis subdit rationem, dicens [derelinquens gregem] 1. *Regum* 17. Vbi dereliquisti paucitas illa oues in deserto? Et subdit condemnationem [gladius super brachium eius] hoc est, sententia condemnationis mortis super brachium fortitudinis, quo virtus & non arte dominabatur omnis. *Ezech.* 34. Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & diuersa fuit ouis mea [& super oculum dexterum eius] hoc est, quem reputat dexterum eum intentionem conferit ad respectum. Quomodo autem hoc fuit, subdit brachium eius aridum fieri [& dissipatione fiet] conformatum in inferno. *Ezech.* 17. Arescebant omnia folia eius, & suspiraui de cantis eius matutinis] oculus dexter [id est, quem reputat dexterum] tenebrescens [supple, in inferno] obscurabitur] 1. *Regum* 11. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in cunctis Israel. 1. *Regum* 12. Ad quem in tenebris conficiemus.

Deus iusto, regnat hypocrita.

CAPVT XII.

Onus verbi Domini.

IN præcedentibus dictum est de peccato malorum pastorum: sed quia peccatum hoc sæpe redundat in ouium detrimentum, ideo agitur hic de tribulatione Ierusalem, quæ accidit propter peccata pastorum. Et ideo primo hic ponitur titulus, & secundo prophetia tribulationis huius.

Onus verbi Domini] hoc est, onus de quo est verbum prophetiæ huius [super Israël] supple, opprimendum est istud quod nunc describam. Simile *Isa.* 22. Onus vallis visionis. Vallis enim visionis Ierusalem & Iudæa fuit ex pulchritudine spectabilis. Et subdit de potentia imponentis onus illud [& dixit Dominus] qui omnia potest, & verax est. *Tit.* 1. Quam promisit qui non mentitur Deus [extendens cælum] vt omnium scilicet capax, visibilium & inuisibilium creaturarum. *Damascenus.* Cælum est continentia visibilium & inuisibilium creaturarum, quod Deus extendit sicut pellem; quia sicut pellis extensa super hominem, omnia illius membra tegit & continet, ita & cælum omnia ambit atque complectitur. *Sap.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, hoc est, cælum. *Psal.* 103. Extendens cælum sicut pellem [& fundans terram] locum scilicet generationis. *Psalm.* 103. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Et hoc in corporalibus creaturis supremis & infimis [&] in spiritualibus [fingens] id est, creans & formans [spiritum hominis] id est, animam [in eo] quia infundendo creat, & creando infundit. *Psal.* 33. Qui finxit figillatim corda eorum id est animas. *Isa.* 57. Spiritus à facie mea egreditur, & omnem flatum ego facio. *Gene.* 2. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Sic ergo ostendit quæ potestatem habet in corporalibus & spiritualibus creaturis. Et subdit omnes.

Ierusalem vallis visionis dicitur.

Animam hominis Deus creat.

Ecce ego] potestate mea, non alius [ponam Ierusalem propter peccata pastorũ [superliminare crapulæ] iater superliminare & limen, introitus est, & est sensus. Ponam Ierusalem patentem introitum omnibus adueniẽtibus, sicut ad crapulam, qua insatiabilis cupiditas auarorum venientium ad prædam pascatur. *Iob* 30. Quasi rapido muro & aperta ianua, irruerunt super me, & ad me miseriæ deuolutæ sunt. Et hæc est literalis expositio. *Hieronymus* tamen aliter dicit, superliminare crapulæ, vt quicunque limen eius habitando attigerit, inebrietur, & crapula pressus corpus, vel, superliminare comet & opprimet eum. Et quia Romani tunc monarchiam tenebant & omnes populos secum venire quærebant, sequitur [in omnibus populis in circuitu. *Psal.* 3. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Et quia Romani captis ciuitatibus Iudææ ciues aliarum ciuitatum compulerunt secum venire in obsidionem contra Ierusalem, ideo sequitur [sed & Iuda] hoc est, ciuis & incola Iudææ [erit in obsidione contra Ierusalem] *Ier.* 2. Audiui contumelias multorum, & terrores in circuitu, Persequimini, & persequamur eum: ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Et subdit secundam similitudinem.

Superliminare crapulæ.

Et erit] Confirmatio sequentium est. 1. *Regum* 9. Omne quod loquitur, absque dubio euenient [in die illa] clarente scilicet iustitia vltionis peccatorum [ponam Ierusalem lapidem onerũ] id est, sicut lapidem oneris [cunctis populis] in quo omnes vires suas probent & examinent. *Hieronymus.* Mos erat in Iudæa, in aliquo loco celebri poni lapides rotundos gradissimi ponderis, quos iuuenes pro varietate virium probandarum alij vsque ad genua, alij vsque ad vmbilicum vel etiam super verticem extollebant; nec prius ad agonem descendebant quàm ex eleuatione ponderis sciebant, quis cui comparari deberet. Est ergo sensus. Ponet Ierusalem Gentibus quasi grauem lapidem, subleuandum: & leuabunt eum, hoc est, pro virium varietate vastabunt. Sed grauis lapis dum leuatur, in leuantium corporibus scissionem & iunctura rum dislocationem vel ruinam relinquit. Et hoc est quod sequitur [omnes qui leuabunt eum] scilicet, Ierusalem [concisione lacerabuntur] id est non impune transibunt. *Ierem.* 2. Sanctus Israël domino, primitiæ frugum eius; omnes qui deuorant eum, delinquunt: ira Dei veniet super illos. Et quod dixit, exponit, subdens [&] id est quia [colligentur aduersus eam] Ierusalem scilicet [omnia regna terræ] hoc est, vires omnium regnorum in vno, quod monarchiam omnium regnorum tenuit. *Psal.* 2. Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum. *Gene.* 16. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Hoc facile est exponere de pugnantibus contra Ecclesiam, siue Paganis, siue Iudæis, siue hæreticis, siue falsis Christianis, & concordantiæ inductæ vtrumque sensum confirmant.

Persecutio Ecclesiæ vltionem vindicabit.

In die illa] Hic incipit secunda pars superius inductæ diuisionis in principio vndecimi cap. Et agitur hic de profectu Ecclesiæ, & diuiditur in tres partes. In prima profectus Ecclesiæ describitur. In secunda amaritudo pœnitentium conuersorum *ibi* [Et aspicient ad me quem confixerunt] In tertia ablutio peccati per gratiam sacramentalem, infra. 23. *ibi* [In die illa erit fons] In prima septem sunt paragraphi, in quorum primo describitur ablatio superborum, in secundo respectus gratiæ in profectum electorum, in tertio zelus Prælatorum ad confortationem subditorum, in quarto ignium eloquium Doctorum, in quinto profectio conuertendorum, in sexto vocatio Gentium in septimo deuotio omnium. Hæc autem ad literam in Iudæis impletam facta sunt, & ideo de Ecclesia exponenda sunt.

In die illa] clarente gratia Ecclesiæ [dicit Dominus] cuius dictum non excidit [percutiet Dominus] hoc est, deponet à superbia [omnem equum] hoc est, præcipitent audaciam superborum. 1. *Paral.* 28. Equos eorum subuertunt. *Psal.* 31. Nolite fieri sicut equus & mulus. Item. *Psal.* 32. Fallax equus ad salutem [in stupore] hoc est, insensibilitate, vt scilicet nec per timorem sentiat pœnas, nec per amorem beneficia [& ascensorem eius] diabolum scilicet vel liberum arbitrium [in amentia]

amentia] hoc est, insania, vt scilicet aullam cognitionem veri habeat. *Exod.* 15. Equum & ascensorem proiecit in mare, hoc est, in profundum amaritudinis. *Gene.* 49. Mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. *Luce.* 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Et subdit de respectu gratiæ in electos [& super domum Iuda] hoc est, super familiam confitentium & laudantium Dominum [aperiam oculos meos] In apertione oculorum lumen effunditur & expanditur, & notatur quod expandetur super eos lumen gratiæ diuinæ. *Danie.* 6. Aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram. *Psal.* 31. In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. *Sap.* 4. Respectus eius in electos eius [& omnem equum populorum] hoc est, præcipitem arroganciam superborum [percutiam cæcitate] vt ambitione scilicet excæcati recta non videant. *Isaia* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggrauia, & oculos eius claude. Et subdit de congratulatione profectus subditorum.

Oculi Domini semper pijs aperti.

Et dicent duces Iuda in corde suo] hoc est, ex intimis præcordiis hoc desiderantes Prælati Ecclesiæ [Confortentur mihi] hoc est, ad profectum gaudij mei. *Psal.* 67. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthalim [habitatores Ierusalem] visionis scilicet æternæ pacis [in Domino exercituum Deo eru] hoc est, in virtute Domini. Quorum vnus dicit *Philip.* 4. Fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic state in Domino charissimi. Et subdit de ignito eloquio Doctorum.

Charitas Dei caminus est ignis.

In die illa] clarente gratia verbi Dei [ponam duces Iuda] Doctores scilicet glorificantium & confitentium Deo [sicut caminum ignis in lignis] Ignis enim qui extra lucet in ore, latus in corde feruet vt caminus in deuotione. *Isa.* 31. Cuius ignis in Sion, & caminus in Ierusalem. Dicit autem, in lignis; quia populos incendit sicut ligna, & grauiora peccata quæ in eis erant, consumit [& sicut facem] id est faculam ignis [in fœno] hoc est, in minoribus cremabilibus, scilicet, in venialibus peccatis *Eccl.* 48. Surrexit Elias quasi ignis: quia verbum illius quasi facula ardebat [& deuorabunt ad dexteram] hoc est, diuites & nobiles, qui per dexteram intelliguntur: quia in prosperitate sunt [& ad sinistram] pauperes scilicet conuertendo, quorum penuria per sinistram intelligitur [omnes populos in circuitu] sine discretione personarum conuertentes, & sibi incorporantes. *Psal.* 90. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Sicut dictum est Petro *Act.* 10. Macta & manduca. Illis autem incorporatis Prælatis Ecclesiæ, de habitatione & frequentia Ecclesiæ subdit [Et habitabitur Ierusalem rursum] hoc est, iterato [in loco suo] hoc est, in fide & stabilitate vitæ Patriarchatum. *Isa.* 1. Restituam iudices tuos vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hoc vocaberis ciuitas sancta, vrbs fidelis.

Et saluabit Dominus tabernacula Iuda] hoc est, Ecclesias particulares & modos viuendi in Ecclesia. *Numer.* 24. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israel. *Psalm.* 83. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum [sicut in principio] in deuotione Patriarcharum. *Thren. eodem.* Innoua dies nostros, sicut à principio. Et hoc quidem faciet Dominus virtute propria [vt non magnifice glorietur domus Dauid] Domus, hoc est, familia Dauid, sunt Doctores & Prælati Ecclesiæ, qui profectum Ecclesiæ sibi attribuere non poterunt. *Psalm.* 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ezech.* 36. Non propter vos ego faciam domus Israël, sed propter nomen meum [&] supple, non magnificet se & extollatur [gloria habitantium Ierusalem] hoc est, Clericorum & Religiosorum [contra Iudam] hoc est, communem plebem: tamquam profectus qui in plebe est, industria & laboribus eorum perfectus sit. 1. *Corinth.* 1. Vt non glorietur omnis caro coram illo. *Roman.* 3. Vbi est gloriatio tua? Exclusa est. Impij Iudæi hæc peruertentes, dicunt quod hæc intelliguntur de principibus Iudæorum obsessis in Ierusalem, qui pro tempore prorumpentes à dextris & à sinistris prostrauerunt hostes, quasi ignis deuorantes, cum *Egesippus & Iosephus* historiographi nihil talium narrent, sed potius quod concluserant quasi mures in antris, & siquis eorum quasi fugiens latenter apparuit, statim à Romanis exenterabatur, vt aurum in visceribus eius quæreretur. Nec dicere possunt qualiter tabernacula Iuda habitata fuerint, sicut à principio. Et propter hoc tamquam mendosa relinquentes, certam prosequamur expositionem. Subdit ergo de protectione deuotorum in Ecclesia.

Iudæorum iniuria superantur.

Arcta Ierosolymorum obsidio.

In die illa] clarente scilicet gratia diuina. 2. *Macha.* 1. Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo [proteget Dominus habitatores Ierusalem] ab impugnatione scilicet dæmonum, & hostium. *Isa.* 49. In vmbra manus suæ protexit me. *Psal.* 56. Sub vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Et posset obiici, quod etiam tunc homines erant, & peccabant, & ita iram Dei merebantur, respondet [& erit] supple, ex propitiatio meo [qui offenderit ex eis] veniaiter scilicet vel mortaliter. *Iacob.* 3. In multis offendimus omnes.

In die illa] quæ scilicet nihil noctis habet. *Psal.* 138. Nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Hic, inquam, talis erit quasi Dauid] id est facile ad gemitum vnum misericordiam consequens. 2. *Reg.* 12. Dixit Dauid, Peccaui. Et Nathan Propheta ex Domino statim respondit: Transtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris. *Psal.* 31. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Hoc probat parabola de filio prodigo, & patre recipiente. *Luc.* 15. [& Domus Dauid] hoc est, familia Christi, manu fortis in actione, & aspectu desiderabilis in contemplatione, hoc est, innocentes, supple, erunt [quasi Dei] participatione enim dij sunt. *Psal.* 81. Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes. Et hoc explanat, subdens [sicut Angelus Domini in conspectu eius] scilicet Dei, supple, erunt. Angelorum enim puritatem & cælibatum profitentur. *Matth.* 19. Erunt sicut Angeli Dei in cœlis. Et subdit de Gentium vocatione.

Peccatum filijs remittitur.

Et erit] Confirmatio sequentium est [in illa die] lucente veritate [quærere] per Apostolos [conterere] quantum ad gentilem vnum [omnes gentes] *Ier.* 23. Nonne verba mea ignea sunt, & quasi malleus conterens petram? hoc est, durissimum cordium Gentilium quæ scilicet omnes venient] infidelitatis impetu [contra Ierusalem] hoc est, contra Ecclesiam. *Gen.* 49. Manus tua in omnibus

cibus inimicorum tuorum. *Psal.* 17. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Et subdit de deuotione conuersorum.

Et effundam] fluenta gratiæ scilicet largiter [super domum Dauid] hoc est, super familam Christi [&] id est [super habitatores Ierusalem] hoc est, Ecclesiæ [Spiritu] sanctum scilicet meum [gratiæ] in remissione peccatorum & operatione virtutum. 1. *ad Corinth.* 12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia [& precum] in deuotione orationis pro se, & pro aliis. *Rom.* 8. Quid oremus secundum quod oportet nescimus : ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, docet postulare, & inclinat ad postulandum.

Et aspicient me] Hic tangitur de planctu pœnitentium: primo in communi, & secundo in speciali *ibi* [Et planget terra] In communi tria dicit, scilicet, planctus amaritudinem, planctus magnitudinem, & his duobus præmittit causam planctus. [Et aspicient ad me] per fidei scilicet deuotionem, vel nunc, vel in fine temporum. 2. *Para.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. *Matth.* 26. Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nube cum potestate magna [quem confixerunt] peccatam scilicet faciendo, vel Filium Dei crucifigendo. *Malach.* 3. Si configit homo Deum suum, quia vos configitis me? *Ioan.* 19. Videbunt in quem transfixerunt. *Apoca.* 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt [& plangent eum] hoc est, peccatum quod commiserunt in eum. *Iere.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum : & plorabo die ac nocte? [planctu quasi super vnigenitum] Quia ad literam Dominus noster vnigenitus est, & Patris & Matris. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. *Iere.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctu amarum [& dolebunt] scilicet tacti dolore cordis intrinsecus *Gene.* 6. [super eum sicut doleri solet in morte primogeniti] In primogenito enim, quia preclarior natio est, & floret in eo vigor patris & matris, major dolor ecce consueuit. Tamen Dominus *Apoca.* 1. dicitur primogenitus mortuorum. Et *Coloss.* 3. dicitur primogenitus omnis creaturæ. *Heb.* 1. Cum inducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et subdit de magnitudine planctus.

Christus vnigenitus

In die illa] pœnitentiæ scilicet, vel extremi iudicij [erit planctus magnus in Ierusalem] hoc est, in Ecclesia, vel in mundo [sicut planctus Adadremmon] hoc est, qui fuit iuxta ciuitatem Adadremmon [in campo Mageddon] hoc est, in campestribus sic vocatis. *Hieronymus* Adadremmon vrbs est iuxta Iezrahel quæ Marimianodolis hodie vocantur, in campo Mageddon, in quo Iosias rex iustus à Pharaone Necchao vulneratus & interfectus est 4. *Reg.* 23. Super quo lamentationes scribit *Ieremias.* Sicut ergo eo tempore post reges peccatores, omnis spes populi erat in Iosia, & illo occiso magnus planctus in vrbe commotus est: ita crucifixo Saluatore renouabitur planctus in Ierusalem, *Luc.* 23. Sequebatur autem Iesum multa turba populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum. Et infra post pauca : Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quod fiebat, percutientes pectora sua reuertebantur. Hoc tamen maxime fiet in die iudicij, quando cum plagis ostendet se Dominus.

Iosias rex à Pharaone interfectus est.

Et planget terra] tunc scilicet vniuersaliter. *Amos* 5. In omnibus plateis planctus, & in cunctis qui foris sunt, dicetur, Væ, væ. Et hoc quod dixit vniuersaliter, dicit specialiter [familiæ] hoc est, cognationes [& familiæ seorsum] vt scilicet quælibet cognatio, & communem habeat planctum & singularem. *Amos* 5. In omnibus viis erit planctus, hoc est, per omnes distinctiones hominum. *Sap.* 18. Resonabat inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. Et tangit quatuor distinctiones, vt similia de omnibus aliis intelligantur.

Familiæ domus Dauid seorsum] Per Dauid, hi qui in dignitatibus & potentatibus sunt constituti, intelliguntur : quia Dauid rex fuit. *Sap.* 6. Exiguo conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. Vnde illi plangunt: quia per eos crucifixus est Dominus, & in se & in membris. *Iere.* 13. Dic regi, & dominatrici : Humiliamini, sedete in terra : quoniam de capite vestro descendit corona gloriæ vestræ [& mulieres eorum seorsum] Mulieres non dicuntur hic tam à sexu quã ab infirmitate, & intelliguntur qui inter principes ex infirmitate peccauerunt, qui quia minus punientur, minus habent plangere. 2. *Reg.* 1. Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. *Iere.* 9. Vocate lamentatrices vt veniant, & ad eas quæ sapientes sunt mittite, & properent & festinent.

Familiæ domus Nathan seorsum] Per Nathan intelligitur tribus Prophetarum siue cognatio: quia etiam Prophetæ, & maxime pseudo contra Dominum peccauerunt. *Iere.* 5. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. *Osee* 6. Propter hoc dolaui in Propheris, & occidi eos in verbis oris mei [& mulieres eorum seorsum] in Prophetis scilicet ex infirmitate peccantes.

Familiæ domus Leui seorsum] Per Leui sacerdotalis cognatio siue congregatio intelligitur: quia etiam Sacerdotes ad crucifixionem Domini & Christi cooperati sunt. *Ioel* 2. Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes & ministri Domini [& mulieres eorum seorsum] hoc est, inter eos ex infirmitate, vel ex ignorantia peccantes. *Psal.* 6. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum : sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Familiæ Semei seorsum] *Hieronymus.* In Semei Doctores intelliguntur : ex hac enim tribu Magistrorum agmina pullulaueruntur. Hoc nescio quare sit, nisi propter nominis interpretationem. Semei enim, audi mi, vel audi me, vel auditio mea interpretatur, & Scribæ qui Doctorum vicem habebant, contra Deum & Christum eius, consilio operati sũt. 1. *Esdre* 9. Manus magistrãtũ prima fuit in transgressione hac [& mulieres eorum seorsum] ex infirmitate scilicet peccantes inter Doctores. Mulier enim mutabilis est, & infirmius vasculum. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Ex istis inductis inducit vniuersale.

Semei.

Omnes familiæ reliquæ] militum scilicet, mercatorum, & singula artificia operantium [familiæ & familiæ] secundum diuersitates earum [seorsum] supple, plangent [& mulieres eorum seorsum] ex infirmitate scilicet peccantes in familiis illis. *Apoc.* 1. Plangent se super eum omnes tribus terræ. Sicut enim omnes peccauerunt, sic omnibus indicitur planctus. *Hieronymus.* Quod seorsum plangunt, significat quod tempore tribulationis non debemus seruire coniugiis & operibus nuptiarum. *Ioel* 2. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

In tribulatione, coniugio non inseruiendum.

CAPVT XIII.

In die illa.

Hic tangit de ablutione pœnitentium per fontem gratiæ sacramentalis. Diuiditur autem pars ista in tres partes. In prima agit de ablutione peccatorum. In secunda de purificatione populi à malis *ibi* [Et pseudoprophetas] In tertia de zelo religionis *ibi* [Et erit cum prophetauerit quispiam.

In die illa] clarente scilicet luce veritatis. *Rom.* 13. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus [erit fons patens] nulli scilicet vetitus, nulli negatus. *Isai.* 55. Omnes sitientes, venite ad aquas [domui Dauid] Ecclesiæ Christi scilicet. *Isa.* 12. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Fontes enim isti manant aquas absolutionis in gratia sacramentorum, & aquas doctrinæ in verbo Doctorum, & aquas refrigerij in consolatione tentatorum, & aquas humectantes in rigatione ardorum. *Genes.* 2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, qui hinc inde diuiditur in quatuor capita [& habitantibus Ierusalem] hoc est, totam Ecclesiam. *Num.* 20. Aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiari cesset murmuratio eorum [in ablutionem peccatoris] qui actualiter peccauit [& menstruatæ] per quod intelligitur originale peccatum. *Psal.* 50. Lauabis me, & super niuem dealbabor. *Isaie* 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris.

Et erit] Confirmatio sequentium est [In die illa] lucente scilicet gratia [dicit Dominus exercituum] *Isai.* 58. Orietur in tenebris lux tua [disperdam nomina idolorum de terra] quæ scilicet quilibet sibi finxit ad colendum, auarus numum, luxuriosus Venerem, gulosus ventrem, superbus Iouem, iracundus Martem, immundus Saturnum, acediosus Dianam. *Isa* 2. Eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur [& non memorabuntur vltra] in ore scilicet cuiusquam. *Osee* 2. Auferam nomina Baalim de ore eius. *Ezechiel* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et de separatione malorum hominum subdit [& Prophetas] scilicet, pseudo. *Isa.* 9. Propheta docens mendacium, ipse est cauda : operit enim turpitudines aliorum. *Ieremia* 23. Hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas : Ecce ego potabo eos absynthio, & cibabo eos felle. à Prophetis enim Ieruialem egressa est pollutio super omnem terram. Significant autem eos qui temporibus nostris spiritu quodam prophanatico inflati, visionibus fictis decipiunt populum [& spiritum immundum] in quo scilicet diuinant [auferam de terra] 2. *Para.* 18. Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et subdit de zelo religionis.

Fictis miraculis vulgo vnum, omnia.

Et erit] Confirmatio est [cum prophetauerit quispiam] pseudo scilicet [vltra] hoc est, deinceps [dicent ei pater eius & mater eius] plus diligentes legem, quam affectum carnalem. *Deut.* 21. Si genuerit homo filium contumacem & proterum, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit : apprehendent eum pater eius & mater eius, & ducent eum ad seniores ciuitatis. Et post pauca. Lapidibus eum obruet omnis populus. Maxime autem contumax est qui ab hæresi compesci contempserit. Et hoc est quod hic sequitur [qui genuerunt eum] Non viues [*Glossa*, ardore diuinæ seruitutis non expectantes publicum iudicium. Hæreticis enim parci non debet : morte enim dignus est qui Deo fidem & animam furatur. *Deut.* 18. præcipitur interfici propheta qui mendacium loquitur in nomine Domini. *Matth.* 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Et hoc est quod sequitur hic [quia mendacium loquutus es in nomine Domini] vsurpato scilicet. *Iere.* 23. Nolite audire verba Prophetarum qui prophetant vobis & decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini]. & configent eum] verberibus scilicet, & puncturis tribulationum [pater eius & mater eius genitores eius] affectum scilicet religionis affectui naturæ præponentes. *Gen.* 22. Non pepercisti vnigenito tuo propter me [cum prophetauerit] mendacium scilicet contra religionem. In signum huius Elias occidit quadringentos viros Propheras Baal 3. *Reg.* 18. Et subdit quod ex hoc cauebunt de futuro, & dolebunt de præterito.

Hæretici morte plectendi.

Honor Dei priuatis affectibus præferendus.

Et erit] cum scilicet falsa prophetans iudicio parentum condemnabitur [in die illa confundentur Prophetæ] hoc est, erubescent de falso vaticinio [vnusquisque ex visione sua] mendaci scilicet [cum prophetauerit] mendacium, supple. *Iere.* 23. In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortabant manus pessimorum vt non reuerterentur, vnusquisque à malitia sua [nec operiebantur pallio sacrino] vsurpabant enim habitum veterum Prophetarum, vt sub hoc pallio simplices deciperent. Et hoc est quod sequitur [vt mentiamur] hoc est, vt mentiri facilius possent. Ita enim facebant, vsurpabant enim habitum Prophetarum, revelationem fabebant diuinam], & in dolo quandoque veritatem dicebant vt mendacium protegerent. *Apoc.* 16. Vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ tres spiritus immundos in modum ranarum [& dicit] scilicet pseudoprophetæ comedui, & premitur [Non fuit Propheta] confirmat scilicet veritatem. *Amos* 7. Non sum Propheta nec filius Prophetæ [bonus agricola ego sum] hoc est, laborator, & de laboribus viuens. *Psal.* 127. Labores manuum tuarum quia manducabis. *Iob* 5. Homo nascitur ad laborem [quoniam Adam] hoc est, labor [illegible] Adam.

Hæretici mortes Eliæ.

Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo [exemplum meum] in memoria scilicet mea [ab adolescentia mea] vt scilicet de labore & non de mendacio viuam. *Eccl.*7. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem à Deo creatam. *Ephes.*4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

Et dicetur ei] qui scilicet fuerat pseudo [Quid sunt]hoc est, quid significant[plagæ istæ?]hoc est, signa plagarum] in medio manuum tuarum ?] Hebræus habet, in terminis tuis, hoc est, vbique per corpus. *Hieronymus.* Quid commisisti vt manus tuæ configerentur? *Isa.*2. Vulnus & liuor & plaga tumens, non est circumligata. Quasi dicat: Malefici signa in te apparent [& dicet] pseudopropheta scilicet punitus. *Hieronymus.* Intantum fugabitur mendacium & veritas obtinebit locum, vt etiam ipse qui suo punitus est vitio, iuste perpessum se esse fateatur. *Luc* 23. Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus [His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me] *Hieronymus.* Hæc vulnera recepi iudicio parentum condemnatus, qui non oderant me, sed diligebant, etiam dum punient. *Deut.*33. Qui dixerit patri suo & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodiuerunt eloquium tuum & pactum tuum seruauerunt.

Framea]Hic incipit agere de Christi Passione, & effectu Passionis: vnde in duo diuiditur. Primo enim agit de Passione. Secundo de effectu eius, infra 14. *ibi* [Ecce dies venient] In prima tria sunt, scilicet, Christi Passio, Apostolorum dispersio, dispersorum probatio.

Framea]vocatiui casus. Passio quæ fremere facit, dicitur framea. *Matth.* 26. Tristis est anima mea vsque ad mortem. *Ioan.*11. Infremuit intra seipsum[suscitare]hoc est, euigila ad puniendum[super pastorem meum] Christum scilicet. *Ioan.* 10. Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis[& super virum qui solus vir inter omnes] est viros. *Eccl.*7. Virum de mille vnum reperi [cohærentem mihi] per vnionem diuinitatis. *Ioan.* 14. Ego in Patre, & Pater in me est. *Ioan.*10. Ego & Pater vnum sumus [dicit Dominus exercituum] cuius scilicet voluntate Passio Christi perfecta est. Vnde Dominus dixit Petro prohibenti Passionem *Matth.* 26. Conuerte gladium tuum in locum suum. *Ioan.*18. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Et reuertitur loquens ad frameam[percute pastorem]Ac si dicat: O framea ita suscitare, quod percutias pastorem & occidas. *Isaiæ* 53. Propter scelus populi mei percussi eum. *Dan.*9. Occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negauerit est [& dispergentur oues gregis]*Glossa* inducit illud *Matth.*26. Tunc Discipuli relicto eo omnes fugerunt. Hoc testimonio vsus est Dominus *Matth.*26. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Et subdit aliquid de consolatione [& conuertam manum meam] collectionis. scilicet [ad paruulos]paruulos scilicet, & humiles fideles. *Hieronymus.* Relictis superbis Iudæis, humilia Magisterio colligit humiles Discipulos, & addocet illud *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Matth.* 19. Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cælorum. *Sap.* 1. Iustorum animæ in manu Dei sunt. *Deut.*33. Dilexit populos: omnes Sancti in manu eius sunt. Ex quibus autem colliguntur, subdit.

Christus voluntarie passus.

Et erunt in omni terra]hoc est, in toto mundo. *Isa.* 24. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti [dicit Dominus, partes duæ] Iudæorum scilicet, & Gentilium: tota enim terra tunc diuisa fuit in hos duos populos [& dispergentur] per mundum, scilicet, Apostoli. *Tob.*13. Ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum [& deficient] supple, duæ partes, à Gentilitate scilicet, & à Iudaismo. *Psalm.* 103. Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint [& tertia pars relinquetur] Christianorum scilicet credentium[in ea]hoc est, in terra siue Ecclesia. *Isaiæ* 6. Multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio[& conuerietur] *Isa.*6. Et erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id, quod steterit in ea. Et subdit de probatione illorum.

Igne tribulationis iusti probantur.

Et ducam tertiam partem]supple, relictam[per ignem]tribulationis scilicet, & martyrij, vel charitatis. *Psalm.*16. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. *Glossa* inducit illud *Luca* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Et quod *Actor.*2. Apostoli baptizati in Spiritu Dei & igne dicuntur [& vram eos sicut vritur argentum] vt scilicet idonei sint ad eloquium. *Psal.* 11. Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum [& probabo eos sicut probatur aurum]vt scilicet idonei sint ad recipiendum sapientiæ thesaurum. *Sap.*3. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & quasi holocausti hostiam accepit eos, & inuenit eos dignos se.

Ipse]populus scilicet tertiæ partis [vocabit]hoc est, inuocabit[nomen meum]sibi in gratia notum. *Sophon.*3. In igne zeli mei deuorabitur omnis terra: quia tunc reddam populis meis labium electum, vt omnes inuocent nomen Domini, & seruiant ei humero vno[& ego exaudiam eum] *Ieremiæ* 33. Clama ad me, & ego exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia & firma quæ nescis [& dicam, Populus meus es]mihi scilicet seruiens. *Deut.* 7. Elegit te Dominus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram [& ipse dicet, Deus meus]supple, es. *Apoc.*21. Et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. *Ioan.*20. Deus meus, & Dominus meus.

CAPVT XIV.

Ecce dies venient.

TAngit hic de effectu Passionis, primo in Iudæis, secundo in Gentibus *ibi* [Et egredietur Dominus] Tertio in iudicio & profectu Ecclesiæ *ibi*[Et veniet Dominus Deus meus.

Ecce dies venient, dicit Dominus] captiuitatis Romanæ scilicet. *Luc.*19. Venient dies, & circundabunt

dabunt te inimici tui vallo [& diuidentur spolia tua]ô Ierusalem, supple [in medio tui] *Hieronym.* Solet accidere vt quæ subito impetu in ciuitate direpta sunt, extra ciuitatem diuidantur, ne forte hostes superueniant. Hic autem tanta depressio incumbit, vt rapina à raptoribus in medio ciuitatis diuidatur. *Exod.*15. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, diuidam spolia. *Ezech.*35. Ad sumenda spolia tu venis, ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam.

Ierusalem communis significatione omnium gentium vocatur.

Et congregabo omnes gentes] in regno scilicet Romanorum, quod regnum omnium gentium est[ad Ierusalem]hoc est, contra Ierusalem[in prælium]ad vindictam scilicet sanguinis Christi. *Sap.* 5. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos [& capietur ciuitas] à Tito & Vespasiano. *Luc.*19 Circundabunt te inimici tui, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te & filios tuos qui in te sunt [& vastabuntur domus] *Isaiæ* 23. Posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non sit ciuitas *Matth.*23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta[& mulieres violabuntur] quod magna fuit turpitudo. *Thren. vlt.* Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. 2. *Regum* 12. Tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum eis in oculis solis huius[& egredietur captiuus scilicet media pars ciuitatis] inferior scilicet, quæ in Mello habitabat: illam enim solam cepit Titus [& reliquum populi]scilicet, circa templum & montem Sion habitans [non auferetur ex vrbe] Contra hoc autem videtur esse illud *Luca* 19. Non relinquent in te lapidem super lapidem. Sed ad hoc dicendum est, quod Titus primo destruxit mediam partem, & postea Helius Adrianus euertit totam.

Et egredietur Dominus] Loquitur hic de destructione Gentium: quia non zelo Domini, sed auiditate prædæ destruxerunt Ierusalem.

Et egredietur Dominus]de loco scilicet lenitatis & misericordiæ ad vindictam inimicorum suorum *Habac.*3. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impij[& prælabitur contra gentes illas] scilicet, quæ Ierusalem destruxerunt[sicut prælatus est in die certaminis] illius scilicet famosi, quando destruxit Phataonem & exercitum eius in mari rubro. *Exod.* 14. Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

Et stabunt pedes eius] id est, vestigia pedum. *Psal.*131. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius [in die illa] clarente scilicet gratia Ecclesiæ [super montem oliuarum] id est, super verticem Apostolicæ perfectionis. *Gen.*19. Non stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac. *Ezechiel.*43. Locus solij mei & locus vestigiorum pedum meorum vbi habito. *Psalm.* 67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo[qui est contra Ierusalem]id est, ad Ierusalem supernam respiciens. *Gal.*4. Illa quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra[ad Orientem]*Glossa*, vnde oritur sol iustitiæ. *Malach. vlt.* Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ. Et subdit de diuisione malorum & bonorum, & præputij & circumcisionis [& scindetur mons oliuarum]eminentia scilicet Ecclesiæ, in qua plantantur olinæ fœtæ luminis & vnctionis [ex media parte sui] quantum ad fideles[ad Orientem]hoc est, ad præ-

Ecclesia ex Iudeis atque Gentilibus sublimi sinceritate collecta.

putium, in quo ortum est lumen gratiæ. *Malach.*1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus[& ad Occidentem] hoc est, ad circumcisionem, in qua occidit lux gratiæ, dum oritur in Gentilibus, ita scilicet, quod scissura incipit ab Oriente & terminatur in Occidentem [prærupto grandi valle]hoc est, quod præruptum quod in medio est, sic grandis vallis, hoc est, grandis separatio: quia in Iudæo reuelatur cognitio Dei de fide in fidem. *Rom.*1. In Gentili autem de errore idolorum venitur ad fidem. *Luc.*16. Chaos magnum inter nos & vos firmatum est: vt hi qui hinc transire velint ad vos non possint, neque inde huc transmeare[& separatione, supple, ista facta, fiet alia separatio] separabitur montis medium eius] Pleonasmus: eius enim superfluit ex quo posuit montis, nisi eius ponatur pro eiusdem. Et intendit de separatione meritorum] ad Aquilonem]ad plagam scilicet nebulosam & frigidam, in qua sedet diabolus. *Isaiæ* 14. Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Et hi sunt qui pertinent ad sinistram [& medium eius] montis scilicet, supple, separabitur [ad Meridiem] vbi est regio luminis & caloris, per quam significantur qui pertinent ad dexteram, ita quod scissura incipiat ab Aquilone, & terminetur in Meridiem, vt illi scilicet qui sunt in Ecclesia differentiis meritorum distincti sint. *Matth.*25. Separabit eos, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues à dextris, hœdos autem à sinistris. Ista autem duplici separatione facta in quatuor partes montis, fiet quod sequitur.

Et fugietis] qui scilicet saluari cupitis [ad vallem]hoc est, ad humilitatem [montium meorum] hoc est, ad eminentiam spiritus duorum testamentorum. Et bene dico, quod fugietis ad istam vallem, hoc est, ad arctam viam, quæ ducit ad vitam *Matth.*7. [quoniam coniungetur vallis montium]hoc est, separatio quæ est inter montes siue duo testamenta[vsque ad proximum] hoc est, vsque ad paruam distantiam: rota enim est in medio rotæ. *Ezech.*1. quia quod vnum loquitur in figura, alterum exhibet in veritate; & quod vnum in promissione, alterum in exhibitione; & quod vnum in timore, alterum in amore: quæ differentia non est magna, & licet saltare de monte in montem non impediente valle: vnus enim passus medius est, nihil plus, sicut iam ostensum est. Isti sunt de quibus dicitur 1. *Reg.*10. Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in Meridie, salientes magnas foueas. Duo enim vriti, intellectus sunt duorum testamentorum. *Magna* fouea dicitur profunda sapientia: saltus autem expositio saltans de testamento in testamentum, iuxta sepulchrum Rachel hoc est, iuxta abscondi- *Rachel.*
tum contemplationis, quia Rachel contemplatio nem significat. In finibus vero Benjamin quia tales filij dexteræ sunt, & ad dexteram peruenere. Et assimilat hanc fugam, subdens.

Periculum testamenti veteris.

Et fugietis sicut fugistis [olim] à facie terræmotus] hoc est, à præsentia terræmotus [in diebus Oziæ regis Iuda]. *Paral.* 26. legitur, quod Ozia vsurpans sumum sacerdotum, vas terræmotus factus est, & rex percussus est lepra, vt omnes assistentes regi, rege impio deserto, fugerent ad Sacerdotes. Et ita modo impius deserto fugient ad Apostolicos & bonos. *Luc.*5. Qui fugistis, quidam, venite, & nolite stare: recordamini pri-

cul Domini, & Ierusalem ascendat super cor vestrum.

Et veniet Dominus Deus meus] Tangitur hic Ecclesiæ profectus in temporibus nouissimis, primo in bonis, secundo in malis conuersis *ibi* [Et hæc erit plaga] In bonis tria dicit: iudicium scilicet, profectum gratiæ & doctrinæ, & cultus vnitatem.

Et veniet Dominus Deus meus] ad Ecclesiam scilicet iudicando eam, & discernendo ab impiis, & nunc & in futuro] omnesque Sancti cum eo] testificando scilicet veritatem prædicationis Apostolorum. *Deut.* 33. Dominus de Sinai veniet, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, cum eo Sanctorum millia *Septuaginta* habent, de monte vmbroso & condenso, hoc est, de veteri testamento. Pharan enim feritas interpretatur, & timorem significat, per quem vetus lex implebatur, de cuius testimonio ortus est nobis Dominus. Sic apparuerunt cum Domino Moyses & Elias, lex scilicet, & Prophetæ *Matth.* 24. *Isaiæ* 3. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. *Pharan.*

Et erit] confirmatio sequentium est [in die illa] micante luce veritatis [non erit lux] excæcatis scilicet Iudæis & malis, in quorum persona *Tob.* 5. dicitur: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? [sed frigus & gelu] *Matth.* 24. Quia abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum [& erit dies vna] notabilis præ omnibus. *Psal.* 83. Melior est dies vna in atriis tuis super millia [quæ nota est Domino] *Matth.* 24. De die illa nemo scit nisi Pater [non dies] plene, supple, vbique lucens: quia non omnes illuminantur [neque nox] quia non omnes excæcatur. Vel dicit, nõdies neq; nox: quia post iudiciũ nõ erit vicissitudo diei neque noctis [& in tempore vesperi] hoc est, cum impiis lux obtenebrescit [erit lux] Sanctis scilicet. *Sap.* 18. Sanctis autem tuis maxima erat lux. Et horum quidem vocem inimici audiebant, sed figuram non videbant. Et subdit de profectu gratiæ & doctrinæ. Et hic quædam Bibliæ habent capitulum decimumquintum. *Diei & noctis vicissitudo quãdo cessabit.*

Et erit] Confirmatio est sequentium [in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ierusalem] doctrinæ scilicet, & gratiæ. Et dicuntur viuæ: quia vinificant. *Isai.* 8. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. *Ezech.* 47. Omnia ad quæ venerit torrens, viuent [medium earum] doctrina scilicet veteris testamenti [ad mare orientale] mortuum scilicet, quod significat Iudæos mortuos. Quod tamen in hoc aliqui vinificantur, est quia quidam ex eis in primitiua Ecclesia conuersi sunt. *Ezech.* 47. Aquæ intrabunt in mare, & exibunt & sanabuntur aquæ [& medium earum ad mare nouissimum] quod est occidentale, & significat gentilitatem in qua nouissime orta est hæ gratiæ. *Heb.* 1. Nouissime diebus istis loquutus est nobis in Filio [& supple, sic prædicantibus Apostolorum [in statu] prosperitatis [& in tempore pacis] erunt] fluentes scilicet aquæ prædicationis non deficcatæ. *Eccli.* 24. Dixi: Irrigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. Et ecce factus est mihi riuus abundans & erit [supple, sic in fide credentium] Dominus rex super omnem terram] *Isa.* 54. Redemptor tuus Sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur. *Sap.* 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum & hoc quod continet omnia. Et subdit de vnitate cultus.

In die illa] clarente scilicet Euangelij gratia [erit Dominus vnus] Deus scilicet omnium. *Ephe.* 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium [& erit nomen eius vnum] ita scilicet, quod tunc nomina aliorum deorum non nominabuntur. *Exod.* 20. Non habebis deos alienos coram me. *Osee* 2. Auferam nomina Baalim de ore eius [& reuertetur omnis terra vsque ad desertum] inclusiue, ita quod etiam desertum. Et significat gentilitatem à principio desertam. *Isa.* 35. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo & florebit quasi lilium. Et intelligit quod ab Oriente vsque ad Occidentem [de colle Remmon] hoc est, de colle virtutum. Remmon quòd interpretatur testis, sublimis, & est in Aquilone [ad Austrum] hoc est, ab Aquilone in Austrum. *Glossa*, Matth. 8. Quia multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Et hoc est quod sequitur [& Ierusalem] numero scilicet fidelium. *Vnus Deus non plures dij.*

Et exaltabitur] *Isaiæ* 52. Exaltabitur & elevabitur & sublimis erit valde [& habitabitur] supple, Ierusalem [in loco suo] hoc est, fundata in fide. *Ephe.* 3. In charitate fundati & radicari. *Glossa* inducit illud *Psalm.* 22. In loco pascuæ ibi me collocauit. Et describit terminos [à porta Beniamin] hoc est, à porta virtutis. Virtus enim in dextera est, & Beniamin filius dexteræ interpretatur. *Psal.* 117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me [vsque ad locum portæ prioris] hoc est, primæ. Et significat innocentiam, per quam primus est ingressus gratiæ. *Psal.* 24. Innocentes & recti adhæserunt mihi [& vsque ad portam angulorum] hoc est, vbi plures parietes in vnum coniunguntur. Et significat charitatem, quæ omnes virtutes coniungit. *Iob* 38. Quis demisit lapidem angularem eius? [& à turre Hananeel] qui fortissimus Deo interpretatur, & significat fortitudinem & constantiam martyrum [vsque ad torcularia regis] hoc est, vsque ad Passionem Christi & crucem. *Isa.* 63. Torcular calcaui solus. *Beniamin.* *Charitas, virtutum omnium lapis angularis.*

Et] supple, sic [habitabunt in ea] ciues diuersarum virtutum. *Psal.* 86. Sicut lætantium, omnium habitatio est in te [& anathema non erit amplius] maxime sublato Antichristo. *Isa.* 52. Non adiiciet vltra vt pertranseat per te incircumcisus & immundus. Tunc enim anathema in infernum detrudetur [& sedebit] hoc est, quiescet [Ierusalem] hoc est, Ecclesia [secura] timore scilicet malorum sublato. *Isa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Hæc impij Iudæi peruertentes, dicunt implenda esse post bella Og & Magog, in aurea Ierusalem, quando cum rege suo Dauid in pace sedebunt mille annis, de quorum fabulis nihil curamus. *Anathematis profligatio.* *Iudæorum deliramentum.*

Et erit hæc plaga] Tangit hic profectum Ecclesiæ in duobus, scilicet, in destructione malorum, & conversione pœnitentium *ibi* [Et omnes qui reliqui fuerint] De destructione malorum tria dicit, scilicet, percussionem eorum in membris quibus peccauerunt, admirationem bonorum *ibi* [in die illa erit tumultus] & exterminationem malorum incorrigibilium *ibi* [Sic erit ruina equi.

Et hæc] scilicet quæ nunc dicitur [erit plaga] hoc est percussio sua perentier Dominus] hoc est, punier

punier [omnes gentes] hoc est, gentiliter viuentes [qui pugnauerunt aduersus Ierusalem] hoc est, contra Ecclesiam. *Iere.* 30. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Et paulo post: Percussi te castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ. Et determinat plagas & membra quæ plagantur [tabescet caro] Quod in viuo est virus vel pus, in mortuo est tabes: caro autem medium tactus est, in quo est delectatio malorum. Et est sensus. Caro in qua in malo delectabantur, in tabem conuertetur [vniuscuiusque stantis super pedes suos] adhuc viui scilicet, vt sentiat pœnas suas & doleat: stare enim pertinaciam significat, pedes affectus. *Iob* 33. Tabescet caro eius & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. *Antiochus vermibus interijt. Herodes vermibus computruit. Etiamsi magus cæcitate percussus à Paulo.*

2. *Machab.* 9. legitur de carnibus Antiochi, quod vermes scaturiebant. *Actor.* 12. De Herode legitur, quod percussit eum Angelus Domini, & consumptus vermibus expirauit, eo quod contra Deum & Ecclesiam pugnauerat [& oculi eius] quibus scilicet terribiliter Sanctos intuiti sunt, vel oculi interiores quibus mala quæ contra Sanctos fecerunt, præuiderunt & ordinauerunt [contabescent] adhuc viuentibus eis [in foraminibus suis] hoc est, in receptaculis oculorum eius. Huius exemplum est in eo qui dicebatur Emilas Magus *Actor.* 13. cui dixit Paulus: O plene dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et continuo cecidit caligo super eum, & factus est cæcus. *Proverb.* 30. Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ [& lingua eorum] quæ amare contra Deum & Sanctos locuti sunt [contabescet in ore eorum] adhuc, supple, viuentibus eis. *Psal.* 30. Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & abusione. Et subdit de admiratione iustorum in plagis istis.

In die illa erit tumultus] Alia translatio, stupor: sed quia tumultus in malo accipitur, propter hoc addit [Domini magnus in eis] vt per adiunctum ad bonam significationem trahatur. Et est sensus, quod boni admirantes, tumultum exitabunt de plagis Domini. *Iere.* 2. Obstupescite cæli super hoc [& apprehendet vir] supple, plagatus, manum proximi sui quærens scilicet auxilium & sustentationem. *Iob* 19. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me [& conferetur manus eius] scilicet, plagati [super manum proximi sui] non plagati, supple. *Hieron.* Præ formidine & malorum pondere, quæ scilicet perienient. *Roma.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. *Gala.* 6. Alter alterius onera portate. Sed quia posset credi, quod non pugnarent contra Ecclesiam, nisi extra Ecclesiam existentes, ideo subdit.

Sed & Iudas pugnabit contra Ierusalem] falsus scilicet Christianus ore confitens, & vita negans. *Tit.* 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem abnegant. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me [& congregabuntur] concessa scilicet victoria à diuina virtute [diuitiæ omnium gentium in circuitu] scilicet, ad Ecclesiam. *Isa.* 60. Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor

tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Et enumerat in quibus sunt diuitiæ [aurum] sapientiæ scilicet [& argentum] eloquentiæ scilicet. *Aggei* 2. Meum est aurum & meum argentum, magna erit gloria Dominus huius nouissimæ plus quam primæ [& vestes multæ satis] virtutum scilicet, in decore conuersationis. *Exod.* 11. Postulet vir ab amico suo & mulier à vicina sua vasa aurea & argentea & vestes, & spoliabitis Ægyptum. Ecclesia enim multa talia spolia à Philosophis Gentilium habuit, tam in sapientia quam in eloquentia & doctrina virtutum. Quod autem dicit, satis, notat quod hæc sumenda sunt ad sobrietatem fidei. *Rom.* 12. non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et subdit de destructione malorum sub differentijs peccatorum generalibus. *Ecclesia.* *Gentilium spolia leuitatis.*

Sic] id est, posito hoc [ruina erit] hoc est, casus vel à peccato, vel à vita, vt (sicut dicit *Bernardus*) fortiter vel ritus, vel natio deleatur [equi] id est, præcipitis audaciæ in concupiscentiam & in malum. *Psal.* 32. Fallax equus ad salutem. *Isa.* 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes [& muli] supple, erit ruina, qui significat sterilem in omni bono. *Iere.* 22. Scribe virum istum sterilem qui in diebus suis non prosperabitur [& cameli] Camelus monstruosum animal, gibbosum & deforme, anarum significat, qui etiam ruer vel à vitio, vel à natura. *Eccli.* 10. Anaronihil est scelestius. Hic enim in vita sua proiecit intima sua, & in vita sua venalem habet animam suam. *Matt.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum [& omnium iumentorum] hoc est, bestialium hominum [qui fuerint in castris illis] scilicet pugnantibus contra Ecclesiam, vel Ierusalem [Sic ruina hæc] id est, cadent sicut ea quæ nominata sunt. *Isaiæ* 3. Corruet populus, vir ad virum. Hæc Iudæi dicunt futura esse in interfectione Gog & Magog *Ezech.* 39. *Anarus camelo similis.*

Et omnes qui reliqui fuerint] Tangit hic deuotionem conuersorum ad Ecclesiam in duobus, scilicet, celebratione festiuitatum, & in sacrificiis [In die illa erit quod super frenum est] In primo duo dicit, scilicet, religionem celebrantium, & poenam non celebrantium.

Et omnes qui reliqui fuerint] id est, reliqui non ruentes de vniuersis gentibus, ad fidem scilicet Ecclesiæ conversis. *Psal.* 81. Surge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus [quæ venerunt contra Ierusalem] verbo scilicet, vel exemplo impugnantes Ecclesiam. *Psal.* 34. Expugna impugnantes me [ascendent] gradibus virtutum [ab anno in annum] hoc est, per singulos annos. Annus qui duodecim renouationes habet in luna ex lumine solis, doctrinam significat duodecim Apostolorum, quæ facit vt ascendant homines in Ierusalem *Isa.* 2. Fluent ad eum omnes gentes [vt adorent regem Dominum exercituum] *Deut.* 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Psal.* 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum [& celebre vt festiuitatem tabernaculorum] in sua scilicet peregrinationis commemorationem. *Heb.* 11. Confitentes quoniam peregrini & hospites sunt super terram. 1. *Pet.* 2. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis. *Psal.* 38. Aduena ego sum apud te, sicut omnes patres mei. Et subdit *Gentes ad fidem conuersæ.*

de

du pœna non ascendentium.

Et erit] Confirmatio est sequentium [qui non ascenderit de familis terræ] siue cognationibus [ad Ierusalem] id est, ad Ecclesiam. *Psal.*121. Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini. *Isa.*60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur [vt adorent regem Dominum exercituum] *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate [non erit super eos imber] Dominicæ scilicet benedictionis. *Amos* 4. Plui super vnam ciuitatem, & super reliquam non plui. *Isa.*5. Mandabo nubibus meis vt non pluant super eum imbrem.

Quod & si familia Ægypti non ascenderit] Ægyptum specialiter nominat & non alias gentes: quia Ægyptus mœror vel tenebræ interpretatur, & ex mœrore significat peccantes ex infirmitate, ex tenebris autem peccantes ex ignorantia: vt ergo sciatur quod tales non excluantur ad minus à toto, propter hoc ponit Ægyptum [& non venerit] supple, ad adorandum [nec super eos erit] supple, imber. *Aggai* 1. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem [sed erit ruina] talium scilicet [qua percutiet Dominus omnes gentes *Isa.*9. Tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium [quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum] tales enim domum patriam quærunt in terra, & de cælesti patria non curant. *Isa.* 24. Formido & laqueus super te qui habitator es terræ. *Iere.*17. Recedentes à te in terra scribentur.

Hoc erit peccatum Ægypti] hoc est, reputabitur in peccatum his qui peccant ex infirmitate vel ignorantia *Deut.* 32. Peccauerunt ei & non filij eius in sordibus [& hoc peccatum omnium gentium] *Roma.* 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei [quæ non ascenderint ad celebrandum festiuitatem tabernaculorum] *Nahum* 1. Celebra Iuda festiuitates tuas. *Psal.*75. Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. Et subdit de cultu.

Frænii mystica. In die illa] clarente scilicet gratia [erit quod super frænum equi est] Equus præcipitem concupiscentiam significat, frænum autem continentiam rationis. *Isa.* 48. Infrænabo te laude mea ne intereas. *Psal.* 31. In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te [sanctum Domino] id est, sanctificatum & oblatum. *Hieron.* Decor phalerarum ad cultum Dei referendus est. Idem in originali. Exposuit hoc quidam de clauis Dominicæ crucis. è quibus Constantinus Augustus frænos equo suo fecerit, eósque sanctum Domini vocari. Et infert, reprobando hoc: Audiui quidem rem pio sensu dictam, sed ridiculam [& erunt lebetes] quæ significant corda feruentia charitate [in domo Domini] supple, existentes [quasi phialæ] mutatæ scilicet de nigro adusto in lucem phialarum siue lampadarum, sicut de Maria Magdalena cantatur, quod fit ex lebete phiala. *Cant.*8. Lampades eius lampades ignis atque flammarum [coram altari] quod Dominum Iesum Christum significat. *Isaiæ* 19. Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius.

Et erit omnis lebes in Ierusalem] hoc est, omnis generis, & significat corda Doctorum & Sacerdotum omnia genera cruditatum peccatorum ad gustum salutarem decoquentia. 1.*Reg.* 2. Incendatur primo ex more adeps, & decoquantur carnes: & tolle tibi quantum deliderat anima tua [& Iuda] hoc est, confitens Deo & glorificans eum [sanctificatus Domino exercituum] supple, erit. *Psal.*113. Facta est Iudæa sanctificatio eius. *Lucæ* 1. In sanctitate & iustitia coram ipso [& venient omnes immolantes] id est, immolare volentes. *Roman.*6. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. *Psalm.* 26. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis [& sument ex eis] lebetibus scilicet. Quilibet enim venit ad suum Confessorem [& coquent in eis] vt scilicet cruditatem peccati amittat per calorem pœnitentiæ & charitatis. *Psal.* 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis [& non erit mercator vltra. *Ioan.* 2. *Matth.*21. Expulit Dominus vendentes & ementes de templo [in domo Domini exercituum] Mercator dicitur vel hypocrita qui pro laude vendit, vel simoniacus, vel ad literam negotiator [in die illa] lucente scilicet. *Chrysostomus.* Qui mercator est, expellatur ab Ecclesia, scriptum est enim: Quoniam non cognoui negotiationem. *Ioan.*2. Auferte ista hinc, & nolite facere domũ Patris mei, domum negoatiotinis. *Ierem.*7. Numquid spelunca latronum facta est domus hæc, in qua inuocatum est nomen meum?

Mercator templo proscribitur.

* * *

D. ALBETI

D. ALBERTI MAGNI,
EPISCOPI RATISPONENSIS,
DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

In Malachiam Prophetam
Enarratio.

PROLOGI DIVI HIERONYMI *In Malachiam Propheram explanatio.*

DEus per Moysen] *Hieronymus*, in hoc Prologo duo facit, scilicet, tangit causam suscepti operis, & materiam *ibi* [Nam reliqua quæ lectione comprehensa sunt] In prima duo sunt, scilicet, causa, & susceptum opus *ibi* [Ideo per Malachiam] In prima duo sunt, vnum scilicet per se, & alterum ex incidenti.

Deus per Moysen] tanquam scilicet per ministrum [populo Israeli præceperat] *Levit.* 21. & 22. [Sacerdotes tabernaculi sui] id est, tabernaculo suo deseruientes [omni corporali vitio liberos] scilicet, quod nec longo nec torto naso sint, nec claudi nec cæci, vel abscissi, vel aruitis testiculis, sicut dicitur *Deut.* 23. [hostias æque omni vitio vacuas] id est, liberas, hoc est, non macrum, non claudum, nec cæcum, nec debile [sibi offerre] *Exod.* 38. Impingua oblationem. *Psalm.* 61. Holocausta medullata offeram tibi. *Gene.* 4. Abel obtulit de adipibus gregis sui.

Quibus] Sacerdotibus [legem suam] præcipue quantum ad cultum templi [ad regendum populum] secundum formam legis scilicet [ob hoc dederat] id est, illa intentione [vt per sacrificiorum oblationem] scilicet, quibus purificarentur populus & placarentur Deus [interuntij] Dei & hominum facti] vota scilicet populi Deo offerentes, & propitiationem Dei populo renuntiantes. *Deut.* 1. Ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis omnia verba eius. *Exod.* 18. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, ostendásque cæremonias & ritum colendi, viámque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Et hoc est quod sequitur [populum præceptis cælestibus facerent obedire] 1. *Corinth.* 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Heb.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis: ipsi enim pernigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.

Sacerdos. Dei & populi interuntius.

Vnde] hoc est, propter quam similitudinem [Sacerdotes Angelos Dei esse hoc loco Scriptura testatur] Infra 2. Et accipit similitudinem *Gene.* 28. vbi inter Dominum innixum scalæ desuper; Angeli descendentes propitiationes Domini ad Iacob deferebant, & Angeli ascendentes vota Iacob ad Deum referebant: quod adhuc officium est Sacerdotum. *Ioan.* 1. Videbitis cælum apertum & Angelos Dei descendentes & ascendentes super Filium hominis. Et subdit de ingratitudine quasi ex incidenti, vt melius intelligatur causa suscepti operis.

Sed quia tanti muneris gratiam] gratis, supple, sibi datam [contemnentes] ipsi scilicet Sacerdotes ad minus habituali contemptu, qui peccato coniunctus est [supradictus populus ac Sacerdotes] vtrique enim ingrati fuerunt. *Sap.* 16. Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, & dispeliet tamquam aqua superuacua. *Eccli.* 29. Ingratus sensu deseruit liberalitatem [& sacrificia vitio deturpata] corporali scilicet, claudum vel macrum vel debile offerentes. *Malach.* 1. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat Domino debile [ipsi scilicet Sacerdotes offerentes] criminibus atque mortalibus maculati] Crimina sunt peccata maiora, ac culatione scilicet digna in iudicio. Imperfecti autem dicuntur hic communia peccata contra legem Dei facta. Macula vero dicitur contagiosa turpitudo, ex peccato adhærens animæ. Et tales esse Sacerdotes, contra præceptum Dei est, *Levit.* 22. Custodiant Sacerdotes præcepta mea, vt non subiaceant peccato & moriantur in sanctuario, cum polluerint illud [Deo offerre cœperunt] supple, sic

Crimen.

Sacerdos. reperi scriminibus.

maculati. *Malach* 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra.

Ideo] Tangit operis susceptionem [per Malachiam Prophetam] quem scilicet ad hoc suscitauit [Deus populum Israel increpans] vt scilicet à peccato auerteret. 2. *ad Timoth.* 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina[ait] *Malach.* 1. Dilexi vos, dicit Dominus] gratuita scilicet dilectione. *Iere.* 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans [& dixistis] tanquam scilicet ingrati & immemores beneficiorum meorum [In quo dilexisti nos ?] *Eccl.* 29. Loquetur verba tædij & murmurationis. Et post pauca : Pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. Et subdit qualiter gratis dilexit, quasi respondens ingratis.

Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus?] & sic, supple, nec ex vtero materno nec ex semine paterno habuit Iacob, quod eum Deus præ Esau diligeret ; oportuit ergo quod gratuita dilectione diligeret eum. Et hoc est [& dilexi Iacob] *Osea vlt.* Diligam eos spontanee : quoniam auersus est furor meus ab eis [Esau autem odio habui] Non dicitur hic odium inimicitiæ inueteratio, vel ira positiue, sed priuatio gratuitæ dilectionis. Quicunque enim de massa perditionis quam Deus odio habet, non eligitur, & separatur per dilectionem, manet in odio & in ira. *Ephe.* 2. Omnes eramus natura filij iræ. Et hoc *Hieronymus* nititur explanare, subdens.

Esau autem fratrem Iacob] & ex hoc, supple, æqualiter diligibilem [non iniqua, sed spontanea voluntate odio habitum à Deo] probatur ex hoc dicto *Roma.* 9. Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori. *Gene.* 25. Et hoc similiter ostendit ab altera parte, subdens [vel sine meriti gratia] quo scilicet hoc meruisset [Iacob dilectum] supple, fuisse [manifestum est] ex eodem scilicet Apostoli verbo. Nihil enim egerant nec boni nec mali, qui nec nati fuerant : & ideo nec propter meritum boni Iacob elegit, nec propter meritum mali Esau reprobauit, sed spontanea voluntate.

Prædestinatio Dei gratuita.

Cum] id est, quamuis [secundum præscientiam suam] Dei scilicet, qua omnia præuidet antequam fiant bona & mala, licet causet bona & non mala [Esau quidem] supple, præuideret [effusionem sanguinis fraterni concupiscere] hoc est concupiscituum. *Gene.* 27. Dixit Esau : Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum [Iacob autem] in futurum, supple [in sui cognitione] quà scilicet Deum cognosceret beneplaciti cognitione [obseruandam legem] hoc est, propter seruandam legem [desiderare] id est, desideraturum [cognosceret] Et est sensus. Quamuis mala in vno præuideret, & bona in altero : non tamen propter illa bona alterum elegit, vel propter ista mala alterum reprobauit, sed æterna & gratuita dilectione elegit Iacob. 1. *Ioan.* 4. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Temporale enim non potest esse causa æterni, & iniustum esset quod propter mala quæ non sunt nec fuerunt, sed tantum possibilia sunt in futurum, aliquis reprobaretur.

Temporale nequit esse causa æterni.

Cuius rei gratia] Subinfert quod ex tali necessitate suscepit opus prophetandi [supra dicto vsus est exemplo] quod à patribus ad filios transferretur [dicens, Iacob dilexi, Esau autem odio habui] & repetit quod non propter præscientiam meritorum vtriusque hoc fecerit [Quamuis ex operibus memoratorum] Esau scilicet, & Iacob [quorum Liber Geneseos meminit cap. 25. [in quo vnusquisque] id est, vterque [futurus erat proposito] bono scilicet, vel malo [manifeste constat] Libro Geneseos referente [vt scriptum est] eodem scilicet capitulo, secundum *Septuaginta* [Crescerunt pueri] ætate scilicet, & corpore, virtute & malitia [& erat Esau] qui scilicet odio habitus est à Deo [homo agrestis] id est, syluestris [sciens venari] quod in malo accipitur [Iacob autem] dilectus scilicet à Deo [homo simplex] in malo scilicet. *Roma.* 16. Volo vos simplices esse in malo, & sapientes in bono [manens in tabernaculo] hoc est, domestica & ea quæ sunt conscientiæ diligens & custodiens. *Psal.* 83. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Nam reliqua] Tangit hic materiam prophetiæ [quæ lectione comprehensa sunt] istius scilicet prophetiæ [præuaricationem populi Israel] contra mandatum Domini scilicet [in obseruandis sacrificiis Dei] quod scilicet forte & pingue, non debile aut macrum offeratur [increpationémque] sapientiæ Dei [in eundem] scilicet populum Israel, quod Deos alienos coluerit] ante scilicet captiuitatem [significat] & hæc sunt materia prophetiæ. Attendendum autem quod Hieronymus dicit, quod quia Malachias Angelus eius interpretatur, Malachiam Angelum fuisse quidam dicunt & sumpto corpore populo prophetasse : quod nos omnino non recipimus. Hebræi vero dicunt, hunc fuisse Esdram, qui anno septimo Artaxerxis prophetauit post *Zacharium & Aggæum.* Quicquid autem de hoc verum sit, non est nostrum diffinire, sed hoc scimus quia Propheta Domini fuit, & quæcunque loquutus est, Spiritu sancto dixit.

Malachias Propheta.

CAPVT I.

ONus verbi Domini] Hunc Prophetam, qui Malachias dicitur, & Angelus eius interpretatur, Origentes dixit Angelum de cælo missum, eo quod infra in titulo *Septuaginta* habent : In manu Angeli eius. Quod non recipit Ecclesia. Vnde Malachias Angelus dicitur, eo quod munitus Domini fuit ad populum, sicut dicitur *Iere.* 7. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas : sicut & *Isaie* 33. Prophetæ Angeli dicuntur. Ecce, videntes clamabunt foris Angeli pacis amare flebunt. Post *Aggæum* ergo qui de reædificatione templi, & *Zacharium* qui de reædicatione ciuitatis & terræ prophetauit, vltimo inducitur *Malachias*, qui de emundatione cultus & sacerdotij, & terribili aduentu Domini ad iudicium prophetat. Diuiditur autem in partes duas : titulum scilicet, & prophetiæ seriem *ibi* [Dilexi vos] Titulus quatuor continet, scilicet, peccatorum oppressionem, eruditionis veritatem, opprimendorum qualitatem, & doctrinæ per opera confirmationem.

Malachias Angelus fuit officio, non natura.

Onus]

Onus] id est, pressura grauis ad portandum. *Isa.* 30. Ardens furor eius & grauis ad portandum. *Psalm.* 37. Iniquitates meæ supergressæ sunt super caput meum, & sicut onus graue gravatæ sunt super me. Peccatum enim, quod quies peccatorum est in libidine, graue pondus efficitur in iudicij & condemnationis seueritate. *Threno.* 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius, conuolutæ sunt & impositæ collo meo [verbi Domini] & ideo eruditio est ad veritatem. Est enim hoc verbum increpationis. *Prouerb.* 4. Audite filij disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudentiam. Disciplina enim eruditio est per difficilia, vt dicit *Glossa* Hebræ. 12. super illud : Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij ; sed mœroris : postea autem exercitatis per eam, fructum pacatissimum reddet iustitiæ. Verbum enim instrumentum est eruditionis. Domini autem nomen prementis est potestatis [ad Israël] Qualitatem tangit peccatorum, qui scilicet ingrati beneficio accepto ad peccata peruersi sunt. *Isa.* 1. Filios enutriui, & exaltaui : ipsi autem spreuerunt me. Et est notandum (vt dicit *Hieronymus*) quod ante captiuitatem decem tribus Israël dicebantur, quia tunc distinctæ per regnum erant à duabus tribubus : post reditum autem de captiuitate indifferenter & duæ & decem tribus dicuntur Israel, eo quod tunc ad vnum regnum vocabantur. *Iere.* 2. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius. *Isa.* 18. Hæreditas autem mea Israel [in manu Malachiæ] Notat doctrinæ per opera confirmationé. Doctrina enim in manu est, quãdo verbum per opera confirmatur. *Osea.* 12. In manu Prophetarum assimilatus sum. Assimilatus enim est, quando manus ori similis est. *Ioan.* 10. Si mihi non creditis, operibus credite.

Disciplina.

Dilexi vos] Hæc prophetia tria continet, scilicet, sacerdotalium peccatorum exproprationem, & Sacerdotum peccantium expurgationem, infra. 3. *ibi* [Ecce ego mitto angelum] & differentias stipendiorum malorum & bonorum per extremi iudicij [seueritatem, infra. 4. *ibi* [Ecce enim dies veniet succensa] Prima pars in duas diuiditur. In prima enim exprobrat ingratitudinem præteritorum beneficiorum. In secunda contaminationem factam circa matrimonium, infra. 2. *ibi* [Et nunc ad vos mandatum hoc] Prima harum in duas adhuc diuiditur. Primo enim exprobrat ingratitudinem circa beneficia patrum in genere, secundo ingratitudinem circa ritus sacrificiorum in specie *ibi* [Dicit Dominus exercituum ad vos ô Sacerdotes] In prima duo sunt. Tangit enim primo beneficia, secundo ingratitudinem ad beneficium *ibi* [Filius honorat patrem] In prima sic procedit, præmittit beneficium & explanat illud, & explanationis ponit probationem & probationis ostendit demonstrationem.

Dilectio Dei æterna.

Dilexi vos ; dicit Dominus] & intelligitur de dilectione & prædestinationis & effectus per bonorum collationem. Dilexit enim ab æterno præordinando bona gratiæ & gloriæ, & dilexit tempore, bona præordinata apponendo & conferendo. *Iere.* 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Osea vlt.* Diligam vos spontanee : quoniam auersus est furor meus ab eis. Et subdit explanando [& dixistis] ingrati scilicet beneficium receptum non cognoscentes. *Eccl.* 29. Pro honore & beneficio reddet illi contumeliam [In quo dilexisti nos ?] hoc est, in quo beneficio ostendis dilectionem. Simile *Iudicum* 6. Si Dominus nobiscum est, quare inuenerunt nos tot mala? Sicut enim dicit *Philosophus in Topicis*, Eiusdem moris est amicis benefacere & inimicis male : & ideo si mala fiant amicis, non videntur esse amici. Et ergo hoc dicentes non intellexerunt quod paterna amicitia in filium est, quando corripit eum. *Apoca.* 3. Ego quos amo, arguo & castigo. *Prouer.* 3 & *Hebræ.* 12. Quis filius quem non corripit pater ? si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Vnde respondendo subdit.

Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus?] Hoc autem dicit, vt sciatur quod propter merita paterna non elegit Iacob, & Esau reprobauit. *Ezech.* 18. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. Et *ibidem.* Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum [& dilexi Iacob] gratiæ scilicet appositione [Esau autem odio habui] hoc est, reprobaui. *Roma.* 9. Cum nati nondum fuissent, aut aliquid boni egissent vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior minori seruiet *Gene.* 25.

Quæritur tamen hic, Cum omnis actio Dei rationabilis sit & iusta, & paruuli nec in parentibus nec in semine parentum differentiam habuerint. *Roma.* 9. enim dicitur, quod ex vno concubitu concepti sunt, quare Deus Iacob dilexit, Esau odio habuit ? Ad hoc soluendum inducitur grauis *Glossa Augustini*, quæ sic dicit : Cui vult, miseretur : & quem vult, indurat. *Roma.* 9. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest : venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores cum propter generale peccatum, originale scilicet, vnam massam perditionis fecerint : nonnulla tamen inter illos est diuersitas. Præcedit ergo in peccatoribus, qui quamuis nondum sunt iustificati, digni tamen efficiantur iustificatione. Et item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sunt obtusione. Et ex hoc videtur cum id quod præcedit in peccatoribus, sit temporale, & illud sit causa dilectionis vel reprobationis diuinæ quæ æterna sunt, quod temporale sit causa æterni, quod valde inconueniens est. Super hac quæstione exclamat *Apostolus Roma.* 9. O homo tu quis es, qui respondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid fecisti me sic ? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem quidem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam? Sed ex hoc videtur quod ex sola Dei voluntate alius electus sit, alius vero reprobatus, & redit quod primo obiectum est, quod hæc voluntas Dei irrationabilis sit : quia de his quæ omnino similia sunt, idem iudicium esse deberet. Idem videtur ex hoc quod dicitur *Roma.* 9. Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. Item *ibidem.* Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.

Quæstio.

Voluntas Dei nunquam iniusta.

Ad hæc sine præiudicio dicendum est cum *Augustino*, quod voluntas Dei eligens vnum, & reprobans alterum, iustissima est : sed hæc voluntas cum præuisione & præordinatione est respectu bonorum quos elegit. Illos enim præuidet futuros bonos, & præordinat, causando bona ad quæ eligit eos. Respectu autem malorum cum præuisione est tantum ; hos enim quia præuidet malitiæ futuros malos, non præordinat eis causando bona

Malachias.

ad quæ eligat, & sic non apponendo bona, reprobat. Et quod dicitur aliquid præcedere in peccatoribus, quo indigni sint iustificatione, dicitur in peccatoribus præcedere quod præcedit respectu peccatorum, eo modo quo respectus dicitur esse in relato cum tamen alterius sit: & hoc modo talis respectus non est temporalis, sed æternus. Eqsi dicas, quod in æternis vnum non præcedat alterum. Dicendum, quod verum est inquantum æterna sunt, sed effectum æterni qui temporalis est, respectus æternus præcedere potest, ex quo ipsum æternum rationabile esse videatur. Et sic præuisio auersionis à gratia, causa est non appositionis gratiæ: & rationabilis ostenditur effectus non appositionis, per hoc quod si apponeretur, ille auerteretur: temporale autem signum potest esse quod rationabile sit æternum. Et hoc modo loquitur. *August.* Et per hoc patet solutio ad totum. Explanationis autem huius probationem subiungit.

Et] id est, quia [posui montes eius] id est, terram montosam Esau [in solitudinem] destructo scilicet cultore & habitatore, sicut & superbiæ peccatorum in solitudines ponuntur. *Psal.* 106. Posuit terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea [& hæreditatem eius] id est, ciuitates & oppida quæ quondam fuerunt hæreditas eius, & modo sunt in parietina redacta, supple, posui [in dracones deserti] hoc est, in venenata animalia, quæ in deserto habitare consueuerunt. *Isa.* 13. Replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi. Sed quia posset dici, quod si Deus destruxerit, homo reædificabit, ideo respondet quod destruet omnia opera eorum, in signum reprobationis æternæ.

Quod si dixerit Idumæa, Destructi sumus] in operibus omnibus, ciuitatum scilicet, & villarum. *Thren.* 2. Destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda [sed reuertentes] supple, ad terram de captiuitate [reædificabimus quæ destructa sunt] scilicet per Dominum. Et in fastu & superbia dixerunt hoc, quasi contra Dominum contendentes. Simile *Isaie* 9. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus [hæc dicit Dominus exercituum] cuius verbum effectiuum est [Isti ædificabunt] Cum comtemptu legendum est, isti. Quasi dicat: Tam infirmi, & tam viles [& ego destruam] Deus enim semper destruit opera diaboli. 1. *Ioan.* 3. In hoc apparuit Filius Dei vt dissoluat opera diaboli [& vocabuntur] destructa, supple [Termini impietatis] Emphasis est, hoc est, Termini impij vel impiorum: sed ad expressionem maiorem dicitur, impietatis. *Isaia* 14. Non vocabitur in æternum semen pessimorum [&] supple, vocabuntur [Populus cui iratus est Dominus] populus huic scilicet: quia semper rebelles fuerunt gratiæ. *Act.* 7. Dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. *Iob.* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius [vsque in æternum] vt scilicet nunquam veniam sint consequuturi, qui obdurato corde per impœnitentiam finalem resistunt. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. *Matth.* 12. & *Luca* 12. Non remittetur in hoc seculo, nec in futuro. Et quod dixit, probat demonstrando ad oculum.

Deus subuertit opus diaboli.

Obstinatio irremissibilis.

Et oculi vestri videbunt] postquam scilicet vos redibitis de captiuitate, & in bonis meis constructi eritis, damnationes videbitis impiorum. *Psal.* 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. *Isaie vltimo* Erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. *Glossa.* electorum. *Mich.* 7. Oculi mei videbunt eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum [& vos dicetis] in gratiarum scilicet actione & laude [Magnificetur Dominus super terminum Israel] hoc est, qui magnus est à captiuitate reducendo, continuo magnificetur populis suis incrementum in bonis dando, & terminos eius omnes ad fructum boni præparando. *Psal.* 125. Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. *Luc.* 1. Magnificat anima mea Dominum. *Luc.* 1. Audierunt vicini & cognati eius, quia Deus magnificauit misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

Filius honorat patrem] Posito beneficio gratuitæ dilectionis, econtra ostendit Iudæorum ingratitudinem, & ad hoc vtitur humana similitudine & ratione.

Parentes à filiis honorandi.

Filius honorat patrem] hoc est, consueuit honorare, & (sicut dicit *Philosophus* in nono Ethicorum) filius honores diuinos debet patri. *Exod.* 20. Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram. *Ephe.* 6. Filij, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. *Prouerb.* 30. Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ [& seruus dominum suum timebit] hoc est, timere consueuit. *Danie.* 1. Timeo ego dominum meum regem. *Hieronymus.* Primum Deus vult, vt filij simus, & bonum voluntate faciamus: si autem hoc nolumus, saltem vt seruos nos habeat, & à malis per tormentorum formidinem recedamus. Et quia nec vt filij nec vt serui habuerunt se ad Dominum, ideo subdit.

Si ergo pater ego sum] sicut, supple, dicitis. *Isa* 64. Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. *Psal.* 88. Ipse inuocauit me, Pater meus es tu. *Matth.* 6. Pater noster qui es in cælis [vbi est honor meus?] tanto scilicet patri exhibendus. *Ioan.* 8. Honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Est enim honor, vt dicit. *Philosophus*, præmium virtutis: non quia virtus digna sit maiori præmio, sed quia maius non potest exhiberi ab homine. Vnde dicitur, quod honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. *Psal.* 49. Eruam te & honorificabis me. 1. *ad Timoth.* 1. Soli Deo honor & gloria. *Apoca.* 4. Dabant animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum [Et si Dominus ego sum] prælatus scilicet dignitate, eminens diuitiis pulchrorum & bonorum, continens potestate virtutis. *Esther* 13. Dominus omnium tu es. *Apoca.* 19. Habens in vestimento & in femore scriptum, Rex regum & Dominus dominantium [vbi est timor meus: quem scilicet vt serui exhibere debetis, vt saltem timore pœnæ à malo temperetis. *Psal.* 13. Non est timor Dei ante oculos eorum. *Isa.* 59. Scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominum: & auersi sumus ne iremus post

Honor, virtutis est præmium.

tergum

tergum Dei nostri [dicit Dominus exercituum] Confirmatio est eorum quæ dicta sunt, tamquam potens enim dicit, & per suos exercitus exequitur, & effectui mandat omne quod dicit. *Eccle.* 8. Sermo illius potestate plenus est.

Ad vos ô Sacerdotes] Hic specialiter ingratitudinem improperat circa officium sacerdotale in ritu sacrificiorum. Diuiditur autem pars ista in tres partes. In prima ostendit ingratitudinem, in secunda propter ingratitudinem abiectionem *ibi* [Non est mihi voluntas in vobis] in tertia abiectorum maledictionem *ibi* [Maledictus dolosus] In prima duo sunt. Primo enim improperat, quod indigna sacrificio Dei obtulerunt. Secundo, quod non gratis, sed spe mercedis seruiebant *ibi* [Quis est enim in vobis] In prima harum tria sunt, scilicet, ingratitudinis improperatio, improperatæ ingratitudinis probatio *ibi* [Si offeratis cæcum] & ad pœnitentiam reuocatio *ibi* [Et nunc deprecamini] In prima tria facit. Ostendit enim ad quos loquitur, & quia ex hoc aggrauatur ingratitudo. Secundo ingratitudinem exprimit. Tertio expressam exponit.

Ad vos ô Sacerdotes] qui scilicet forma & exemplum deberetis esse aliis. *Eccl.* 50. Simon Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum. *Hebre.* 7. Talis decebat vt esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus [qui despicitis nomen meum] id est despectui habere facitis. *Ezechiel.* 36. Nomen meum polluistis. *Isaie* 30. Cesset à facie nostra sanctus Israel. *Iob* 21. Dixerunt Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Despicit enim nomen Domini qui sacramenta per quæ nominatur Deus & notitia Dei habetur, indigne tractat & indebite [& supple, temerarie] dixistis In quo despeximus nomen tuum? Magna enim temeritatis ingratitudo est, nomen Domini in sacramentis despicere, & peccatum non recognoscere. Et de illis dicitur *Roman.* 2. super illud, An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? quod grauissime peccat qui ignorat. 1. *ad Corinth.* 14. Ignorans ignorabitur. Et ideo ingratitudinem exponens, subdit.

Sacramenta religiose tractanda.

Offertis super altare meum pollutum panem] hoc est, tactu immundorum inquinatum. *Hieronymus.* Iuxta traditionem Hebræorum debebant Sacerdotes panem propositionis serere, metere, molere, coquere: quod non faciebant, sed quoscunque de medio acceptos offerebant, & ideo polluere panem dicuntur. *Eccle.* 34. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Item *ibidem.* Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. *Hieronymus.* Corripit sermo diuinus Episcopos & ministros Ecclesiæ negligentes, vel omnes qui in Christo baptizati Christi nomine censentur, cui nomen eius despiciant. Quibus apexit causas offensæ, quia pollutum panem offerunt. Polluit enim panem, id est, corpus Christi, qui indignus accedit ad altare & ad mensam Domini, & si non voce scelerata, scelerato tunc opere despicit nomen Domini. 1 *ad Corinth.* 11. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit & dicitis] ausa temeratio [In quo polluimus te? *Hieronymus.* Dum sacramenta violantur, ipse cuius sunt sacramenta, violatur. Et hoc est quod sequitur.

Eucharistia polluitur ab indigno.

In eo quod dicitis supple, polluistis me [Mensa Domini despecta est] *Hieronymus.* Exercitus de Babylone nondum extructo templo habitantes in ruinis Ierusalem non habentes altare prioris gloriæ, putabant deesse sanctimoniam religionis, quia in auro & argento & gemmis deerat ambitio sanctificationis: & ideo dicebant, quod super tale altare despectum, possent communia offerri, quasi in altari aureo impolluta offerri præciperentur: non attendentes quod dicitur *Exod.* 20. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, oues vestras, & boues, & pacifica vestra, in omni loco vbi memoria nominis mei fuerit. Tales etiam deridet poeta Persius, dicens:

Dicite pontifices, in sacris quid facit aurum?

Plus enim respicit Deus ad humilitatem & devotionem quam ad ornatus splendorem. *Daniel.* 3. In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur sicut in holocausto arietum & taurorum, sicut in millibus agnorum pinguium &c. *Psal.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Propter quod *Marc.* 12. *Luc.* 21. Vidua duo æra minuta offerens, præferrur oblationibus omnium. Et ingratitudinem expostram probat subdens.

Si offeratis] & loquitur ad Sacerdotes; arguens à minori. Si enim propter sanctitatem & non propter ambitionem hostia maculata reprobatur, eo quod sanctificationi non congruit, nisi quod perfectum est: tunc multo magis reprobatur offerens vitiosus, eo quod plus contrariatur sanctificationi [Si offeratis cæcum] animal scilicet ad immolandum [nonne malum est?] & litera sic ordinanda est. Nonne malum est ad immolandum? Quasi dicat: Sic. *Leuitic.* enim, 22. talia animalia prohibentur immolari [& si offeratis claudum] animal scilicet [vel languidum] hoc est, quacunque debilitate confectum] nonne malum est] supple ad immolandum? Quasi dicat: Sic est, propter eandem causam. Et quamuis hoc lex dicat, tamen subdit probando per rationem legis, & arguit à maiori. Magis enim videtur quod illud acceptabile sit homini quam Deo: & ab homine non acceptatur: ergo nec à Deo.

Offer illud duci tuo [illi] Principi, vel Prælato tuo [si placuerit ei] [illi] est si per hoc placatus reddatur tibi [aut si susceperit] benigne scilicet cum tali dono [faciem tuam; dicit Dominus exercituum] *Hieronymus.* Dux hæc sibi oblata respueret, & sibi factam iniuriam reputaret: & offers Deo quod non audes homini offerre? Quasi dicat: Hoc mirum est. Spiritualiter autem cæcum offert, qui sine intelligentia veritatis offert, vt dicit *Apo.* 4. Animalia Dei erant plena oculis ante & retro: quod *Dionysius* significat dicit, multitudinem in diuinis contemplationes. Claudum offert, cuius opus non habet rectum vitiis gressum. *Hebre.* 12. Remissas manus & soluta genua erigite, & gressum rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis eatur, magis autem sanetur. Languidum offert, qui corpore & pigritia & mutitia confractum offert. 2. *ad Corinth.* 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Propter hoc dicitur *Gene.* 4. quod Abel obtulit de adipibus gregis sui, & respexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Ratio autem & causa omnium horum est, quod omnis oblatio veteris legis oblationem qua Christus seipsum obtulit,

Oblatio veteris legis.

significat

significat: & quia Christus perfectus sine macula & vitio fuit, ideo figurales oblationes perfectas esse oportuit & sine macula 1.*Pet.*1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Et subdit de conuersatione eorum.

Et tunc] supple, ex quo peccastis[deprecamini vultum Domini] *Augustin. super 1. Epist. ad Timoth.* Deprecatio est oratio in amouendis malis, in vultu vero Domini pietas, & beneuolentia in suscipiendis peccatoribus notatur. *Psal.* 16. De vultu tuo iudicium meum prodeat [vt misereatur vestri] *Isaiæ* 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas,& reuertatur ad Dominum,& miserebitur eius [de manu enim vestra] hoc est, de opere vestro [factum est hoc] scilicet peccatum,& ideo lauare manus per pœnitentiam, & tunc leuare potestis eas in oblatione, *Psal.* 25. Lauabo inter innocentes manus meas. 1. *ad Timoth.* 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Econtra de malis dicitur *Isaiæ* 1. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt [Si quo modo] supple, per pœnitentiam Deus [suscipiet facies vestras] hoc est, præsentias vestras, quibus Deo vos offertis [dicit Dominus exercituum] pœnitentem enim semper suscipit Deus. *Ezech.* 18. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet,& non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Vnde de Iob qui dolentem de peccato significat,dicitur *Iob vii.* Iob seruus meus orabit pro vobis:faciem enim eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.

Quis est in vobis] Hic exprobrat secundam ingratitudinem, quod scilicet non gratis Deo, sed spe terrenorum lucrorum seruierunt,& ideo debilia oblata receperunt, ne nihil reciperent.

Quis est in vobis] omnibus [qui claudat ostia] templi scilicet mundos suscipiendo & immundos excludendo,quod [illum] clauium in Ecclesia significat] *Isaia* 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: claudet, & non erit qui aperiat: aperiet, & non erit qui claudat. *Matth.* 16. Tibi dabo claues regni cælorum [incendat & altare meum gratuito?] sine scilicet spe mercedis terrenæ. Incensio autem altaris incensionem cordium significat per verbum ignitum prædicationis & deuotionem diuinæ laudis. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? *Isai.* 50. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri. Qui autem hæc facit spe mercedis terrenæ, æstibus auaritiæ anhelat, & ignem alienum offert in conspectu Domini. *Leui.* 10. Nadab & Abiu consumpti sunt: quia ignem alienum in conspectu Domini obtulerunt. Et ideo 1. *ad Corinth.* 9. dicit Apostolus. Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio.

Clauium Ecclesiæ Pontifi cum vsus.

Ignis alienus non adhibendus in sacrificio.

Non est mihi voluntas in vobis]Hic tangit de obiectione Iudæorum,& vocatione Gentium. Vnde tria dicit,scilicet, obiectionem Iudæorum, & Gentium vocationem,obiectionis causam & causæ probationem.

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum] beneplaciti scilicet. *Psal.* 146. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius[&]supple, ideo[munus non suscipiam de manu vestra] Munus & donum differunt: quia donum est donantis,& munus suscipientis. *Num.* 16. Ne respicias ad sacrificia eorum. *Gen.* 4. Ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Et subiungit causam.

Muneris & doni distinctio.

Ab Ortu enim solis]id est,ab Oriente[vsque ad Occasum]id est,Occidentem[magnum est nomen meum]hoc est,fama nominis mei per prædicationes Apostolorum diffamata [in Gentibus]id est, inter Gentiles[dicit Dominus exercituum]*Isai.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Psalm.* 112. A solis Ortu vsque ad Occasum laudabile nomen Domini [in omni loco]Gentilitatis, supple [sacrificatur] sanctitate mihi accepta[& offertur]in cæremoniis Christianorum secundum ordinem Melchisedech, vt dicit *Hieronym.*[oblatio munda] Christi scilicet sanguine mundata. *Glossa.* Regula Scripturarum est, vbi manifestissima prophetia texitur de futuris,per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt: & ideo iste locus Scripturæ ad alium sensum per allegoriam trahendus non est. Vnde subdit [quia magnum est nomen meum]id est, magnæ virtutis [in Gentibus,dicit Dominus exercituum] *Phil.* 2. Donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur,cælestium, terrestrium, & infernorum. Hoc significatum est *Isa.* 19. Cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij in die illa Dominum, & colent eum in hostiis & muneribus.

Et vos polluistis illud] scilicet, nomen meum, id est,polluxum vestris peccatis credi fecistis,cum Gentes illud sanctificauerint. *Ezech.* 36. Non propter vos ego faciam domus Israël, sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in Gentibus. Et subdit modum pollutionis [in eo quod dicitis. Mensa Domini contaminata est] putatis enim quod quia altare non splendet auro & gemmis, quod contaminatum sit, cum Deus non attendat ita splendorem ornatus in parietibus, sicut sanctificationem deuotionis. *Psal.* 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Et, supple,iterum dicitis [quod superponitur]scilicet,super altare[contemptibile est] putabant enim quod in humili altari maculosa animalia possent offerri, quod error magnus est, quia in deuotione offerentium attenditur oblatio, & non in ambitione oblatorum. Vnde 1. *Paral. xiii.* dixit Dauid:Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio offerre tibi donaria.Domine Deus Israël custodi hanc voluntatem, hoc est, hanc voluntatis deuotionem [cum igne qui illud deuorat]putabant enim etiam ignem minus sacrum esse propter altaris paupertatem, cum Deus ad humilitatem cordis potius quàm ad fastum exteriorem respiciat. *Isaia* 66. Cælum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum,& contritum spiritu, & trementem sermones meos? Sæpe enim plus placet deuotio pauperum quàm ambitio diuitum.

Oblationē commendat cultus pietatis, non fastus exterior.

Et dixistis] non minore scilicet impietate excusantes

cusantes vos[Ecce de labore] hoc est, ipsum maculatum quod offerimus, cum labore acquisiuimus, quia redeuntes de captiuitate pauperes sumus, non attendentes illud *Tobia* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Vnde 3. *Regum* 17. Vidua de ipsa farinula primum fecit Elia, sibi autem & filio suo fecit postea [Et exuflastis illud] id est, sufflandum æstimastis & leuei dicit dominus exercituum] *Psal.* 34. Fiant tamquam puluis ante faciem venti. *Isa.* 40. Exiccatum est fœnum & cecidit flos: quia spiritus domini sufflauit in eo. Et hoc falsa excusatione ita dixistis[&]id est, quia[intulistis]supple, in templum ad offerendum [de rapinis fraudium & vitiorum [claudum & languidum] reseruato vobis pingui & forti. *Gen.* 4. Nonne si bene offeras, recipies: male autem si diuidas, peccasti? Male autem diuidit, qui sibi forte,& domino debile offert,cum scriptum sit in *Psal.* 65. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum [&]sic, supple,in fraude intulistis in templum meum[munus]. *Act.* 5. dixit Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto,& fraudare de pretio agri? [Nunquid]supple, ergo[suscipiam illud]scilicet,munus sic fraudulenter oblatum[de manu vestra?] *Eccli.* 34. Dona iniquorum non probat Altissimus.

Maledictus] Abiectos maledicit propter dolum: quia & à populo oblatis perfectis animalibus, illa ponebant in gregibus suis, & alia maculosa obtulerunt: & in populo quidam maculosa offerebant,& perfecta retinebant.

Maledictus dolosus] Dolosus est qui aliud machinatur corde pessimo, & aliud dicit ore & exhibet opere [qui habet in grege suo masculum] id est, perfectum,& sic habet quod digne offerat [& votum faciens]spontaneum, supple, Deo[immolat Domino debile]occasionatum scilicet,vel defectu virtutis,vel membri defectione, *Ione* 2. Ego in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro salute mea Domino. In voce laudis immolat,qui hostiam ab omnibus laudabilem offert Domino. *Psalm.* 26. Immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, hoc est, quæ præconiis omnium extollitur. Sed ne credatur quod à pauperes qui non habet masculum, Dominus debile non accipiat, occurrit *Glossa*, dicens: Si non habes masculum,non nocet tibi maledictio. Rationem autem subiungit.

Mutilum aut maculatum Deo non offerendum.

Quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum] *Psalm.* 94. Rex magnus super omnes deos. Et ideo non decet mihi offerri, nisi quod perfectum est. *Leuitic.* 22. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem,non offeretis ea Domino[& nomen meum horribile]hoc est,tremendum est [in Gentibus]& intelligitur de horrore reuerentiæ, quando magnitudine nominis diuini considerata, gentilitas horripilationem passa per prædicationes Apostolorum ad reuerentiam mota est. *Ps.* 21. Repleti sunt lumbi mei dolore, & angustia possedit me,sicut angustia parturientis. Cornu cum audirem, turbatus sum cum viderem. *Iob* 4. Pauor tenuit me,& tremor,& omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Et sic factum est quod dicitur in *Psal.* 81. Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus Gentibus.

CAPVT II.

Et nunc ad vos.

IN hac secunda parte increpat ingratitudinem eorum qui sanctificationem Domini quam in paradiso instituit, violarunt: & diuiditur in duas partes. Improperat enim peccatum quod commiserunt in vxores, secundum nuptias à Domino in paradiso institutas. In secunda improperat peccatum quod commiserunt contra iudicium Domini, mundum gubernantis, ante finem cap. *ibi*[Laborare fecistis Dominum] Prima iterum in duas diuiditur. In prima ostendit beneficium in genere, & transgredientibus comminatur maledictionem. In secunda ostendit recessum ingratorum à beneficio percepto *ibi*[Vos autem recessistis de via] In prima tria facit,comminatur ingratis beneficium recolere non volentibus. In secunda commemoratur beneficium factum patribus *ibi*[Et scietis quia misi ad vos] Et nè videatur iniusta comminatio, in tertia ostendit rationem *ibi* [Labia enim Sacerdotis.

Et nunc ad vos,ô Sacerdotes, mandatum hoc] supple, dirigitur, per quos[vt dicit *Hieronymus*] mandatum debet transire ad populum sicut,sequestres & mediatores. *Glossa.* Qui maioris est dignitatis,& cui plus committitur, plus ab eo exigitur. *Gen.* 31. Ego damnum omne reddebam, quicquid furto peribat, à me exigebas. *Luc.* 16. Redde rationem villicationis tuæ. *Chrysostomus super Ioannem.* Sacerdos si omnia bene agat, & circa subditos diligentem custodiam non adhibeat, damnabitur. *Matth.* 25. Serue male & piger, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? Et subdit comminationem [Si nolueritis audire] hoc est, exaudire, quæ scilicet pertinent ad officium nostrum. *Ezech.* 3. Domus autem Israel nolunt audire te,quia nolunt audire me[& si nolueritis ponere super cor] ad memorandum scilicet. *Psal.* 118. Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Aggæi* 3. Ponite corda vestra super vias vestras. *Cant.* 8. Pone me sicut signaculum super cor tuum [vt detis gloriam nomini meo] operando scilicet digne,& digna mihi offerendo[ait Dominus exercituum] Confirmatio est præcedentium. *Psal.* 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Iere.* 13. Date gloriam nomino meo vestro antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.

Sacerdos si commissionem dimittendus.

Mittam in vos egestatem [supple, si non audietis. Et intelligit de egestate spiritualium & temporalium bonorum. *Amos* 8. Emittam in terram famem: nec famem panis,neque sitim aquæ, sed audiendi verbum domini. Egestas enim ab egendo dicitur, quæ ex priuatione bonorum caulatur [& maledicam benedictionibus vestris]*Glossa* triplicitet exponit hoc,hoc est, maledicam decimis,

primi

primitiis, & oblationibus quas pro benedictione accepistis: vel maledicam his quæ meis benedictionibus possidetis: vel quicquid à vobis spes terreni lucri possidetur, à me maledicetur. *Psal.* 108. Maledicent illi, & tu benedices. Qui insurgunt in me, confundantur [& maledicam illis] scilicet benedictionibus [quoniam non posuistis super cor] vt scilicet faceretis mandata mea. *Psal.* 118 In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et maledictionem in pœna exponit, subdens.

Ecce ego proiiciam à vobis] hoc est, auferam à vobis [brachium] hoc est, armum dextrum, qui cedebat in partem Sacerdotis de oblato [& dispergam super vultum vestrum] vt scilicet deturpemini in facie quæ omnibus apparet [stercus solemnitatum vestrarum] Et tangit hoc quod dicitur *Deut.* 18. Dabunt Sacerdoti armum & ventriculum. Et intendit per ventriculum stomachum, & vult dicere, quod armus ab eis auferetur (qui delectabilis est) & ventriculus in caput eorum proiicietur, vt stercus quod in ventriculo est, in facies eorum dispergatur in signum turpitudinis. Dicit autem, solemnitatum vestrarum, quia talia in solemnitatibus offerebantur. *Tobia* 2. Dies festi vestri conuertuntur in luctum & lamentationem. *Isa.* 1. Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laborauí sustinens [& assumet vos secum] stercus scilicet. *Hieronymus*, vt scilicet non differatis ab ipso stercore in fortoribus.

Et] tunc scilicet [scietis] per pœnæ experimentum [quia misi ad vos mandatum istud] Sacerdotale scilicet, eligendo vos in patre vestro Leui. Magnum enim tantam dignitatem per patres mittere in posteros. *Isaia* 61. Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini. Ministri Dei nostri, dicetur vobis. *Apoc.* 1. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Misi, inquam [vt esset pactum meum] sacerdotij scilicet [cum Leui] hoc est, Leuitis [dicit Dominus exercituum] *Glossa Hieronymi*. Per Leui intelligimus Aaron, & alios qui de stirpe Aaron vel Leui descenderunt. *Psal.* 102. Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum his qui seruant testamentum eius. Et explanat pactum.

Pactum meum fuit cum eo] cum Leui scilicet [vitæ] per gratiam [& pacis] quam faceret inter homines, vt scilicet vitam per gratiam doceret, & pacis quam in paradiso fecit Deus, conciliator esset. De 1. *Ioan.* 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. De secundo *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Ezech.* 20. Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, viuet in eis. Vnde de bono dicitur Sacerdote *Eccli.* 45. In verbis suis monstra placauit. *Hieronymus*. Quia in se pacem habuit, & ad alios ad pacem reduxit [& dedi ei timorem] qui scilicet omnia bona in eo custodiret. *Eccli.* 27. Si non in timore Domini instanter te tenueris, cito subuertetur domus tua [& timpit me] à malo scilicet recedens. *Eccli.* 1. Timor Domini expellit peccatum [& à facie nominis mei pauebat] hoc est, à præsentia notitiæ meæ. *Glossa*. Horrore corporis iudicans se verba Dei timere. Et subdit, per singula exponens pactum sacerdotale in quatuor, in doctrina, in vita, in vtilitate, & in officio. In doctrina duplici, et, cilicet, veritate, & puritate. De veritate dicit.

Pactum vitæ & pacis.

Lex veritatis fuit in ore eius] *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior. In ore enim Doctoris veritas, nugæ sacrilegia sunt. Et subdit de puritate [& iniquitas non est inuenta in labiis eius] vt scilicet vanum, falsum, vel mendacium diceret. *Glossa*. Quia imitatur eum qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius 1. *Petr.* 2. & *Isaia* 53. *Iob* 6. Non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Et subdit de veritate vitæ [in pace] quam scilicet fecit inter commissos. *Hebr.* 12. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum [& in æquitate] hoc est, in rectitudine virtutis & iustitiæ. *Isaia* 26. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum [ambulauit mecum] hoc est, profecit de virtute in virtutem *Glossa*, sicut Enoch. *Gen.* 5. Ambulauitque Enoch cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. *Gen.* 6. Ambulauit Noë cum Deo. Et subdit de vtilitate [& multos auertit ab iniquitate] per prædicationem scilicet, & correptionem. *Iacob.* 5. Scire debet, quod qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Et subdit de proprio actu officij.

Labia enim Sacerdotis custodiunt] hoc est, custodire debent [scientiam] vitæ scilicet, doctrinæ, & iudicij. *Osee* 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne & tu sacerdotio fungaris mihi [& legem requirent] subditi scilicet de faciendis, docendis, & iudicandis [de ore eius] Sacerdotis scilicet. *Hieronymus*. Si Sacerdos de lege interrogatur, doceat, resistentes conuincat, alioquin frustra iactat dignitatem, cuius non exhibet operationem. Idem: Si Sacerdos delinquentes non corripit, Sacerdotis officium præterit, & subdit rationem [quia Angelus Domini exercituum est] hoc est, nuntius Dei ad populum. Hic dicit *Hieronymus in originali*, Esdram fuisse Malachiam. Dicit enim sic: Exponit nomen suum Esdras Sacerdos Dei, hoc est, Malachias, qui Angelus Domini appellatur, voluntatem Dei annuntians hominibus.

Sacerdos, custos est legis.

Malachias idem qui Esdras.

Vos autem recessistis] Tangit recessum à pacto: primo in communi, secundo in speciali *ibi* [Nunquid non pater vnus] In primo dicit culpam, & pœnam.

Vos autem] tali pacto contempto ô Sacerdotes [recessistis de via] vetæ scilicet doctrinæ, & rectæ vitæ. Vnde *Isa.* 30. dicunt: Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel [& scandalizastis plurimos in lege] scandalo actiuo, malo scilicet exemplo: quia à lege recesserunt. *Matth.* 18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit, &c. Et sic, supple [irritum fecistis pactum Leui] hoc est, Leuitarum, vitæ scilicet, & pacis, & cæterorum quæ dicta sunt, pertinentia ad officium Sacerdotis [dicit Dominus exercituum] Confirmatio est præteritorum, vt magis timeant. Et subdit de pœna.

Propter quod] scilicet, peccatum [& ego] æquus iudex omnium, & ponderator actuum humanorum [dedi vos contemptibiles] hoc est, vilificatos & profectos [& humiles] hoc est, ad humum prostratos quasi conculcandos [omnibus populis] *Dan.* 3. Imminuti sumus plus quàm omnes gentes, sumus

Sacerdotes cur vulgo despecti.

sumusque humiles in vniuersa terra hodie, propter peccata nostra [sicut non seruastis vias meas] hoc est, præcepta legis. *Rom.* 1. Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum. In quo autem maxime hoc fecerunt, subdit [&] id est, quia [accepistis faciem] personarum scilicet [in lege] vt scilicet iustificaretis impium pro muneribus, vel pro amicitia, vel potestate [& iustitiam iusti auferetis ab eo] *Isa.* 5. *Iacob* 2. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Et post pauca. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguri à lege, quasi transgressores. *Deut.* 16. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba iustorum. Iuste quod iustum est, persequeris. *Deut.* 1. Ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei est iudicium. Et huius peccati ostendit inconuenientiam, subdens.

Iudex personarum vtilitatem nõ habeat.

Nunquid non pater vnus] supple, est omnium nostrum, Abraham scilicet. Quasi dicat. Sic. *Isaia* 8. Pater noster Abraham est. *Isaia* 51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos [Nunquid non Deus vnus creauit nos?] Quasi dicat, Sic. *Isa.* 64. Opera manuum tuarum omnes nos. Et ex quo estis compares quoad patrem carnalem, & quoad patrem spiritualem Deum [quare ergo] hoc est, sine ratione [despicit vnusquisque vestrum fratrem suum] Iudæum scilicet, vt filiam suam vxorem ducere nolit propter paupertatem & afflictionem captiuitatis, & ducat filiam Gentilis propter diuitias & pulchritudinem [violans] in hoc scilicet [pactum patrum nostrorum] Leuitarum scilicet. Dispar enim cultus impedimentum matrimonij est. Quod autem hoc factum sit, expresse scribitur 1. *Esdræ* 9. & *Nehem. vlt.* & qualiter hoc Esdras & Nehemias correxerunt, propter quod etiam creditur Esdras Malachias esse: quia quod Esdras correxit, Malachias similiter reuocat ne fiat. Vnde *Hieronymus*. Sicut ex lectione Esdræ colligitur, reuersi de Babylonia tam Principes & Sacerdotes, quam reliquus populus, vxores sui generis quæ paupertate & laboreviæ infirmitatem contraxerant, eiecerunt, & filiabus alienigenarum ætate vel diuitiis florentibus se copulauerunt. Vnde (sicut dicitur *Nehem. vlt.*) filij loquebantur ex media parte Azotice, & nesciebant loqui Iudaice, sed loquebantur iuxta linguam populi & populi. Quod peccatum exaggerans, subdit.

Matrimonium diriminit cultum disparitas.

Transgressus est Iuda] id est, hoc peccato contaminatur tribus Iuda quæ cum Sacerdotibus & Leuitis reuersa est de Babylone [& abominatio] hoc est, tam abominabile peccatum [facta est in Ierusalem] hoc est, in decem tribubus, quoad illos qui cum duabus tribubus reuersi sunt [& in Ierusalem] quoad Sacerdotes qui in Ierusalem manentes hoc fecerunt, & alios facere permiserunt propter munera & acceptionem personarum. *Hieron.* Inter omnia peccata Sacerdotum hoc maximum notatur, quod non causas, sed personas considerent, & despecto iusto pauperes iniustos diuites honorent. Et exponit qualiter, subdens [quia contaminauit Iudas] hoc est, duæ tribus, & decem & Sacerdotes [sanctificationem Domini] hoc est, sanctitatem matrimonij [quam dilexit] scilicet, Dominus, & vt dilectam custoditi fecit, præcipiens ne ducerent filias alienigenarum, maxime Allophylorum: quia illas vicinas habebant, ne subuerterent eos ad deos alienigenos 3. *Reg.* 11. super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingrediemini ad eos, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim auertent corda vestra vt sequamini deos earum. Et hoc est quod sequitur [& habuit filiam Dei alieni] pro vxore scilicet, & hoc in periculum fidei: quia tales non commanent nisi in contumeliam Creatoris. Et subdit pœnam tanti peccati.

Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc] virum dicit non mulierem: quia nunquam licuit mulieri habere plures viros, sed viro aliquando licuit [magistrum] hoc est, Sacerdotem [& discipulum] hoc est, subiectum [de tabernaculo Iacob] Singulare ponit pro plurali, hoc est, de omnibus tabernaculis sine modis viuendi Ecclesiæ. 1. *ad Corinth.* 5. Iudicaui tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus salus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Et hoc est quod sequitur [& offerentem munus à Domino exercituum] Sacerdotem scilicet disperdat Dominus. *Hieronymus*. Siue sit Sacerdos, siue laicus, vna maledictione ferientur: quia vno peccato tenentur: quod licet grauius sit in Sacerdote propter circunstantiam peccantis, est tamen commune in substantia.

Deprecationem læsi Deus audit.

Et hoc rursum fecistis] Tangit hic peccatum consequens ex primo, & hoc exaggerat triplici ratione; primo, quia lacrymæ dimissarum faciunt non placabilem oblationem vel sacrificium. Secundo, quia dimittere vxorem contra indiuiduitatem est matrimonij. Tertio, quia est contra bonum prolis suscipiendæ & enutriendæ ad cultum Dei. Quarto gratia huius dicit, in quo casu vxor à thoro potest separari.

Et hoc] supple peccatum [rursum fecistis] peccatum peccato scilicet addentes. 1. *Thess.* 2. Vt impleant peccata sua semper. *Matth.* 23. Implete mensuram patrum vestrorum [Operiebatis lacrymis altare Domini] hoc est, operiri fecistis. Et dicit in præterito imperfecto, vt notetur continuitas actus ex præterito in præsens. Quando enim dimissæ fuerunt vxores, ad altare Domini veniebant & ibi plorabant, & contra dimittentes & contra Sacerdotes qui hoc fieri posse iudicabant, & sic altare Domini lacrymis replebant, ita quod locus in altari non esset exauditionis Sacerdotum. Et propter hoc dicit. Operiebatis. Quasi dicat. Vt nihil aliud capere posset. *Eccli.* 35. Non accipiet Dominus personam in paupertem (hoc est contra pauperem) & deprecationem læsi exaudiet, non despiciet preces pupilli: nec viduam si effuderit loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deicendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. Et hoc est quod sequitur [fleu & gemitu] *Thren.* 1. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens. *Psal.* 37. Rugiebam à gemitu cordis mei [ita vt non respiciam] hoc est, respicere debeam [vltra ad sacrificium] supple, per vos oblatum. *Isa.* 1. Ne offeratis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi [nec accipiam placabile aliquid de manu vestra] Placabile dicitur ab actu placationis: talibus enim plus provocatur quam placatur. *Isaia* 1. Cum extenderitis manus vestras, auertam

tam oculos meos à vobis : & cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Et dixistis] Ingrati enim & contumacis est, peccatum non recognoscere[Quam ob causam?] hoc est, propter quod peccatum? & respondet[Quia Dominus] in paradiso scilicet instituens matrimonium[testificatus est] verbo suo scilicet. *Gen.* 2. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Idem. *Matth.* 19. & adiungitur. Itaque non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Per hoc notatur matrimonij indiuiduitas ; per quam vxor inseparabilis est à viro [inter te & vxorem pubertatis tuæ] id est, quam primo in iuuentute tua duxisti. *Iere.* 3. Dux virginitatis meæ tu es [quam tu despexisti] hoc est, vt despectam abiecisti. *Ephe.* 5. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Et exaggerat peccatum, subdens [& hæc particeps tua.] tuppile, esse deberet. Tunc enim est indiuiduitas matrimonij, vt coniugibus omnia fiant esse communia : aliter enim indiuiduitas esse non potest. Et hoc notatur quando dicitur, Erunt duo in carne vna. Hæc enim caro vna, proles est, in qua ambo filius sociantur, vir sicut formans, fœmina tanquam formata. Et cum familia domus & facultates ad prolem referantur sicut ad hæredem, etiam in his debet esse indiuiduitas. Et hoc est quod sequitur [& vxor fœderis tui] id est vxorio affectu, & fœdere matrimoniali coniuncta. *Ephe.* 5. Sacramentum hoc magnum est. Significat enim beatificati & beatificantis spiritus indiuiduitatem. Et subiungit rationem.

Matrimonij vnitas indissolubilis.

Nonne vnus fecit ? Quod autem fecit vnus & indiuisus, indiuiduitatem debet esse vnum, & non tendere ad diuisionem. *Matth.* 19. Non sunt duo, sed vna caro. Et hoc est quod sequitur [& reliquias] id est, fœmina de reliquo corporis viri facta [spiritus eius est] genitiui casus, & est partitiua constructio, hoc est, aliquid spiritus eius est, viri scilicet, vel Dei : non quod sit deificatio spiritus diuini, sed quia imago illius est. 1. *ad Corinth.* 11. Vir non debet velare caput suum : quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. *Ibidem.* Tanto affectu vir & mulier deberent copulari, vt vna anima in duobus esse videretur, communis spiritu & mente sociata. Et ex hoc ratiocinatur vlterius.

Et qui vnus] hoc est, sic vxori vnitas & indiuiduitas [quærit] id est, quærere debet [nisi semen Dei] id est, proles in timore Dei educanda ad cultum Dei nutrienda, quod non fit per indiuiduitatem prolis ex coniugibus diffusi, sed per indiuiduitatem ad diuinos Deos, & finalitatem quæ in [illegible] est. Hæc [illegible] Genesi 1. dicitur : Fecit vnum, in Hebræo vna. Incubitus prolis [illegible] spiritus, [illegible] vna pulchra ad [illegible] [illegible] Et hoc [illegible] dicit non [illegible] quæ [illegible] ad. Vade in [illegible] [illegible] *Iob* 24. [illegible] [illegible] peccati, [illegible] [illegible]

Custodite ergo spiritum vestrum] id est, [illegible] amorem ; ne scilicet ad aliegenas exaudescat, sed intra metas matrimonij consistat. *Prouer.* 7. Prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, quæ verba sua facit mulcere. Et hoc explanat, subdens [&] id est [vxorem adolescentiæ tuæ] id est, tibi in adolescentia tua coniunctam [noli despicere] id est, abiicere. *Prouerb.* 5. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ : cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vberibus eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter. Et *ibidem.* Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius ? 1. *ad Thessal.* 4. Sciat vnusquisque vestrum suum vas [hoc est propriam vxorem] possidere in sanctificatione & honore & non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Et subdit, si diuinitenda est, qualiter dimittatur.

Vxori vir fidem non violet.

Cum odio habueris eam] ex causa scilicet fornicationis, quia scilicet maculauit thorum & fidem matrimonij [dimitte] id est, à thoro separa, non à matrimonio [dicit Dominus Deus Israel] *Matth.* 5. Qui dimissam duxerit, adulterat. 1. *ad Corinth.* 7. Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non descendere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Quod si obiiciatur de libello repudij, dicit Dominus *Matth.* 19. quod Moyses ad duritiam cordis eorum permisit eis dimittere vxores : ab initio autem non fuit sic. Permisit autem hoc Moyses (vt dicit *Hieron.*) sicut legislator, qui permittit malum, ne peius fiat : & sicut permittit mereticem, quam non laudat nec præmiat, sed detestatur, permittit tamen ne mundus sodomis impleatur : & sicut ædificauit facit choacum, ne pulchrum fœtore impleatur : & ita permisit Moyses dimittere vxores, ne interficerentur ab his qui durum cor habebant ad eas.

Libellus repudij cur permissus.

Operiet autem iniquitas] quam scilicet perpetrauit mulier [vestimentum esse, dicit Dominus exercituum] *Osee* dicit vestimentum esse corpus quod operit iniquitas ; quando pœna iniquitatis, quæ est confusio pro peccato, operit eam. *Psal.* 108. Induantur sicut diploide confusione sua. Possit tamen dici, quod vestimentum operit, quando non licet reuelari vestimentum vt ignitet alteri viro exhibeatur, et modo loquendi quo dicitur *Leuit.* 18. Turpitudinem sororis tuæ ne discooperies vel reuelabis, quia turpitudo tua est. Sic mulier dicitur operta, quando clauso vndique vestimento, nulli viro se potest denudare. Et sic vestit ad reuocationem à peccato, subdens [Custodite spiritum vestrum] & est quasi conclusio ex præhabitis [& nolite deficere] 1. *ad Thess.* 5. Integer vester spiritus & corpus & anima sine [illegible] *Gen.* 1. Vt sitis perfecti & integri & nulla [illegible]

Mulier repudiata alteri non nubat.

[illegible]] Tangit potentiam [illegible] Dominus in generali [illegible] [illegible] dicitur [illegible] [illegible] Sic dicitur Deus laborauit ad [illegible] aliquid [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Deus [illegible] [illegible] quod scilicet [illegible] [illegible] Vade [illegible] [illegible] [illegible] Deus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum & Dominus dominantium. Hunc quærant ab aliis dominis oppressi. *Aggæi* 2. Veniet Desideratus cunctis gentibus. Hoc significatum est 1. *Reg.* 22. vbi dicitur, quod veniebant ad Dauid omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps. Et subdit de officio.

Et Angelus] hoc est, nuntius. *Isa.* 19. secundum *Septuaginta* vocabitur magni consilij Angelus [testamenti] spiritualiter docendi & implendi, & per miracula testificandi. De primo *Rom.* 8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis, hoc est, lex spiritualiter intellecta. *Ioan.* 8. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. De secundo *Matth.* 5. Non veni soluere legem, sed ad implere. De tertio *Isai.* 5. Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. *Psalm.* 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis [quem vos vultis] hoc est, ad quem sicut ad finem refertur desiderium Sanctorum. *Isa.* 26. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. *Isa.* 53. Desideraui mus eum, despectum, & nouissimum virorum. Et subdit de qualitate aduentus [ecce venit] & notatur, quod primus aduentus demonstrabilis est in humilitate, & secundus in terrore. *Isa.* 40. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. 1. *Reg.* 4. Venit Deus in castra [dicit Dominus exercituum] Confirmatio est prophetiæ.

Christus Angelus testamenti.

Et quis poterit cogitare?] supple, sufficienter [diem] hoc est, qualitatem temporis & illuminationis [aduentus eius] primi scilicet in humilitate & gratia, & secundi in terrore & potentia. *Eccli.* 43. Multa dicemus, & deficiemus in verbis. 2. *ad Corinth.* 3. Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex vobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 1. *ad Cor.* 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et hoc explanat subdens [& quis] tam magnus sine potens [stabit] propria virtute scilicet [ad videndum eum] *Hiero.* Si nemo potest cogitare præ potentia maiestatis eius, quis eum lippientibus oculis in sua claritate poterit respicere? *Nahum.* 1. Ante faciem magnitudinis eius quis stabit, & quis resistet in ira furoris eius? *Iob* 26. Cum vix parum stillam sermonis eius audiemus, sonitum magnitudinis eius quis poterit intueri? Et subdit de operis perfectione in purgando.

Christus ignis est confans.

Ipse enim] in effectu scilicet operis erit [quasi ignis conflans] maiora scilicet peccata igne tribulationis & compunctionis, acriori pœna purgans. *Isa.* 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij & spiritu ardoris. *Deuteron.* 4. Dominus Deus tuus ignis consumens est [& quasi herba fullonum] quæ *Iere.* 2. Borith dicitur, quam quidam dicunt esse saponariam, & est herba per quam ad nitorem propium lanæ deducuntur. Et intelligitur minor pœna per quam leuiora peccata purgantur. *Isaie* 1. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbantur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana alba erunt. Fullones hac herba purificantes, Sacerdotes sunt

Herba fullonum.

& Doctores. *Isa.* 7. Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis. Iasub qui reuocans interpretatur, cuneum Sacerdotum significat purificantium. *Isaias* autem Christum piscina superioris aquæ gratiam desuper venientem. Via agri fullonum, via Sacerdotum ad purificandum.

Et sedebit] morans faciens non transiens, conflans & emundans hoc est, conflans ad emundandum. *Sap.* 3. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos, & in tempore erit respectus eorum [argentum] quia etiam eloquia veteris testamenti conflauit, vt eliqueseeret ex eis spiritus siue spiritualis intellectus. *Psal.* 11. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Vnde de quibusdam obstinatis dicitur *Iere.* 6. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ [& purgabit filios Leui] hoc est, Sacerdotes aliorum purgatores. *Isa.* 6. Volauit ad me vnus de seraphin, & in manu eius calculus quem forcipe de altari tulerat, & tetigit os meum, & dixit: Ecce hoc tetigit labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur [& colabit eos] vt scilicet purum ab impuro separetur. *Iere.* 15. Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris] quasi aurum] secundum intellectum sapientiæ [& quasi argentum] secundum prædicationem eloquentiæ. *Eccli.* 2. In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis [&] sic, supple, purgati] erunt Domino offerentes in iustitia cordium [sacrificia] spiritus contribulati] in iustitia] doctrinæ scilicet, & vitæ. *Psal.* 50. Acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta.

Sacerdotes per Christum purgati.

Et placebit Domino] propter peccata offerentium non refutatum [sacrificium Iuda] duarum scilicet tribuum, vel fidelis populi [& Ierusalem] hoc est, Sacerdotum. *Isa.* 60. secundum *Septuaginta.* Munera tua accepta erunt super altare meum. *Psal.* 68. Placebit Deo super vitulum nouellum [sicut dies seculi] Secundum dicunt spiritum veteris legis, in quo in Moyse & in Aaron sacrificium placuit. *Isa* 63. Recordatus est dierum seculi. Moysi & populi sui [& sicut anni antiqui] naturalis scilicet legis, quando in Abel, Noe, Melchisedech, & Abraham sacrificium placuit. *Psal.* 76. Annos æternos in mente habui.

Et accedam ad vos] Tangit hic de obstinatorum condemnatione, & accidit nobis per visitationem peccati manifestationem. *Gen.* 18. Descendam, & videbo [an iudico] discutiam scilicet, & condemnabo. *Mich.* 6. Surge, contende iudicio aduersus montes, & audiant colles vocem tuam [& ero testis] manifestatione veritatis *Iere.* 19. Ego sum testis & iudex] velox] contra quem nihil excipitur. *Isa* 16. Velociter reddens quod iustum est] maleficis] hoc est, contra maleficos. Malefici dicuntur mala hominibus in persona, vel rebus inferentes. *Exo.* 22. Maleficos non patieris viuere] [& adulteris] hoc est, contra adulteros, qui *Deut.* 22. punientur lapidibus] & periuris] hoc est, contra periuros. *Exo.* 20. Non habebit insontem Dominus eum, qui nomen Domini Dei sui frustra assumpserit [& qui calumniantur]

Calumniantes intentando vrbani, pa. & merces.

antur] hoc est, calumniosè intentant [mercedem mercenarij] *Eccli.* 34. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, frater [illius] & viduas humiliant [quæ patrono vir suus] & pupillos] parte defensionis carentes, supple, calumniantur. *Exo.* 22. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si lesueritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli [& oppressores pertransiuerunt] qui scilicet ad patriam tendit. *Hebre.* 11. Confitentes quoniam peregrini & hospites sunt super terram. *Deu.* 5. Peregrinus qui intra portas tuas est, quiescat. *Exo.* 23. Peregrino molestus non eris. *Eccli.* 5. Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter & commorabitur in medio domus eius & consumet eum [nec] supple, in omnibus his [timuerunt me, dicit Dominus exercituum] vt scilicet à peccato recederent. *Eccli.* 1. Qui sine timore est, non poterit iustificari. Et hoc inconueniens est, supple.

Ego enim Dominus] supple, sum omnipotens [& non mutor] in verbis meis, & ideo infero pœnam quam comminatus sum. *Num.* 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Contra hoc tunc videtur esse quod dicitur *Iere.* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius. *Iere.* 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, propter quod locutus sum ei, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitauit vt faceret ei. *Osee* 11. Conuersus est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ. Sed hoc solum: quia obstinatis non mutatur, sed pœnitentibus placatur.

Deus immutabilis.

Et vos filij Iacob] quia tanti patris vestri imitatores non estis [non estis consumpti] per tribulationes ad pœnitentiam *Iere.* 3. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam [à diebus enim patrum vestrorum] scilicet malorum, quorum malitiæ hæredes estis [recessistis à legitimis meis] *Isaia* 48. Transgressores ex vtero vocati te. Idem *Amos* 3. audiuit, vt dicit *Glossa* [& non custodistis] in opere. *Act.* 7. Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. Et quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, subdit reuocando eos.

Reuertimini ad me] & docet, quæ reuertantur, & quod maledicti sunt non reuertentes, & qualiter reuertantur [Reuertimini ad me] per pœnitentiam & iustificationem. *Gen.* 5. Ambulauit cum Deo Sunamitis. *Iosi* 16. Reditus peccatorum ad cor] & ego reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum] *Iaci.* 3. Reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. *Mattha.* Magna misericordia eos qui à se recedunt, ad redeunt prouocat, vt ipse quoque ad eos redeat.

Clementia Dei magna.

Et dixistis] vt obstinati, & [non cum cognoscunt] tamen [quæ non dilectione. *Iac.* 3. Ab eo qui [illum] quærunt, & [non tamen] [illum] quem quærunt, & inuenire. [illum] [illum] [illum]

per partes [nec erit sterilis vinea in agro] vel literaliter, vel spiritualiter in vitibus gaudiorum æternorum vinum ferentibus. *Osee* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei [dicit Dominus exercituum]. Confirmatio est sermonis.

Quæstio de obligatione decimarum.

Propter ea quæ hic dicta sunt, quæstio est de solutione decimarum. Arguunt enim quidam sic quòd hic non præcipit decimas solui, nisi vt sit cibus in domo Domini. Si ergo cibus est ex dote Ecclesiæ, vel aliis reditibus, non oportet decimas solui. Ad hæc, *Act.* 15. Iacobus Episcopus Ierosolymorum, post disputationem Petri Apostoli & aliorum, quid imponendum esset Gentibus ad fidem conversis? sic per sententiam decreuit. Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil aliud vobis vltra imponere oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene ageris. Cum ergo decimæ impositæ sint ad onus, decimas Christiani non tenentur soluere. In contrarium est quòd decimæ solutæ sunt ministris Dei in omni lege. In naturali patet, quia Abraham soluit decimas Melchisedech. Sacerdoti summo *Gene.* 14. In lege Moysi præcipitur hoc *Num.* 18. & *Exod.* 22. In lege Christi mentio fit de hoc *Heb.* 7.

Decima omni lege Dei ministris deputata.

Ad hæc dicunt quidam, quòd propter istas rationes Christiani non tenentur decimas soluere, nisi vbi consuetum est decimas solui, & ex consuetudine ius, præceptum acquisitum habet, & vbi exigit hoc indigentia ministrorum. Sic autem non iudicat Ecclesia, propter quod dicendum, quòd ministris Dei debeatur decimæ omni modo, dummodo ministri Dei sint secundum [illegible] & esse stum. Si autem non ministrant, ad damnationem sui decimas respiciunt. 1. *Corinth.* 9. Quis militat suis stipendiis vnquam? Et post pauca: Dominus ordinauit his qui Euangelium nuntiant, de Euangelio viuere. Decimæ autem & primitiæ & vota taxata sunt in stipendia ministrorum.

Et beatos vos dicent omnes gentes] pro temporalium & spiritualium abundantia. *Luc.* 1. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et huius benedictionis subdit rationem [eritis enim vos terra desiderabilis] per metonymiam, vt per terram, habitantes in terra intelligantur [dicit Dominus exercituum] Confirmatio est sermonis. *Isa.* 62. Non vocaberis vltra Derelicta, & terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea: & terra tua Inhabitata; quia complacuit Domino in te.

Inualuerunt super me] Hic adhuc plenius ostendit, quod in fine præcedentis capituli dixit: Laborare fecisti Dominum in sermonibus vestris, ostendens quod hi sermones sunt sermones blasphemiæ contra prouidentiam scilicet quod non esset distantia inter iustum & impium: & ideo tria facit hic. Primo enim ostendit hos sermones blasphemiæ, secundo improbat deducendo ad inconueniens ibi [Ergo nunc beatos] tertio distantiam ostendit bonorum & malorum, per hoc quod parcit bonis, & damnat malos ibi [Tunc locuti sunt timentes Deum.

Inualuerunt] plus & plus contra me crescentes [super me] hoc est, contra me [verba vestra] blasphemiæ scilicet [dicit Dominus] 2. *ad Timot.* 3. Mali autem homines seductores proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes [& dixistis] peccatum ex ignauia non intelligentes [Quid locuti sumus contra te?] *Isa.* 59. Locuti sumus de corde nostro mendacium [& dixistis] hoc est, quia dixistis [Vanus est qui seruit Deo]. Vanum est quod caret fine vtilitatis, & ita dixerunt quod bonis male succedit in mundo, malis autem bene. *Iob* 21. Quare impij viuunt, sublimati sunt confortatique diuitiis? Et probationem subinferunt [&] id est, quia [quod emolumentum] vtilitatis scilicet [quia custodiuimus præcepta eius] iuste viuendo: omnia enim retulerunt ad remunerationem temporalem. *Sap.* 2. Hæc cogitauerunt, & erraverunt: excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem sperauerunt iustitiæ [& quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum] in pœnitentia scilicet, & humiliatione, cum nos affligamur, & idololatræ & mali felicitate terrenorum proficiant. Simile *Isa.* 58. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Et subdit improbationem deducendo ad inconueniens.

Ergo nunc] supple, si verum est quod dicitis [beatos dicimus arrogantes] Arrogantes sunt, vt dicit *Hieronymus*, qui sibi supetbe terrenorum felicitatem & gloriam attribuunt, & Deum blasphemant. Simile in *Psal.* 143. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, præsentia scilicet, cum tamen illi summe sint infelices. Et subiungit rationem beatitudinis talis [Siquidem] hoc est, quia [ædificati sunt] in temporalibus diuitiis scilicet. *Iere.* 12. Plantasti eos & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum [facientes impietates] in Deum & in homines. *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum [& tentauerunt Deum] in hoc scilicet, quod peccando in Deum, experiri voluerunt, an Deus vindicaret. Contra quod dicitur *Deuteronom.* 6. Non tentabis Dominum Deum tuum. *Psal.* 77. Tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelsum [&] supple, tamen [salui facti sunt] præsenti felicitate. Simile in *Psal.* 72. Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerũt diuitias. Et dicit *Gregorius*, quod huiusmodi prosperari permittũtur, vt vituli pascuales vt mactentur. Illi enim pinguibus pascuis nutriuntur, vt auidius dentibus lacerentur. *Iob* 21. In diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Et subdit quod aliter est in his qui Deum timent, & hoc inducit sub voce Prophetæ respondentis contra blasphemos.

Prosperitas impiorum non diuturna.

Tunc loquuti sunt timentes Deum] & quid locuti sint, non dicit: sed intelligitur, quòd in timore Dei contra blasphemos loquuti sunt [vnusquisque cum proximo suo] hortando scilicet se inuicem, ne propter verba blasphemorum à iustitia desistant. *Tob.* 4. Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus: sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene [& attendit Dominus & audiuit] Hinc eron proceron, prius enim est audire quam attendere. *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia. *Deu.* 9. Attende & fac [& scriptus est liber monimenti coram eo] hoc est, in scientia & remuneratione Dei ad remunerandum omnia quæ dicunt & faciunt bonis & malis. *Apoca.* 20. Et alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris. *Glossa* inducit illud *Deu.* 7. Thronos positi sunt, & antiquus dierum sedit. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. *Iob* 32. Librum

brum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi. Per singulos gradus meos prouocabo illum, & quasi principi offeram illum [timentibus Deum] quantum ad recessum a malo [& cogitantibus nomen eius] quantum ad faciendum bonum. Bona enim illorum omnia conscripta sunt ad remunerandum. Vnde 2. *ad Timot.* 1. dicitur: Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Et ex hoc ostendit distantiam bonorum & malorum coram Deo, subdens.

Et erunt mihi, ait Dominus exercituum] boni scilicet [in die qua ego faciam] iudicium scilicet discretionis inter bonos & malos [in peculium] hoc est, in populum peculiarem specialiter gratum. *Deu.* 7. Elegit te Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris. *Psal.* 32. Populus quem elegit in hæreditatem sibi. *Isa.* 19. Hæreditas mea Israel. Et hoc est quod sequitur [& parcam eis] quia dicit *Augustinus*, quod enim boni quædam habent quæ per flagella corrigi oportet, sed pater parcendo corrigit, cum mitius punit quam mereantur. Et hoc est quod sequitur [sicut parcit vir filio suo seruienti sibi] quem, supple, corripit per flagella, nè insolescat. *Prouerb.* 3. Disciplinam Domini, fili, ne abiicias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi: contumacem autem ablicit, & tradit iudicio. *Deuteron.* 21. Filius noster iste protervus & contumax est: monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat & luxuriæ atque conuiuiis: lapidibus obruet eum omnis populus ciuitatis, & morietur. Et subdit conclusionem interitum.

Flagella Dei patitur ferrenda.

Et conuertimini] nunc scilicet sera pœnitentia [& videbitis] experimento [quid sit inter iustum & impium] quantum ad distantiam meriti [& inter seruientem Deo, & non seruientem ei] quantum ad distantium præmij. *Sap.* 5. Dicent intra se pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

CAPVT IV.

Ecce dies veniet.

Quia autem hoc fit in extremo iudicio, ideo ostendit, qualiter in iudicio discernuntur boni à malis, & diuiditur in duo. In primo ostendit hoc quod dictu est. In secundo ex hoc monet ad obseruantiam legis, cuius obseruantia vnita est remunerationis ibi [Memento legis Moysi] In primo duo facit. Primo enim ostendit condemnationem malorum. Secundo gloriam bonorum.

Ecce dies veniet] hoc est, semper in accidendo est, & veniendo. Dicitur autem dies propter claritatem iustitiæ quæ tunc apparebit. *Matth.* 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet vsque in Occidentem: sic erit aduentus Filij hominis. 1. ad Corinthios 4. Venit Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Si aliquando dicitur dies tenebrarum & caliginis (*Sophonia* 1.) hoc dicitur propter malos, qui tuc proiicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8. [succensa quasi caminus] propter iram furoris in peccatores. *Isa.* 30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum. *Deuteron.* 32. Ignis succensus est in furore meo. Caminus autem dicitur qui in se resolutum habet ignem & concludentem, per quem infernus significatur, in quo mali sicut stipula conseruantur. Et hoc est quod sequitur.

Claritas supremi iudicij.

